



FR. SIXTI SENENSIS
ORDINIS PRAEDICATORUM
BIBLIOTHECA SANCTA

CRITICIS, AC THEOLOGICIS ANIMADVERSIONIBUS,


Nec non duplici adjecto Sacrorum Scriptorum Elencho

ADAUCTA ET INLUSTRATA

A FR. PIO-THOMA MILANTE
EJUSDEM ORDINIS

Ex-Vicario Generali Congregationis Sanctae Mariae Sanitatis,
S. Th. Magiſtro, & in Regia Neapolitana Studiorum
Univerſitate Primario Profeſſore.


TOMUS SECUNDUS.



NEAPOLI MDCCXLII.

EX TYPOGRAPHIA MUTIANA

SUPERIORUM PERMISSU.



FR. SIXTI SENENSIS
E X
ORDINE PRAEDICATORUM,
DE ANNOTATIONIBUS, ET CENSURIS IN INTERPRETES, ET EXPOSITORES DIVINORUM VETERIS TESTAMENTI VOLUMINUM,
BIBLIOTHECAE SANCTAE.
LIBER QUINTUS.
P R AE F A T I O.



UPERIORE quidem libro Catholicos ſanctorum Voluminum Expoſitores, quoſcunque aut varia lectione, aut certa fama cognoſcere potui, una cum omnibus ipſorum Exegericis ſcriptis recenſui: nunc in quinto hujus Operis libro locos aliquot, annotatione & cenſura dignos, quos ex variis eorundem expoſitorum explanationibus collegi, juxta feriem divinorum Voluminum annotabo, non quod ipſe cupiam ſanctiſſimorum ac doctiſſimorum hominum ſinceram pietatem, & eruditionem admirabilem aliqua ex parte obſcurare, aut ſuſpectam reddere; ſed ut praeſenti labore conſulam iis, qui ex ſanctorum Expoſitorum ſcriptis, vel ex imprudentia, vel ex malitia, vel ex immoderato zelo offenduntur, pariter & offendunt.

DE QUORUM numero illi, qui malitioſe, atque magis laedunt, perverſi quidam homines ſunt deteſtandis erroribus addicti, qui dum haereſes ſuas facilius perſuadere volunt, captant plerunque ex orthodoxis veterum Expoſitorum Commentariis ſententias quaſdam aut obſcure ſcriptas, aut per incuriam ab eis prolatas; eaſque ad perfidiae ſuae confirmationem pertrahunt, ne ipſi aut primi, aut ſoli talia ſentire videantur. Sic olim impiiſſimi Ariani epiſtolas B. Dionyſii Alexandrini Praeſulis, tametſi reluctantes impellebant ad evertendam Chriſti divinitatem: ſic quondam Pelagiani haeretici adverſus originale peccatum, & contra divinae gratiae auxilium dimicabant, perperam uſurpatis Chryſoſtomi & Auguſtini ſententiis: ſic ante quingentos annos Bertramus Presbyter, & Berengarius Diaconus, ex Ambroſii & Auguſtini dictis violenter detortis Dominicum corpus, & ſanguinem eccleſiae Chriſti auferre tentarunt: ſic & miſera hac noſtra tempeſtate, Lutherus, Zuinglius, Oecolampadius, Bodius, Calvinus, Illyricus, ac plerique alii haereſiarchae, falſis armis, & exuviis induti, hoc eſt, aut confictis, aut corruptis, aut falſo interpretatis Sanctorum Patrum teſtimoniis contecti, incorruptam fidei noſtrae integritatem oppugnant. Hos ego nulla prorſus venia dignos exiſtimo, vel quod haereſeon venena aliis propinare non verentur; vel quod venerandam Sanctorum memoriam inique infamant, imponentes illis, quae

nunquam senserunt; vel quod aliquos jam sopitos Patrum errores, quos perpe-
Haeretici sunt imitatores Cham. tuo silentio sepeliri oportuerat, iterum non sine magno Christianorum malo re-
vocant in lucem, sequentes in hoc vestigia scelestissimi auctoris sui Cham, qui
Genes. 9. nuditatem patris Nohe non solum non operuit, sed & caeteris irridendam enun-
ciavit: contra vero alii fratres Sem & Japhet, longe fratri suo dissimiles, veren-
dam patris nuditatem neque ipsi aspicere, neque ab aliis inspici pertulerunt; sed
aversi, ut scribitur, texerunt eam, tali nimirum exemplo indicantes, errata
sanctorum Patrum, etsi non approbanda, celanda tamen potius, quam prodenda.

SUNT deinde alii usque adeo in contrariam partem extremi, ut, si quid in
Catholicis, & quantumlibet vetustis expositorum Commentariis invenerint, quod
speciem habeat erroris, statim praecipiti quadam severitate correpti, totum
opus abjiciant, & auctorem severissime damnent: qui mihi videntur habere qui-
dem zelum Dei, sed, ut Paulus ait, non secundum scientiam: oportet enim
eos matura consideratione expendere occasiones non paucas, ob quas prisci illi ec-
Rom. 10. a clesiarum Magistri non nihil interdum a proposito veritatis scopo aberraverint.
Primum, quod absque ullo praevio ductore intentatum antea iter aggressi sunt;
primique, ut adagio fertur, glaciem scindentes, viam posteris aperuere, per
I. quam abditi Scripturarum sensus vestigarentur: nec vero solent prima quaeque
Veterum errata quibus rationibus excusanda. disciplinarum tentamenta semper esse omni ex parte felicia, omnisque culpae
expertia. Deinde innumera pene pro temporum, locorum, ac personarum op-
portunitate dixerunt, dictarunt, scripserunt, &, ut Augustinus, se ipsum dicto
II. Salomonis excusans, inquit: In multiloquio non deest peccatum; praesertim cum
Proverb. 10. c nemo sit tam oculatus, qui non saepe allucinari possit, quique aliquando non
caecutiat: nam & quandoque bonus dormitat Homerus: sunt enim, & in pul-
cherrimis corporibus naevi quidam: nihilque est in rebus humanis omni ex par-
te beatum. Ardebant praeterea veteres illi tanto sincerae pietatis, & catholicae
defensionis ardore, ut, dum unum errorem omni virium conatu destruere anni-
III. tuntur, saepe in alterum oppositum errorem vel deciderint, vel quodammodo
decidisse videantur, agricolarum more: qui incurvum tenerae arboris stipitem
corrigere volentes, immodica nonnunquam attractione modum excedunt, plan-
tamque ipsam in contrariam diversamque deducunt formam: sic Dionysius, Co-
rinthiorum antistes, ut Basilius in epistola ad Maximum episcopum scribit, dum
vehementius acriusque anniteretur oppugnare Sabellium, asserentem unam Pa-
tris ac Filii personam, non sensit se nimio contentionis studio in contrarium fer-
Nicepho. lib. 6. cap. 26. ri vitium, & utriusque substantiae differentiam, & inaequalitatem defendare: sic
Divus Augustinus, dum toto spiritus ac verborum ardore pro defensione divinae
gratiae pugnat adversus Pelagianos, liberum arbitrium cum injuria divinae gra-
tiae extollentes, in alteram quasi foveam delabi videtur, minusque interdum
tribuere, quam par sit, liberae hominis voluntati: contra vero Chrysostomus
impetu disceptandi cum Manichaeis, & gentilibus, qui hominem asserebant,
IIII. vel natura malum, vel fati necessitate ad peccandum impelli saepenumero
naturae nostrae vires plus aequo attollit. His adde, quod licet lapsus ali-
quot, qui dissimulari nequeant, in veterum libris extent: non tamen ex his
aliquid sanctitati, & eruditioni ipsorum derogatur; cum nondum ecclesia tem-
poribus illis de his, quae nunc damnata sunt, quicquam aut in quaestionem vo-
casset, aut statuta determinatione definisset; & divinae Scripturae auctoritas in
V. utramque partem videretur ambigua; necdum vetitum esset cuiquam de his sen-
tire, ac docere, quod vellet. Sed neque illud praetereundum est, quod Pamphi-
lus Martyr, Eusebius Caesariensis, Didymus, & Rufinus conquesti sunt, videli-
cet, Clementis, Dionysii, Origenis, Athanasii, & aliorum nobilium Docto-
rum scripta plurima fuisse olim pessime tractata ab haereticis: qui, ut haeresibus
suis fidem, & auctoritatem sub nomine clarissimorum Patrum conciliarent, mul-
ta in eorum libris vitiarunt, permutarunt, detraxerunt; multa quoque de suis
dogmatibus inseruerunt pugnantia cum his, quae senserant, ac docuerant cele-
bres illi viri; quos credibile non est in iisdem Voluminibus, in re eadem, & in
eodem tempore contraria aut sensisse, aut scripsisse, praesertim cum nec essent
amentes, neque prorsus obliviosi.

TER-

TERTIO tandem loco sunt simplices quidam, & incauti Lectores, qui sine ullo judicio, atque observatione in lectionem illustrium expositorum nscitanter feruntur, cunctaque sine ullo discrimine, ac delectu vorant, atque deglutiunt, minime discernentes, qua de causa ea, quae ipsi legunt, scripta sint, quibus affectibus, quibus occasionibus, locis, temporibus, ac personis accommodata; num disputandi, num opponendi, aut increpandi gratia dicta sint, vel sub certae asseverationis definitione firmata: quae dum inconsiderati Lectores non advertunt, necesse est eos plerunque labi in aliquot errores, quos in expositorum lucubrationibus vel ipsi auctores, tam per occasionem, quam per incuriam reliquerunt, vel haeretici per fraudem intruserunt. Hoc tam impudens hominum genus prudentissime admonens D.Anselmus, in Commentariis epistolae secundae ad Corinthios, ita scriptum reliquit: In libris sanctorum Doctorum, quos authentice legit ecclesia, nonnunquam inveniuntur quaedam prava, vel haeretica: non tamen pro his vel libri, vel auctores damnantur: perlegat eorum libros prudens Lector, & inveniet verum esse quod dico.

PRO hac igitur triplici Lectorum varietate, Quintus hic scribitur liber; in quo secundum ordinem Voluminum utriusque Testamenti congressi ex multis divinorum expositorum, & praecipue veterum Commentariis locos cum cautione legendos, non quidem omnes, ac singulos, sed illos tantum, qui vel sine Catholicae pietatis offensa, vel sine magna legentium perturbatione dissimulari non poterant: eosdemque non meis verbis, ne mihi forte non crederetur, sed testimoniis auctorum, qui tales annotarunt locos, fere semper indicavi. Apposui etiam, ubicunque fieri potuit, singulis suspectis locis suos antidotos, hoc est, locos alios, ac sententias eorundem auctorum, a praemissis locis aut aperte abhorrentes, aut saltem diversas, & alienas; quae suo testimonio ostendant locos illos, vel ab ipsis auctoribus alibi partim apertius explicatos, partim ex integro retractatos, vel non bene a calumniatoribus intellectos, vel ab haereticis ad eversionem Catholicarum assertionum, & defensionem pravorum dogmatum violenter pertractos, vel a falsariis aut adulteratos, aut superadditos, vel forte ab ipsis Operum auctoribus ita primum incomposite editos, ac deinde sive casu, sive excusabili quadam occasione sine ulla emendatione relictos.

HAEC autem omnia in hunc finem collegi, primum, ne incautus Lector, Commentarios Catholicorum expositorum evolvens, in scopulum aliquem sibi non animadversum impingat: deinde, ut nimium severi Lectores agnoscant divinorum interpretum errores omni cum venia & pietate excusandos, ac mitissima lenitate mitigandos: postremo, ut hi, qui sanctorum explanationibus abutuntur in suam, atque aliorum perniciem, a tam scelerata machinatione desistant, posteaquam viderint has suas imposturas, & fraudes esse detectas. Sed jam Opus ipsum aggrediamur: in quo Annotationes, & Censuras in explanatores beatorum Voluminum, servato ordine librorum, & capitum divinae Scripturae, ab initio Geneseos usque ad ultimum novi Testamenti librum progrediendo coaptabimus.

Annotationes, & Censurae in Expositores Divinorum Veteris Scripturae Voluminum, juxta seriem Librorum, & Capitum antiqui Testamenti digestae.

ANNOTATIO I.

In principio creavit Deus coelum, & terram. Gen. 1. a

THOMAS Cajetanus, presbyter Cardinalis, in principio Commentariorum in Genesim explicans, cur Moses in primis Geneseos verbis Deum plurali numero appellavit אלהים Heloim, hoc est, Deos, inquiens, IN principio creavit Dii coelum & terram, docuit Deum plurali appellatione vocatum a Mose, non ad significandam pluralitatem divinarum personarum in Trinitate, sed quia

An Geneseos Initium ad Trinitatem pertineat.

nomen

nomen Heloim careat figulari numero, addens locum istum minime favere Trinitati personarum: quoniam, ut Athanasius in Symbolo (a) testatur, personae divinae nec Dii, nec Domini catholice dici possunt. Ambrosius, archiepiscopus Compsae in 4. libro Annotationum, quos adversus eundem Cajetanum edidit, hanc sententiam tanquam Judaïcam, & a praestantissimorum Patrum sententia abhorrentem execratur, rejiciens eam inter alias propositiones Cajetani; in quibus illum de Sancta Trinitate male sensisse arbitratur: deridet etiam ejusdem argumentum, quod ex Symbolo Athanasii voluerit astruere personas divinas falso dici Deos, aut Dominos, cum id non doceat Athanasius, sed hoc tantum, quod tres Dii, aut tres Domini catholice pronunciati non possint: non autem sequitur haec ratiocinatio, Non possunt dici tres Dii, ergo nec Dii: quia multa conjunctim falso dicuntur, quae seorsum vere dicuntur: quapropter Magister Sententiarum, & Thomas, & reliqui Doctores admittunt dici posse Deos, tres autem Deos non item. Haec Ambrosius: cui certe non conveniebat, fratrem suum ob tam leves causas adducere in suspicionem laesae Trinitatis; quam ille non solum in Commentariis hujus primi capitis apertissime praedicat, enarrans illud, Faciamus hominem, &c. sed & in omnibus scriptis suis docte pieque docet, ac tuetur: debuerat etiam Ambrosius advertere Cajetanum ex Graecis, Latinis, & Hebraeis Scriptoribus nullum habuisse imitabilem expositorem, qui dictionem istam Heloim de Trinitate exposuerit, praeter unum Petrum Lombardum, qui in primo Sententiarum hanc interpretationem obiter quodammodo attigerat, & Paulum Burgensem episcopum; qui ex eodem libro Sententiarum eandem interpretationem descripserat: a quorum opinionibus etiam ante Cajetanum plerique non ignobiles viri citra ullam haereseos notam aperte dissenserant. Neque hoc a me dictum esse volo, ut hac in parte derogem auctoritati eorum, qui locum hunc mystice de Trinitate exposuerunt (b): delectat enim me plurimum, ut Augustini verbis utar, quod in summo exordio sancti libri Geneseos Trinitas commendatur, cum dicitur, In principio, hoc est, in Filio, fecit Deus, nimirum Pater, coelum & terram. Gen. 1. a

ANNOTATIO II.

In principio creavit Deus coelum & terram. Gen. 1. a

Coelum, an sit multorum Deorum habitatio.

PHILO Judaeus, quem Origenes, Basilius, Chrysostomus, Ambrosius, & Augustinus, in plerisque expositionibus secuti sunt, in libro De opificio sex dierum, enarrans praesentem locum, ait: Coelum a Deo factum, ut Deorum, tam non apparentium, quam sensui patentium domicilium esset sacratissimum: quam

(a) Ne dum N. Xystus, verum & innumeri ante eum Theologi adseruerunt Athanasiu Symbolum *Quicumque*, quod propterea ex communi usurpatione *Athanasianum* fuit adpellatum. Verum non fore adjudicandum M. Alexandrinu Episcopo Symbolum illud universim Critici emunctae naris contendunt. I. quia nunquam Athanasius voluit fidei formam componere, ne longe abiret a Nicaena Synodu id prohibente. II. quia Symbolum illud aperte rejicit errores Nestorii, Eutychetis, ac Monothelitarum: heinc nonnisi post Synodom Chalcedonensem compactum videtur. III. quia stylus, & dictio certe non Graeci, sed Latini sunt Scriptoris. IV. quia non reperitur in vetustis Athanasii MSS. Alia itidem sunt momenta, quibus Athanasio abjudicandum est laudatum Symbolum, quae consulas apud Dupinium, Vossium, & Natalem. Sed cuinam sit restituendum? Quesnellius opinatur fore adjudicandum Vigiliu Thapsitanu, cui conjecturae Dupinius, & Natalis adhaerent. Consulas eos, itidem Pagium, Cavium, aliosque Criticos.

(b) Acrius quippe, & minus aequo, Catharinus fugillavit amplissimum Cardinalem Cajetanum, quem ea in opinione, ultra ab Xysto laudatos Authores, etiam Alphonsus Tostatus praecessit. Quod vero Cajetanus addit אלהים *Eloim* carere singulari, prorsus a vero aberrat, fuit facile Cl. Theologo devexa fere aetate Scripturis & linguis dedito ea in re caespitare. Quid enim frequentius habemus in divino eloquiu quam אל *El* & אלוה *Eloa*! heinc, ut sexcenta omittam Antiqui Foederis monumenta, ubi Habacuc III. juxta nostram Vulgatam habet: *DEUS ab Austro veniet*, Hebraicus Textus reddit אלוה *Eloa*, idest *DEUS*.

Quod vero adhuc impraesentiarum nonnulli Theologi ex laudato Geneseos initio colligere conantur Trinitatis mysterium, quia nempe plorale אלהים *Eloim*, sive *Dii*, cum singulari ברא *Bara*, *creavit*, est conjunctum, frivolum sieulcumque est argumentum; quum familiare sit Hebraeis, sitque illorum idiotismus, nomen plurale personae dignitatem indicans singulari conjungere, praesertim cum de Deo faciunt verbum; sicut etiam quum loquuntur de Domino, quem etiam plurali nomenclatura manifestant, dicentes nimirum אדנים *Adonim* & בעלים *Bagalim* &c. Exodi XX. Hebraicus textus habet *non erit tibi Dii alieni*. Isaiae XIX. *Tradam Aegyptum in manu Dominorum duri*, seu *fortis*. Josue ultimo *Quia Dii sancti ipse* &c. Legesis N. Pagninum, Pererium, aliosque viros Hebraice doctos.

quam sententiam ne quis suspicetur declinare ad errorem gentilium, plures Deos introducentium; sciendum est, Philonem, ut ex eodem ejus Opere apparet, Deorum nomine intelligere spirituales, rationales, & coelestes substantias, a nobis Angelos appellatas: ex quibus alias dicit esse incorporeas, & invisibiles; alias vero non sine corporibus, quales stellae sunt, quae oculis nostris apparent.

ANNOTATIO III.

In principio creavit Deus coelum & terram. Gen. 1. a

PROCOPIUS Gazaeus in Commentariis Geneseos hoc dictum exponens, inquit, quod assertio dicentium, coelum esse figurae sphaericae, & circulari motu converti, non concordat orthodoxae veritati; sed contradicit Mosi, Prophetis, Paulo, & Christo: qui hanc opinionem ubique in divinis Scripturis refellunt, docentes, coelum neque circulo ferri, neque sphaericam formam habere, sed immobile prorsus esse: atque hoc ipsum reperit infra in expositione capitis septimi. Hanc sententiam iisdem pene verbis videtur Procopius accepisse ex 14. & 27. homilia Chrysostomi in epistolam ad Hebraeos; tametsi Lactantius Firmianus multis ante Chrysostomum annis idem senserit, & scripserit libro tertio Divinarum Institutionum capite 24. Augustinus in primo, & secundo libro de Genesi ad literam maxime damnat eos, qui secundum fidem, hanc, & huic similes, de coelestibus rebus opiniones, omnibus philosophiae Professoribus contrarias, ita tuentur, ut putent eos, qui diversum sentiunt, non esse catholicos: quia cum de natura, de coelo, de astris, aliisque hujusmodi tractatur, cavendum est, ne turpiter erremus circa ea, quae certissima ratione, & manifestissima experientia a peritis rerum saecularium probata sunt; &, quod pejus est, errores nostros ex non intellectis Scripturae testimoniis confirmemus: hoc enim turpe nimis est, & maxime propter duas causas perniciosum: primum, quia cum infideles viderint eos ita delirare, ac toto coelo errare; & nos & auctores nostros irridebunt, & eos, tanquam indoctos & falsos, reprehendent, ac respuent: deinde, quia si audierint divinas Scripturas in his rebus, quae ipsi optime norunt, & experti sunt, errare tam graviter; caetera, quae sunt in eis utilia, & ad salutem necessaria, minime credent, sed ea consimili vanitate putabunt fallaciter esse conscripta. Vide infra Annotatione 14.

Coelum an sphaericum sit, ac mobile.

ANNOTATIO IIII.

In principio creavit Deus coelum & terram. Gen. 1. a

AUGUSTINUS, Chisameosis episcopus, ab Ambrosio Compsano archiepiscopo reprehenditur, quod in Cosmopeja (sic enim Opus suum super primis tribus Geneseos capitulis inscripsit) elucidans hunc locum, existimaverit coelum empyreum non esse creatum, sed Deo coaeternum: paratus tamen recantare, si male sentiret: sed, ut idem Ambrosius inquit, praestiterat tam periculosa literis non mandare, quam se ad palinodiam offerre: quis enim nomine illius recantabit, qui jam obiit, & errorem suum in scriptis viventem reliquit?

An empyreum coelum vocatum sit.

ANNOTATIO V.

In principio creavit Deus coelum & terram. Gen. 1. a

BASILIUS in primo sermone Hexaëmeron hanc sententiam enarrans, sentire videtur, quod Deus multis ante hunc visibilem mundum saeculis, alium invisibilem mundum creaverit, & in ipso angelicam naturam longe ante hujus visibilis mundi creationem condiderit: loquitur enim hunc in modum: MOSES hanc vocem praeposuit, inquiens, In principio fecit: quia etiam ante hunc mundum erat (veluti verisimile est) aliquid, quod intelligentia quidem nostra contemplari

Utrum invisibilis mundus, & angeli ante hunc mundum creati sint.

templari licet: verum id narrare omisit, quod his, qui introducuntur adhuc, & infantibus parum apta ea cognitio existit: erat sane status quidam mundi generatione vetustior abstractis illis a concretione materiae porentiis mundo praestantioribus convenieos, temporis eriam condirione anterior; aeterous nimirum ac sempirernus, hoc est, nulli unquam subjectus corruptiooi, ac destructiooi: opificia autem in ipso omnium conditor perfecir, lucem spiritualem beatitudini diligentium Domioum coovenieorem, rationales & iovisibiles naturas, & omnem intelligibilium ornarum, quae intelligeoriam nostram excedunt, quorum neque nomina invenire possibile est: haec enim invisibilis mundi essenriam complenr, veluti nos docet Paulus, diceos, quod in ipso condita fuor omoia, sive visibilia, sive invisibilia, sive rhroni, sive dominariones, sive principarus, sive potestates, sive porenriae, sive angelorum exercitus, sive archangelorum praefecturae. In principio igitur, inquit, quod est juxta rempus, post iovisibilia, & intelligibilia, visibilium horum, & sensu apprehensibilium principium originis enarrans. Rursum sermone secundo explicans illud, Terra erar inanis & vacua, hoc idem confirmat his verbis: CONSIDEREMUS iraque, quod quicquid erat ante sensibilis hujus, & corruptibilis mundi constirutionem, in luce nimirum id erat: oeque enim angelorum dignirates, neque omnes coelestes exercitus, oeque in summa, si quid est nominatum ex rationalibus, & ministrantibus spiritibus, in renebris degebant; sed in luce, & omni spirituali laetitia sibi ipsis convenienrem statum habebant. Has senrenrias, quas olim apud Graecos Acacius Caesariensis episcopus, Diodorus Tarseosis episcopus, & Theodoretus Cyrensis episcopus, multis argumenrationibus confutaverant, apud Latinos Concilium Lateranense, Romae sub Innocenrio Tertio, anno MCCXV. celebratum, damnasse videtur ex verbis, quae io primo capite suarum sanctionum posuit, ea fuot: CREATOR omnium iovisibilium, & visibilium, spiritualium, & corporalium sua omoipotenti virtute simul ab initio temporis urranque de nihilo coodidit crearuram spiritualem & corporalem, angelicam videlicet, & mundanam.

Coloss. 1. 6

Acacius in libro select. Quaestionū. Diodorus in Genesim Qu. 2. Theodoret. Quaest. 1. in Genesim.

HACTENUS Concilii verba: quorum occasione cavendum est, ne temere quicquam super hac seotentia statuamus, haereseos insimulanres quamplurimos illustres viros, ejus assertores: in quibus (ut interim Origenem omittam, qui primus hoc asseruit in libris Periarchon, & hom. 4. in Esaiam) adest io primis Gregorius Nazianzenus, qui in sermone De narali sic farur: DEUS primum quidem angelicas, & coelestes excogitavit virrures; statimque excogiraris Opus fuit verbo pariter adimpletum, & spiritu consummarum; & ira substiterunt splendores secundi, primi illius splendoris ministri: caeterum postquam illi primo recte successerant, secundario mundum excogitavit materialem & visibilem: is est e coelo, & terra, & eorum, quae in medio sunt, commistio. Haec Gregorius: quem secutus discipulus ejus Hieronymus in Commentariis epistolae ad Titum, ita scripsit: SEX MILLIA nondum nostri temporis complentur anoorum; & quanta tempora, quanrasque saeculorum origines fuisse arbitrandum est, in quibus angeli, throni, dominationes, caeterique ordines Deo servierunt? In eandem sententiam veniens Ambrosius libro primo Hexaëmeron, capit.5. huoc locum exponens, haec protulit: FACTUS est ergo muodus, & coepit esse, qui non erat: verbum autem Dei in principio erat, & semper; sed & angeli, dominariooes, & potestates, etsi aliquando esse coeperint, erant tamen, quando hic mundus est factus. Item in Praefatione Psalmi primi, LAUDANT, ioquit, angeli Dominum; & ante ipsum mundi initium Cherubin & Seraphio, cum suavitate caoorae vocis dicebant, SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS. His accedit Hilarius in duodecimo libro De Trinitate, non longe a fioe, & io libello contra Auxeotium paulo ante finem. Isidorus, Ispalensis episcopus, in primo libro De summo bono capit.12. & Joannes Damasceous in secuodo Fidei orthodoxae volumine cap. 3. una cum plerisque aliis, tam Graecis, quam Latinis, quos cum enumerare longum sit, satis esse poterit, quod Joanoes Cassianus libro 8. Collationum indicat hanc suo tempore fuisse commuoem omoium Catholicorum opinioaem, his plane verbis: ANTE conditiooem hujus visibilis creaturae, spirituales coelestesque virtutes Deum fecisse, quae pro hoc ipso, quod scirent se ad tantam beatitudinis gloriam

riam beneficio Creatoris ex nihilo fuisse productas, ei gratias referentes, indesinenter ejus laudibus inhaererent, nemo fidelium dubitat. Beda in libello separatarum quaestionum quaest.9. Angeli (inquit) ante creationem mundi creati sunt: & ante omnem creationem Angelorum, Diabolus est conditus: sicut scriptum est. Ipse est principium viarum Dei.

PROINDE, ut Thomas Cajetanus inquit, oportet nos praedictam synodicae sanctionis sententiam magis juxta Concilii intentionem, quam juxta sensum verborum interpretari. Est autem, ut inquit divus Thomas in expositione primae decretalis, Concilii propositum refellere errorem, sive Origenis, sive eorum, qui dixerunt, spirituales substantias primum productas a Deo, ut spirituali dignitate potirentur; deinde, cum peccassent, creata fuisse corpora omnia, quibus veluti carceribus detrusae scelerum darent poenas. Divus Augustinus quanquam magis approbet opinionem eorum, qui angelos simul cum mundo creatos asserunt: in XI. tamen De civitate Dei volumine, cap. 32. permittit, ut in hac re libere sentiat unusquisque quod velit; dummodo spirituales substantias Deo coaeternas non faciat; & omnia, tam visibilia, quam invisibilia affirmet a Deo in tempore condita: cui subscribens Theodoretus, Cyri episcopus, quaestione 3. in Genesim, postquam multa adversus Basilium disseruit, demum haec intulit: ILLUD porro scire necesse est, omnia, quaecunque existant, excepta Sancta Trinitate, naturam habere corruptioni obnoxiam: hoc autem concesso, si quis angelorum turbas ante coelum, & terram conditas esse dixerit, non offendet verbum pietatis. (a)

ANNOTATIO VI.

Terra autem erat inanis, & vacua. Gen. 1. a

AUGUSTINUS libro primo de Genesi allegorice cap.3. hoc explicans, Pelagianae haeresi non nihil assentiri videtur, dum ait: Deo credere, & ab amore visibilium rerum, & temporalium se ad praecepta implenda convertere omnes homines possunt, si velint: quae verba Augustinus in primo libro Retractationum cap.11. dicit non esse vera, nisi prius praeparetur voluntas nostra a Deo, & in tantum charitas augeatur ab eo, ut praecepta perficere possimus.

Fides, & charitas, an sint ex nobis.

ANNOTATIO VII.

Spiritus Domini ferebatur super aquas. Gen. 1. a

THOMAS Cajetanus in expositione istius sententiae graviter reprehensus est ab Ambrosio, Compsae archiepiscopo: is enim in quarto adversus Cajetanum volumine accusat eum, quod asseruerit praedictum locum, Spiritus Domini, &c. non pertinere ad Spiritum Sanctum, sed ad ventum nescio quem flantem, idque contra Sanctorum sensum, contra Pontificum decreta, & contra Ecclesiae auctoritatem, quae in die sancto Pentecostes concinit de Spiritu Sancto, Tu super aquas fotutus eas ferebaris, &c. Arbitror Ambrosium, cum haec scriberet, non habuisse prae manibus Commentaria Cajetani in Genesim, in quibus legere posset praesentis loci enarrationem: vidisset enim ibi nec verbum quidem, imo nec syllabam scriptam esse de vento, sive flante, sive non flante: quanquam non video, cur tam acerbe notandus fuerit Cajetanus, etiam si hunc locum ad ventum retulisset; cum itidem ante eum fecerint multi Graeci, & Latini expositores: ex quibus Basilius verba Mosis, tam de Spiritu Sancto, quam de vento & aëre, exponens in 2.homil. Hexaëmeron sic scribit: SIVE hunc dicat spiritum, aëris videlicet diffusionem, cognosce totius mundi partes connumerantem tibi scriptorem; aut certe, quod verius est, & a nostris majoribus comprobatum, spiritus Dei, hic Spiritus Sanctus appellatur. Augustinus in libro de Genesi ad literam

An Spiritus, qui ferebatur super aquas, fuerit Spiritus Sanctus.

(a) Consule S.Thomam *I.P. Q.LXI. Art.3.* Alardum Gazaeum Adnot. in Cassianum *Collatione VIII. Cap. 7.* PP. San-Mauraeos in not. ad S. Hilarium *Lib.XII. de Trinitate*, Guillelmum Estium *II.Sent. Dist. II. §. IV.* & N. Johannem Nicolai in nota margin. ad textum S. Thomae.

teram imperfecto, cap. 4. cum dixisset, pro spiritu Dei tria intelligi posse, hoc est, Spiritum Sanctum, & vitalem quandam creaturam, qua universus visibilis mundus continetur, atque movetur, statim haec addidit: TERTIA opinio de hoc spiritu oriri potest, ut credatur spiritus nomine, aëris elementum enunciatum; ut ita quatuor elementa insinuata sint: ex quibus mundus iste visibilis surgit, coelum scilicet, terra, & aqua, & aër: & quaelibet sententiarum istarum vera est. Diodorus, Tarsensis episcopus, verba haec primum ad aërem & ventum, deinde ad Spiritum Sanctum aptanda existimat, ita inquiens: SPIRITUM DEI, ventum intellige, qui motu suo aquarum naturam alterat: unde & ortum ducit. Dei vero addidit, ut hujusce operis causam Deo adscriberet: si quis vero spiritum Dei spiritum Paracletum intelligat, haud a vero aberrabit: spiritus enim omnia, quae sunt, exornat. D. Joannes Chrysostomi Diodori discipulus, homil. 3. in Genesim spiritum Domini esse dicit vitalem quandam operationem, aquis a Deo insitam; ex qua aquae non solum motionem, sed & vim procreandi animalia habuerint. Theodoretus, Cyrensis episcopus, constanter affirmat, Mosem magis de aëre, quam de Spiritu Sancto locutum, hunc in modum scribens in quaestionibus libri Geneseos quaestione octava. QUIBUSDAM videtur fuisse Spiritus Sanctus, qui vivificabat, & foecundabat aquarum naturam, praefigurans quodammodo aquam baptismi: verius autem putaverim, quod hic aërem vocet spiritum: nam, cum dixisset, Deum creasse coelum & terram, & aquarum meminisset sub nomine abyssi; necessario & aëris mentionem fecit, a superficie aquae ad coelum usque permeantis: aëris enim natura est, ut circa inferiora corpora feratur, & agitetur: aptissime autem verbum istud, Ferebatur, substantiam mobilem aëris indicat: quod si quis huic interpretationi non assentitur, propterea quod scriptum est, Spiritus Dei ferebatur super aquas; audiat beatum David, dicentem de Deo, omnium conditore, Flabit spiritus ejus, & fluent aquae. (Psal. 147. 7.) Origenes libro primo Periarchon ait hunc locum secundum allegoriam de Spiritu Sancto intelligi, sed juxta literam minime.

ANNOTATIO VIII.

Fiat firmamentum. Gen. 1. 6

(Num angeli ac daemones corporei sint.) AUGUSTINUS libro secundo de Genesi ad literam, capite decimo septimo, in expositione propositi loci tradit angelos, tam bonos, quam malos, subtilia habere corpora: & haec in terrio ejusdem Operis libro, capite decimo, ostendit esse aërea, sed per mortem indissolubilia, eo quod praevaleant in ipsis elementa, magis ad agendum, quam ad patiendum apta, hoc est aër, & ignis sidereus; quae duo aptiora sunt ad agendum, sicut humus & humor ad patiendum: cui sententiae consentiens in epistola 115. ad Nebridium scribit, angelos esse animantia aërea, sive aetherea acerrimi sensus: & in tertio libro De Trinitate capite primo, ait, illos spirituale corpus habere, non cui subdantur, sed quod subditum gerant: in enarratione Psalmi 85. asserit, corpora beatorum futura post resurrectionem, qualia sunt corpora angelorum: atque id ipsum repetit in explanatione Psalmi 145. addens corpus angelicum inferius esse anima: item libro undecimo De civitate Dei cap.23. docet, corpora daemonum esse aërea: & libro decimo quinto De civitate Dei cap.23. asserit, daemones ea habere corpora, quibus possint coïre cum foeminis: sed & in libro, qui sub nomine Augustini De ecclesiasticis dogmatibus inscribitur, cap. 11. & 12. constantissime affirmatur, nihil esse incorporeum praeter Deum, angelos vero, atque omnes coelestes virtutes esse corporeas. (a)

PETRUS Lombardus 2. Sententiarum distinct.8. dicit, Augustinum haec protulisse non ita sentiendo, sed aliorum opinionem referendo: cum tamen non sit verisimile, quod Augustinus ex aliena sententia tot locis locutus sit, sed magis ex sua ipsius, imitatus nimirum Philonem in libro De opificio sex dierum, Origenem in primo libro Periarchon cap. 6. & in 2. libro ejusdem Operis cap.2. Lactantium,

(a) Legesis praecipue Cl. Cardinalem Norisium in Vindiciis Augustinianis.

tium, Hilarium, Basilium, & consensum omnium fere suo tempore scribentium. Subscribit huic sententiae Joannes Cassianus libro septimo Collationum, capite decimo tertio; Joannes Damascenus libro secundo Theologiae cap.tertio, & libro tertio adversus Iconomastas; itemque secunda Nicaena Synodus, in cujus quarta actione approbantur verba Joannis, Thessalonicensis episcopi, in hunc modum scribentis: DE ANGELIS, & archangelis, & eorum potestatibus, quibus & nostra anima adjungitur, ipsa Catholica ecclesia sic sentit, esse quidem intelligibiles, sed non omnino corporis expertes, verum tenui corpore praeditos, & aëreo, sive igneo, ut scriptum est, Qui facit angelos suos spiritus, & ministros ejus ignem urentem: sic autem multos sanctorum Patrum sensisse cognovimus, quorum est Basilius cognomento Magnus, & beatus Athanasius, & Methodius, & qui stant ab illis: solummodo autem Deus incorporeus est: quanquam autem angeli non sint, ut nos, corporei, utpote ex quatuor elementis & crassa illa materia: nemo tamen vel angelos, vel daemones, vel animam dixerit incorpoream. Psal.103 5.

DISSENTIUNT ab istis D.Thomas, ac pleriqne Scholasticae theologiae Professores, sequentes & ipsi non pudendos auctores, praecipue Dionysium Areopagitam, qui in primo capite Coelestis hierarchiae angelos nominat non solum incorporales, & immateriales substantias, sed etiam Deiformes simplicitates, & immaterialitates: cui astipulantur Chrysostomus homilia 22. in Genesim, & homilia in priorem ad Corinth.17. & 32.& in explanatione sexti capitis Esaiae, & Cyrillus libro quarto Commentariorum in Joannem, capite decimo. Neque ab his dissentit decretum Lateranensis Concilii, statuens credendum esse non solum corporeas, sed & incorporeas creaturas, hoc est angelos, ex nihilo conditas.

HANC posteriorem sententiam; etsi ipse idcirco potiorem existimem, quod angeli neque subsistendi, neque intelligendi, neque se ipsos movendi gratia corporibus indigeant: In hac tamen parte libet amplecti Bernardi modestiam; qui homilia quinta super Cantica Canticorum hujusmodi controversiam indiscussam relinquens, in his verbis sermonem conclusit: CAETERUM, utrum ipsis spiritibus naturalia corpora sint, sicut hominibus sua; an vero ipsi spiritus corpora, cum opus est, sumant; rursumque, expleto opere, ponant in eandem, de qua sumpta sunt, materiam dissolvenda, nolo, ut a me requiratis: videntur Patres de hujusmodi diversa sensisse: nec mihi perspicuum est, unde alterutrum doceam, & nescire me fateor: sed & nostris profectibus non multum conferre arbitror harum rerum notitiam. Haec ille.

ANNOTATIO IX.

Fiat firmamentum. Gen. 1. 6

CHRYSOSTOMUS homilia 4. in Genes. in expositione istius sententiae asserit eos, qui multos coelos esse docent, non ex divina Scriptura, sed contra divinam Scripturam, & ecclesiastica dogmata ex suo capite, & ex suis violentis opinionibus ad id dicendum impelli: Moses enim unum tantum esse coelum nos docuit: porro, quod in Psalmo legitur, Laudate eum coeli coelorum, non idcirco dictum est, quia multi sunt coeli; sed quia mos sit linguae Hebraïcae, coelum, aquam, multasque alias singulares res numero plurali nominare. Idem habet in expositione Psalmi 148. ubi exponens illud. Laudate eum coeli coelorum, Coelos ait coelorum hic dicens, non ostendit multitudinem, sed idem etiam dicit coelum coeli: Hebreorum enim lingua coelum plurali numero vocat. Quae quidem Chrysostomi sententia omnibus theologorum, ac philosophorum scholis videtur adversari. Hanc D.Thomas in prima parte Summae, quaest.68. art. 4. exponens, ait, his verbis non damnari theologos, ac philosophos, qui coelum sidereum, hoc est, totum illud coeleste corpus, quod hunc inferiorem mundum, sive elementorum globum complectitur, in multos particulares coelos, sive orbes distinguunt; sed haereticos quosdam ac philosophos, qui extra hunc totum sidereum globum alios sidereos coelos, & mundos alios esse tradiderunt.

An unum tantum sit coelum.

Psal.148. 4

ANNOTATIO X.

Fiat Firmamentum, Gen. 1. a

An firmamentum sit inter aquas superiores, & inferiores.

AUGUSTINUS libro 13. Confessionum cap. 32. hunc locum exponens, scribit, firmamentum factum esse inter spirirales aquas superiores, & corporales inferiores: quod, tanquam non satis considerate in re tam obscura dictum, revocat libro secundo Retractationum capite sexto.

ANNOTATIO XI.

Divisit aquas, quae sub firmamento &c. Gen. 1. a

An aquae superiores, & inferiores sint verae aquae.

ORIGENES, ut testes sunt Epiphanius in epistola ad Joannem Hierosolymitanum, & Hieronymus in epistola ad Pammachium, cum in Tomis suis super Genesim haec verba dissereret, dixit, aquas, quae super firmamentum sunt, non esse aquas, sed esse angelos sanctos; aquas vero, quae sub firmamento sunt, esse daemones malos, e coelo lapsos. Adversus hanc sententiam, quam Epiphanius & Hieronymus, ut errorem, damnant, Basilius homilia 3. in Hexaëmeron, praetermisso Origenis nomine, haec scribit: NOBIS ad Ecclesiasticos etiam quosdam sermo est, de discretis aquis; qui praetextu recessus a sensibilibus in sublime, & intelligentiae altioris ad allegorias confugerunt, potentias spirituales, & incorporeas tropice ex aquis significari dicentes, & superne quidem supra firmamentum mansisse meliores, inferne vero in terrestribus ac materialibus permansisse malignas: propterea sane ajunt etiam Deum aquas supra coelum laudare, hoc est, bonas potentias propter mentis puritatem conditori hymnum absolvere: aquas autem sub coelo spirituales esse malignitates, a naturali altitudine ad malitiae profunditatem delapsas; quas, velut turbulentas existentes, & seditiosas, & tumultibus, ac affectionibus redundantes, ac exaestuantes, mare nominatas esse: tales porro sermones, velut somniis pares, & aniles fabulas relegantes, aquam intelligamus, & discretionem a firmamento factam juxta redditam a nobis causam intelligamus. (a)

ANNOTATIO XII.

Et factum est mane, & vespere dies secundus. Gen. 1. a

Numerus binarius, an infamis.

RABANUS, episcopus Moguntinus, in Commentariis Geneseos perquirens, quamobrem post secundae diei opus non dicatur, sicut de caeteris quinque dierum operibus, Vidit Deus, quod esset bonum, respondet ex auctoritate veterum Patrum, id ex eo accidisse, quod numerus binarius infamis sit, & immundus propter corruptionis causam, quae ab ipso primum progreditur. Est autem haec Hieronymi sententia in principio Commentarii in Aggaeum, & in primo adversus Jovinianum volumine, scribentis hunc in modum: INTUENDUM est juxta Hebraïcam veritatem, quod cum Scriptura in primo, & tertio, & quarto, & quinto, & sexto die, expletis operibus singulorum, dixerit, Et vidit Deus, quia bonum est: in secundo die hoc omnino subtraxit, nobis intelligentiam derelinquens, non esse bonum duplicem numerum, qui ab unione dividat, & praefiguret foedera nuptiarum: unde & in arca Nohe omnia animalia, quaecunque bina ingrediuntur, immunda sunt. Nicolaus Lyrensis in Postilla Geneseos hanc sententiam, ceu imposturam, explodit, praeferens ei R. Salomonis expositionem, dicentis, Deum non appellasse bonum secundae diei opus, quia aquarum opificium, quod postea tertia die consummatum est, nondum esset perfectum; innuens non esse boni appellatione dignum, quod nondum perfectum sit. Hanc tamen Lyrani confutationem Paulus, Burgensis episcopus, refellit.

Genes. 1. b

AN-

(a) Consule quae docet S. Thomas I. P. Quaest. LXVIII. Art. 2. & 3. cum notis N. Johannis Nicolai.

ANNOTATIO XIII.

Congregentur aquae, quae sub coelo sunt. Gen. 1. a

PROCOPIUS Gazaeus in suis Commentariis hoc explicans, astruere conatur ex divinae Scripturae testimoniis, quod nulla sit infra nos terra orbi nostro opposita, quam Antipodes incolant, adversa nobis vergentes vestigia: sic enim scribit: QUOD autem universa terra in aquis subsistat, nec ulla sit pars ejus, quae infra nos sita est, aquis vacua & denudata, omnibus notum reor: nam sic docet Scriptura, Qui expandit terram super aquas: & iterum: Quia ipse super maria fundavit eam: solam igitur terrae superficiem, quae penes nos est, intelligere, dum ait: Congregentur aquae, quae sub coelo sunt, in locum unum. Nec decet, ut credamus aliquam terram infra nos coeli nostro orbi oppositam: nam, si Antipodes forent: certe Christus eo quoque profectus esset; & caetera, quae pertinent ad salutem humani generis, ibi perfecisset: sed & Adam, prima generis nostri origo, & serpens, qui humanum genus dolo circumvenit, & diluvium quoque penes oppositam regionem extitissent. Haec Procopius: ante quem Lactantius in tertio Divinarum institutionum cap. 24. idem senserat: & Augustinus in 16. De civitate Dei cap. 9. ex auctoritate Sacrarum literarum constanter affirmaverat nulla ratione credendum esse Antipodas inveniri; qui in contraria parte terrae, ubi Sol oritur, quando nobis occidit, adversa pedibus nostris premant vestigia: quia, cum divina Scriptura testetur homines ex uno Adam in hoc nostro hemisphaerio progeniros; nimis absurdum est dicere, aliquos homines ex hoc in aliud hemisphaerium, impertransibilis Oceani immensitate trajecta, navigare potuisse, ut etiam illic humanum genus propagarent. Hoc ipsum confirmat Beda in lib. de ratione temporum cap. 32.

Antipodes utrum sint.

Psal. 135. a
Psal. 23. a

CAETERUM temporibus nostris usque adeo certum est Antipodas esse, ut illos negare extremae sit dementiae: navigant enim ad eos continuo mercatores nostri, & brevi temporis spacio ad nos, toto pene emenso, ac remenso Oceano, revertuntur: excusandi tamen sunt, Procopius, Augustinus, Lactantius, ac caeteri Christiani auctores, qui diversum sensere: quia nondum navigationes Hispanorum novos, qui nunc inventi sunt, orbes detexissent; & fama esset omnium Scriptorum assensu firmata, quod inter hanc borealem, & illam australem plagam maximus interfunderetur Oceanus; quem nemo permeasset unquam, neque etiam permeare posset. Quibus consideratis prudentissimi Patres Antipodas negarunt; ne, si eos concessissent, statim cogerentur fateri homines illos non descendere ex semine Adam. Quod autem Procopius ex auctoritate Psalmi 23. & & 135. opponit alterum hemisphaerium sic esse aquis immersum, ut omnino sit inhabitabile, nihil facit ad rem: terram enim firmatam esse super aquas, & super maria fundatam, & super flumina stabilitam, ut interim alias expositiones omittam, idem est, ac si dicas, terram majorem constantiam, firmitatem, stabilitatem, ac fundationem recepisse, quam mare, & aquas: solent enim frequenter Hebraei in locum comparativi adjungere positivis praepositionem Super, ut in Psalmo 118. BONUM mihi lex oris tui super millia auri, & argenti: &, DILEXI mandata tua super aurum, & topazion: & Canticorum quarto, ODOR unguentorum tuorum super omnia aromata.

ANNOTATIO XIIII.

Posuit stellas in firmamento. Gen. 1. b

CHRYSOSTOMUS homilia 6. & homilia 13. in Genes. hoc exponens, inquit: CUM audimus, Posuit Deus stellas in firmamento, absit, ut cogitemus, quod Deus astra coelo infixerit: nam videmus ea moveri, & unumquodque eorum de loco ad locum transeundo cursum suum peragere: sed idem est, Posuit stellas in coelo, quod, imperavit, ut stellae in coelo essent, ac versarentur; quemadmodum cum dixit: Posuit Deus Adam in Paradiso, non quod infixerit eum in Paradiso,

Utrum credendum sit stellas esse coelo infixas.

Genes. 2. b

radiso, sed quod ibi cum habitare voluerit. Et rursus homilia 12. ad populum Antiochenum edifferens, quemadmodum astra per coelum, quod omnino dicit esse immobile, discurrant, sic scribit: DEUS mundum effecit, neque totum immobile dimittens, neque totum jubens moveri, sed coelum quidem immotum permansit, sicut Propheta inquit: QUI statuit coelum tanquam testudinem, & extendit ipsum tanquam tentorium. Sol vero cum reliquis sideribus quotidie in ipso circumvolvuntur. Hanc opinionem, quanquam cum Peripateticis, & astronomis Scholasticae theologiae Professores unanimi assensu explodant, & sanctus Philastrius, episcopus Brixiensis, eam inter haereses numeret: Scripturis tamen divinis, & veteri theologorum scholae non arbitror esse contrariam: siquidem Origenes libro quinto adversus Celsum, & libro primo Periarchon cap.7. affirmat Solem, Lunam, & Sidera partes coeli non esse, sicut nec terrae partes animalia sunt; & horum unumquodque suo ordine, suoque cursu moveri. Eusebius, Emesenus episcopus, & Diodorus, Tarsensis episcopus, Chrysostomi praeceptores, in expositione praesentis loci tradunt astra, tanquam viatores, per coelum, quod omnino fixum, & immobile consistit, iter suum peragere: idemque habet Procopius in 7.Gen. cap. Augustinus etiam in 2.lib. de Genesi ad literam cap.10. affirmat fieri posse, ut, coelo immobiliter stante, sidera omnes diversos, & inter se adversos cursus, quos in ipsis spectamus, perficiant: idque a mathematicis suorum temporum certissimis demonstrationibus fuisse ostensum testatur. D.Thomas in I. P. Summae q.69. art.4. adnititur Chrysostomi sententiam ad astronomicam normam dirigere, inquiens ejus verba esse de planetis intelligenda, qui juxta Ptolemeum intra concavitates suorum orbium proprio motu rotantur. Lege supra Annotat. 3.

Psal.103.a

ANNOTATIO XV.

Posuit stellas in firmamento. Gen. 1.b

Nam stellae futuros hominum eventus praemonstrant.

ORIGENES in Tomis super Genesim, quemadmodum refert Eusebius in 6. De praeparatione Evangelica cap.9. cum particulam istam exponeret, stellas dixit a Deo positas in coelo, ut essent in signa, hoc est, ut per varios eorum aspectus, & conjunctiones significarent universas, & singulas humanarum rerum causas, non tamen efficerent: depinxit enim Deus in stellis significationes, & rationes omnium futurorum humanae generationis eventuum, ut supernorum spirituum virtutes in eis, veluti in libris, legerent, quaecunque hominibus, citra tamen ullam liberi arbitrii coactionem, per singula temporum intervalla essent eventura; & inde aliquam hujus scientiae partem, quae humani ingenii vires excellit, hominibus stellarum observatoribus revelarent. Atque juxta hunc sensum putavit Origenes intelligendam esse sententiam quandam ex libro, cui titulus est, NARRATIO JOSEPH, olim apud multos Catholicos in auctoritatem recepto; in quo Jacob Patriarcha inducitur ad filios suos haec dicens: LEGI in tabulis coeli, quaecunque eventura sunt vobis, & filiis vestris. Augustinus in quinto, De civitate Dei, cap. primo, scribit hanc sententiam, quamvis hominum fuerit non mediocriter doctorum, & quanquam stellas decernat non facere, sed tantum significare, tamen ut fallacem, & falsam convinci argumento, & experientia duorum geminorum, eodem concubitu, & eodem momento seminatorum, & eodem tempore in lucem prodeuntium: quorum cum maxima sit diversitas in actionibus, eventibus, professionibus, artibus, honoribus, caeterisque ad humanam vitam, mortemque pertinentibus; fieri non potest, ut idem astrum, eadem coeli statione positum, eodem tempore, & eodem aspectu tam contrarias diversorum eventuum significationes portendat. Procopius in Commentariis hujus capitis Origenis opinionem reprobat, tanquam minime Catholicam, & Christiano indignam, eo quod nihil opus sit Christianis astrorum significationibus, ut sciant, quid sequendum, quidve fugiendum sit; cum lex divina moneat, quaecunque eis facienda, atque vitanda sint. D.Thomas in Opusculo, quod inscripsit DE JUDICIIS ASTRORUM, declarat graviter eos peccare, qui significationibus, & judiciis siderum utuntur in his, quae a libera hominum voluntate pendent. Observationem fere consimilis argumenti habes infra, Annotatione 81. libri hujus, & lib.6. Annot.10.

AN-

ANNOTATIO XVI.

Factum est vespere, & mane dies quartus. Gen. 1. c.

CHRYSOSTOMUS Homilia sexta in Genesim circa finem, ubi hoc ipsum exponit, adhortans auditores, ut peccatorum confessione Deum placent, neque ultra post confessionem in peccata recidant, inquit: SUFFICIT Deo ob magnam suam misericordiam, ut desistamus a peccatis. Hoc idem latius explicans in oratione de B. Philogonio ait: EGO testificor, ac fide jubeo, ut, si nostrum quisque, qui peccatis obnoxii sumus, recedens a pristinis malis ex animo, vereque promittat Deo se postea nunquam ad illa rediturum, nihil aliud Deus requiret ad satisfactionem ulteriorem: benignus est enim. Quam sententiam Joannes Calvinus capite nono suarum Institutionum contra satisfactionatios citat (sic enim impius ille Catholicos, quod satisfactionem docent esse tertiam poenitentiae partem, appellat) & Joannes Oecolampadius, Brigitanus quondam monachus, recentium haereticorum signifer, in codicibus Chrysostomi, a se translatis, e regione ejusdem sententiae in margine haereticam objectionem apposuit in haec verba: SI DEO sufficit, ut desistamus a peccatis: ubi manent ergo satisfactiones, & indulgentiae? Hujus insanam percontationem in auctorem ipsum retorquentes, vice versa interrogemus eum, Si Deo sufficit, ut a peccatis desistamus, nec ultra satisfactionibus, & indulgentiis opus est: cur Chrysostomus ubique praedicat satisfactoria poenitentiae opera? siquidem Homilia in Matthaeum 10. ostendens, quod non sufficiat a peccato desinere, nisi per ea satisfaciamus, quae perpetratis delictis adversa sunt, ait: AGAMUS poenitentiam, poenitentiam dico, non solum, ut a malis prioribus desistamus; verum etiam, ut bonorum operum fructibus impleamur. Facite, inquit Joannes, fructus dignos poenitentiae: quo autem modo fructificare poterimus? Si utique peccatis adversa faciamus: verbi gratia, aliena rapuisti? incipe donare jam propria: longo es tempore fornicatus? a legitimo usu conjugii suspende te, ac perpetuam continentiam saepius paucorum dierum castitate meditare: neque enim vulnerato sufficit ad salutem tantummodo spicula de corpore evellere, sed etiam oportet remedia adhibere vulneribus, &c. Rursus Homilia in Psalmum 106. quae inter opera Chrysostomi fertur, ita scriptum est: CUM peccatum attulit mortem, confessio affert sanitatem: confessio enim poenitentiam monstrat: satisfactio veniam sibi divina pietate conciliat, & infra sequitur, PEJUS EST DEI OFFENSAM NON SATISFACTIONE PLACARE, quam peccando Dei bonitatem offendere: & paulo post, Confessio reddat quod peccatum detraxerat: curet poenitentia, quod delictorum macula sordidarat: serpentinum virus satisfactionis antidoto recuretur. Haec Chrysostomus, pro cujus auctoritate Oecolampadio respondentes, dicimus sufficere quidem Deo, ut ad praestandam nobis, tam culpae, quam poenae aeternae remissionem desistamus a peccatis jam sacerdoti confessis: sed manent satisfactiones, & indulgentiae ad expiandas poenas temporaneas; quibus, ut Sacrae literae docent, post condonata crimina, & aeternam criminum poenam, vel in hac, vel in alia vita, adhuc sumus obnoxii. Vide infra Annotatione 174. libri hujus, & 161. libri sequentis.

Num satisfactio sit poenitentibus necessaria.

Calvinus Libr. III. Instit. c. 4.

Luc. 3. b

ANNOTATIO XVII.

Faciamus hominem ad imaginem. Gen. 1. c.

PHILO in libro De opificio sex dierum hanc enarrans propositionem, ita scribit: DIXIT Deus, Faciamus hominem: quod indicat assumptos alios tanquam cooperatores, ut imprehensibiles, tam voluntates, quam actiones hominis, recte se gerentis, acceptum referantur Deo rectori omnium, contrariae vero aliis ipsis subditis: oportebat enim patrem non esse causam malorum suis filiis. Quibus verbis indicare videtur primum hominem partim a Deo, partim ab angelis

Utrum angeli una cum Deo creaverint hominem.

gelis Dei cooperatoribus conditum: quod etiam apud nos Basilides, & Cerinthus, haeretici, sensere: quos Chrysostomus homilia 8. in Genesim, & Theodoretus quaest. 19. redarguunt. Demonstratio vero, qua Philo hanc suam ostendit sententiam, alludere videtur ad ea verba Platonis, quibus ipse Deum summum inducit ad deos minores in Timeo super animantium creatione loquentem. Vide infra Annotatione nonagesima tertia, libri hujus.

ANNOTATIO XVIII.

Faciamus hominem. Gen. 1. c

An Deus sit corporeus.

MELITO Asianus, episcopus Sardensis, in libro Περὶ τοῦ ἐνσωμάτου Θεοῦ, hoc est, De Deo corpore induto, praesentem locum edisserens, videtur asserere, quod imago Dei, ad quam conditus est homo, corporea sit; quemadmodum, & Deus ipse corporeus est, humanam formam, figuram, & membra habens: quam sententiam Epiphanius inter haereses Audianorum, qui & Antropomorphitae dicti sunt, recenset: sic enim de Melitone scribit Theodoretus in Genesim, quaest.20. EST AUTEM, ut antea dixi, prius discutiendum, ubi consistat illud, Ad imaginem, in corpore, an in anima: & in primis videamus, quibus utantur, qui prius asserunt: e quorum numero est Meliro, qui scripta reliquit; quibus asserit Deum corporeum esse, membra enim Dei appellamus, inquiunt, cum reperimus oculos Dei respicientes terram, & aures ejus intentas ad preces eorum, & olfecit Deus odorem suavitatis, & os Domini locutum est, & brachium Dei, & manus, & pedes, & digitos, e quibus statim inferunt, haec nihil aliud docere, quam formam Dei. Haec Theodoretus juxta Latinam Joannis Pici Galli translationem de Melitone refert: sed cum idem Theodoretus in quarto haereticarum fabularum libro, adversus Audianos hujus insaniae assertores disputans, nihil tale Melitoni adscribat, nullusque etiam sit ex probatis scriptoribus, qui ipsum hujusmodi erroris insimulet: nunquam ausim credere, quod vir, sanctitate & eruditione maximus, quem Tertullianus, ut Prophetam, a Christianis habitum asseverat, in talem amentiam deciderit; & maxime cum praemissa Theodoreti verba longe secus habeant in Graecis exemplaribus, quam in Latina translatione: nam quod Picus transtulit, ex quorum numero est Melito, qui scripta reliquit, quibus asserit Deum corporeum esse, Graece in emendatis codicibus legitur in hunc modum: Ὧν ἐστὶ ἃ καὶ Μελίτων συγγράμματα καταλέλοιπε, περὶ τοῦ ἐνσωμάτου εἶναι Θεοῦ: hoc est, *Ex quibus sunt, quae Meliton scripta reliquit de eo, quod dicitur, Deo corpus inesse*: siquidem, ut Eusebius & Hierouymus restantur, Melito scripsit librum, cui titulum fecit, Περὶ τοῦ ἐνσωμάτου Θεοῦ, id est, *De Deo corpore induto*, sive De Deo, cui divinae Scripturae corpus attribuunt: in quo argumenta eorum, qui Deum corporeum astruunt, & imaginem Dei, ad quam factus est homo, corpoream arbitrantur, validissime confuravit [a]; sicut etiam ex sequentibus Theodoreti verbis, quae in eadem 20. quaestione posita sunt, luce clarius apparet.

Psal. 33. c
Gen. 8. d
Esa. 25. d
Esa. 33. a

In Latina Theodoreti editione Coloniae 1573. nec verbum de Melitone habetur, esto interpres sit Johannes Picus Praeses Classium inquisitoriarū Senatus Parisiensis.

ANNOTATIO XIX.

Faciamus hominem ad imaginem. Gen. 1. c

An stellae sint animatae.

PHILO in libro De opificio sex dierum in illud, Faciamus hominem ad imagiuem, &c. asserit stellas esse animalia intelligentia. Vide infra Annot. 108.

AN-

(a) Melito, Asianus, Sardensis Episcopus Anno CLXX. clarus, multa scripsit, quorum dumtaxat nobis supersunt tituli ab Eusebio, & Hieronymo primum relati. An autem ex libro περὶ τοῦ ἐνσωμάτου Θεοῦ colligatur tantum virum Sadducaeis victas dedisse manus, & Anthropomorphitis IV. Seculo scelestis praeluxisse? jure summo N. Xystus inficiatur, viriliterque illum propugnant eruditi, nec solum ab impacta calumnia & haeresi eum absolvunt, verum ex ipso met libri titulo, unde suspicionis emersit momentum, innoxium eum declarant. Cum enim περὶ τοῦ ἐνσωμάτου Θεοῦ laudatum librum inscripserit, certe non *de corporali Deo*, sed *de Deo incarnato* epigraphen scripsisse ajunt, & ita praeceteris verterunt, ac adnotarunt viri Graece doctissimi, Dupinius, Christophorsonus, Johannes Ernestus Grabbe, Salomon Cypriani, aliique. Et quamvis refragetur Gennadius Massiliensis *de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 4.* nil tamen officit ineruditus iste scriptor, qui praecipiti admodum judicio veteres damnare consuevit, jure summo propterea ab eruditis ventilatus. Consule S. Thomam & Theologos.

ANNOTATIO XX.

Ad imaginem Dei creavit illum. Gen. 1. d

GREGORIUS, Nyssae episcopus, in libro De creatione hominis, cap.28.examinans hujusmodi sententiam, inquit, quod, si primi parentes non peccassent, generatio prolis, & propagatio humani generis non fuisset per coitum; sed per modum quendam multiplicationis perfectissimum, quo multiplicati sunt angeli: nam generatio haec, quae fit ex concubitu, per peccatum est introducta. Sunt autem haec Gregorii verba: QUANQUAM inter angelos, ut dictum est, nuptiae nullae sint; tamen in infinitis millibus exercitus angelorum sunt, ita Daniele Propheta in suis visionibus intimante: ergo juxta eundem modum si peccati nullus excessus ab illa nos angelica dignitate distraheret; nec nobis utique ad multiplicationem generis humani nuptiae necessariae probarentur, sed per motum naturae, quicunque ille sit, perfectissimus quidem, quo angeli multiplicantur, Creatoris voluntas humanum genus usque ad praedestinatorum numerum multiplicasset. Et post pauca de generatione, per peccatum inducta, haec addidit: VIDETUR mihi magnus ille David, compatiens humanae miseriae, talibus verbis ejus deflere naturam: Quod homo, cum in honore esset, non intellexit: honorem dicens, quod sanctis angelis conversatione, & sublimissimo illo multiplicationis modo consimilis fuerat: propterea comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Vere nanque jumento similis factus est, qui hanc animalem generationem in sua natura suscepit propter conversationis casum, qui ei ex conformatione materiae contigit. Huic sententiae subscribens Joannes Damascenus in quarto libro Orthodoxae fidei, cap.24. haec literis prodidit: QUARE ne exterminaretur, & consumeretur humanum genus a morte, nuptiae constitutae sunt, ut prolis procreatione genus hominum conservaretur. At dicent forte, Quid igitur hoc vult, Masculum & foeminam &c.? quid hoc, Crescite & multiplicamini &c.? Ad quod dicemus, quod hoc, Crescite & multiplicamini, non omnino multiplicationem per nuptialem consociationem significat: poterat enim Deus hoc genus, & alio modo multiplicare, si mandatum usque in finem servassent intemeratum: sed sciens Deus praescientia sua omnia sciente prius, quam fiant, quod futuri essent transgressores, & morte condemnandi, anticipans fecit masculum & foeminam; & augeri & multiplicari praecepit. Haec Damascenus; ante quem hoc ipsum scripserunt Augustinus in Gen.cap.1. Chrysostomus, & Procopius, in Gen. cap.4. & post ipsum Enthymius in Psalmum 50.

[Margin: An si Adam non peccasset, futurus esset coitus. — Psal.48. c — In editione N. Lequien eadem sententia variatis verbis habetur. — Gen.1. d]

HANC sententiam expendens divus Thomas in prima parte Summae Theologicae, quaestione 98. articulo secundo sic scribit: SED hoc non dicitur rationabiliter: ea enim, quae sunt naturalia homini, neque subtrahuntur, neque dantur homini per peccatum: manifestum est autem, quod homini secundum animalem vitam, quam etiam ante peccatum habebat, ut supra dictum est, naturale est generare per coitum, sicut & caeteris animalibus perfectis: & hoc declarant naturalia membra, ad hunc usum deputata: & ideo non est dicendum, quod usus horum membrorum naturalium non fuisset ante peccatum, sicut & caeterorum membrorum. Sunt igitur in coitu duo consideranda secundum praesentem statum, unum, quod naturae est, scilicet, conjunctio maris, & foeminae ad generandum: in omni enim generatione requiritur virtus activa; & passiva: unde cum in omnibus, in quibus est distinctio sexuum, virtus activa sit in mare, virtus vero passiva in foemina; naturae ordo exigit, ut ad generationem conveniant per coitum masculus & foemina. Aliud autem, quod considerari potest, est quaedam deformitas immoderatae concupiscentiae, quae in statu innocentiae non fuisset, quando inferiores vires omnino rationi subdebantur: unde Augustinus dicit in 14. De civitate Dei; ABSIT, ut suspicemur non potuisse prolem fieri sine libidinis morbo: sed eo voluntatis nutu moverentur illa membra, quo caetera, & sine ardore, & illecebroso stimulo cum tranquillitate animae, & corporis. Lege Annotationem sequentem, una cum Annotatione 63. & 80. libri hujus.

ANNOTATIO XXI.

Crescite, & multiplicamini, Gen. 1. d

An primi parentes habituri essent filios, si non peccassent.

Matt. 5. 32.

AUGUSTINUS libro primo de Genesi Allegorice[a] cap. 19. Super his verbis ait, primos parentes non habituros fuisse filios homines, nisi peccassent. Cui sententiae non dissimilem scripsit libro primo, De sermone Domini in monte: ubi exponens illud, Quicunque dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, &c. dixit, consanguinitates, & vincula sanguinis, ac necessitudines ex peccato, & morte primorum parentum contigisse. Quam opinionem Guido, episcopus Elnensis, in libro, quem adversus haereses conscripsit, inter prophana Armenorum dogmata connumerat. Augustinus vero aperte improbat libro primo Retractationum, cap. 10. & 19. quia, ut ipse ait libro 8. de Genesi ad literam, cap. 10. homines ante peccatum genitalibus membris ad procreationem imperare potuerunt sine foedae voluptatis pruritu: & potuerunt esse in paradiso nuptiae honorabiles, & torus immaculatus sine ardore libidinis, & sine labore pariendi.

ANNOTATIO XXII.

Ecce dedi vobis omnem herbam. Gen. 1. d

An herbae sint in cibum animalibus datae.

AUGUSTINUS libro primo de Genesi Allegorice cap. 20. dicit, herbas virides, & ligna fructifera, quae in libro Geneseos dantur in cibum omnibus avibus, & omnibus serpentibus, & omni generi bestiarum, in allegorica tantummodo significatione intelligenda esse. Hoc idem improbat in 1. libro Retract. cap. 10.

ANNOTATIO XXIII.

Complevit Deus die septimo opus suum. Gen. 2. a

An Deus opera sua compleverit die sexta.

SEPTUAGINTA interpretes, ut Hieronymus in traditionibus Hebraïcis annotavit, pro eo, quod in Hebraïca veritate legitur, Complevit Deus, ביום השביעי bajom hascebighi, hoc est, In die septimo omne opus suum, transtulerunt ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ, id est, Die sexta: & hunc locum eodem modo citant, & exponunt Philo & Theodoretus: sed non magni refert, sive sexto, sive septimo die dicas complesse Deum opus suum: nam, quod Moses dixit, Deum in septimo die complevisse cessando, Septuaginta dixerunt, Deum in sexto die complevisse absolvendo.

ANNOTATIO XXIIII.

Complevit Deus die septimo opus suum. Gen. 2. a

An sex dies mundanae creationis sint veri dies.

PHILO in primo libro Allegoriarum legis eundem locum exponens, RUSTICANAE, inquit, simplicitatis est putare sex dies, aut utique certo tempore mundum conditum; quia totus mundus vicissitudo est dierum, ac noctium, quam Solis motus super terram, sub terraque meantis necessario conficit. Sol autem pars coeli censetur: ut fatendum sit tempus posterius mundo esse, quippe quod mundi est effectus: nam coeli motus indicavit naturam temporis: ergo cum audis, Complevit sexto die opera; non debes intelligere de numero dierum aliquor, sed de perfectione universi, quae per senarium perfectum numerum significatur. Hanc Philonis sententiam nonnulli Catholici auctores secuti sunt; de quibus inter Latinos Augustinus enumerationem sex dierum a Mose factam retulit, non ad temporis successionem, sed ad naturalem ordinem operum, qui diebus attribuitur; vel ad ordinem revelationis sex operum, quae Deus unum post alterum angelis revelavit. Procopius vero inter Graecos dixit numerum dierum non

(a) Seu Lib. I. de Genesi contra Manichaeos, in nova editione Tom. I.

non temporis gratia a Mose assumptum, sed docendi gratia ob nostri intellectus imbecillitatem, quae rerum creatarum ordinem propter earum multitudinem alio modo comprehendere non poterat. Hoc igitur dogma quanquam minime improbari debeat: non tamen ita temere asserendum est, ut existimemus rustice, & indocte sensisse Basilium, Gregorium Nyssenum, Chrysostomum, Ambrosium, ac caeteros eruditissimos Patres, qui mundum sex dierum spacio conditum docuerunt, praesertim cum horum sententiae nihil deroget praeposita Philonis argumentatio, quam divus Thomas in prima parte Summae theologicae dissolvens, inquit, quod licet ante firmamenti constructionem non fuerit tempus illud, quod motum coeli mensurat, atque sequitur: erat tamen tempus, quod motum alium mensuraret, nempe primam illam motionem, ac successionem conceptionum, & affectionum in angelicis mentibus; in quibus tam numerosae cogitationes supervenire non poterant, nisi alia ante aliam, & post aliam: Ante vero, & Post, nihil aliud sunt, quam discrimina temporum.

ANNOTATIO XXV.

Requievit Deus die septimo. Gen. 2. a

AUGUSTINUS libro primo de Genesi Allegorice cap. 23. tradit Israëliticum populum in terris gentium sacrificia exercuisse: quod sane dictum de Paschali agno intelligendum esse dicit in primo Retract. cap. 10. quandoquidem Judaei apud gentes sacrificare non poterant. An Judaei in terris gentiū sacrificarint.

ANNOTATIO XXVI.

Formavit Deus hominem de limo terrae. Gen. 2. b

FRANCISCUS Georgius tomo primo Problematum expositionem hujus loci torquet ad sententiam eorum, qui arbitrantur animam tantum esse hominem, corpus autem vestem animae, ipsamque animam longe ante corpus in coelo creatam: sic enim scribit problemate 26. FORMAVIT Deus hominem pulverem de terra, id est, induit eum vestem terream, corpus videlicet terrenum: primo enim, Deus decrevit hominem facere; postea, creavit eum in coelo; tertio, formavit corpus ejus, veluti vestem: Atque id ipsum confirmat problemate 27. ubi ait, hominem corporea veste fuisse a Deo circumamictum: & problemate 159. ejusdem Tomi, dum inquit, hominem fuisse vestitum pulvere in campo Damasceno. Haec partim alludere videntur ad Origenis dogma de animabus ante corpora conditis, partim ad placitum eorum, qui negant animam esse corporis formam, utrunque autem in Concilio Viennensi a Clemente V. damnatum fuisse testis est titulus, De summa Trinitate, in principio Clementinarum. An sola anima sit homo.

ANNOTATIO XXVII.

Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae. Gen. 2. b

CHRYSOSTOMUS homilia 12. hoc exponens, inquit, spiraculum illud esse rationalis animae substantiam, per quam homo non solum vivens animal, sed rationis quoque particeps effectus est: quam assertionem Philastrius, episcopus Brixiensis, cap. 99. sui Catalogi inter haereses numerat, nullo tamen nominato assertionis auctore: aitque spiraculum istud esse non ipsam animam, sed inspirationem divini spiritus, hoc est, gratiam Spiritus Sancti infusam animae Adae jam creatae, & jam corpori unitae, qualem & Apostolis dedit post resurrectionem, vel qualem Deus largitur omnibus justis. Philastrio assentitur Cyrillus, Alexandriae episcopus; qui hunc ipsum locum elucidans, inquit: CUM dicitur in Genesi, quod inspiravit Deus in faciem hominis spiraculum vitae, ut fieret homo in animam viventem; ipsum spiramen non dicimus animam: sic enim anima An spiraculum Adae inspiratum sit anima rationalis.

esset inconvertibilis, & non peccaret, quia de essentia esset divina: sed Sancti Spiritus effusionem in ipso principio suppositam animae humanae dixit Moses. Divus Augustinus in Praefatione libri, De haeresibus ad Quod vult Deum, scribit Philastrium multas assertiones inter haereses annumerasse, quae haereses non sunt: de quarum numero crediderim esse hanc unam, in quam imprudens ipse lapsus est, dum veram & piam Chrysostomi, atque omnium Catholicorum interpretum damnat sententiam. Idem quoque in 15. De civitate Dei cap.24. deridet eos, qui credunt spiraculum, quod spiravit Deus in faciem Adae, esse quandam gratiam animae Adae collatam, & non potius ipsam animam. At quo ad Cyrillum attinet, D.Thomas in libro, quem adversus Graecorum errores conscripsit, cap.27. sic ait: CYRILLI expositio est contra expositionem Augustini, qui animam humanam per illud spiramen ponit: & ostendit, quod non propter hoc sequitur, ut sit de substantia divina: est enim tropica locutio, ut dicatur inspirasse non corporaliter; sed quia spiritum, id est, animam fecit ex nihilo: &, quod est amplius, videtur esse repugnans dictis Apostoli, qui primae ad Co-
1. Cor.15. rinth.15. dicit, Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem; sed non prius, quod spirituale est, sed quod animale: ubi expresse illam vitam animae dicit esse aliam a vita, quae est per Spiritum Sanctum: unde illa inspiratio, per quam dicitur, Homo factus in animam viventem, non potest de gratia Spiritus Sancti intelligi: unde dicendum est, quod expositio Cyrilli non potest esse literalis, sed solum allegorica.

ANNOTATIO XXVIII.

Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae. Gen. 2. b

An corpus ante animam factum sit.

AUGUSTINUS libro secundo de Genesi Allegorice cap.8. docet, corpus hominis non fuisse conditum ante animae creationem, sed una cum ipsa anima in eodem simul tempore. Hoc ipsum reprobat libro primo Retract. cap.10.

ANNOTATIO XXIX.

Inspiravit in eo spiraculum vitae. Gen. 2. b

An homo creatus sit prius in specie, quam in individuo.

FRANCISCUS Georgius Tomo primo, Problemate 27.in explanatione hujus periodi durum, atque insuetum sermonem affert de hominis creatione & animatione, asserens in primis, quod homo prius creatus fuerit in universali & specifice, sive specificus, vel communis; veluti moles quaedam virtutis masculinae & foemininae, unde omnis masculus, & foemina vitam susciperet: deinde vero, quando corporea veste circumamictus fuit, tunc homo particularis effectus est; & in hunc particularem hominem insufflatum esse a Deo spiraculum vitae. Secundo loco affirmat spiraculum illud, quod Deus insufflavit in hominem, esse lucem quandam, quae homini Deum ostendit, semperque ipsum hortatur ad bonum, & a malo dissuadet, praebetque ei vires ad bene operandum: qua quidem luce cum damnati destituantur, nec Deum cognoscere, nec bonum operari possunt. Quibus quidem verbis subindicat spiraculum illud non esse rationalis animae substantiam, sed potius lumen quoddam animae superadditum. Quem errorem Alfonsus Castrensis libro secundo adversus haereses in Philastrio, Brixiensi episcopo, damnat.

ANNOTATIO XXX.

Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae. Gen. 2. b

Utrum anima cum angelis prima die creata sit.

AUGUSTINUS libro 7. de Genesi ad literam, quem super hac particula conscripsit capit.24. astruere videtur animam primi hominis creatam esse cum angelis die prima mundani opificii, deinde sexto die humano corpori infusam, quod

quod quidem omnium theologorum sententiae repugnat. D. Thomas parte prima Summae theologicae quaest.90. artic.4. ostendit, Augustinum non id asserendo protulisse, sed in arbitrium legentium reliquisse: quod & ipsius verba demonstrant, dum inquit: CREDANT, si tamen nulla Scripturarum auctoritas, seu veritatis ratio contradicit. Hujus generis observationem habes infra Annotatione libri hujus 189.

ANNOTATIO XXXI.

Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae. Gen. 2. b

AUGUSTINUS libro sexto de Genesi ad literam cap. 27. & 28. hunc ipsum locum pertractans, scribit, Adam per peccatum perdidisse imaginem Dei, in spiritu mentis impressam, secundum quam creatus est. Hoc ipsum retractat libro secundo Retract. cap.24. inquiens hanc sententiam non sic accipiendam esse, tanquam in eo nulla remanserit: sed quod tam deformis remanserit, ut reformatione opus habuerit. Legito Annot.49. libri hujus.

Utrum Adam peccãdo, Dei imaginem amiserit.

ANNOTATIO XXXII.

Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae. Gen. 2. b

PHILO in libro De opificio sex dierum in expositione ejus sententiae docet, primum hominem, ex terreno corpore, & immortali anima formatum, non esse hominem, quem Deus ad imaginem suam creavit: quia homo, ad imaginem Dei factus, est ipse homo archetypus, & intelligibilis, sive ipsa hominis idea in mente Dei. Quae sane verba prima fronte reprobare videntur spiritualem, & divinam illam imaginem, quam omnes Catholici auctores in mente hominis collocant, inducti auctoritate divinae vocis, dicentis: FACIAMUS hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Minime putandum est Philonem his verbis voluisse hominis mentem expoliare divina imagine, quam supra in eodem Opere homini tribuerat: sed credibile est eum haec non absolute, sed per comparationem protulisse, habita ratione hominis sensibilis ad hominem archetypum in mente divina; in cujus comparatione homo sensibilis vix ullam habet Dei imaginem: talem enim habet homo archetypus, & intelligibilis imaginem ac similitudinem Dei, ut quodammodo Deus ipse sit: nam & archetypum, & ideam nihil aliud esse, quam divinam essentiam, testis est divus Thomas in prima parte Summae theologicae, quaest.15. art.1.

Utrum homo ad imaginem Dei factus sit.

Gen.1. 26.

LIBET etiam hic aliud annotare de hominis imagine, quod Philo non longe a Praefatione ejusdem libri scriptum reliquit, videlicet, quod universus mundus magis referat divinam imaginem, quam homo, qui mundi pars est: quae sententia aliena videtur a communi consensu theologorum, qui hominem hoc caeteris corporeis creaturis praestare ajunt, quod solus ad imaginem Dei factus est. Sed solvitur, si dicamus divinam imaginem duplici ratione considerari, aut secundum extensionem & diffusionem; quo sane modo universum magis, quam homo, divinae bonitatis imaginem repraesentat: quia ambitu suo complectitur omnem illam creaturarum multitudinem, de qua Moses dixit: Vidit Deus cuncta, quae fecerat, & erant valde bona: aut secundum intentionem, ac perfectionis collectionem: quo quidem modo homo magis divinae celsitudinis imaginem prae se fert, tum quod divinae foelicitatis capax sit, tum quod in eo, ceu in brevi compendio, & in parvo mundo, cuncta majoris mundi miracula conspiciantur.

Utrum mundus magis sit ad imaginem Dei factus, quam homo.

Gen. 1. b

IN CALCE ejusdem libri, & in primo libro Allegoriarum legis ita ea tractat, quae Moses de Paradiso scripsit, ut appareat ipsum omnem veritatis historiam destruere, & in sola allegoria hortum illum, & plantas, ac caetera, quae in eo describuntur, collocare: quem errorem Origenes, ac plerique alii ex nostris, ut infra indicabimus, secuti sunt.

Paradisus terrestris an sit.

AN-

ANNOTATIO XXXIII.

Plantavit Deus Paradisum. Gen. 2. b

An Paradisus in terra sit.

ORIGENES in Tomis super Genesim omoem historiam Paradisi, quae hoc secundo capite narratur, subverrisse dicitur. Methodius in Dialogo, cui AGLAOPHON (a) titulus est, Epiphanius in libro Anchorato, & in epistola ad Joannem, Hierosolymae episcopum, imponunt ei, quod negaverit Paradisum esse in terra, & quod eum in 3. coelo collocaverit, intelligens per arbores angelicas virtutes, & per fluvios aquas, quae sunt supra dorsum firmamenti. Nituntur quidam ostendere Origenem oon fuisse ejus mentis ex nonoullis verbis ab eo scriptis in 31. homilia in Numeros: ea haec sunt: ADAM post peccatum io aridam detruditur: antea enim non fuit in arida, sed in terra. Paradisus nanque noo est in arida, sed in terra: quae verba, quantum valeant, expeodant, qui volunt. Legito sex Annotationes sequentes.

ANNOTATIO XXXIIII.

Plantavit Deus Paradisum. Gen. 2. b

Paradisus terrestris an sit.

FRANCISCUS Georgius Tomo primo Problematum hoc exponens, Origenis de allegorico Paradiso errorem jam extinctum paulo ante nostram aetatem revocavit in lucem; eumque his argumentis suadere studuit. Primum, quod in Sacris literis nusquam inveniatur Paradisum, sive hortum illum plantatum fuisse in terra: deinde, quod frustra diceret Moses hunc hortum post sextam diem materialibus plantis, & arboribus fuisse consitum in terra, cum aotea scripsisset omnes universae terrae plantas, & arbores tertia die fuisse a Deo productas: item, quod frustra & inani consilio Deus horrum terrestrem primis parentibus construxisset; qui nec ipsis statim peccanribus usui futurus esset, quique post Adae peccatum a nemine colendus esset: demum illud ounque intulit, quod Hieronymus, his consideratis, pronunciaverit paradisum fuisse a Deo conditum ante, quam ipse faceret coelum & terram; nimirum ut his verbis significaret paradisum illum, a Mose descriptum, non esse io hac visibili terra situm, sed in illa terra viventium, quae ante hunc visibilem mundum io invisibili mundo creata est.

HAEC Franciscus multis in locis scripsit, praecipue vero Tomo primo Problematum: ubi a Problemate primo usque ad quadragesimum octavum omnem paradisi historiam longis allegoriarum ambagibus destruere conteodit, oulla tamen ad id valida ratione adducta: oam, quod primo loco proposuit minime ex Sacris literis coostare, ao paradisus in terra sit, falsissimum est. Moses enim clarissime prodit paradisum a Deo coositum in regione terrae Orientalis, quae dicitur Heden. Heden autem esse proprium loci nomeo, apparet ex quarto capite Genesеos: ubi legimus Cain habitasse ad Orientalem plagam Heden: & Ezechielis cap. 27. habetur, Heden fuisse prope Charao Mesopotamiae regionem: Illud vero, quod Moses scribit, hortum deliciarum post sextum diem a Deo consitum: minime repugnat ei, quod prius retulit, plantas videlicet omnes tertia die editas: fieri eoim potest, quemadmodum Augustinus ceoset, ut plantae, quae tertia die secundum quasdam rationes seminales productae fuerant, iterum post opera sex dierum actu productae, & absolutae sint: vel juxta Basilii & Chrysostomi sententiam dici potest, omnes plantas una cum paradisi plantis tertia die simul conditas: Mosen vero post opera sex dierum iterum per epilogum meminisse productionis plantarum paradisi: qui quidem paradisus etiam si a nullo post peccatum incoleretur: eum tamen superfluum esse nemo sanae mentis dixerit.

Gen. 4. e

Ezec. 27. d

(a) Methodius Olympi Lyciae, seu Patarorum Episcopus, Anno CCXC. clarus, edidit Orationem ad Aglaaphontem, quam laudat Damascenus Orat. CXI. *de imaginibus*, & Eustratius CP. *lib. de vita functorum statu*, haecque Oratio, ut ex Epiphanio liquet, aliud non est, quam pars Tractatus de Resurrectione contra Origenem, cujus plura extant apud Epiphanium fragmenta, & ampliora adhuc excerpta habet Photius *Codice* 134.

sit. Sicut enim, Augustino teste, dicendum non est immortalitatem corporis frustra homini datam, quam ipse conservaturus non erat: ita nec paradisum illum existimare oportet frustra conditum esse, quia humana habitatio post peccatum ibi non sit: nam etsi homini locus ille ad habitandum non serviat: ei tamen prodest ad eruditionem, ut agnoscat se inde culpa primi parentis ejectum; & ut per ea, quae corporaliter in eo esse scribuntur, ad spiritualia, & invisibilia coelestis paradisi mysteria animum attollat. Ad id autem, quod ultimo loco ex Hieronymi verbis violenter detorquet, paradisum videlicet conditum esse a Deo in illo invisibili mundo, qui hujus visibilis mundi constitutionem praecessit, satisfactum est Annotatione 37. in qua hujusmodi Hieronymi sententia exactissime discussa est.

JOANNES Noviomagus in scholiis a se editis in libro Bedae de natura rerum, ipse quoque existimat universum locum de paradiso aenigmatice, & allegorice intelligendum, sensu tamen diverso ab Origene, & his qui Origenis sententiam sectati sunt: arbitratur enim paradisum nihil aliud esse, quam hunc mundum: nam quemadmodum Gentiles appellant mundum domicilium, & templum quoddam Deorum ab inexplicabili pulchritudine, & summae venerationis opificio: ita in sacris literis autumat intelligendum esse locum voluptatis hunc mundum, cujus absoluta elegantia nihil ornatius excogitari potest, in quo ornatu mens hominis naturae varietatem admirans voluptate expleri nequit: siquidem fontem illum ex quo fluunt quatuor flumina interpretatur Oceanum, unde, ut Homero etiam placuit, omnium amnium, & fontium cursus vim, & initium sumunt: putat etiam fieri non posse, ut Ganges, Nilus, & Euphrates tam longe dissitis Armeniae, Indiae, & Aethyopiae regionibus ex uno paradisi fonte prodeant, nisi recipiamus Paradisum esse terratum orbem, fontem vero mare, quod occultis meatibus subterraneis longe lateque infusum omnibus fluminibus humorem suppeditat. Sed & hic a veritate procul abest, etenim si paradisus est terrarum orbis, quomodo inquit Moses Paradisum in regione orientis consitum? quomodo primi parentes ex eo expulsi sunt? quomodo Cherub prae foribus ipsius excubat, ne ultra in paradisum revertantur jam ejecti parentes? Neque vero mirum cuipiam videri debet, si Moses illa flumina scribit manare ex uno fonte: sic enim ab initio nascentis mundi Deus illa voluit ex uno, & eodem fonte fluere. At postquam in diluvio universali disrupti sunt fontes abyssi: eredibile est ita permutatos fontium locos, & fluviorum principia, ut alter ab oriente, alter a meridie cursus initium acceperit.

ANNOTATIO XXXV.

Plantavit Dominus Paradisum. Gen. 2. b

AMBROSIUS in libro, De Paradiso, quem ipse totum in allegorica Paradisi explanatione consumpsit, duo a communi theologorum consensu asserere videtur. Primum, quod Paradisus in terra non sit, sed in tertio coelo: qui error Origeni tribuitur: cum enim in Praefatione libri proponat se investigaturum, quid & qualis sit Paradisus, maximam esse hujusmodi inquisitionis difficultatem ex eo potissimum ostendit, quod Paulus, in hunc Paradisum raptus, neget se reminisci posse, aut in corpore, an extra corpus illum viderit, addens etiam se in eo audisse & vidisse, quae non liceat effari: &, ne putes Ambrosium sentire, quod Paulus non in coelestem, sed in terrestrem Paradisum sit raptus, idem in expositione secundae epistolae ad Corinthios (a) aperte affirmat Apostolum sublatum ad coelos in Paradisum Dei Patris coelestem. Secundum est, quod ad imitationem Philonis videtur Paradisum, & quaecunque in eo scripta sunt, juxta solam allegoriam, rejecto historico sensu, intelligere; hoc est, per Paradisum animam, per hominem mentem, per foeminam sensum, per serpentem delectationem, per lignum

Paradisus terrestris an sit.

2. Cor. 12. c

(a) Commentarius in Paulinas Epistolas non est Ambrosii, sed Hilarii Sardi (excipe tamen commentarium in Epistolam ad Hebraeos, qui posterioris aetatis scriptori est adjudicandus) ut alibi etiam adnotavimus; quapropter absolute dicendum occurrit Ambrosium in ea fuisse sententia per allegoriam fuisse a Moyse Paradisum descriptum. Videsis etiam Calmetum in Genesim.

lignum ſcientiae boni & mali ſapientiam, & per caeteras arbores virtutes animae inſitas. Quam aſſertionem apertioribus verbis exprimere videtur in epiſtola ad Sabinum, quam & ultimam hujus rei reſolutionem eſſe voluit, haec ſcribens: LECTO Hexaëmero, utrum Paradiſum ſubtraxerim, requirendum putaſti; &, quam de eo haberem ſententiam, ſignificandum; idque velle te ſtudioſe cognoſcere: ego autem jaodudum de eo ſcripſi nondum veteranus ſacerdos: ſententias autem de eo diverſas eſſe plurimorum comperi: nam Joſephus, utpote hiſtoriographus, locum terrae dicit refertum arboribus, virgultiſque plurimis, irrigari etiam flumine, qui dividatur io quatuor fluvios: alii alias: omnes tameo congruunt in Paradiſo & lignum vitae radicatum, & lignum ſcientiae, quae diſcernat bonum & malum; caetera quoque ligna, plena vigoris, plena vivificatioois, ſpirantia, & rationabilia: ex quibus colligitur, Paradiſum ipſum non terrenum videri poſſe, non in ſolo aliquo, ſed io noſtro principali, quod aoimatur, & vivificatur animae virtutibus, & infuſione ſpiritus Dei. Haec Ambroſii verba ſuot: ex quibus tamen adduci non poſſum, ut credam ipſum aut Philooi, aut Origeni, in hac parte aſſeoſiſſe, praeſertim cum in expoſitione ſexti cap. primae ad Corinthios conſtanter aſſeveret gemioum eſſe Paradiſum, alterum terrenum, in quo Adam ſit conditus, alterum coeleſtem, in quo Paulus fuerit raptus. Sunt enim ejus eo in loco haec verba: EST & Hieruſalem inferior; eſt & ſuperior, quam matrem noſtram vocat Apoſtolus; eſt & inferior Paradiſus, in quo homo poſitus, mandatum, & ut operaretur ibi, & ut cuſtodiret eum, accepit; eſt & ille coeleſtis, in quo raptus Apoſtolus, audivit verba arcana.

ANNOTATIO XXXVI.

Plantavit autem Dominus Paradiſum. Gen. 2. b

An Paradiſus poſt lapſum Adae penitus deſierit eſſe.

AUGUSTINUS, Chiſamenſis epiſcopus, io Annotationibus Pentateuchi, dum hujus loci expoſitiooem profuſiſſime proſequitur, tripliciter a recte fidei regula videtur exorbitare: aſſerit enim in primis, quod Paradiſus ille, in quo primi parentes conditi ſunt, paulatim poſt Adae peccatum aboleri coeperit, cum omni ſuo ornatu; deinde, ſuccedente diluvio, ita aquarum inundatione everſum, & vorticibus rapidiſſimis diſſipatum, ut peoitus deſierit eſſe, oullo propter hominum ſcelera jam divini loci veſtigio remanente.

Utrum Enoch & Helias ſint in paradiſo terreſtri.

SECUNDO aſſeverat, quod Enoch & Helias non fuerint traoslati in Paradiſum illum: quippe qui ſtatim ab Adami lapſu cultura, & habitatione deſtitutus fuerit, & demum poſt diluvium prorſus evacuatus.

Num peccatum Adae mortem corporis intulerit.

TERTIO affirmat, quod culpa, ob quam primus parens e Paradiſo fuit ejectus, non intulerit homini corporis mortem, ſed aoimi tantum. Horum primum aſſertum commuoi omoium Patrum conſenſui repugnat: ſecuodum non ſolum Patribus contradicit, ſed divioae etiam Scripturae: quae in libro Eccleſiaſtici, ENOCH inquit, placuit Deo, & translatus eſt in Paradiſum, ut Dei geotibus poenitentiam praedicaret: nec fas eſt hoc teſtimonium de coeleſti Paradiſo intelligere; quoniam non conveoit, ut quis inde deſcendat ad praedicandum poenitentiam. Tertium adverſatur non tantum Auguſtino, ac pleriſque aliis Patribus, ſed auctoritati quoque Concilii Africaoi; qui hanc poſitiooem adverſus Pelagium ejus auctorem damnavit, ſicut infra apparet Annotatione 52. benigne tamen excuſari poteſt vir hic de ſtudiis Sacrarum literarum beoemeritus ex verbis, quae ſtatim ſub his poſitionibus adjecit, hunc in modum ſcribens: HAEC dico non igoorans graviſſimos ſanctiſſimoſque viros aliter ſeotire: quae ſi parum Chriſtiana ſunt, retracto, prompteque refello. Annotavit etiam haec ante me Ambroſius, Compſae archiepiſcopus, in Commentariis ſuper libro Geoeſeos.

Eccl. 44. c

ANNOTATIO XXXVII.

Plantavit Dominus Paradiſum. Gen. 2. b

An Paradiſus terreſtris conditus ſit ante mundum.

HIERONYMUS in principio fere Hebraïcarum traditionum hoc annotans, rejicit Septuaginta ioterpretes, qui pro eo, quod Moſes dixit מקדם Mikedem,

dem, & nostra vulgata editio habet, A principio, verterunt κατὰ τὰς ἀνατολάς, id est, Ad Orientem: & sequens versionem Aquilae, Symmachi, & Theodorionis, quorum primus transtulit ἀπὸ ἀρχῆς, id est, Ab exordio, secundus ἐκ πρώτης, id est, A principio, tertius ἐν πρώτοις, hoc est, In primis, infert ex horum consensu hujusmodi conclusionem, ex quo manifestissime comprobatur, quod prius quam coelum & terram Deus faceret, Paradisum ante condiderat; sicut & legitur in Hebraeo, PLANTAVERAT autem Deus Paradisum in Eden a principio. Hanc illationem Augustinus, Chisamensis episcopus, in Annotationibus Geneseos improbans, ait Hieronymum ex hac dictione מקדם Mikedem falso deduxisse, quod ante coelum & terram factus sit Paradisus; quia Mikedem hac in parte non tempus, sed locum significat: sicut convincitur ex alia simili sententia, infra cap. 3. ubi habetur וישכן מקדם לגן עדן את הכרבים Vajasceechen Mikedem Leghon Heden & Hacherubim, hoc est, Et posuit a parte orientali horti Eden cherubinos. Non arbitror Hieronymum usque adeo fuisse stupidum, ut crediderit Paradisum conditum ante omnem coeli & terrae creationem: hoc enim humana ratio sentire non potest, ut Paradisus, localis & terrenus locus, immo terrae ornatus, ante terram fuerit: sed puto eum suis verbis significare voluisse, quod ante, quam Deus coelum & terram distinguendo, & ornando perficeret, Paradisum tertia die consèverit. Albinus tamen in libro quaestionum super Genesi censet Hieronymi sententiam ita esse intelligendam, ut ejus verba sonant: quin & Eucherius, Lugdunensis episcopus [a], eandem assertionem iisdem Hieronymi verbis posuit in primo libro commentariorum in Genesim cap.2.

FRANCISCUS Gregorius Tomo primo, problemate 31. autumat Hieronymum idcirco Paradisum posuisse ante mundum, quia juxta nudam allegoriam crediderit Paradisum nihil aliud esse, quam felicem rationalium creaturarum statum, quem Deus ante hunc visibilem mundum creavit: atqui Hieronymus ipse aperte reclamat in decimo capite commentariorum Danielis, sic inquiens: CONTICESCANT eorum deliramenta, qui, umbras & imagines in veritate sequentes, ipsam conantur evertere veritatem, ut Paradisum, & flumina, & arbores putent allegoriae legibus se debere subruere.

ANNOTATIO XXXVIII.

Plantavit Deus Paradisum in Eden. Gen.2.b

BEDA Presbyter, cum locum hunc explanandum assumeret, dixit Paradisum esse locum in editiori terrae parte situm, & a terrae planitie usque adeo elatum, ut lunarem globum contingat. Hujus opinionem sequens Magister historiae scholasticae libro primo cap. 13. PARADISUS, inquit, locus est amoenissimus, longo terrae & maris tractu a nostra habitabili zona secretus, adeo elevatus, ut usque ad lunarem globum attingat: unde & aquae diluvii illuc non pervenerunt. D.Thomas in prima parte Summae theologicae qu.102. art.1.ad 1. existimat hanc sententiam esse falsam, si de loci sublimitate intelligatur, quae humanae naturae omnino est inhabitabilis; veram autem esse, si secundum similitudinem virtutis intelligamus ibi esse perpetuam, qualis est temperies in illa regione lunari ab omni hujus caliginosi aëris intemperie semota.

Num Paradisus terrestris usq;ad orbem Lunae pertingat.

ANNOTATIO XXXIX.

Plantavit Dominus Paradisum. Gen. 2. b

TERTULLIANUS in libro De Paradiso [b], ad expositionem praesentis capituli a se edito, asserit omnes animas defunctorum tam bonas, quam malas sequestrari apud inferos usque ad diem judicii. Vide Annot.345. libri sexti.

Num animae omnes usque ad diem judicii sint in inferno.

(a) Laudatus Commentarius in Genesim non est Eucherii Senioris, seu Lugdunensis Episcopi, vita functi Anno CCCCLIV. neque Junioris Eucherii, sub dimidium VI. Seculi clari, sed alterius incogniti que scriptoris, qui post VII. Seculum vixit, quum saepius laudet Gregorium M. & Cassiodorum.

(b) Scripsit utique Tertullianus librum de Paradiso, verum opus hoc periit, neque hodie extat; quodque in praesentiarum sub ejus nomine laudatur, suppositititiis est adcensendum.

ANNOTATIO XL.

Plantavit Dominus Paradisum. Gen. 2. b

Non animarum loca & supplicia post hanc vitam sint tantum spiritualia.

AUGUSTINUS libro 12. De Genesi ad literam, ubi de Paradiso disputat, capite 22. ait loca, quibus animae corporibus exutae afficiuntur seu bene, seu male, non esse corporalia, sed spiritualia; quae una cum variis rerum corporalium similitudinibus, tam laetis, quam tristibus, animis defunctorum repraesentantur, non secus, atque his, quibus aut in somno constitutis, aut a sensibus subtractis, modo graves terrores & cruciatus, modo laetae res, & diu concupitae exhibentur. Hoc ipsum confirmare videtur lib.21. De civit.Dei cap.10.ubi ignem inferni, quo dives ille cruciabatur, spiritualem esse innuit his verbis: DICEREM quidem sic arsuros sine ullo suo corpore Spiritus, sicut ardebat apud inferos ille dives, quando dicebat, Crucior in hac flamma, nisi convenienter responderi cernerem, talem fuisse illam flammam, quales oculi, quos levavit, & Lazarum vidit; qualis lingua, cui humorem exiguum desideravit infundi; qualis digitus Lazari, de quo id sibi fieri postulavit; ubi tamen erant sine corporibus animae: sic ergo & incorporalis illa flamma, qua exarsit, & illa guttula, quam popofcit; qualia etiam sunt visa dormientium, sive in ecstasi cernentium res incorporales, habentes tamen similitudines corporum: nam & ipse homo, cum spiritu, non corpore, sit in talibus visis: ita se tamen tunc similem suo corpore videt, ut discernere omnino non possit. Haec Augustinus cui repugnare videtur consensus omnium recentium theologorum; qui sequentes sententiam divi Gregorii, in quarto ipsius dialogo explicatam, statuunt inferna loca esse corporea; in quibus animae non imaginarias & similitudinarias poenas, sed veras poenas patiantur, videlicet corporeas, & vere ardentes ignes.

Luc. 16.

PROINDE D. Thomas in quarto Sententiarum distinct. 44. expendens priorem illam sententiam ex libro 12. in Genesin, sic scribit: DICTUM Augustini potest hoc modo accipi, ut pro tanto dicatur locus ille, ad quem animae deferuntur, non esse corporeus; quia anima in eo corporaliter non existit, per modum scilicet, quo corpora existunt in loco; sed alio modo spirituali, sicut angeli in loco sunt: vel dicendum, quod Augustinus loquitur opinando, & non determinando; sicut frequenter facit in libris illis. Nicolaus Trivetius in scholiis, quae edidit in libros De civitate Dei, posteriorem locum ex iisdem libris citatum annotans, ait, Augustinum non protulisse ea verba, ut assereret ignem inferni incorporeum, quem toto illo capite docuerat esse corporeum; sed ut ostenderet assertionem suam de igne corporeo non posse confirmari exemplo divitis in flamma ardentis: quippe quod facile eluderetur ab eo, qui responderet, tales fuisse flammas illas, quales erant oculi & lingua divitis sine suo corpore patientis. Vide observationes alias huc spectantes, infra Annotatione 42. 93. 141. & 227. hujus libri.

ANNOTATIO XLI.

Plantavit Dominus Paradisum. Gen. 2. b

An Moses & Paulus viderint ipsam Dei essentiam.

AUGUSTINUS in duodecimo De Genesi ad literam, ubi de Paradiso tractat, cum de his, qui viderunt Deum, dissereret, in vigesimo septimo & 28.cap. ejusdem libri, scripsit Mosem & Paulum vidisse Deum non in aliqua corporalis creaturae similitudine, vel imagine, sed in ea subjecti essentia & natura, qua Deus est, quantum ea capere homo potest, sevocatus ab omni corporis sensu: atque hoc ipsum confirmat in libro, sive epistola De videndo Deum ad Paulinam c.12. & 13. Hanc sententiam idem Augustinus visus est quibusdam improbasse libro 2. De Trinit. cap.17. & 18. ubi stultos esse censet, qui credunt Deum a mortalibus in sua substantia visum esse. Jacobus, Christopolitanus episcopus, qui in praefatione suae explanationis in Psalmos hujusmodi annotavit contradictionem, sedavit eandem, allata distinctione duplicis visionis, nimirum a priori, hoc est per lumen

men gloriae, quo beati Deum vident in patria, & a posteriori, hoc est ex ascensu a creaturis usque ad divinam essentiam: ceu si quis in circulo perveniat ad visionem centri suapte natura invisibilis per visionem linearum, a centro ad circumferentiam circuli prodeuntium: quo quidem modo ait Augustinus in epistola ad Paulinam, & in 12. libro super Genesi existimasse divinam essentiam Mosi & Paulo conspectam, non autem a priori, seu per lumen gloriae visam, sicut idem in secundo libro De Trinitate scriptum reliquit. At si quis Augustini locum utrunque in suo auctore accuratius inspexerit, nulla conciliatione opus esse fatebitur: quod enim Mosi ac Paulo tributum esse docuerat, ut oculo mentis ipsum, quod est Deus, ad horam intuiti sunt; id corporeis oculis fieri posse negavit in hunc modum lib. 2. De Trinit. cap. 18. concludens: IPSA enim natura, vel substantia, vel quolibet alio nomine appellandum est, id ipsum, quod Deus est, quid illud est, corporaliter videri non potest. (a)

ANNOTATIO XLII.

Plantavit Dominus Paradisum. Gen. 2. b

AUGUSTINUS libro duodecimo De Genesi ad literam, in quo de Paradiso inquirit, cap. 33. sentire videtur Inferos non esse sub terra, cum de his quaestionem proponit in hunc modum. UNDE autem sub terris esse dicantur Inferi, si corporalia loca non sunt; aut unde Inferi appellentur, si sub terris non sunt, merito quaeritur. Cui quaestioni respondens in sequenti cap. 34. ait duplici ratione Inferos dici & credi sub terris, vel quia sicut carni mortuae locus sub terra deputatur; sic animae per carnis peccatum mortuae similitudo subterranei loci repraesentatur: vel quia sicut in corporeis rebus inferiora dicuntur, quae graviora sunt; ita in rebus spiritualibus inferiora dicuntur, quae tristiora sunt: unde & apud Graecos nomen ᾅδης quo Inferi appellantur, ex eo quod nihil suave habeant, originem sumpsit. Quae verba retractans Augustinus in 2. Retract. cap. 24. sic loquitur: DE INFERIS magis mihi videor docere debuisse, quod sub terris sunt, quam rationem reddere, cur sub terris esse credantur, sive dicantur; quasi non ita sit. Vide supra Annot. 40.

An Inferorum locus sub terra sit.

ANNOTATIO XLIII.

Quacunque die comederis ex eo, morte morieris. Gen. 2. c

PHILO JUDAEUS in fine secundi libri Allegoriarum legis asseverat Deum in propositis verbis non fuisse comminatum primo parenti mortem corporis, sed mortem animae tantum. Scribit enim ad hunc modum: Deus ait, Quacunque die comederitis ex eo, morte moriemini: atqui post esum non solum non moriuntur, verum etiam progignunt liberos, & aliis vivendi auctores fiunt: quid ergo dicendum? duplicem esse mortem, alteram hominis, alteram animae propriam: hominis mors est animae a corpore separatio: animae vero mors corruptio virtutis, & assumptio vitii: ideoque non contentus moriturum dicere, Morte, inquit, moriemini; indicans non communem hanc mortem, sed illam aeternam, quae per excellentiam mors dicitur, quae est, quoties anima sepelitur in affectibus, vitiisque omnibus. Cum ergo dicit, Morte moriemini, observandum est, poenalem mortem non naturalem significari: naturalis porro est, per quam anima separatur a corpore: poenalis vero cum anima è virtutis vita emoritur. . . . . .

Num Adae ipsius mortem corporis ei attulerit.

EUCHERIUS libro primo commentariorum in Genesim Philonis sententiam sequens, hunc locum similiter exponit, inquiens: MORTEM igitur dicit animae, non corporis, quia non eo tempore mortui sunt, quando comederunt: ergo hanc,

An mors corporis sit poena peccati, Adae.

(a) Num Augustinus in eadem semper fuerit sententia de Moysis ac Pauli Deifica visione? dubium valde est. Ex his quae Xystus laudat, & quae Angelicus promit *I. P. Qu. XII. Art. II.* adfirmativa ejus sententia dignoscitur; verum alia sunt loca ex quibus videtur oppositum docuisse. Legesis praecipue Carolum Witasse *T. I. Theolog.* Juenin, aliosque.

quam nunc Deus comminatus est, mortem, non eam debemus accipere, qua caro separatur ab anima; sed hanc, qua haec alienatur a Deo, qui est vita sua: tanquam si diceret, Qua die me deserueritis per inobedientiam, deseram vos per justitiam: sicut enim corpus vivit ex anima: ita anima, ut beate vivat, vivit ex Deo: ergo deserta a Deo anima, jure dicitur mortua. Augustinus hanc opinionem refellens libro 13. De civitate Dei capite 12. sic loquitur: CUM ergo requiritur, quam mortem Deus primis hominibus fuerit comminatus, si ab eo mandatum transgredetentur acceptum, nec obedientiam custodirent, utrum animae, an corporis, an totius hominis, an illam, quae secunda dicitur: respondendum est, omnes. Prima enim constat ex duabus, secunda ex omnibus tota: sicut enim universa terra ex multis terris, & universa ecclesia ex multis constat ecclesiis: sic universa mors ex omnibus: quoniam prima constat ex duabus, una animae, altera corporis; ut sit prima totius hominis mors, cum anima sine Deo, sine corpore ad tempus poenas luit: secunda vero, ubi anima sine Deo cum corpore poenas aeternas luet. Quando ergo dixit Deus primo illi homini, quem in Paradiso constituerat, de cibo vetito, Quaecunque die ederitis ex eo, morte moriemini, non tantum primae mortis partem priorem, ubi anima privatur Deo, nec tantum posteriorem, ubi corpus privatur anima, nec solum ipsam totam primam, ubi anima & a Deo, & a corpore separata punitur: sed quicquid mortis est usque ad novissimam, quae secunda dicitur, & qua est nulla posterior, comminatio illa complexa est.

ANNOTATIO XLIIII.

Faciamus ei adjutorium simile sibi. *Gen. 2. e*

An aborsus procuratio sit peccatum. Exod. 21. d

PROCOPIUS Gazaeus in expositione hujus dicti haec habet: QUAPROPTER qui causa, seu auctor fuerit, ut embryo informis per abortum ejiciatur; secundum legem divinam nullas poenas dat, nec supplicio afficit: quia embryo imperfectus nondum inter homines connumeratur. Quae verba intelligenda sunt non de omnibus simpliciter poenis ac suppliciis, sed de his tantum, quibus homicidia plecti solent: quia procuratus puerperii nondum formati aborsus homicidium non est: at eos, qui sterilitatis venena procurant, & nondum animatos foetus abjiciunt, gravissime peccare affirmat Augustinus libro primo De nuptiis & concupiscientia cap. 15. & sermone De tempore 244.

ANNOTATIO XLV.

Adae non inveniebatur adjutor similis ei. *Gen. 2. d*

An Adam creatus sit androgynus.

FRANCISCUS Georgius Tomo primo Problematum ita hunc locum explanat, ut asserat hominem a principio creatum fuisse androgynum, hoc est hominem, in quo duo corpora, maris scilicet ac foeminae, circa dorsum jungerentur. Sic enim scribit problemate 29. HOMO a principio geminus, id est masculus simul & foemina, creatus fuit; fueruntque, ut Plato docet, in eo conjuncti masculus & foemina per dorsum, & postea secti, ut e regione conjungerentur ad prolem procreandam: & in hoc Plato edoctus fuit ab integerrimo philosopho Mose: quod etiam scriptum docet, ubi habetur, quod secto latere, vel costa,

Gen. 2. d

protoplasti, formata fuit mulier: צלע Zela enim utrunque significat, costam videlicet & latus. Facta igitur sectione, mulier fuit adjutorium viri, videlicet tanquam coram consistens, sicut habet veritas Hebraica: pro quo communis editio habet simile sibi. Refellit hanc sententiam D. Augustinus libro tertio De Genesi ad literam cap. 22. inquiens: RURSUS ne in homine uterque sexus esse putaretur, sicut in his, quos Androgynos vocant, pluraliter subjecit, Masculum & foeminam creavit eos. Strabus, Augustino consentiens, hanc ipsam opinionem inter damnatas Judaeorum fabulas rejicit his verbis: MASCULUM & foeminam

Gen. 1. d

creavit eos, non quod in utroque sexu ipsum Adam primum creaverit, & formaverit,

verit, ut stolidi Judaei fabulantur; sed quia sexu utroque humanum genus discrevit, & consistere voluit duplici persona.

ANNOTATIO XLVI.

Immisit Dominus soporem in Adam. Gen. 2. d

CHRYSOSTOMUS homilia 15. in Genesim hanc sententiam expositione illustrans, haec verba protulit: ET ACCEPIT, inquit, unam costarum illius: ne humano more accipias quae dicuntur; sed crassa verba haec humanae imbecillitati convenire cogites: nam nisi his verbis scriptura fuisset usa; quomodo tam arcana mysteria discere potuissemus? ne igitur verbis tantum addicti simus; sed omnia, ut par est, de Deo sentiamus: quandoquidem dum dicitur Accepit, & omnia talia propter nostram infirmitatem dicta sunt. Ex his verbis Hispanus quidam conatus est afferre suppetias Thomae Cajetano; qui, ut mox dicemus, opinatus est formationem Evae ex costa Adae intelligendam esse non secundum historicae veritatem, sed tanquam figuratae parabolae narrationem: quam opinionem arbitratur Hispanus a Chrysostomo multis ante Cajetanum saeculis fuisse in praedictis verbis expressam: sed, quantum iste aberret non solum a veritate, sed a mente Chrysostomi, ipse Chrysostomus paulo ante ostendit, cum inquit: Qui sapiens & potens nostrae naturae opifex unam ex costis illius ablaturus erat, ne, sentiendo dolorem, mulieri ex se formatae postea doloris memor infensus fieret: ea propter, immisso excessu, tanto illum somno oppressit, ut quasi gravedine quadam correptus nullum rei, quae fiebat, sensum caperet: & implevit carnem pro illa, ne posset discusso somno, quod factum erat, ex vacuitate sentire: itaque ne illum in auferendo dolore, neque ob ablationem tristitia afficeret, utraque sic dispensavit, ut & citra cruciatum illius auferret; &, impleto eo loco, unde abstulerat, factorum sensum percipere non sineret. Haec Chrysostomus, manifeste demonstrans, ea se per metaphoram & parabolam nequaquam intellexisse, in quibus veri doloris, veri cruciatus, & verae tristitiae sensus periculum imminere existimavit. Quod vero monuit Mosem, de formatione loquentem, non humano & crasso more intelligendum; non ad evertendam historiae veritatem dixit, sed ad confutandam insaniam Antropomorphitarum & Arrianorum: ex quibus illi putabant Deum, corpore praeditum, carneis manibus, & corporea operatione, ac motu, more figuli, aut chirurgi, hominem e limo finxisse, & ex hominis costa mulierem. Arriani vero, accipientes ansam cavillandi ex his verbis, Et immisit Dominus Deus, contendebant patrem sine filio solum formasse virum, & ex viro foeminam: quia solum patrem dicerent in divinis scripturis appellari Deum & Dominum; filium vero, utpote patre minorem, Deum duntaxat appellari, non Dominum. Utrosque igitur redarguens Chrysostomus, admonet, ne verba haec vel humano & crasso more cum Antropomorphitis accipiamus; vel cum Arrianis inter Deum, ac Dominum distinctionem ponamus: quia, inquit, utriusque est una essentia, & indiscriminatim nominibus istis utitur scriptura. Inspice Annotationem sequentem.

An Eva ex costa Adae formata sit.

ANNOTATIO XLVII.

Immisit Deus soporem in Adam. Gen. 2. d.

THOMAS Cajetanus in commentariis Geneseos cum enarrando huc pervenisset, scripsit tam somnum Adae, quam productionem mulieris ex costa Adae accipienda esse non secundum historiam, & quemadmodum ipsa litera sonat; sed secundum mysterium non allegoriae, sed parabolae: quia si juxta literam intelligatur costam vere ablatam fuisse ex Adam; alterum e duobus absurdis sequetur, vel quod Adam fuerit monstrum ante sublatam costam, vel quod fuerit mancus post sublatam ex eo costam: quorum utrumque est absurdissimum: quia aut costa illa erat homini superflua, aut necessaria: si superflua; ergo monstruosus erat homo:

Num Eva ex costa Adae facta sit.

homo: si necessaria; ergo ea sublata redditus est homo mancus. Alfonsus Castrensis libro secundo adversus haereses, & Ambrosius, Compsae archiepiscopus, in commentariis in Genesim, & in secundo libro Annotationum adversus Cajetanum hanc positionem insectantur, tanquam novitatem catholicis inauditam, & haereticam [a], & quae fidei nostrae fundamenta subvertat: quia si praesentis historiae veritas destruitur, necesse est, ut ruat sacramentum illud magnum, quod Paulus dixit esse in Christo, & in ecclesia, hoc est, ut sicut Eva ex ossibus & carne Adae aedificata est: ita ecclesia ex ossibus & carne Christi: quod si primum destruis, quod fuit in litera; etiam illud, quod sub illa continetur, everteris. Haec illi. At Hugo Victorinus, diluens hoc ipsum Cajetani argumentum, quo olim utebantur illi, qui longe ante Cajetanum hujus erroris semina sparserant, in libro Annotationum in Genesim ita scripsit: QUOD vero quidam quaeruut, utrum plures costas prius Adam in illo latere, de quo illa costa sumpta est, habuerit: quia si sic; tunc Adam per eam erat superfluus: sin autem non plures, nisi quot in alio latere habuit; tunc diminutus fuit: frivolum est: quia nec dentes puerorum, qui postea mutantur, dicuntur superflui, nec ipsemet, quamvis nondum habeant naturae augumentum, diminuti judicantur. Hactenus Hugo: cui subscribens D. Thomas in prima parte Summae qu. 92. artic. 3: ait costam illam fuisse de perfectione Adae, non ut erat individuum quoddam, sed ut erat principium speciei: sicut semen est de perfectione generantis, & tamen ad procreationem filiorum naturali operatione deciditur. Legas annotationem praecedentem.

Ephes. 5. 32.

ANNOTATIO XLVIII.

Et erunt duo in carne una. Gen. 2. d

Num Christianis jurare liceat.

CHRYSOSTOMUS homilia in Genesim post expositionem hujus loci adhortans in fine sermonis auditores ad juramenti fugam, videtur adimere Christianis omnem jurandi facultatem, etiam in caussis justis & necessariis. Ita enim scribit: JURAMENTA quoque modis omnibus fugiat audiens sententiam Christi, quae dicit: Dictum est antiquis, NON PEJERABIS: ego autem dico vobis non jurandum omnino: ne igitur dicat aliquis, In re justa juro: neque enim in re justa, neque injusta jurare licet. Vide Annotationem vigesimam sextam libri sexti.

Matth. 5. 34.

ANNOTATIO XLIX.

Cumque cognovissent se esse nudos. Gen. 3. b

Utrum Adam peccando amiserit imaginem.

ORIGENES in Tomis super 3. cap. Geneseos haec verba expendens, scriptum reliquit, quod homo imaginem Dei, ad quam conditus fuerat, peccando amisit. Hanc assertionem Epiphanius in epistola ad Joannem, Hierosolymitanum episcopum, inter praecipuos errores Origenis recenset. Sciendum tamen est, quod imaginis Dei nomen in sanctis literis duobus modis accipitur, hoc est secundum substantiam, & secundum similitudinem: porro secundum substantiam imago Dei, ut inquit Eucherius libro primo commentariorum in Genesim, nihil aliud est, quam mens naturaliter omni humanae animae a Deo collata, cujus privilegio caetera carent animalia: imago vero Dei secundum similitudinem, est justae sanctaeque animae cum Deo conformitas ex divina gratia, & sanctarum actionum studio comparata: de qua D. Ambrosius in commentariis epistolae ad Colossen-ses

(a) Nedum Alphonsus de Castro, & Ambrosius Catharinus. At etiam Gabriel Prateolus Thomam de Vio haereticis adcensent. At fucum revera faciunt Cl. Viro amplissimo S. R. E. Cardinali, qui nec primus, nec cum pertinacia errorem ab Ecclesia proscriptum propugnavit: longe ante errorem hunc venditarunt Philo Judaeus, & Hugo Victorinus. Quae autem scripsit purpuratus Theologus, praesertim Commentarios in Scripturam Clementi VII. nuncupatos, Ecclesiae Romano judicio submisit. Erravit igitur Cajetanus, praesertim cum Apostolus I. Corinth. XI. dicat „ Non enim Vir ex Muliere, sed Mu„ lier ex Viro „ & universim PP. adserant integrum Geneseos textum historicum esse; sed haereticus numquam fuit, ut ex Regula Theologorum omnium, Conciliorumque decretis, & PP. unanimi sensu constat; qua de caussa Jure summo eum vindicarunt Nostrates & exteri, sed praecipue consulas N. Paulum Minerva in Apologia, quam pro Cajetano scripsit.

ses exponens illud Apostoli, Induentes novum hominem, qui renovatur secundum Colos. 3. 10.
imaginem ejus, qui creavit eum, sic loquitur: IMAGO haec in conversatione
bonae vitae intelligenda est, sicut dicit ad Corinthios epistola prima, Quemad- 1. Cor. 15. f
modum portavimus imaginem ejus, qui de terra est; ita & portemus imaginem
illius, qui de coelo est: ipse est ergo creator hominis, cujus imaginem portare
nos jubet in sanctitate & bonis operibus. Ita Ambrosius.

CUM ergo imaginis nomen duo haec significet; si Origenes juxta primam
significationem intellexit imaginem, aperte erravit; nec immerito accusavit eum
Epiphanius. Naturalia enim post lapsum etiam in daemonibus, quo ad substan-
tiam, integra remanserunt, quemadmodum magnus testatur Dionysius: contra
vero pie & recte sensit, si imaginis nomen usurpavit in secunda significatione, hoc
est pro originali justitia, ab homine peccante amissa: hunc autem sensum habuis-
se Origenem, facile persuadet liber tertius Periarchon: in cujus sexto capitulo ip-
se de imagine Dei, adhuc in homine permanente, haec scripsit: MOSES, ante
omnes primam conditionem hominis enarrans, inquit, Et dixit Deus, Faciamus Gen. 1. a
hominem ad imaginem & similitudinem nostram: tunc deinde addit, Et fecit
Deus hominem ad Dei imaginem. Hoc ergo, quod dixit, Ad imaginem Dei fe-
cit eum, & de similitudine siluit, non aliud indicat, nisi quod imaginis dignita-
tem in prima conditione perceperit. Similitudinis vero perfectio in consumma-
tione servata est, scilicet ut ipse sibi eam propriae industriae studiis ex Dei imita-
tione conscisceret, cum possibilitatem, sibi perfectionis divinitus datam, per ima-
ginis dignitatem in fine demum per operum expletionem perfectam sibi ipse simi-
litudinem consummaret. Ex quibus verbis manifeste elicitur imaginem Dei in
prima conditione receptam permanere in homine: quia similitudinem Dei, quam
anima in consummatione, hoc est in beatitudine accipit, nihil aliud esse osten-
dit, quam imaginis, sive dignitatis per imaginem receptae absolutam, consum-
matamque perfectionem. Vide, quae divus Augustinus in hanc sententiam retra-
ctavit supra Annotatione trigesima prima.

ANNOTATIO L.

Inimicitias ponam inter te, & mulierem, &c. Gen. 3. c.

AUGUSTINUS libro secundo De Genesi allegorice cap. 29. hujus periodi sen- An ulli natu-
sum elucidans, inquit: NULLI naturae nocere peccata, nisi sua, quod quia rae aliena
videtur trahi posse ad dogma Pelagianorum, dicentium parvulis aliena non no- peccata no-
cuisse peccata, Augustinus libro primo Retractationum cap. 10. intelligendum es- ceant.
se vult de adultis justis; quoniam justo qui nocet, non ei vere nocet; quandoqui-
dem etiam mercedem auget in coelis: sibi autem peccando vere nocet, quia pro-
pter ipsam voluntatem nocendi recipit id, quod nocet...

AUGUSTINUS libro & cap. eodem asserit, nullum esse malum naturale: An ullum sit
quod quia Pelagianae haeresis videtur, idem libro primo Retractationum cap. 10. naturale ma-
referri jubet ad eam naturam, quae penitus sine ullo vitio condita est. lum.

ANNOTATIO LI.

Inimicitias ponam inter semen tuum, & semen ejus, &c. Gen. 3. c

FRANCISCUS Georgius Tomo primo Problematum, problemate 54. inqui- An gigantes
rens, quodnam sit semen diaboli, quod hic a Mose semen serpentis appel- ex semine
latum est, satis violenter decernit, semen diaboli, universo hominum generi diaboli orti
inimicum, fuisse gigantes, genitos ex coitu daemonum cum mulieribus: dae- sint.
mones enim, ut ipse Tomo sexto Problem. 330. explicat, animalia sunt corpo-
rea generationi apta, semen emittentia; quae, accedentes ad mulieres, conden-
sant corpora sua, quo facilius foeminis congrediantur ad generationem gigan-
tium: quos Tomo primo, problemate 74. & 75. constanter asseverat nullo modo
potuisse gigni ex concubitu viri & foeminae, sed ex daemonum semine, quia con-
sentaneum

sentaneum non sit tam ingentia monstra, qualia in sacris literis gigantes fuisse leguntur, naturali via produci posse: atque hinc evenisse dicit problemate 331. Tomi sexti, quod post Christi adventum gigantes prorsus esse desierint; quia postquam daemones morte Christi devicti sunt, non amplius valuerunt foeminas inire, & in earum uteris seminare gigantes. Habes hic oprime lector quinque a communibus theologorum opinionibus aliena: primum est daemones esse animalia corporea gignendi facultate praedita: secundum, gigantes daemonum fuisse filios: tertium, gigantes ex humano concubitu viri & foeminae naturaliter gigni non posse: quartum, daemones post Christi adventum foeminis commisceri non posse: quintum, gigantes post Christum omnino sublatos. Haec omnia per ordinem refellit D. Augustinus libro 15, De civit. Dei cap. 23. Consule annotationes libri hujus 8. 70. 71. 73. 74. 76. 77.

ANNOTATIO LII.

Reverteris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Gen. 3. d

An peccatum intulerit Adae necessitatem corporeae mortis. Gen. 3. e

JOSEPHUS Judaïcarum antiquitatum libro primo explicans hujus sententiae sensum, indicat delictum primorum parentum non intulisse illis necessitatem moriendi, sed vitae brevitatem, & senectutis ac mortis accelerationem: ita enim Deum inducit ad eos loquentem: EQUIDEM prosperexeram vobis, quomodo vitam felicem, omnisque mali expertem viveretis, omnibus, quaecunque ad usum ac voluptatem conferunt, sua sponte vobis provenientibus; quibus fruentes, vos neque senectus celeriter opprimeret, & vita diuturna quam longissime proferretur: vos autem sententiam meam ludibrio habuistis, mandato meo contempto: quare & senectus ocyor superveniat, & vita vestra minus sit diuturna. Alludit ad priorem hujus opinionis partem Augustinus, Chitami episcopus, sentiens peccatum Adae non intulisse homini corporis mortem, sed animi duntaxat. Horum assertionem reprobans Augustinus libro 13. De civitate Dei cap. 15. CONSTAT, inquit, inter Christianos, veraciter catholicam tenentes fidem, etiam ipsam nobis corporis mortem non lege naturae, qua nullam mortem hominis Deus fecit, sed merito inflictam esse peccati: quoniam peccatum vindicans Deus dixit homini, in quo tunc omnes eramus, Terra es, & in terram ibis. Extat etiam hujus catholicae assertionis decretum in Actis concilii Africani cap. 76. in haec verba: QUICUNQUE dixerit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturae; Anathema sit. Vide supra Annotationem 36.

Gen. 3. e
Id habetur Can. I. Concilii Milevitani II. An. Domini 416.

ANNOTATIO LIII,

Fecit Deus Adae tunicas pelliceas. Gen. 3. d

An tunicae pelliceae primorum parentum fuerint animalium pelles.

ORIGENES, in Tomis Geneseos haec verba exponens, dixisse fertur, quod tunicae pelliceae, quibus Deus primos parentes induit, non fuerint verae tunicae pelliceae, sed carnalia & mortalia corpora; quibus, post offensam & ejectionem de Paradiso, Adam & Eva induti sunt. Hunc errorem Methodius in Aglaophonte Origeni attribuit. Epiphanius quoque in libro Anchorato idem confirmat, inquiens, ideo illum ita sensisse, quia existimaret rem admodum ridiculam esse, quod Deus decoriatis mortuis animantibus pelles pararet, & pelliceas tunicas consueret, ac si esset coriarius, vel pellium sutor: Suspicor hunc locum fuisse corruptum ab aemulis Origenis. Is enim in hac re mentem suam catholice aperit homilia 6. in Leviticum: ubi sic scribit: FECIT Deus tunicas pelliceas, & induit Adam & mulierem ejus: illae ergo tunicae de pellibus erant ex animalibus sumptae: talibus enim oportebat indui peccatorem, pelliceis, inquam, tunicis, quae essent mortalitatis, quam pro peccato acceperat, & fragilitatis ejus, quae ex carnis corruptione veniebat, indicium. Quibus verbis manifeste fatetur

fatetur tunicas vere fuisse pelliceas jussu Dei paratas. Vide Aonotationem sequentem.

ANNOTATIO LIIII.

Fecitque Deus Adae tunicas pelliceas. *Gen.* 3. *d*

FRANCISCUS Georgius Tomo primo problematum contendit hunc locum secundum solam ac nudam allegoriam iotelligendum esse: ita enim apud eum legimus problemate 59. DEUS oon fuit lanius, ut occideret oves, vel agnos: quia cum animalia fecerit bina & bina; si duo vel quatuor occidit ad perficiendas tunicas, ergo deinceps creavit alia: quod falsum est; quia quievit Deus die septima: sed haec sunt per allegoriam dicta, ut intelligantur hae tunicae factae ex pelle illius agni, de quo scribitur, Agnus occisus est ab origine mundi, ut ipsius meritis omnia peccata tegaotur, &c. Hac Francisci objectione ante mille & ducentos annos usi fuor Origenistae, primi hujus opinionis auctores: quibus occurrere volentes Theodotus Heracleae, & Gennadius Constantinopoleos episcopi, dixerunt, pelliceas tunicas hoc loco significare arborum cortices: nam sicut animalium coria pelles dicuntur; ita & arborum cortices pelles appellantur: ergo ex arborum corticibus, aptis ad vestium compositionem, primi parentes divina pietate suggerente tunicas sibi fecerunt, sicut & prius sibi ipsis praecinctoria fecerant ex foliis fici ad protegendam genitalium turpitudinem. Atqui Theodoretus q.39. in Genesio hanc solutionem improbans, hunc in modum loquitur: Ex HIS, qui allegorias persequuntur, quidam pelles ajunt carnem esse mortalem; quidam vero alii e corticibus arborum eas comparatas fuisse dixerunt: ego vero neutrum horum approbo: hoc enim nimis curiosum, illud vero valde fabulosum. Cum enim divina scriptura dixerit, corpus formatum esse ante animam: qnomodo fabulosum non est dicere, Deum illis dedisse caroem mortalem post transgressiooem mandati? verum curiose inquirere, unde pelles Deus habuerit, & ob id novam amictus speciem ex arborum corticibus excogitare, superfluum esse mihi videtur, cum omnium creatori non deesset, unde tunicas illas pararet. Procopius Gazaeus in commentariis Genesços allatam ratiocinationem diluens, inquit, absque occisione animalium tuoicas illas bifariam confici potuisse, hoc est vel ex conversione praeexistentis materiae in pelles; (sicut enim aquas Nili coovertit io sanguinem; sic materiam elemeotorum io pelles mutare potuit) vel ex creatione de nihilo: nam cum homo, diei sextae ioitio conditus, hora sexta ejusdem diei peccaverit, & de Paradiso ejectus fuerit; nihil prohibet Deum eadem sexta die pelles creasse de oihilo, cum nondum septima advenisset dies, in qua quievit ab omni creationis opere, quod patrarat. Lege Annotatiooem praecedeutem. (a)

An tunicae pelliceae fuerint verae pelles. Gen. 3. a

Apoc. 13. b

ANNOTATIO LV.

Fecitque Deus Adae tunicas pelliceas. *Gen.* 3. *d*

THEODORETUS, Cyri episcopus, quaest. 39. in Genesim super hac particula digrediens, post multa, quae obiter dixit, demum sententiaoi quandam aliquaotulum duram intulit his plane verbis: NON oportet adhaerere nudae literae scripturae sanctae tanquam verae, sed thesaurum in litera latentem quaerere: eo quod ipsa litera divinae scripturae interdum falsum dicat. Haec quidem verba non ita sunt intelligenda, ut putemus divinae scripturae literam, quae ipsa veritas est, falsum aliquid pronunciare; sed quod oobis, nudum tantum lite-

An literae divinae scripturae aliquoties falsum dicant.

(a) Recensitas hasce interpretum opiniones alienas esse a genuino scripturae sensu PP. ac expositores advertunt. Verbum enim עור *Hor*, quo sacer textus utitur, dum ex eo tunicas compactas dicit, certe nonnisi pelles animalium significat, ut quicumque Hebraice periti observant. Quam vero deliraverit Rabbinus Eliezer, dum adseruit ex pelle serpentis tentatoris fuisse Protoplastis tunicas efformatas, solum qui utroque caligat oculo non videt. Quod autem aliqui adstruunt de binis animalibus in qualibet eorum specie a Deo efformatis nullum habet in Divino eloquio fundamentum; quinimo ex praesenti textu, ac facto oppositum directe clarescit. Hasce ergo pelliceas tunicas vel ministerio Angelorum eis praestitit, vel ut sibi aptarent jussit, quum utrumque in Divino eloquio significet *vi fecit*, ut notum est cunctis.

rae sonum considerantibus, & latentem in ea sensum non introspicientibus, falsum dicere videatur.

ANNOTATIO LVI.

Ejecitque Adam, & collocavit ante Paradisum Cherubim. Gen. 3. d

An Adam ejectus de paradiso, ante ostium paradisi positus sit.

SEPTUAGINTA Interpretes, interpretantes hoc dictum, perverterunt sensum Hebraïcae veritatis, tribuentes id, quod de Cherubim dicitur, ipsi Adae; quem scribunt ante Paradisum a Deo collocatum his verbis: καὶ κατῴκισεν αὐτὸν ἀπεναντίου παραδείσου τῆς τρυφῆς: hoc est, Et exposuit eum, scilicet Adam, ante, sive e regione Paradisi deliciarum: quod quidem in Hebraeo non est.

ANNOTATIO LVII.

Collocavit ante Paradisum Cherubim. Gen. 3. d

An Cherubim sit angelus, vel spectrum.

THEODORUS, Heracleae episcopus, clausulam hanc expendens, existimat Cherubinos, Paradisi custodes, non fuisse Spiritus ratione praeditos, sed spectra quaedam, terrendi causa conficta. Vide Annotationem sequentem.

ANNOTATIO LVIII.

Collocavit ante Paradisum Cherubim. Gen. 3. d

Utrum Cherubini sint spirituales, ac beatae mentes.

THEODORETUS, Cyrensis episcopus, in libro quaestionum in Genesim q.40. inquirens, quid sit τὰ χερουβὶμ, id est Cherubini, positi ad custodiendam arborem vitae, duo respondet. Primum non esse credendum Cherubinos, Paradisi custodes, esse spiritales & invisibiles virtutes, ceu quidam existimant, sed potentes ac terribiles quasdam visiones, ac formas animalium, quae Adamum ab ingressu Paradisi arcerent. Secundum est, quod Cherubini, de quibus saepe in divinis scripturis fit mentio, neque animalia sunt, neque ulla invisibilis naturae substantia; sed Cherubim vocat divina scriptura illud omne, quod magna praeditum est potentia: sic David dicit in Psalmo, QUI sedes super Cherubim, hoc
Psal. 79. a
est, qui potenter regnas: & in alio Psalmo, ASCENDIT super Cherubim, & volavit &c. id est cum multa & magna advenit potentia & virtute. Haec Theodoretus: ante quem Theodorus, Heracleae episcopus, & post quem Procopius Gazaeus, hunc ipsum Genesеos locum explicantes, eandem sententiam, & iisdem pene verbis scripserunt. Demum temporibus nostris prodiit e Graecia novus quidam haeresiarcha Jacobus Chyrus, qui inter multas veterum haereticorum haereses, a se revocatas, in lucem errorem istum instauravit. Hic cum in symboli expositione, a se edita, sermonem de Angelis faceret, inter caetera haec de Cherubim scripsit: CHERUBIM in sacris literis non significat aliquam spiritualem substantiam, vel incorporeum aliquod animal, sed statuam, ad similitudinem pueri formatam; quales erant pueriles illae statuae aureae super arcam collocatae, & statua illa cum igneo gladio ad custodiam Paradisi posita, quam Moses Cherubim appellavit: haec enim non erat angelicus Spiritus, sed virile quoddam simulacrum, horribili forma, larvaque circumtectum: quod Deus ad incutiendum terrorem primis parentibus prae foribus Paradisi collocaverat, juxta morem agricolarum, qui in satis & hortis ligneos palos defigunt, laceris humanarum vestium pannis indutos; ut eo terriculamenti genere aves a seminum atque frugum pastu deterreant: unde ne quis putaret Cherubim esse vivas spiritualesque substantias, cautum est synodalibus legibus Graecorum, ne in Trisagio angelorum cantaretur, Qui sedes super Cherubim. Hucusque Jacobus.

Psal. 17. b (margin, beside "est, qui potenter regnas")

Psal. 79. a (margin, beside "taretur, Qui sedes super Cherubim")

CONTRA hunc errorem est omnium Patrum & praecipue Graecorum auctoritas, in primis vero Dionysii Areopagitae; qui cap.7. Coelestis hierarchiae Cherubinos enumerat statim post Seraphinos in secundo ordine primae ac supremae

mae hierarchiae coeleſtium ſpirituum: atque his juxta Hebraïci nominis interpretationem aſcribit excellentiſſimam eximiae ſcientiae plenitudinem, ex fonte divinae ſapientiae hauſtam. Cui conſentiens Athanaſius in ſermone ſuper illud, Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo, inquit, Cherubim eſſe ampliſſima animantia, quibus nihil Deo propinquius, quae Dei majeſtatem labiis nunquam ceſſantibus extollunt. Chryſoſtomus in tertio De incomprehenſibili Dei natura ſermone Cherubinos eſſe dicit virtutes, ſeraphicis ſpiritibus ſuperiores, Denque propinquiores: quarum nuncupatio plenam accumulatamque naturam ſignificat. Idemque in Liturgia ſua Deum his verbis alloquitur: TIBI quidem aſſiſtunt millia archangelorum, & multa millia angelorum, Cherubim, atque Seraphim ſenis alis, pluribus oculis, ſublimia, pennata, victorialem hymnum canentia, vociferantia, clamantia, & dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Sed & ipſe Theodoretus, forte erroris ſui poenitens, in libro Divinorum decretorum Cherubinos ex divinae ſcripturae teſtimonio inter angelos collocavit, ſic in cap. 7. ſcribens: ANGELORUM miniſterium eſt Dei laudatio, & hymnorum decantatio: de Seraphinis enim dixit beatus Eſaias, quod clamant, dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: de Cherubinis autem dixit divinus Ezechiel, quod audivit ab eis, Benedicta gloria Domini ex loco ejus. Denique in ſecundo concilio Nicaeno actione quarta approbatur ſententia Athanaſii, exponentis dictum illud ex Pſalmo, Qui ſedes ſuper Cherubim, his verbis: CHERUBINI, omnibus hominibus natura ignoti, Spiritus & ignis ſunt ab omni corporum figuratione & natura alieni; &, quae de ipſis a Propheta tanquam corporalibus dicuntur, ſymbolicum ſenſum habent. Eſa. 6. Ezech. 10.

QUOD autem Cherubini, quos Moſes hoc loco refert, coeleſtes ſint virtutes, non ſolum Ambroſius, Auguſtinus, atque omnes Latini doctores, ſed & doctorum plerique Graecorum teſtantur: inter quos Chryſoſtomus, hunc locum exponens, id aperte fatetur, inquiens: PRAECEPIT Deus, ut virtutes illae Cherubim cuſtodirent viam. Et in ſermone De aſcenſione hoc ipſum clarius explicans, ait: ANGELI & Archangeli noſtris dolebant ſuppliciis; & quando puniebamur, ipſi quoque nimia triſtitia tenebantur: & Cherubim licet Paradiſum cuſtodiebant, tamen noſtris ſuppliciis triſtabantur: & ſicut conſervus bonus cum a Domino cuſtodiendum conſervum ſuſceperit; ſatisfacit quidem Dominicae viſioni; ſed tamen poena conſervi nimio dolore conteritur: ſic & Cherubim meruerunt quidem cuſtodire Paradiſum, ſed dolebant honorem cuſtodiae. Gennadius haec eadem Moſis verba ediſſerens, τὰ δὲ χερουβὶμ, inquit, εἰσὶ δυνάμεις ἀόρατοι, ταύτας ἔφη δεξαμένας τοῦ παραδείσου τὴν φυλακὴν: hoc eſt, Cherubini ſunt virtutes inviſibiles, has ipſas dixit ſuſcepiſſe Paradiſi cuſtodiam.

ILLUD vero, quod addit de ſynodis vetantibus, ne in Triſagio cantetur, Qui ſedes ſuper Cherubim, fateor me in Tomis conciliorum, quae nunc extant, nuſquam legiſſe: extra quorum numerum ſi qua ſit alia ſynodus receptae auctoritatis, ubi hoc prohibitum inveniatur; dicemus non eſſe ab illa ſynodo ſimpliciter prohibitum, ne enunciaretur, Qui ſedes ſuper Cherubim; ſed ne cantaretur, Qui ſedes ſuper Cherubim, adjecta particula, Et Seraphim; ſicut olim imperiti quidam in publicis precationibus canere ſolebant: quos Hieronymus in commentariis ſuper ſexto Eſaiae capite damnat his verbis: DOMINUS in aurigae modum ſuper Cherubim aperte ſedere oſtenditur: ſuper Seraphim autem in ſcripturis canonicis legiſſe me neſcio: ergo errant qui ſolent in precibus dicere, Qui ſedes ſuper Cherubim & Seraphim: quod Scriptura non docuit. Vel dicendum eſt, ſynodum illam non ea ratione id ſanxiſſe, ut Cherubim crederentur eſſe res inanimes, ratione, ac vita carentes: ſed ut adimeretur haereticis omnis occaſio corrumpendi angelicum illud Triſagium: nam & in quinta ſynodo Conſtantinopolitana ob eandem cauſam decretum fuit, ne in eodem Triſagio cantaretur, Qui pro nobis crucifixus es: quod Petrus, Antiochiae epiſcopus, ad confirmationem ſuae haereſeos doloſe addiderat.

EST autem Triſagium, ut hoc etiam ſcias humane lector, Graecum Canticum ita nuncupatum, quod ter Hagïon contineat ad deſignandas tres divinae naturae perſonas; quod Graeci his verbis exprimunt, ἅγιος ὁ Θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος

ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς: hoc est, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miserere nobis. Cantionis originem Felix Papa in epistola ad Zenonem Imperatorem narrat fuisse talem. Cum urbs Constantinopolitana crebris terrae motibus quateretur, populusque in campo orans exclamaret, Domine miserere; infantulus, toto populo una cum Proclo, urbis episcopo, spectante, in coelum per unam horam raptus est: ibique hujusmodi didicit hymnum, quem populo de coelo descendens indicavit: populus autem, id ipsum publica voce resonans, civitatem periculo liberavit: & ecclesia hymnum retulit inter celebres cantiones, & concilium Chalcedonense comprobavit. Hunc itaque hymnum cum diversi haeretici, variis appositis acclamationibus, temerassent, cautum est a synodis, ne ipsi adderentur suspectae sententiae: de quarum numero suspicor fuisse tunc dictum illud, Qui sedes super Cherubim. Nec abhorret ab hac suspicione, quod in epistola de Trisagio scribit Joannes Damascenus, indicans fuisse quosdam praedicti Petri sectatores, qui ex testimonio D. Epiphanii perperam exposito assererent, hunc hymnum Trisagium ad solum Dei filium pertinere, quia solus super Cherubim sedet, & quem solum illa quadriformia animalia glorificarent, dicentia: SANCTUS, Sanctus, Sanctus, &c. Quod quidem dogma Christum a trinitate distinguere, & quaternitatem quandam introducere videbatur.

ANNOTATIO LIX.

Collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubim. Gen. 3. d

An Moses mortuus sit. AMBROSIUS, Compsae episcopus, hoc loco tradit Mosem una cum corpore viventem fuisse translatum in Paradisum voluptatis, ut ibi usque ad consummationem saeculi viveret cum Enoch, Helia, & Joanne. Eandem sententiam confirmat in expositione illius dicti Mosaïci, Plantaverat Dominus Paradisum Eden, Gen. 2. Senserat hoc ipsum longe antea divus Ambrosius, ut videre poteris infra Annotatione sexagesima prima libri hujus, & Annotatione nonagesima prima libri sequentis.

ANNOTATIO LX.

Collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubim. Gen. 3. d

An Cherubim sint angeli. PROCOPIUS Gazaeus in expositione hujus loci docet Cherubinos non esse ullum genus Spiritualis & incorporeae substantiae. Vide superius Annot. 58.

ANNOTATIO LXI.

Adam vero cognovit uxorem suam, & peperit Cain. Gen. 4. a

An Moses adhuc obierit. AMBROSIUS, Mediolanensis episcopus, in primo libro de Cain & Abel cap. 2. hunc locum pertractans, obiter incidit in expositionem periodi ex Deuteronomio: in qua juxta Septuaginta editionem legitur, ET MORTUUS est Moses διὰ ῥήματος, id est per verbum Dei, &c. cujus vocabuli occasione asseruit Mosem nondum esse mortuum, sed translatum ad meliorem vitam, sicut Helias. Quod enim scriptura dixit, Mosem mortuum esse, voluit intelligi non de interitu, qui fit per separationem animae a corpore, sed de translatione ad felicem & beatam vitam; sic enim scripsit: Non legimus de Mose, sicut de caeteris, quia deficiens mortuus est; sed per verbum Dei mortuus est. Deus enim neque defectionem, neque adjectionem capit: unde & addidit scriptura, quia nemo scit sepulturam ejus, quod ad translationem magis, quam ad interitum intelligas: mors enim secessio est quaedam animae & corporis. Mortuus est igitur per verbum Dei, ait scriptura, non secundum verbum; ut adverras non nuncium mortis, sed gratiae munus expressum, qui translatus magis, quam derelictus est: cujus nemo novit sepulturam: quis enim in terrenis reliquias ejus potuit deprehendere, quem se-
cum

Deut. 34. b

eum esse Dei filius in Evangelio demonstravit? Denique & Helias simul est a quibusdam visus, qui translatus curru est, non sepultus, neque mortuus legitur: vivir enim qui cum Dei filio est. Moses autem mortuus quidem legitur, sed per verbum Dei mortuus est, per quod facta sunt omnia: per verbum igitur Dei non lapsus operis, sed firmamentum est. Non ergo tanquam relapsus in terram deprehenditur corporis solutione, sed tanquam verbi coelestis operatione donatus est munere; ut quietem magis caro ejus, quam bustum acceperit. Haec Ambrosius; cui assentitur Hilarius Pictaviensis canone in Matthaeum vigesimo, ubi haec scripta sunt: DOMINUS, assumptis Petro, & Jacobo, & Joanne, apparuit cum gloriae suae habitu in monte comitantibus: & hos quidem eosdem Prophetas duos praevenientes adventum ejus intelligimus, quos Apocalypsis Joannis ab Antichristo perimendos esse dicit, licet variae vel de Enoch, vel de Jeremia plurimorum extiterint opiniones; quod alterum eorum sicut Heliam mori oporteat, sed non possumus veritatis fidem, quam Dominus tribus superioribus testibus revelavit, sensus nostri opinione corrumpere, neque alios venturos existimare, quam qui ad sponsionem fidei venisse conspecti sunt. Et quanquam ultra Evangelicam veritatem non necesse sit opinari: tamen, si quis conditionem & mortis, & sepulchri Mosi diligenter adverterit, intelliget omnia ita esse tractata, ut Moses potuerit jam mortuus videri. Secuti sunt hanc opinionem temporibus nostris Ambrosius, Compsae episcopus, in commentariis Geneseos, & Joannes Arboreus libro Theosophias undecimo, reclamantibus tamen Hebraïcae scripturae veritate, atque omnibus fere ecclesiasticis scriptoribus. Vide annotat. 59. libri hujus, & Annotat. 91. lib. 6.

Mat. 17. a

Mat. 17. a

Apoc. 11. a

ANNOTATIO LXII.

Adam autem cognovit uxorem suam, & peperit Cain. Gen. 4. a

AMBROSII testimonium ex opere de Cain & Abel pro expositione praesentis historiae edito producit Magister sententiarum distinctione 18. libri quarti, ubi demonstraturus, quod sacerdotes neque peccatores ligant, neque solvunt, sed tantum a solo Deo ligatos, vel solutos ostendunt & pronunciant, citat ad confirmationem hujus erroris sui auctoritatem Ambrosii ex capite 4. libri secundi memorati operis, sic habentem: VERBUM DEI dimittit peccata: sacerdos est judex: sacerdos quidem officium suum exhibet, sed nullius potestatis jura exercet. Gratianus distinctione prima De poenitentia eundem locum iisdem plane dictionibus allegat. Verisimile est vel alterum ab altero, vel utrunque ab alio quopiam Rapsodo, ut Sententiariorum mos est, excerpsisse hunc locum, haud inspecto Ambrosiano codice; in quo haec verba sensu prorsus diverso, immo etiam contrario leguntur, in hunc modum: REMITTUNTUR peccata per Dei verbum, cujus Levites interpres est, & quidem executor: remittuntur etiam per officium sacerdotis, sacrumque ministerium. Quae sane verba idcirco Ambrosius protulit, ut ostenderet non solum Deum, sed etiam sacerdotes peccata remittere: sicut etiam apertius id ipsum explicavit libro primo De poenitentia capite 2. inquiens: QUI Spiritum Sanctum accipit, & solvendi peccati potestatem accipit, & ligandi: sic enim scriptum est, Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta erunt. Ergo qui solvere non potest peccatum, non habet Spiritum Sanctum. Munus Spiritus Sancti est officium sacerdotis, jus autem Spiritus Sancti in solvendis ligandisque criminibus. Haec ideo animadvertenda existimavi, ut Ambrosium ab hac suspicione vindicarem, simulque eos admonerem, qui Rapsodis, Compendiariis, & Summistis admodum delectantur, ne graventur interdum a rivulis ad fontes reverti, & ipsas Patrum sententias apud auctores suos exquirere, & diligenter expendere: plerunque enim accidit, ut abbreviatores & collectores vel ex incuria, vel ex oblivione, vel ex nimio brevitatis studio colligant aliorum sententias aut mutilas, aut interruptas, saepe transpositis verbis, saepe etiam usque adeo immutatis, ut ex his novus ac plane diversus sensus oriatur. Haec autem dicta sint non

Utrum sacerdotes ligent ac solvant.

Joan. 20. e

ut

ut horum labores damnem, quos toties superioribus libris commendavi; sed, ut studiosos lectores reddam multo diligentiores ac solertiores. Vide quae ad hoc argumentum pertinent, infra Annot.71. & 204. libri sexti.

ANNOTATIO LXIII.

Adam vero cognovit uxorem suam. - Gen. 4. a

Si primi parentes non peccassent, utrum generatio fuisset.

CHRYSOSTOMUS homilia 18. in Genesim, cum enodare vellet hunc locum, asseruit, quod si primi parentes non peccassent, nullus fuisset in Paradiso coitus: quia ante peccatum non erant corporeis istis necessitatibus obnoxii. Lex enim rei venereae post peccatum intravit: tunc enim Deus concessit per coitum auctum iri humanum genus.

PROCOPIUS, eandem sententiam secutus, in expositione ejusdem loci apertius dicit, quod nisi fuisset humana transgressio, nec matrimonium, nec nuptiae, neque coitus, neque prolis fuisset propagatio. Hujus sententiae antidotum habes supra Annot. 20. & 21.

ANNOTATIO LXIIII.

Concepit, & peperit Cain. Gen. 4. a

Num animae sanctorum ante diem judicii, divina visione fruentur.

AMBROSIUS, Mediolanensis episcopus, libro 2. de Cain & Abel hoc enarrans, subindicat animas defunctorum usque ad diem judicii de sua salute incertas esse: ait enim: SOLVITUR a corpore anima, & post finem vitae hujus; adhuc tamen futuri judicii ambigua suspenditur. Apertius hoc habet in libro De bono mortis cap.10. ubi tradit animas sanctorum contineri sub terra in abditis receptaculis, ibique usque ad diem judicii expectare gloriam Dei, sic loquens: SCRI-
4.Esd. 4.c PTURA Esdrae habitacula animarum promptuaria nuncupat: & occurrens querelae humanae, eo quod justi, qui praecesserunt, videntur usque ad diem judicii per plurimum scilicet temporis debita sibi remuneratione fraudari, mirabiliter ait, coronae esse similem diem judicii: coronae enim dies expectatur ab omnibus; ut intra eum diem & victi erubescant, & victores palmam adipiscantur victoriae. Ergo dum expectatur plenitudo temporis, expectant animae remunerationem debitam: alias manet poena, alias gloria. Et in eodem capite vocat infernum locum, qui non videtur, quem petunt omnes animae corporibus exutae. Quae quidem verba referre oportet ad consummatam animae & corporis felicitatem, ac miseriam: non enim crediderim Ambrosium in ea fuisse sententia, quam verba haec prima fronte praeseferunt; cum ipse idem multis in locis asserat animas sanctorum etiam ante resurrectionem frui divino contuitu, sicut in epistola 59. ad Thessalonicenses de obitu Acolii: ubi inquit: EST IGITUR Acolius superiorum incola, possessor civitatis aeternae illius Hierusalem, quae in coelo est: videt illic urbis ejus mensuram immensam, purum aurum, lapidem preciosum, lumen sine Sole perpetuum: & haec omnia jamdudum quidem sibi comperta, sed nunc facie ad faciem. Et in commentariis epistolae ad Philippenses super il-
Phil.1.c lud, *Cupio dissolvi*, de Paulo ait: DESIDERIUM habet dissolvi, & cum Christo esse, multo melius existimans, ut jam praesens sit apud Deum, ut exoptatis promissis fruatur. Et in primam ad Corinthios capite 13. ait: EXEUNTES sancti de hoc mundo plus necesse est inveniant, quam nunc putant; sicut Joannes Aposto-
1.Joa.3.a lus de Salvatore dixit, Tunc videbunt illum, sicuti est. Hujus Annotationis argumentum fusius pertractatum quaere infra Annot.163. libri hujus, & Annot.264. & 345. libri sequentis.

ANNOTATIO LXV.

Nonne si bene egeris, recipies? Gen. 4. a

Periodus ex 4 Gen. capite a LXX. male translata.

SEPTUAGINTA Interpretes in interpretatione illius sententiae Dei, quam Hieronymus transtulit, Nonne, si bene egeris, recipies? si autem male, statim

ſtatim in foribus peccatum tuum aderit? ſed ſub te appetitus ejus, & tu dominaberis illius: nmnia pertubarunt deviaruntque vehementer a veritate contextus Hebraici, ita vertentes οὐκ ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς, ἥμαρτες, ἡσύχασον· πρός σε ἡ ἀποστροφὴ: hoc eſt, An non, ſi recte obtnleris, recte autem non diſtribueris, peccaſti? quieſce: ad te cnnverſin ejus. Quorum verborum nihil eſt in Hebraico, nt Hieronymus in quaeſtionibus Hebraicis teſtatur. Auguſtinus Chiſamenſis epiſcnpus, cauſam indicans hujus erroris, infraſcriptam attulit annotatinnem: QUIS tam acti ingenio fuerit, qui ex hiſca verbis aliquem ſenſum eruere poſſit? quid nbſecro, eſt, *Ad te converſio ejus*? cujus? cum peccati nihil meminerit: nbi enim Hebraice eſt, *In foribus peccatum tuum accubat*, illi ἡσύχασον, id eſt, *Quieſce*, verterunt. Videmus igitur, quam neceſſaria eſſet Hieronymi editin. Ex hoc certe locn deprehenditur etiam nnn aden exquiſite Septuaginta grammaticam Hebraicam calluiſſe. Cauſa igitur, quod tam varie, tamque nbſcure hunc locum verterint, eſt ex grammatica profecta. Qund ergo vertit Hiernnymus, *Nonne, ſi bene feceris*, hucuſque facto commate, *Nonne, ſi bonam feceris oblationem*, ſcilicet שאת Sceth, quod illi dixerunt ὀρθῶς προσενέγκῃς Secundam partem; *recte autem non diviſeris*, ואם לא תטיב לפתח Veim lo thetib la pettach: haec verba Hebraica hoc mndo intellexetunt, *Et ſi non benefeceris ad dividendum*. Haec enim vnx Pettach, cum ſit nnmen verbale, ſignificans portam, putarunt eſſe infinitivum a פתח phata, id eſt Apertuit; ut transferrent, *Et ſi non benefeceris ad aperiendum*: eſtque maxima allucinatio. Quod autem vertunt Peccaſti, & non peccatum, eadem occaſione factum eſt: nam חטאת Chatath putarunt ſecundam eſſe perſonam a חטא chata, id eſt Peccavit: ſed Chatath peccatum dicitur: Chatatha vero ſecunda eſt perſona *peccaſti*: facileque in hunc errnrem inciderunt, cum, eorum tempeſtate Hebraei cndices notulas non habetent, id eſt vocales. Quod autem vertunt, *Quieſce*, id eſt רובץ robez, quod participinm eſt, exiſtimarunt imperativum eſſe; cum tamen imperativus ſic formetur רבץ reboz, participium autem robez. Sed cur nnn animadverterunt, nullum fore eorum verborum ſenſum, ſi eo modo verterentur?

ANNOTATIO LXVI.

Dixit Cain ad Abel, fratrem ſuum, Egrediamur foras. Gen. 4. b

SEPTUAGINTA Interpretes ad id, quod hic legitur, Dixitque Cain ad Abel, fratrem ſuum, ſuperfluo addiderunt de ſuo διέλθωμεν εἰς τὸ πεδίον, hoc eſt Egrediamur in campum: quns ſecutus Interpres vulgatae editinnis nnſtrae dixit, Egrediamur foras: quorum neutrum eſt in Hebraica lectinne: in qua duntaxat legitur hoc, *Dixit Cain ad Abel, fratrem ſuum*: neque additur quid dixerit: ſed ſubaudiendum eſt, ait Hieronymus, ea, quae ipſi locurus fuerat Deus. Origenes aſſerit in arcanis Hebraeorum ſcripturis haberi verba haec, a Septuaginta hic addita. Auguſtinus, Chiſamenſis epiſcopus, ait verba, quae Cain dixit ad Abel, inveniri in Chaldaïca editione: in qua aſſerit haec legi: DIXIT Cain ad Abel, fratrem ſuum, Non eſt juſtitia, neque judex, neque ſaeculnm aliud; neque praemia recipient juſti; neque poenas luent improbi: ac tunc interfecit eum: ſed incertum eſt, de qua editione loquatur Auguſtinus: nam ea, quae nunc circumfertur, in exemplaribus Complutenſibus Chaldaïca translatio nihil horum habet. (a)

Particula egrediamur in campum a LXX. ſuperfluo addita.

AN-

(a) Auguſtinus Calmetus in *Cap. IV. Geneſ.* fabellam hanc adjudicat Targo Jeroſnlymitano. Celebre eſt autem ſtolidis Rabbinis commentum de Cainiana haereſi: quare dum ſtatnunt Cainum inter & Abelem altercationem de fidei dogmatibus, iiſque primoribus, nimirum circa Dei providentiam, miſericordiam, & juſtitiam; eoque ex momento Martyrem ſtatuunt Abelem fidei articulos propugnantem & pro fidei confeſſione occiſum; primumque Orbis ac in Veteri Teſtamento heterodoxum adſtruunt Cainum veritates haſce inficiantem, necnon primipilum tyrannum, qui nec ſanguini proprii fratris pepercit, putidam gerram depromunt, & anilem fabulam venditant; diſpliceτque nimium, quod aliqui ſimpliciores quiſquiliariam hunc narratiunculam tranſcripſerint, neſcientes fortaſſe illius commenti authores. Mali corvi quippe mala ova, ut antiqunm proverbinm habet. Ex circulatoribus hiſce Rabbinis narratiunculas depromere ac vulgare quid eſt niſi fabulas & commenta ſpargere in vulgus? longe igitur ab hiſce ſimilibuſque commentis.

ANNOTATIO LXVII.

Vagus & profugus eris. *Gen. 4. b*

Particula Vagus & profugus a LXX. male versa.

SEPTUAGINTA Interpretes pro eo, quod Hebraïce habetur, נע ונד Na Vanad, hoc est, Vagus & profugus eris, parum consone verteruot στένων, καὶ τρέμων, id est Gemens & tremens: hinc orta est apud Graecos expositores opinio, videlicet Cain, post interfectum fratrem suum, nunquam a lacrymis, ac gemitibus cessasse; sed perpetuo corporis tremore fuisse excruciatum, dissoluta compage membrorum ob commissum fratricidium.

ANNOTATIO LXVIII.

Vixitque Seth, postquam genuit Enos. *Gen. 5. a*

Anni illustrium virorum perperã a LXX. supputati.

SEPTUAGINTA Interpretes cum multis in locis corrupti deprehendantur, in hoc potissimum 5. capite mendosi sunt, & maxime depravati circa supputationem annorum, quos vixerunt viri illustres ab Adam usque ad diluvium: in quibus omnino recedunt a verissima supputatione contextus Hebraïci; sicut in subjecta tabella apparet: in qua primo loco ponitur supputatio annorum secuodum Hebraïcam veritatem, in secundo suppuratio annorum Septuagiota interpretum, in rertio differentia annorum secundum excessum & decessum utriusque supputationis.

SUPPUTATIO HEBRAICA.		SUPPUT. LXX.	DIFFERENTIA.	
Seth post genitum Enos vixit	annos 807.	Annos 707.	Desunt	anni 100.
Enos ante genitum Caïnam vixit	ann.90.	annos 190.	Superant	anni 100.
Enos post genitum Caïnam	ann.815.	annos 715.	Desunt	anni 100.
Caïnam ante genitum Maalaël	ann.70.	annos 170.	Super.	anni 100.
Caïnam post genitum Maalaël	ann.840.	annos 740.	Des.	anni 100.
Maalael ante genitum Jared	ann.65.	annos 165.	Super.	anni 100.
Maalael post genitum Jared	ann.830.	anoos 730.	Des.	anni 100.
Jared ante genitum Enoch	ann.62.	annos 162.	Super.	anni 100.
Enoch ante geoitum Mathusalem	ann.65.	annos 165.	Des.	anni 100.
Enoch post genitum Mathusalem	ann.300.	annos 200.	Super.	anni 100.
Mathusalem ante genitum Lamech	an.187.	annos 167.	Des.	anoi 20.
Mathusalem post genitum Lamech	an.782.	aonos 802.	Super.	anni 20.
Lamech aote genitum Nohe	ann.182.	annos 188.	Super.	aoni 6.
Lamech post genitum Nohe	ann.570.	aonos 565.	Des.	anoi 5.
Omnis vita Lamech	ann.777.	annos 753.	Des.	aoni 24.

EMERSERUNT ex hac depravata LXX. interpretum enumeratione duo errores: quorum prior, ut io Quaestionibus Hebraïcis annotavit Hieronymus, hic est, quod ex hac supputatione manifeste convincitur Mathusalem vixisse post diluvium annos quatuordecim; cum tamen octo tantum animas, iotet quas ille non fuir, Moses in arca servatas scribat: quae res quaestionem illam peperit De annis Mathusalem apud veteres famosam, & omnium ecclesiarum disputatione ventilatam. Secundus error est diversiras, ne dixerim falsitas, chronographiae Graecorum Patrum, videlicet Julii Africani, Origenis, & Eusebii: qui in supputandis annis ab inirio mundi usque ad nativitatem Abrahae numeraot annos 3314. contra vero Philo, & cereri Judaei juxra Hebraïcam divinae scripturae veritatem computant ab orbe condlto ad ortum Abrahae annos 1955. itaut Graecorum supputatiu Hebraicam supputationem superet in mille ducentis triginta sex annis. Augustinus libro 15. De civit. Dei cap. 13. existimat hanc depravationem in codicibus Septuagiota accidisse vitio eorum, qui primum de bibliotheca Prolemaei illos descripserunt. Caeterum, ut clarius noscas, quam variam ac multiplicem supputationum diversiratem nobis peperit Graeca numerorum corruptio, placuit hic ex diversis chronographis adjicere calculum annorum a condito mundo usque

ad

ad felicem Christi nativitatem, juxta seriem numerorum digestum.

3707	RABBI Naason in Cyclo Paschali.
3754	Rabbi Abraham in Cabala.
3760	Hebraeorum chronica vulgata.
3952	Hieronymus & Beda.
3958	Joan. Picus Mirandulanus.
3960	Joannes Lucidus.
3962	Abbas Ursipergensis. Hanc nos, ut exactiorem secuti sumus, libro primo enumerantes tempora auctorum divinae scripturae.
3974	Theophilus ad Autolicum.
3989	Carolus Bovillus.
4103	Josephus Mathathiae filius.
4320	Odiaton Astronomus.
4697	Cassiodorus.
4830	Origenes in Matthaeum.
5029	Epiphanius Salaminae episcopus.
5049	Paulus Orosius.
5195	Philo Judaeus.
5196	Isidorus Hispalensis.
5199	Eusebius Caesariensis.
5201	Joannes Nauclerus.
5328	Albumasar Astronomus.
5353	Augustinus.
5500	Jornandus.
5600	Suidas.
5800	Lactantius.
5801	Philastrius Brixiensis episcopus.
6984	Alphonsus rex Hispaniae.

Ultra has supputationes aliae plures extant. Vide praeceteris Joh. Albertum Fabricium in Bibliographia pag. 187. & seq.

ANNOTATIO LXIX.

Vocavit nomen ejus Nohe, dicens, Iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum in terra, cui maledixit Dominus. Gen. 5. d

FRANCISCUS Georgius Tomo primo problemate 58. ex his verbis colligit, maledictionem, quam Deus pro peccato Adae terrae inflixit, durasse usque ad ortum Nohe, eoque vivente omnino fuisse sublatam. Hoc autem ex eo persuadet, quod Deus, qui nunquam ante tempora Nohe acceptare voluit oblationem frugum terrae, ut ex Caini muneribus cognoscere licet; demum ab ipso Nohe, & inde a posteris ejus oblationes fructuum terrae gratissime suscepit. Sed apparet expositionem hujusmodi coactam esse & violentam, tum quod adhuc permaneat vetus illa maledictio terrae, quae nisi multis & assiduis hominum laboribus excolatur, victum humano generi negat; tum quod nusquam in sacris literis legatur Nohe obtulisse Deo fruges terrae, sed pecora duntaxat, ac volucres. Verus itaque & germanus propositae clausulae sensus est, quem Diodorus, Tarsensis episcopus, attulit; nimirum, quod Nohe primus omnium jumenta aratro junxerit, ac terram vomere prosciderit: quo tam salubri invento mirifice consolatus est humanum genus ab operibus, & laboribus manuum; quia manus hominum a duris & gravibus fodiendae terrae laboribus liberaverit. An terrae maledictio sub Nohe ablata sit.

ANNOTATIO LXX.

Videntes filii Dei filias hominum. Gen. 6. a

SEPTUAGINTA Interpretes in editione vetustiori, quam Philo Judaeus & Eusebius Caesariensis secuti sunt, pro eo, quod Hebraïce legitur בני ה אלהים Be- Pro filiis Dei, male a LXX positum esse angelos Dei.

ne a eloim, hoc est Filii Dei, verterunt οἱ ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ, id est Angeli Dei: quam translarionem, ut Hieronymus testatur, Aquila imitatus est, vertens Filii deorum, per deos intelligens Angelos: hanc & plerique Graecorum, ut refert Procopius, & multi Latioorum, de quibus Ambrosius & Augustinus receperuot, & exposuerunt. Peperit autem haec Aogelorum appellatio, perperam posita, maximas quaestiooes, & io varias seotentias, atque etiam errores meotes hominum distraxit. Quidam enim putarunt Angelorum oomioe significari Aogelos sanctos, qui tum primum cum mulieribus peccaruot; & ob id ex coelo lapsi sunt: sicut Lactantius. Quidam Aogelos apostatas, sive daemones statim ab orbe coodito de coelo ejectos; qui, coëuntes cum foemiois, gigaotes genuerint: sicut Eusebius. Sed de hoc pleoius dicemus iosra Aoootatione 73. & 77. libri hujus.

ANNOTATIO LXXI.

Videntes filii Dei filias hominum. Gen. 6. a

Num angeli habeant corpora, & stellae animas.

PHILO, in libro De Gigantibus hoc explicans, dixit filios Dei, quos hîc Moses Angelos, philosophi vero Geoios appellant, esse animas aëreas, quae in corpora descenderunt: de qua sententia vide infra. Philo ibidem asserit stellas esse animatas his verbis: COELUM haber sidera: haec enim io totum sunt animae immortales, divinaeque; & ideo moventur in orbem, quia motus hic menti cognatus est: horum enim singulorum mens est integerrima. Hoc idem sentit io libro De opificio sex dierum, & io libro De somniis: super qua re coosule Annotatiooem libri hujus 108.

ANNOTATIO LXXII.

Videntes filii Dei filias hominum. Gen. 6. a

Utrum angeli in sacris literis appellentur filii Dei.

CHRYSOSTOMUS homilia 22. in Genesim, redarguens eos, qui per filios Dei, quorum hîc meminit Moses, dicebant non homines, sed angelos intelligi oportere, ait, Angelos nunquam in divina Scriptura fuisse appellatos filios Dei, imo nec filios: contrariom tameo invenitur semel, atque iterum in libro Job, in cujus secundo capite legitur de angelis: CUM quadam die venissent filii Dei, & starent coram Domioo, adfuit & Sathan inter eos: & in eodem volumine capite trigesimo octavo, de Angelis additur: CUM me laudarent astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei. Apparet Chrysostomum in hoc fuisse deceptum ex editiooe Septuaginta, io qua pro eo, quod nos juxta Hebraïcam veritatem habemus, Cum venisseot filii Dei, scriptum est ἦλθον οἱ ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ, hoc est, Venerunt angeli Dei: & ubi Hieronymus ex Hebraeo foote vertit, Et jubilarent omnes filii Dei: Septuaginta rranstulerunt, ὅτε ᾔνεσάν με φωνῇ μεγάλῃ ἄγγελοί μου, id est, Quando laudarunt me voce magna angeli mei. Neque favet Chrysostomo, quod Paulus ad Hebraeos scribit, CUI dixit aliquando angelorum, Filius meus es tu? quandoquidem ibi oon oegat, angelos dictos esse filios Dei ex gratia, sed ex natura duotaxat: hoc eoim modo solus Christus filius Dei appellatur, & est.

Heb. 1. a

ANNOTATIO LXXIII.

Videntes filii Dei filias hominum, sumpserunt sibi uxores. Gen. 6. a

Utrum angeli cum foeminis coire possint.

CHRYSOSTOMUS, homilia vigesima secunda io Genesim, hunc locum elucidans, docere videtur, quod ooo solum absurdum est, sed etiam impossibile, ut improbi angeli cum foemiois coïtum exerceant, sic scribens: DEMENTIA plenum est dicere angelos dejectos e coelo, ut cum mulieribus rem habeant, & quod incorporea illa natura corporibus copuletur: neque enim possibile est, incorpoream naturam illam uoquam concupisceotiam habere. Et paulo post:

VALDE insanus esset, qui comprobaret talia verba dementiae plena, quod incorporea & spiritualis natura corporis complexum ferat. Cornelius Agrippa, Lutheranae haereseos sectator, in eo libro, quem, ADVERSUS LAMIARUM INQUISITORES attitulatum, emisit, hanc Joannis sententiam detorquet in illos, qui maleficas mulieres ob id insectantur, & puniunt, quod eas rem veneream cum daemonibus habere compertum fuerit. Quam quidem rem ipse irridet ceu fabulosam, & a somniis & imaginationibus delirantium anicularum enatam: quae cum saepe dormientes per somnia decipiantur, & interdum quoque vigilantes ex vehementi libidinis imaginatione illudantur; tamen ea arbitrantur sibi vere contigisse, quae sola imaginatione peracta sunt. Hunc errorem idem auctor stabilire annititur, adjectis testimoniis aliquot veterum auctorum, qui Chrysostomo astipulari videntur. In his praecipuus est Joannes Cassianus, Chrysostomi discipulus; in cujus duodecimo libro Collationum capite octavo, haec habentur: NULLO MODO credendum est, spirituales naturas coïre cum foeminis naturaliter posse: quoniam si aliquando hoc secundum literam fieri potuisset; quomodo nunc quoque vel frequenter, vel raro id ipsum non evenite contingeret, & absque semine, vel coïtu viri aliquos nasci? similiter de mulieribus conceptu daemonum cerneremus. Consimilem vim habent, quae Philastrius, Brixiensis episcopus, cap. 108. sui Catalogi adversus haereses in hunc modum recenset: ALIA est haeresis, quae de Gigantibus asserit, quod angeli miscuerint se cum foeminis ante diluvium, & inde natos esse gigantes: sed si quis putaverit, angelos ita peccasse transformatos in carne, & in ea remansisse; aut ita factos carnales crediderit: is violenta ratione decernit historiam; sicuti & paganorum, & poëtarum mendacia asserunt deos, deasque transformatas nefanda conjugia commisisse: quod si factum est aliquando, & nunc fieri non erit ambiguum: quod autem non factum est aliquando, nec modo fieri manifestum est. Neque ab his abhorrent, quae Cyrillus, Alexandriae episcopus, in eandem fere sententiam disserit libro secundo Allegoriarum in Pentateuchum, sermone primo. His accedit auctoritas Concilii Ancyrani, detestantis infanam opinionem quarundam veneficarum mulierum, asserentium se noctu per longa terrarum spacia ab improbis spiritibus deduci ad loca quaedam: ubi cum daemonibus indulgeant variis voluptatibus, epulis, & libidinibus. Hujus quidem Concilii verba referuntur in Decretis Pontificum causa 26. quaestione quinta, hoc ordine: ILLUD etiam non est omittendum, quod quaedam sceleratae mulieres, retro post sathanam conversae, daemonum illusionibus & phantasmatibus seductae credunt, & profitentur se nocturnis horis cum Diana, dea Paganorum, vel cum Herodiade, vel cum innumera multitudine mulierum equitare super quasdam bestias, & multarum terrarum spacia intempestae noctis silentio pertransire, ejusdemque jussionibus obedire, & certis noctibus ad ejus servitium evocari: quapropter sacerdotes per ecclesias, sibi commissas, populo Dei praedicent, ut noverint haec omnia falsa esse, & a maligno spiritu talia phantasmata mentibus fidelium irrogari: siquidem ipse sathanas transfigurat se in angelum lucis, cum mentem cujusque mulieris ceperit, & hanc per infidelitatem sibi subjugaverit, illico transfigurat se in diversarum species personarum, atque similitudines; & mentem, quam captivam tenet, somniis deludens, modo laeta, modo tristia, modo cognitas, modo incognitas personas ostendens, per quaeque devia deducit: & cum solus spiritus hoc patiatur infidelis, hoc non in animo, sed in corpore evenire opinatur: quis enim somniis & nocturnis visionibus non extra se ipsum educitur, & multa videt dormiendo, quae nunquam vigilando viderat?

Conc. Ancyr. An. 314. Can. ultimo, qui certe non extat in exemplaribus cum Graecis, tum Latinis, sed solum in Decretis Burchardi, Ivonis, & Gratiani.

HIS itaque testimoniis pro lamiarum defensione utitur Agrippa, cujus quidem errorem apertissime refellit Augustinus libro 15. De civitate Dei cap. 23. his verbis: APPARUISSE hominibus angelos in talibus corporibus, quae non solum videri, verum etiam tangi possent, verissime sacra Scriptura testatur: & quoniam creberrima fama est, multique se expertos vel ab eis, qui experti essent, de quorum fide dubitandum non est, audisse confirmant, Sylvanos & Faunos, quos vulgo incubos vocant, improbos saepe mulieribus extitisse, & earum appetisse, ac peregisse concubitum, & quosdam daemones, quos Dusios Galli nominant,

hanc assidue immunditiam, & tentare, & efficere, plures talesque asseverant, ut hoc negare impudentiae videatur. Extat & Innocentii Papae Octavi decretalis epistola adversus maleficarum mulierum haeresin, in qua haec verba leguntur: NON SINE ingenti molestia ad nostrum pervenit auditum, complures utriusque sexus personas, propriae salutis immemores, & a fide Catholica deviantes, cum daemonibus, incubis, & succubis abuti: quapropter, ne labes hujus haereticae pravitatis in perniciem animarum sua venena diffundat, oportunis remediis, pro ut nostro incumbit officio, providere volentes, statuimus, ut inquisitores, per nos deputati, debitum inquisitionis officium in hujusmodi personas exequantur.

HAEC Augustini, Innocentii, & totius Catholicae ecclesiae indubitata determinatio est: a qua nihil discrepant auctoritates ab Agrippa inductae: nam neque Chrysostomus, neque Philastrius, negant foeminas cum daemonibus posse coïre; sed eos duntaxat refellunt, qui asserebant foeminas a bonis beatisque angelis adamatas, & foedis congressibus initas: quoniam impossibile sit, ut incorporeae illae mentes, rejecto divino amore, in quo olim fuerant per Dei gratiam immobiliter confirmatae, sese demiserint ad impuram foemioarum libidinem, mutata angelica natura in humanam formam juxta poëticarum transformationum fabulas. Quod autem Cassianus scripsit, nullo modo credendum esse spirituales naturas coïre cum foeminis, non ita accipiendum est, ut intelligamus, nullo prorsus modo daemones commisceri posse mulieribus, sed naturali duntaxat animalium more, hoc est, semen de sua substantia emittendo: sicut ipse aperte indicavit, apposita particula illa Naturaliter: possunt enim daemones, ut inquit Augustinus, non solum coïre cum foeminis, sed etiam ex eis filios vere homines generare, non virtute proprii seminis, quod nullum ex se ipsis habeot, sed ope alicujus seminis, quod ipsi maribus turpiter succubantes exceperunt, exceptumque foeminis incubantes infuderunt, ita, ut Augustinus tertio De Trinitate ait, disponente Deo, ne sit ille, qui nascitur, filius daemonis, sed illius hominis filius, a quo est semen acceptum. Ad id vero, quod ex Ancyrano Concilio allatum est, respondemus, sectam foeminarum, Synodi jussu damnatam, diversam esse ab ea, quae daemonum concubitu foedatur: illa enim, ut in eo decreto dicitur, existimabat se ad Herodiadis, & Dianae cultum noctu deferentibus bestiis acciri, ac Dei creaturas ab alio, quam a Creatore Deo, posse transformari in varias animatorum formas: at de concubitu cum daemonibus nihil meminit Synodus. Caeterum, quod Agrippa contendit sectam illam eandem esse cum ista, aut parum, aut nihil refert: hoc satis est, quod Synodus illa non decernit vectationes, & translationes illas mulierum fieri non posse corporaliter, neque definit motiones illas sola semper imaginatione fieri, & nunquam in corpore: sed id tantum affirmat, mulieres illas falsis imaginationibus decipi: quod & nos non inficiamur interdum evenire, imo asserimus, foeminas hujusmodi aliquando immobiliter domi jacuisse, cum se crederent in remotis regionibus asportatas.

A N N O T A T I O LXXIIII.

Non permanebit spiritus meus in homine. *Gen. 6. a*

Non permanebit spiritus, &c. male versum. LATINUS Interpres nostrae vulgatae editionis pro eo, quod Hebraïce habetur, לא ידון רוחי Lo jadon ruchi, transtulit, *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est*: quod Septuaginta verterunt οὐ μὴ καταμείνῃ τὸ πνεῦμά μου ἐν τοῖς ἀνθρώποις: quam versionem Hieronymus in quaest. Hebraïcis rejicit, his verbis: IN Hebraeo scriptum est, *Non judicabit spiritus meus homines istos in aeternum, quia carnes sunt*: hoc est, quia fragilis est in homine conditio, non eos ad aeternos servabo cruciatus, sed hìc illis restituam, quod merentur: ergo non severitatem, ut in nostris Codicibus legitur, sed clementiam Dei sonat: dum peccator hic pro suo scelere visitatur: unde & iratus Deus loquitur ad quosdam:

Ose 4. c NON visitabo filias eorum, cum fuerint fornicatae, & sponsas eorum cum adulteraverint. Et in alio loco: VISITABO in virga iniquitates eorum, & in flagellis

Psal. 88. c peccata eorum: verumtamen misericordiam meam non dispergam ab eis. Haec

Hiero-

Hieronymus: cum quo sentit Rabbi Salomon, qui hoc exponit, לא תרעם יריב רוחי Lo thargam jeriv ruchi, hoc est, *Non disceptabit, non judicio contendet spiritus meus*: verum Chaldaïca interpretatio cum nostra editione consentit: in qua habetur, Non persistit generatio ista pessima coram me. (a)

ANNOTATIO LXXV.

Erunt dies eorum centum viginti anni. Gen. 6. a

JOSEPHUS libro primo Antiquitatum, explicans hunc locum, inquit, Deum humano generi iratum, breviore spacio vitam hominum circumscripsisse; &c, abrogata longaevitate vivendi, quam ante diluvium habuerant, eam intra centum & viginti annos coërcuisse. Hanc eandem sententiam, hoc ipsum exponens, secutus est Lactantius Firmianus libro secundo Divinarum institutionum cap. 14. & Diodorus Tarsensis episcopus: quam Chrysostomus homilia vigesima improbat, & Hieronymus in libro quaestionum Hebraïcarum refellit exemplo multorum, qui post diluvium multo plures annos vixerunt; sicut Abraham, cujus vita usque ad centesimum & septuagesimum quintum annum pervenit.

An Deus vitam hominū ad 120. annos coarctaverit.

ANNOTATIO LXXVI.

Gigantes autem erant super terram. Gen. 6. a

ORIGENES, quemadmodum in Catena Graeca Octateuchi refert Gennadius, Constantinopolitanus episcopus, hunc locum in Tomis Geneseos expendens, existimavit, gigantes non fuisse homines, qui caeteros inusitata corporis magnitudine excederent, sed homines quosdam improbos & impios, Dei contemptores, ac plane atheos. Hanc sententiam, suppresso Origenis nomine, improbat Theodoretus, Cyri episcopus, quaestion. 48. in Genesim, his plane verbis: AJUNT quidam, gigantes esse Dei osores, & Dei adversarios homines: qui haec sic intellexerunt, non dicunt illos grandiora caeteris hominibus habuisse corpora: ego vero cum audio Scripturam, dicentem de Og, quod a gigantibus oriundus erat, & quod cubile ipsius ferreum erat, habens longitudinem novem cubitorum, & latitudinem quatuor cubitorum; cum audio exploratores narrantes, quod erant in conspectu gigantium, tanquam locustae; & de Goliath, quod longitudinem habebat sex cubitorum & palmi; arbitror fuisse quosdam praegrandes homines, Deo hoc sapienter dispensante: ut cognoscant Deum, tanquam omnipotentem, tantam hominibus distribuisse mensuram. Perfacile enim erat ei etiam majores homines creare: sed, ut superbiam amputaret, & arrogantiam cohiberet, non dedit hominibus maxima corpora: nam si exiguis corporibus praediti, non contra se modo, sed contra Deum Creatorem attollunt: quid non commisissent, si maxima corpora sortiti essent? Haec Theodoretus. Scripsimus de hac re fusius in volumine physicarum quaestionum, quod in divinas Scripturas collegimus. (b)

Num gigantes fuerint homines.

Num. 21. g

Nu. 13. 33. 34.
1. Reg. 17. a

AN-

(a) Subdit autem immediate S. Hieronymus ibidem: „ Porro ne videretur in eo esse crudelis, quod „ peccantibus locum poenitentiae non dedisset, „ adjecit: sed erunt dies eorum centum viginti an„ ni ad agendam poenitentiam. Non igitur hu„ mana vita, ut multi errant, in centum viginti „ annos contracta est: sed generationi illi centum „ viginti anni ad poenitentiam dati sunt; siquidem „ invenimus, quod post diluvium Abraham vixerit „ annos centum septuaginta quinque, & ceteri am„ plius ducentis, & trecentis annis. Quia vero „ poenitentiam agere contempserunt noluit Deus „ tempus expectare decretum, sed viginti annorum „ spatiis amputatis, induxit diluvium anno cente„ simo agendae poenitentiae destinato. „ Haec, inquam, addenda opportunum duxi, ne forte ex prioribus Hieronymi verbis non bene intellectis sub spe semper obtinendi veniam aliquis fraena laxaret culpis, Deique justitiam non pertimesceret: cum e contra Scripturae clament, quod impiis, dum dicunt pax & securitas, tunc repentinus superveniet interitus, & ex posterioribus hisce adjectis Hieronymi verbis oppositum directe clarescat.

(b) Quaestiones Physicas, ne dum, verum & Geographicas ac Astronomicas ante annum MDLXVI. scripserat Xystus, sed cum aliis ejusdem operibus perierunt, sic eo jubente, igne consumptae, ut ex N. Echardo supra laudato. Consule propterea Dissertationem Augustini Calmeti de Gigantibus.

ANNOTATIO LXXVII.

Gigantes autem erant super terram. Gen. 6. c

Num gigantes ex angelis & mulieribus geniti.

AMBROSIUS libro primo De Nohe & arca, capite quarto, enarrans hunc locum, tradere videtur, quod gigantes, qui diluvium praecesserunt, fuerint ex angelorum & mulierum concubitu procreati: quam sententiam S.Philastrius, episcopus Brixiensis, cap.108. sui Catalogi, recenset inter haereses. Sunt autem haec Ambrosii verba: NON poëtarum more gigantes illos, terrae filios, vult videri divinae Scripturae conditor: sed ex angelis & mulieribus generatos asserit, &c. Et alibi etiam indicat Ambrosius causam angelicae ruinae, atque lapsus de coelis ex eo contigisse, quod angeli cum mulieribus turpiter cojerint; sicut in primo libro De virginibus non longe a fine: quo in loco comparans inter se merita continentiae virginum, & incontinentiae angelorum, ait: QUID pluribus exequar laudem castitatum? castitas enim angelos fecit: qui eam servavit, angelus est: qui eam perdidit, diabolus est: quam praeclarum est autem, angelos propter intemperantiam suam in saeculum cecidisse de coelo, virgines propter castimoniam in coelum transisse de saeculo. Ab hac Ambrosiana sententia non admodum abludit Chrysostomus in homilia habita in Festo decollationis Joannis Baptistae, cum inquit: MULIER non solum homines, sed etiam angelos de coelo prostravit. Sunt, quibus videatur Ambrosium hoc accepisse a Philone, Lactantio, & Eusebio: quorum primus in libro De gigantibus ita habet: VIDERUNT angeli Dei filias hominum, &c. quos alii philosophi genios, Moses solet vocare angelos: hi sunt animae volantes per aërem: nec est cur quisquam hoc fabulosum existimet: necesse est enim, ut totus mundus in omnibus suis partibus animata habeat, terra terrestria, mare aquatilia, ignis ex igne genita, quae feruntur plurima nasci in Macedonia: coelum item sidera: haec enim in totum sunt animae immortales, divinaeque: proinde necessario sequitur, ut & aër plenus sit suis animalibus, quae nobis invisibilia sunt: horum igitur quaedam descenderunt in corpora. Sic Philo scribit. Lactantius vero in secundo Divinarum institutionum capite decimo quinto de hac re sic loquitur: CUM ergo numerus hominum coepisset increscere, providens Deus, ne fraudibus suis diabolus, cui ab initio terrae dederat potestatem, vel corrumperet, vel dispergeret homines, quos in exordio fecerat, misit angelos ad tutelam, cultumque generis humani: quibus praecepit ante omnia, ne terrae contagione maculati, substantiae coelestis amitterent dignitatem: itaque illos, cum hominibus commorantes, dominator ille terrae fallacissimus consuetudine ipsa paulatim ad vitia pellexit, & mulierum congressibus inquinavit, tum in coelum ob peccata, quibus se immerserant, non recepti, ceciderunt in terram: sic eos diabolus ex angelis Dei suos fecit satellites, ac ministros. Haec Lactantius: ante quem multis annis idem senserant Justinus Martyr in Apologia ad Senatum Romanum, & in Apologia ad Antoninum Pium, & Clemens Alexandrinus in tertio & quinto volumine Stromatum, clarissime scribentes angelos peccasse cum foeminis. Utrique subscripserunt Tertullianus Afer, & Methodius Olympi episcopus: quorum ille in libro De habitu mulierum: ANGELI, ait, ad filias hominum ruerunt de coelo, & post libidinum vaporata momenta coelum suspirabant. Hic vero in sermone De resurrectione: DIABOLUS, inquit, pravus factus est, circa concreditorum ipsi administrationem, & invidiam contra nos concepit; quemadmodum & qui postea carnes amaverunt, cum filiabus hominum ob concubitus amorem conversati sunt. His consentiens Eusebius Caesariensis in quinto Evangelicae praeparationis volumine posuit haec verba: QUAM rem magis idem Plutarchus confirmat, dicens, fabulosas de diis orationes, res quasdam significare a daemonibus antiquissimis gestas temporibus; & ea, quae de gigantibus, & titanibus decantantur, daemonum fuisse operationes: unde mihi suspicio nonnumquam incidit, ne ista illa sint, quae, ante diluvium a gigantibus facta, divina Scriptura tetigit, de quibus dicitur: Cum autem vidissent angeli Dei filias hominum, quod essent speciosae, elegerunt sibi

ex

ex illis uxores; ex quibus procreati sunt famosissimi gigantes a saeculo. Suspicabitur enim quispiam, illos, & illorum spiritus esse, qui ab hominibus postea dii nuncupati sunt, pugnasque illorum, tumultus, & bella esse, quae fabulose de diis conscribuntur. Hactenus Eusebius, a cujus opinione arbitror abhorruisse Ambrosium: quia multis in locis, maxime vero in expositione Psalmi 118. sermone septimo, in quo de causa lapsus angelici verba faciens, demonstrat eam non fuisse libidinem, sed superbiam, sic dicens: IPSE diabolus, per superbiam, naturae suae amisit gratiam: dum enim dicit, Ponam thronum meum super nubes, & ero similis Altissimo; consortiis excidit angelorum. Et in epistola 84. ad Demetriadem ostendens, diabolum ante hominis lapsum per superbiam excidisse, ait: SUPERBIA a diabolo sumpsit exordium; qui quoniam sua, quam a Creatore acceperat, potentia, & dignitate sibi placuit, seque auctoris sui gloriae comparavit; cum his angelis, quos in consensum impietatis suae traxerat, a coelesti sublimitate dejectus est: & ideo primis hominibus nocere potuit, quia illis male credulis persuasit, ut meliores se futuros putarent, si in libertatem sui arbitrii prosilirent, quam si in legis datae custodia permanerent.

Esa.14.

PROINDE, ne quem moveant praedicta Ambrosii verba, nosse oportet ipsum per angelos intellexisse non spirituales, & coelestes substantias, sed viros illustres, & unius Dei cultores, ex sancta stirpe Seth descendentes; quos, quia usque in eam diem in fide & cultu unius Dei permanserant, ut jam diximus, Moses בני האלהים Bene eloim, hoc est, Filios Dei appellavit; Septuaginta interpretum vetustior editio τοὺς ἀγγέλους Θεοῦ dixit; Italica editio, quam in 15. De civitate Dei capit.23. exposuit Augustinus, Angelos Dei nuncupavit; & hanc secutus Ambrosius, Gigantum parentes angelos vocavit: quod & ipsa ejus verba ostendunt, dum in libro De Nohe & arca, in eo loco, quem supra citavimus, addidit: PLERUNQUE filios Dei, seu viros fideles Scriptura angelos vocat, quia ex nullo homine generantur animae. Huic expositioni astipulatur Augustinus in quaestionibus super Genesim, quaest. 3. in hunc modum: QUAERITUR, quomodo potuerint angeli cum filiabus hominum concumbere, unde gigantes nati esse perhibentur, quamvis nonnulli & Latini & Graeci codices non Angelos habeant, sed Filios Dei; quos quidam ad solvendam hanc quaestionem Justos homines fuisse crediderunt, qui potuerunt etiam angelorum nomine nuncupari: nam de homine Joanne scriptum est, ECCE ego mitto angelum meum, &c. unde credibilius est, homines justos appellatos, vel angelos, vel filios Dei, concupiscentia lapsos, peccasse cum foeminis, quam angelos, carnem non habentes, usque ad illud peccatum descendere potuisse; quamvis de quibusdam daemonibus, qui sunt improbi mulieribus, a multis tam multa dicantur, ut non facile sit de hac re definienda sententia.

Mal.3.a

ANNOTATIO LXXVIII.

Nohe vir justus, atque perfectus. Gen.6. b

Deus an ab angelis videri possit.

CHRYSOSTOMUS in fine homiliae 23.in Genesim hoc explicans habet hanc propositionem: DIVINAE gloriae fulgurantem majestatem neque Cherubim, neque incorporeae illae virtutes videre possunt: sed adversae, facies regunt, objectis alis. Armeni haeretici, qui docebant Deum a beatis non videri, utebantur hac, & plerisque aliis huic similibus Chrysostomi sententiis: quarum elucidationem habes Annotat.182. libri sequentis.

ANNOTATIO LXXIX.

Anno sexcentesimo vitae Nohe. Gen. 7. b

Numerus annorum & mensium diluvii depravatus.

SEPTUAGINTA Interpretes, ubi nos juxta Hebraïcam veritatem habemus, Anno sexcentesimo vitae Nohe, mense secundo, septimo decimo die mensis, &c. mendosi sunt, & in numero tam annorum, quam mensium depravati: habent enim, ἐν τῷ ἑνὶ ἑξακοσιοστῷ ἔτει, ἐν τῇ ζωῇ τοῦ Νῶε, τοῦ δευτέρου μηνὸς ἑβδόμῃ καὶ εἰκάδι

εἰκάδι τοῦ μηνός, hoc est, In anno uno & sexcentesimo in vita Nohe, secundo mense, septima & vigesima mensis. Est ergo hic duplex error: primum enim fit unius anni accessio, cum Sacrae literae apertissime protestentur Nohe sexcentesimo vitae suae anno arcam ingressum; eodemque anno inundasse diluvium: deinde error est in numero dierum mensis, facta additione dierum decem supra decem, & septem dies, qui in Hebraeo recensentur. Primus error accidit, quia paulo inferius capite octavo, cum jam unus exactus esset annus, dicitur, ἐν τῷ ἑνὶ καὶ ἑξακοσιοστῷ ἔτει, &c. hoc est, Primo & sexcentesimo anno vitae Nohe, primo mense, prima ipsius mensis die defecit aqua. Secundus error similiter accidit, quia infra in eodem capite octavo scribitur, Mense secundo, vigesima septima die mensis exaruit terra. Chrysostomus tamen, & Procopius, sequuntur numerum Graecorum codicum.

A N N O T A T I O LXXX.

Cataractae coeli apertae sunt. Gen. 7. b

An coelum sphaericum sit, ac mobile.

PROCOPIUS Gazaeus, hoc explicans, sic ait: PROINDE perperam sentiunt illi, qui coelum fingunt sphaericum & mobile: nam coelum consistit immobile, & via est astrorum in ipso decurrentium. Vide quae de hoc supra annotavimus in 1.cap. Gen. Annot.14.

A N N O T A T I O LXXXI.

Cataractae coeli apertae sunt. Gen. 7. b

An diluvium Noheticum ex astrorum observatione praenosci potuerit.

PETRUS Aliacus, presbyter cardinalis, in quaestionibus in Genesim super hac sententia disputans, asseverat, quod quanquam Nohe futurum diluvium ex prophetica revelatione Deo annunciante praenoverit; id ipsum tamen longe ante, quam eveniret, ex regulis astronomicis praevidere potuerit, ex cognitione videlicet constellationum, quae universalem illum cataclysmum non solum praesignarunt, sed etiam jussu Dei effecerunt, non tanquam primae causae, sed tanquam famulae & ministrae, adhibentes in obsequium omnipotentis Domini sui vires & facultates, quas ab eo acceperant inundandi, & demergendi orbem terrarum. Has constellationes, inundationum productrices, Moses Cataractas coeli appellavit; per apertionem illarum significans tempus illud, in quo Deus omnes inundatrices vires, atque influentias, praedictis constellationibus conclusas, veluti reseratis claustris ad totius terrae alluvionem emisit. Hanc eandem assertionem idem in volumine De sectis & legibus, & in libro De astronomiae & theologiae concordantia confirmat exemplo Iridis: quam sicut Deus ad hominum securitatem voluit esse signum universalis diluvii non amplius futuri; ita verisimile est, Deum ex prognosticis astrorum signis diluvium ad peccatorum poenitentiam praenunciasse. In hac ipsa sententia fuerat longe antea Guillelmus, Parisiensis episcopus, qui in prima parte Operis sui, De universo hunc locum edisserens, ita scripsit: PROPHETA Hebraeorum Moses cataractas coeli vocavit partes illas coeli, quae sunt generativae pluviarum & inundationum aquarum, qualia sunt signa aquariea, ut Cancer, & Pisces, Plejades, Hyades, & Orion de stellis; & Mars, & Venus, & Luna de planetis. Cataractae ergo coeli tunc apertae intelliguntur, cum causae hujusmodi ad operationes pluviarum, & inundationum nutu creatoris laxatae sunt & confirmatae. Haec Guillelmus: cui consentiens Henricus Meclinius, Magni Alberti discipulus, in Commentariis, quos edidit in magnas Albumasaris conjunctiones, refert, se invenisse ex astronomicis supputationibus, quod Noheticum diluvium praecesserit conjunctio quaedam astrorum generalem aquarum alluvionem inducens, nimirum Jovis & Saturni in fine Cancri, e regione Argolicae navis; per quam etiam arca Nohe significatur. Hanc opinionem annis ab hinc quadraginta a Tiberio Calabro philosopho in disputationibus publicis propositam, & scriptis quoque defensam, Hieronymus Armellinus

linus Dominicanus, edito particulari adversus eum volumine, confutavit, ac, tanquam haereticam, damnavit. Vide Annotationem hujusmodi pene argumenti supra Annotatione decima quinta, & libro sexto, Annotatione decima. (a)

A N N O T A T I O LXXXII.

Requievit arca mense septimo. *Gen. 8. a*

SEPTUAGINTA Interpretes pro eo, quod in Hebraeo habetur, Requievit arca mense septimo, ב שבעה עשר יום Bescevah aschar jom, hoc est, *In septima & decima die*, vetterunt, ἑβδόμῃ καὶ εἰκάδι, id est, *Vigesima & septima die mensis*, facta additione dierum decem. Hunc errorem noster quoque interpres in vulgara editione secutus est: neque credere par est, Hebraeos codices esse corruptos, quando is numerus consentit cum centum ac quinquaginta diebus, quibus terras labefactavit diluvium, & Chaldaïca editio idem attestatur.

Varia supputatio ex Hebraico textu, & ex LXX. Aliqui ad concordiam Hebraici textus, & vulgatae editionis legendum putant unitim עשרים Esrim, Idest vigesimo, supple die. Vide Cornelium a Lapide, aliosque.

A N N O T A T I O LXXXIII.

Corvus egrediens non revertebatur. *Gen. 8. b*

SEPTUAGINTA, vertentes id, quod in Hebraeo de corvo, a Nohe emisso, affirmative legitur ויצא יצוא ושב Va jeze jazo va sciob, hoc est, *Et egrediens egrediebatur, & revertebatur*; negative expresserunt, καὶ ἐξελθὼν, οὐκ ἀνέστρεψεν, id est, *Et egrediens non revertebatur*: quos etiam nostra vulgata editio sequitur. Augustinus, Chisamensis episcopus, in Annotationibus suis adversus hanc interpretationem scribens: FECIT, inquit, hic error, ut fabulosissimas quaestiones huc invexerint expositores, quaerentes, quo loco abfuerit corvus per tot dies extra arcam; & ubi resederit, cum aquae siccatae nondum essent; & an reversus sit corvus ad Nohe in arcam post aquarum exiccationem: quia Moses juxta depravatam Scripturam dicit, Et non reversus est, donec siccarentur aquae: subtrahenda est igitur tam a nostris, quam a Graecis codicibus negatio: & juxta Hebraïcam veritatem, & Josephi interpretationem legendum est, corvum rediisse in arcam. Aloysius, Veronae episcopus, in Catena Geneseos vulgatam Septuaginta editionem ac nostram una cum Hebraïca veritate concordat, his verbis: HIC locus non male, ut quidam arbitrantur, versus est: nam, cum dicitur in Hebraïca, vel Chaldaïca editione, CORVUS egressus est egrediendo, & redeundo, donec siccarentur aquae super terram; includitur haec negativa, quod postquam siccatae sunt aquae, non revertebatur: ita quod primo egressu circa arcam volitabat, ac si regredi vellet, donec siccarentur aquae: inde perfecte egressus, non est reversus, sicut nostra sonat litera cum Graeca, & Josepho.

Corvus num in arcam redierit.

A N N O T A T I O LXXXIIII.

Reversa est Columba, portans ramum olivae. *Gen. 8. b*

CHRYSOSTOMUS, homilia 26. in Genesim, quod nostra vulgata editio habet, REVERSA est Columba, portans ramum olivae virentibus foliis, contrario sensu legere, & exponere videtur, inquiens: REVERSA est Columba, habens folium olivae siccum in ore suo. Sed apparet, interpretem Chrysostomi fuisse deceptum, non minus ex tautologia, quam ex ambiguitate dictionis; quae hoc loco, tam apud Chrysostomum, quam apud Septuaginta interpretes, & apud Hebraeos reperitur. Habent enim Hebraei codices sic, ו הנה עלה זית טרף ב פיה Ve inne hale zait taraf, be fia: hoc est, Et ecce folium olivae, ramus in ore ejus.

Columba, qualem ramum attulerit.

(a) Quum plura ea de re scripserint Interpretes & Eruditi, qui etiam adcuratas ediderunt lucubrationes ad id edisserendum: sat est hic breviter adnotare, quod per diluvium terra in eundem rediit statum, ac prius erat antequam aquae secernerentur ab ea; heinc, quae super firmamentum positae extant, magno impetu in terram dilapsae, fere ac per cataractas ex Aethiopia in Aegyptum defluens divehitur Nilus, illam inundarunt: & quae erant reclusae in inferioribus abyssis, regurgitantes terram obruerunt; ideoque dicitur: „ Rupti sunt omnes fontes abyssi „ magnae, & cataractae Coeli apertae sunt. „

Asserit autem Aven Ezra hic fieri appositionem & ταυτολογίαν quandam: idem enim esse dicit Folium olivae, & quod mox subditur, Taraf, id est, Ramus; sicut est, inquit, saepe in Scripturis ארמה ו עפר Adama va hafar, id est, Terra & cinis: ideo Septuaginta nihil immutantes, verterunt, καὶ εἶχε φύλλον ἐλαίας, κάρφος ἐν τῷ στόματι αὐτῆς, hoc est, Et habebat folium olivae, festucam in ore ejus. Hos sequens Chrysostomus, apposuit & ipse ad Folium olivae dictionem κάρφος, quae Graecis ambigua est, & duo significat, Siccum videlicet, ac Festucam, sive Ramusculum. Interpres ergo, non considerata dictionis synonymae repetitione, κάρφος, qui hoc loco Festucam significat, Siccum transtulit, reclamante palam sensu Chrysostomi; qui paulo post addit hujusmodi verba, Arbor haec semper virens est: & verisimile est, quod cum aquae redierint, arbor haec adhuc habuerit foliorum comam. Quibus verbis ostendit, se non de sicco olivae folio, sed de virenti potius locutum; quanquam Hebraïca veritas olivae folium neque siccum, neque virens fuisse indicet. Chaldaïca editio locum hunc rectius transtulit, quam Septuaginta, inquiens: ET ECCE folium olivae decerptum ore suo: טרף taraf enim tam festucam, quam raptum, sive decerptum Hebraeis significat.

ANNOTATIO LXXXV.

Odoratus est Dominus odorem suavitatis. Gen. 8. d

Circuncisio an justificet.

CHRYSOSTOMUS homilia 27. in Genesim hoc exponens, videtur asserere, quod circuncisio in veteri lege nihil prorsus contulerit ad justitiam, & animae salutem: cujus oppositum Augustinus cum caeteris Theologis sentit. Vide infra in censuris cap. 17. Annot. 96.

ANNOTATIO LXXXVI.

Nohe plantavit vineam: bibensque vinum inebriatus est. Gen. 9. d

Nohe ebrietas, qualis.

FRANCISCUS Georgius Tomo primo, problemate 101. ita haec verba explanat, ut historiae veritatem subvertere videatur, affirmans Nohe non esse inebriatum ex vino vitis, quam plantaverat, quemadmodum Moses indicare videtur; quia ex pura vini ebrietate tot mala secuta non essent: sed ebrius fuit vel ex nimia suorum affectione, vel ex sapientia terrenarum rerum, pleri sque in locis per vinum designata: hanc enim prosequentes usque adeo abeunt a Deo, ut multoties in scandalum ruant, sicut contigit Bilaham, Achitopheli, & Salomoni. (a)

ANNOTATIO LXXXVII.

Et erat omnis terra labii unius. Gen. 11. a

Num unatantum lingua ante conditam turrim omnibus fuerit.

CHRYSOSTOMUS homilia 30. in Genesim hoc enarrans, ait ante extructionem turris Babel unam fuisse omnium hominum naturalem linguam, eademque mortales omnes loquela usos. Quam sententiam, omisso tamen auctoris nomine, Philastrius, Brixiensis episcopus, in Catalogo haereseon capite 106. ut haereticam reprobat, asserens firmiter esse credendum, quod etiam ante aedificationem Babel multis saeculis plures fuerint sermonum, ac linguarum varietates: quarum scientiam omnes homines ex Dei dono usque ad turris constructionem,

(a) Optime N. Xystus adserit Franciscum Georgium totam Historiae veritatem tropologia sua subvertere voluisse: quum ex originali Hebraico, atque ex Septuagintavirali versione apertissime colligatur revera Noemum bibisse vinum, ex eoque fuisse inebriatum, quod etiam Vulgata nostra, omnesque aliae editiones luculentissime produnt. Insulsa est etiam nimiumque falsa ejusdem Georgii tropologia, quae Calvino & Luthero accusantibus S. Patriarcham de crimine immoderantiae ac ebrietatis, nimium favet: quum ex adverso Chrysostomus *Homil. 39. in Genes.* Theodoretus *quaest. 56. in Genes.* Ambrosius *de Noe & arca cap. 29.* Basilius *tom. 1. de Jejunio*, ceterique universim PP. Noëmum excusent a culpa, ceu illum qui nunquam biberat vinum, neque alium bibentem viderat; ac consequenter illius vim nesciens culpam non contraxit ex illius potu. Quinimo Cyprianus *Epist. LXI.* eu Noëmi facto mysterium expendit Christi Servatoris expoliati illusi atque a Judaeis occisi.

nem, & linguarum coofusionem habuerunt. Quod autem Moses dicit, terram fuisse labii unius, ideo dictum putat, quia etsi plura essent geoera linguarum, omnes tamen se invicem intelligebant: eratque omnibus lingua una, & sermo idem, non secundum eundem vocabulorum usum, sed secundum eandem sensum intelligentiam. Alphonsus Castrensis libro 9. adversus haereses tam longe abest ab hac Philastrii censura, ut existimet, eam esse haereticam: quia Moses apertissime doceat, ante Babel tempora unicam tantum fuisse omnium linguam, dum inquit: ERAT autem terra labii unius, & verborum eoruodem: & dum post pauca addit, In aedificatione Babel tunc primum coofusum esse labium universae terrae, hoc est, tuoc primo divisum, & varium, multiplexque esse cnepisse, quod ante simplex, indivisum, & unicum fuerat. Sentiendum est iraque juxta veram Chrysostomi explanationem unum solum ante aedificationem turris fuisse omnium mortalium sermonem; & rejiciendus est in hac parte Philastrius, quem apparet fuisse deceptum ex levi coosideratiooe verborum Mosis: qui ante, quam in undecimo capite aedificationem turris describere inciperet, prius in decimo capite oarravit, quemadmodum septem filii Japhet diviserunt insulas gentium in regionibus suis, singulas secuodum linguas, & cognatiooes suas: quae verba non animadvertens Philastrius esse per anticipatiooem dicta, putavit jam tunc fuisse plures lioguas ante, quam Babel conderetur. Est enim juxta Ticonii regulam divinae Scripturae mos, aliqua per aoticipationem narrare, ut scilicet ante, quam facta fuerint, quodammodo, & perfunctorie narrentur; ut postea suo ordine res quaeque gesta latius describatur: & hanc esse veram hujus loci interpretationem docet Augustinus libro 16. De civitate Dei, capitulo quarto, sic scribens: CUM ergo io suis linguis istae gentes fuisse referantur; redit tamen ad illud tempus narrator, quando una lingua omnium fuit; & inde jam exponit, quid acciderit, ut linguarum diversitas oasceretur: ET erat, inquit, omnis terrae labium uoum, & vox una omnibus.

ANNOTATIO LXXXVIII.

Vixitque Sem, postquam genuit Arphaxad, &c. Gen. 11. b

SEPTUAGINTA in praeseoti genealogia Sem geminum habent errorem; alterum in oumero generationum, quibus geoealogia contexitur; alterum in numero annorum, quibus vixerunt auctores harum generarionum. Primus est, quod cum Moses novem taotum numeret generationes a Sem usque ad Abraham; Septuaginta recensent decem generationes, adjecta Cainam generatione statim post Arphaxad filium Sem hoc modo: VIXIT Sem, postquam genuit sibi Arphaxad, anois triginta quinque, & geouit filios & filias, & mortuus est: & vixit Arphaxad ad annos ceotum triginta quinque, & genuit Cainam: & vixit Arphaxad, postquam genuit ipse Cainam, anoos 430. & genuit filios & filias, & mortuus est: & vixit Cainam aonos centum triginta, & genuit Selà: & vixit Cainam, postquam genuit ipse Selà, annos 330. & genuit filios & filias, & mortuus est: quae omoia redundant, & Hebraïca veritas prorsus ignorat, ponens ipsum Arphaxad genuisse Selà, & non Cainam. Atque hic idem error irrepsit in geoealogia Servatoris nostri, descripta in tertio capite Evangelii apud Lucam: qui ut in caeteris, ita etiam in hoc secutus est editionem Septuagintra suis temporibus toto orbe receptissimam. Quod sane vehementer Hieronymus [a] admirans, MAXIME, inquit, miror, & propter ingenii tarditarem vehementissimo stupore perculsus nescio perscrutari, qua ratinne cum io Hebraïca a diluvio, id est, a Noe usque ad Abraham decem geoeratiooes inveoiaotur; ipse Lucas, qui, Spiritu

Error in numero & annis generationũ Sem.

(a) Monumentum a N. Xysto laudatum sub nomine S. Hieronymi non est Bethleemitici Doctoris, sed V. Bedae *Praef. in Act. Apostolorum*. Et revera idem Xystus *Lib. VII. Haeresi IV.* idem omnino monumentum ex Beda *loco laudato* repetit, illud objiciens Anabaptistis: quare hc facillime memoriae lapsum est passus operum suorum mole oppressus, ut pluribus id genus, adcuratissimis alioquin viris, eo ex momento non semel accidisse compertum est. Cetera vero, quae hic forent adnotanda, fortasse alibi adponentur, ubi iterum eadem de re alia ex caussa sermo erit, sicut idemmet Xystus alibi quoque se acturum dicit.

Sancto calamum regente, nullatenus falsum scribere potuit, undecim generationes juxta Septuaginta interpretes, adjecto Cainam, in Evangelio ponere maluerit. Aloysius, Veronae episcopus, ait fieri potuisse, ut Spiritus Sanctus occulta aliqua ratione Mosis mentem permoverit; ut Cainam generationem in hujus genealogiae serie praeterierit; sicut & quosdam Evangelista Matthaeus in genealogia Servatoris taciturnitate involvit. Secundus error est in enumerandis annis vitae eorum, qui in hac genealogia continentur: superat enim supputatio Septuaginta interpretum supputationem Hebraïcam in annis fere ducentis & octoginta; sicut in infrascriptis tribus columnellis apparet: quarum prima supputationem annorum continet juxta Hebraïcam veritatem, secunda supputationem Septuaginta, tertia discrimen utriusque supputationis secundum redundantiam & defectum cujusque numeri.

SUPPUTATIO HEBRAICA.		SUPPUT. LXX.	DIFFERENTIA.
Sem post genitum Arphaxad	vixit annos 500.	Annos 335.	Desunt anni 165.
Arphaxad ante genitum Sale	vixit ann. 35.	annos 130.	Redundant an. 95.
Arphaxad post genitum Sale	vixit ann.400.	annos 330.	Desunt anni 73.
Sale ante genitum Heber	vixit ann. 30.	annos 130.	Redun. anni 100.
Sale post genitum Heber	vixit ann.403.	annos 330.	Des. anni 73.
Heber ante genitum Paleg	vixit ann. 34.	annos 134.	Redun. anni 100.
Heber post genitum Paleg	vixit ann.430.	annos 370.	Des. anni 60.
Paleg ante genitum Reu	vixit ann. 30.	annos 130.	Redun. anni 100.
Reu ante genitum Serug	vixit ann. 32.	annos 130.	Redun. anni 98.
Serug ante genitum Nachor	vixit ann. 30.	annos 130.	Redun. anni 100.
Nachor ante genitum Tarach	vixit ann. 29.	annos 79.	Redun. anni 50.
Nachor post genitum Tarach	vixit ann. 119.	annos 129.	Redun. anni 10.
Summa totius supp.continet	annos 2075.	summa 2357.	summa dif.an. 282.

HIS generationibus si addas annos 460. vitae Cainam a Septuaginta interpretibus super adjunctae; differentia annorum utriusque supputationis augetur usque ad numerum annorum 742. Vide libro 6. quae de superaddita generatione Cainam scripsimus Annot. 143. & lib. 7. haeresi 4.

ANNOTATIO LXXXIX.

Dic igitur, obsecro te, quod soror mea sis. Gen. 12. c

Num Abraham mentitus sit.

CHRYSOSTOMUS homilia 32. in Genesim super his verbis, Saram multis laudibus effert, quod marito, in mortis discrimen adducto, simulationem & adulterium persuadenti, consenserit, promptequé se ipsam ad utrunque exhibuerit. Sic enim scribit: PROPTEREA in adulterium uxoris consentit justus, & quasi servit adulterio in mulieris contumeliam, ut mortem effugiat. Vidisti vinculum charitatis viri, & mulieris? vidisti virum, qualia mulieri suggerere sit ausus? & quale consilium acceperit mulier, & non renuit, neque gravatim fert, ita ut fabula, & fictio illa lateat? & paulo post: QUIS non obstupescat hanc parendi facilitatem? quis hanc satis laudaverit, quod post tantam continentiam, & in tali aetate ad hoc ut justum servet, quantum in sua voluntate pendebat, etiam adulterio se exposuit, & barbarorum tulit congressum? Hucusque Chrysostomus: qui in hac parte videtur a communi aliorum Patrum sententia tripliciter discrepare. Primum, quod hanc Abrahae, atque Sarae consultationem non solum hoc in loco fabulam & fictionem dicat, sed aliis quoque locis commentum, scenam, comoediam, tragoediam, deceptionem, hypocrisin, & mentitam rem appellet. Homilia 45. in Genesim edisserens verba illa, quibus Deus excusat regem Abimelech, qui Saram Abrahae marito suo abstulisset, loquitur in hunc modum: DIXIT autem Deus ad Abimelech, Scio, quod ipsi hanc fabulam commenti sunt, & quod deceptus eorum dictis hoc feceris: & post pauca addit: ILLE etiam veritus, ne occideretur a te, hanc comoediam instruxit, & quasi conperatus est in contumeliam Sarae: & libro secundo De providentia Dei, ait: ABRAHAM in tantam

tantam tunc necessitatem devenit, ut etiam hypocrisi submitteretur: quo quid dici miserabilius potest? & in epistola ad Olympiam: NONNE, inquit, propter mortis timorem Abraham uxorem propriam maluit voluptaribus donare barbaricis & Aegypriae tyrannidi? nam fabulam ipse componebat injuriae, & rogabat uxorem, ut cum eo tam horrendam tragoediam simularet: nonne erubescit, hujusmodi scenae proferens causam? Erit enim, inquit, ut, cum viderint te facie pulchram, occident me, & te reservabunt: dic ergo, quod soror mea sis, ut bene mihi sit propter te, & vivat anima mea propter te. Vides timorem? vides tremorem, exagitantem excelsam, & philosophicam illam animam? mentitum genus, & aliam pro alia persona inferebat.

Num juvandi gratia mentiri liceat.

SECUNDUM EST, quod hanc Sarae & Abrahae fictionem & simulationem laude, admiratione, & imitatione dignam censet, nihil ab ea sententia discedens, quam apertissime in omnibus scriptis suis profiretur, hoc est, licere, imo etiam oportere perfectum virum uti fraudibus, dolis, & imposturis, non solum in propriis necessitatibus, verum etiam in alienis commodis, non nocendi, sed juvandi gratia, sicut liquido videre poteris infra capite 27. Annotat.106. Hae duae assertiones, sicut, Augustino teste, libro contra mendacium capite secundo, ad Priscillianistarum haeresim inclinare videntur; ita ipsi Augustino adversantur, atque caeteris theologis, praecipue scholasticis, asserentibus omnem seu noxiam, seu officiosam simulationem, & fraudem esse vitium veritati contrarium, & ad mendacii crimen pertinens, nam sive sermone, sive quocunque facto, vel laedendi, vel juvandi studio quispiam mentiatur, mendax est; & omne mendacium aut peccatum est, aut non sine peccato est. Proinde Augustinus libro vigesimo secundo contra Faustum capite vigesimo quarto, negat Abraham fuisse mentitum: quippe qui interrogatus, quid ei esset Sara, indicavit sororem, non negavit uxorem; tacens aliquid veri, non dicens aliquid falsi: erat enim ei vere soror ex patre, sed non ex matre. Agnoscit hoc idem Chrysostomus homilia quadragesima quinta in Genesim, ubi palam fatetur Abrahae fictionem nihil in se habuisse mendacii, dum inquit: VIDE, quam diligenter agit justus, ut monstret, quod neque in hoc mentitus sit. Caeterum de Chrysostomi sententia super officiosae fraudis asserrione fusius scripsimus infra Annotatione 107. libri hujus.

Num uxorem deceat mariti servandi gratia adulterio se exponere.

RESTAT TERTIUM, quod in praemissis Chrysostomi verbis continetur assertum, videlicet Saram in eo potissimum esse laudandam, atque imitandam, quod servandi mariti causa barbarorum sese adulterio exposuerit, consentiente tamen marito in ejus adulterium: imo etiam suadente. Ab hac opinione dissentit Augustinus, negans Abraham uxori suae adulterium aut suasisse, aut concessisse, ita in libro vigesimo secundo, capite trigesimo tertio, adversus Faustum scribens: NEQUE enim Abraham flagirio consensit uxoris, sed pudicitiam conjugis, de cujus animo nihil dubitabat, Deo tuendam commisit, certus de Deo suo, quod nihil eam turpe, ac flagitiosum perpeti fineret: nec eum fides fefellit, cui primum Pharao territus monstris, deinde Abimelech somnio commonitus, ambo uxorem illaesam cum honore restituerunt. Haec Augustinus. Sunt etiam qui affirment neque marito, neque uxori utrius vitandae necis gratia licitum esse adulterii remedium, sed oportere eos mortem expectare, imo vero mortem ultro expetere potius, quam prodere castitatem; pro cujus conservatione multae pudicissimae foeminae non solum ab aliis occidi sustinuerunt, sed manus ipsae sibi intulerunt, veluti Sophronia, praefecti Romanae urbis uxor: quae, ut refert Eusebius libro octavo historiae, animadvertens maritum, metu mortis perterritum, prodidisse pudicitiam suam Maxentio tyranno, cum prius defixis genibus Deum orasset, tanquam pudicitiam suam Christo immolatura, pectus correpto ferro transfodit: cujus exemplum sequentes nonnullae sanctae virgines, quarum martyrium Ecclesia celebrat, ne castitatis maculam susciperent, se ipsas interemerunt. Verum de his in censuris super Jonae expositoribus, Annotatione ducentesima quinquagesima tertia, latius scripsimus. Augustinus libro vigesimo secundo, capite trigesimo septimo, contra Faustum, & libro primo De sermone Domini in monte capite 29. in dubium revocat, an Sarae pudicitia potuisset barbarorum libidini supponi citra ullum adulterii crimen; quasi pro mariti vita liceat, ipso consentiente,

Num servandae pudicitiae causa liceat propria interire manu.

cum

cum alio viro concumbere, ficut olim tempore Constantii Imperatoris Antiochiae factum est: ubi cum Acindinus praefectus quendam servatet in carcere occidendum, quia libram auri, quam fisco debebat, non haberet, unde solveret; uxor, mariti charitate commota, unius noctis concubitum, ipso consentiente marito, vendidit diviti cuidam, id anxie flagitanti, ac libram auri pro mercede promittenti, ut eo pretio mariti vitam a praefecto redimeret. Atque hoc facto Acindini pluribus explicato, liberum unicuique permittit aestimare, quod velit: quamvis in eam partem propensior videatur, quod id fieri neutiquam liceat. (a)

ANNOTATIO XC.

At vero Melchisedech, rex Salem. Gen. 14. d

Melchisedech non fuerit homo.

ORIGENES, de Melchisedech Pontifice disserens, asseruit eum non hominem fuisse, sed angelum: hunc errorem illi tribuit Hieronymus in epistola ad Evagrium, ita scribens: STATIM in fronte Geneseos in prima Homiliarum Origenis reperi scriptum de Melchisedech, in qua multiplici sermone disputans, illuc devolutus est, ut eum angelum dixerit, iisdemque pene argumentis, quibus scriptor tuus, qui Melchisedech Spiritum Sanctum facit: transivi ad Didymum, sectatorem ejus; & vidi hominem pedibus in magistri isse sententiam. Haec Hieronymus, forte per homiliam primam tomum primum intelligens: nam in prima Origenis homilia, quae nunc in Genesim habetur, nulla est Melchisedech mentio: excusari potest Origenes ex diversitate opinionum, quae de hac re inter veteres fuit; apud quos, ut Hieronymus ad Evagrium scribens testis est, famosissima quaestio fuit super Melchisedech Pontificis persona. Siquidem, ut Epiphanius refert libro secundo adversus haereses, haeresi 55. innominati quidam haeretici dixerunt, Melchisedech fuisse unigenitum ipsum, ac naturalem Dei filium, qui in humana specie Abrahae apparuerit. Hierax Aegyptius, qui Graece & Aegyptiace in Hexaëmeron docta, sed haeretica, elaboravit Commentaria, putavit ipsum esse Spiritum Sanctum. Melchisedechiani haeretici, quorum auctor fuit Theodorus Argentarius, id ipsum existimarunt esse magnam quandam virtutem Christo superiorem, a qua ipse Christus ordinem sempiterni Pontificatus acceperit. Samaritae arbitrati sunt eundem esse Sem filium primogenitum Nohe, & eo tempore, quo ortus est Abraham, habuisse aetatis annos trecentos nonaginta, ipsique Abrahae abnepoti suo decimi gradus supervixisse annos quadraginta. Judaei tradiderunt illum fuisse hominem quidem justum, & sacerdotem Dei altissimi, velut divina habet Scriptura; sed ex impura meretrice, & fornicatore viro progenitum, & ob id parentes ejus in Sacris literis non referri. Irenaeus & Hippolytus scripserunt fuisse regem Hierosolymae; quae primum Salem, postea Jebus, ad extremum Hierusalem appellata sit, quorum opiniones Hieronymus in praedicta ad Evagrium epistola relinquens, affirmat Melchisedech non fuisse regem Salem, quae postea Hierusalem dicta est, sed regnasse eum in Salim oppido juxta Scythopolim regionis Sichem, in tribu Ephraim: ubi palatium Melchisedech fuisse magnificum ex magnitudine ruinarum deprehenditur.

AN-

(a) Nunquam Augustinus liberum unicuique permisit alterutram amplecti opinionem de licita, nimirum, vel illicita corporis sui copia facta ab uxore de consensu viri ad liberandum eum ex gravi discrimine vitae; sed solum dum *laudato loco* ait „ Nihil hinc in aliquam partem disputo, liceat cuique „ aestimare quod velit „: non de morali dogmate, sed de historico facto verbum habuit; quare immediate & acturum subdidit: „ Non enim de divinis „ authoritatibus depromta historia est „. Quapropter hic est genuinus loci illius sensus: unusquisque, prout sibi arridet, vel excipiat, vel rejiciat factum historicum, quod non ex divina authoritate, sed ex hominum testimonio pendet. Quod autem S. P. totus sit in execrando commento isto de licito adulterio uxoris ex permissione viri, esto ea gravi momento, luculentissime constat ex iis, quae paulo ante ibidem dixerat: „ sed non ita esse existimandum, „ ne hoc etiam femina viro permittente facere posse „ videatur, quod omnium sensus excludit. „ Necnon ex iis, quae habet in libris *de mendacio*, & *contra mendacium* pluries.

Consule N. Exercitationem XXVII. in L. Propositionem ab Innocentio XI. proscriptam.

Videsis etiam N. Exercitationem II. Tom. III. in Propositiones Proscriptas ab Alexandro VII. Propositione II. ubi ex professo hac de re uberrime est actum.

ANNOTATIO XCI.

At vero Melchisedech, rex Salem. Gen. 14. d

Melchisedech an fuerit Spiritus Sanctus.

AUGUSTINUS in libro Quaestiouum veteris & novi Testamenti, quaest. 109. multis argumentis nititur probare, Melchisedech non fuisse hominem purum, sed quandam Dei virtutem, videlicet, Spiritum Sanctum; qui tunc in forma humana apparuerit, quemadmodum postea filius Dei in carne apparuit. Hunc errorem expendens Alphonsus Castrensis in 10. adversus haereses volumine, negat librum, qui inscribitur, DE QUAESTIONIBUS VETERIS ET NOVI TESTAMENTI, esse Augustini; quamvis sub ejus nomine circunferatur: & praeter alia argumenta, quae ad hoc convincendum affert, hoc unum censet efficacissimum; quod hanc sententiam Augustinus in libro De haeresibus ad Quod vult Deum ponit in trigesimo quarto loco, tribuens eam haereticis, quos Melchisedechianos appellat. Non est autem verisimile, Augustinum fuisse tam stupidum, ut haereticam assertionem, & a se damnatam docuerit: quam etiam sicubi docuisset, oportuerat illum eandem in libris Retractationum recantasse: quod tamen in toto decursu ejus Operis nusquam ab eo factum reperitur. [a]

ANNOTATIO XCII.

Non accipiam ex omnibus, quae tua sunt. Gen. 14. d

Num praedam militibus liceat.

AMBROSIUS, libro primo De Abraham capite tertio hoc explicans, praedam militibus licitam facit, his verbis: CUM praeda fuerit in potestate victoris, decet militarem disciplinam, ut regi serventur omnia. Hunc locum D. Thomas annotavit, utpote adversantem Augustini sententiae; qui in libro De verbis Domini secundum Matthaeum sermone decimo nono praedam militibus interdicit, inquiens: MILITARE peccatum non est, sed militare propter praedam peccatum est. Quam dissonantiam tollens idem auctor in secunda secundae qu. 66. artic. 8. ait, Ambrosii sententiam veram esse, cum justum fuerit bellum: in quo victorum jure optimo efficitur, quicquid armis acquiritur: possunt tamen victores in hac justa praedae acquisitione ex praedae cupiditate, & prava mentis intentione peccare, dum scilicet non propter justitiam, sed propter praedam principaliter pugnant: quo quidem sensu Augustinus censuit peccatum praedae gratia militare.

ANNOTATIO XCIII.

Ingredere ad ancillam meam, si forte ex ea suscipias filios. Gen. 16. a

An infernus sit sola peccatorum conscientia.

PHILO Judaeus in libro De congressu quaerendae eruditionis gratia, hunc edisserens locum, insinuare videtur inferni locum, atque supplicium nihil aliud esse, quam flagitiosi hominis conscientiam, ita dicens: DEUS injustam impiamque animam, fugatam a se ipso, longissime dissipat in locum concupiscentiarum ac facinorum; qui locus impiorum vocatur aptius, quam ille fabulosus apud inferos: revera enim infernus nihil aliud est, quam vita miseri scelerati, execrandique hominis. Hic idem error Origeni tribuitur, sicut infra videre poteris Annotat. libri hujus 229.

AN-

(a) Sapienter N. Xystus ex Alphonso Castrense librum *de Quaestionibus Veteris, & Novi Testamenti*, abjudicandum M. P. Augustino indigitavit, quum non sit ejus opus; quinimo indignum tanto viro, ut universim, qui sapienter Critici audiunt, observant. Restituunt autem illud vel Hilario Stado Luciferianae Sectae, de quo alibi egimus, vel alteri Pelagiano Scriptori, quum opus illud Pelagianismis scateat a capite ad calcem usque. Videsis Dupinium, Cavium, N. Natalem, aliosque, praesertim PP. Benedictinos nov. edition. Oper. S. Augustini T. III.

ANNOTATIO XCIIII.

Tulit Agar Aegyptiam ancillam suam, & dedit eam viro suo. Gen. 16. a

Num Abrahae cum Agar congressus fuerit adulterium.

AMBROSIUS, libro primo De Abraham Patriarcha, capite quarto, excusans concubitum Abrahae cum ancilla Agar, duo praeter communem theologorum sententiam videtur innuere; primum, quod congressus ille fuerit adulterium; secundum, quod adulterium temporibus Abrahae non fuerit illicitum: quia lex nondum illud interdixerat, atque damnaverat. Sunt autem ejus haec verba: SED fortasse dicet aliquis, Quomodo Abraham nobis proponis imitandum, cum de ancilla susceperit filium? aut, quid sibi vult hoc esse, ut tantus vir huic errori fuerit obnoxius? Sed consideremus primum, quod Abraham ante legem Mosi, & ante Evangelium fuit, cum nondum interdictum adulterium videbatur. Poena criminis ex tempore legis est, quae crimen inhibuit, nec ante legem ulla rei damnatio est: non ergo in legem commisit Abraham, sed legem praevenit. Deus in Paradiso licet conjugium laudaverit, non adulterium damnavit. Chrysostomus, Augustinus, caeterique Theologi aliter sentiunt, asseruntque in primis, concubitum Abrahae neque adulterium fuisse, neque fornicationem, sed legitimum matrimonium, ab omni turpitudinis suspicione liberum: quia Abraham cum ancilla non dormierit, nisi postquam illam a Sara accepit in uxorem; sicut & Moses aperte manifestat, inquiens: ET dedit eam Sara viro suo in uxorem. Addunt deinde, adulterium & fornicationem nullis licuisse temporibus: unde & divus Thomas ex eorum generali assensu, rejiciens opinionem Rabbi Mosis Aegyptii, dicentis fornicationes & adulteria ante promulgationem legis non fuisse peccata, decernit tam fornicationem, quam adulterium esse contra legem naturae, & nullo unquam tempore, nec ex se ipsis, nec ex dispensatione fuisse licita: quia ambo contraria sunt primis praeceptis legis naturae, quae dispensationem non recipiunt. His consideratis, sunt qui existiment Ambrosium praemissae dubitationis solutionem, non ex sua, sed ex aliorum mente protulisse; & ob id statim secundam & tertiam ejus quaestionis solutionem, veluti ex propria sententia, subdidisse.

Num ante datam legem adulterium crimen fuerit.

ANNOTATIO XCV.

Paries filium, vocabisque nomen ejus Ismaël. Gen. 16. c

Num angeli sensitivam hominis animam creaverint.

PHILO Judaeus in libro De profugis, quem in 16. Geneseos capitulum edidit, obiter explicans illud, Faciamus hominem ad imaginem nostram, &c. non recte asseverat rationalem duntaxat primi parentis animam, a Deo creatam, ejusdem vero sensibilem, ac vegetabilem animam ab angelis factam: ejus verba sic habent: MOSES cum de mundi opificio philosophatur, postquam dixit omnia caetera Deum creasse, solum hominem etiam aliis cooperantibus plasmatum esse docuit. Dixit, inquit, Deus, Faciamus hominem ad imaginem nostram: per hoc verbum, Faciamus, multitudinem significans. Ergo pater ille rerum alloquitur suas potentias, quibus mortalem hanc animae nostrae partem fingendam dedit, imitantibus artem ipsius, quando rationalem in nobis formabat; aequum ducens, ut a principe rerum principalis pars fabricaretur in anima, subjectae vero a subditis potentiis: usus est autem his potentiis non solum ob modo memoratam causam, sed quia hominis anima sola intellectum bonorum malorumque habitura erat, & electura alterutrum; quando utrunque non potest: necessarium igitur duxit malorum facturam aliis tribui opificibus, bonorum vero sibi soli: quapropter cum prius dixisset, Faciamus hominem, tanquam de pluribus; mox tanquam de uno loquitur, Fecit Deus hominem: nam veri hominis, qui est mens purissima, unus solus Deus est opifex: plures vero ejus, qui vulgo sic vocatur, mistus, atque temperatus ex sensibus: quamobrem ille eximius homo indicatur per articulum: legitur enim, Fecit Deus illum hominem, illum specie, misturaque carentem intellectum: vulgaris autem homo sine hujusmodi additamento

Gen. 1. d

ditamento ponitur: nam, cum dicit, Faciamus hominem, e bruta rationalique anima contextum significat. Hanc eandem jam reprobatam sententiam repetit Philo in libro De opificio sex dierum, sicut habes supra Annot. 17.

ANNOTATIO XCVI.

Circumcidatur ex vobis omne masculinum. Gen. 17. b

CHRYSOSTOMUS homilia 29. in Genesim hanc periodum excutiens, indicare videtur, quod circumcisio in veteri lege, nihil aut virtutis, aut justitiae, aut gratiae infantibus circumcisis contulerit; sed signum duntaxat fuerit, per quod infantes Judaeorum a caeteris nationibus distinguerentur: ita enim loquitur: UT evidenter discatis dilecti, quod circumcisio nihil ad animae virtutem conducat, ex his, quae fiunt, videri potest: cur enim octo dierum infans circumciditur? duabus de caussis opinor: una, ut in aetate immatura facilius circumcisionis in carne molestiam ferre queat: alia, ut rebus ipsis discamus, quod id animae nihil conducat, sed hoc fiat signi tantum gratia: pueri enim immaturi, cum ea, quae fiunt, ignorent, neque sensum eorum habeant, quam inde utilitatem in anima sua accipere possunt? illa enim sunt vere bona animae, quae ex electione fiunt: in carne vero signum accipere, quale bonum opus fuerit? Et homilia in Genesim 27. eandem confirmans sententiam: ATTENDITE, ait, quomodo Deus circuncisionem pro lege statui voluit, non quod ad animae salutem efficere hoc possit aliquid; sed ut Judaeorum pueri hoc gratitudinis indicium circumferrent, quasi signum & sigillum, & ne liceret eis commisceri gentium commistionibus: hinc beatus Paulus signum hoc vocat, dicens: Et signum dedit circumcisionis sigillum: nam ad justitiam ipsa circumcisio nihil conducit. Item homilia 40. in Genesim 17. caput: NULLA, inquit, alia ex circumcisione fuit utilitas, quam haec sola, quod ex hoc signo essent cognoscibiles, & ab aliis gentibus sequestrarentur Judaei.

Circumcisio an infantibus gratiam contulerit.

Rom. 4. b

HUIC assertioni adversantur omnes, tam veteres, quam recentiores theologi: ajuntque circuncisionem, excepto ingressu regni coelorum, contulisse omnes effectus gratiae, tam privativos, quam positivos, quos nunc baptismus praestat, non quidem ex virtute propria, sed ex virtute fidei in Christum. Augustinus enim in secundo libro De nuptiis & concupiscentia cap. ultimo: CIRCUNCISIO, inquit, in populo Dei, quae erat signaculum fidei justitiae Dei, ad sanctificationem purgationis, valebat magnis, & parvulis, originalis veterisque peccati; sicut & baptismus ex illo coepit valere tempore, ex quo institutus est. Beda vero in Commentariis secundi capitis in Lucam: IDEM, ait, salutiferae curationis auxilium circuncisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod baptismus agere revelatae gratiae tempore consuevit, excepto, quod regni coelestis januam nondum intrare poterant, tamen in sinu Abrahae post mortem requie beata consolati, supernae pacis ingressum spe foelici expectabant. Haec illi, quibus minime obstat, quod supra infert Chrysostomus, nempe circuncisionem nihil prodesse infantibus, quia his neque cognitio insit, neque electio: nam, ut inquit Bernardus, sicut nunc baptismus absque ullo voluntatis usu infantibus confert salutem; ita tunc circuncisio sine ulla arbitrii electione salutem infantibus attulit. Habet hoc idem divus Thomas in tertia parte quaestion. 62. articul. 6. Forte dici potest Chrysostomi verba referenda esse ad summum perfectae justitiae incrementum, & ad ultimam Saluris aeternae consummationem; quae quidem praestare non poterat circuncisio, cum nondum mortuus esset Christus, & apertum esset coeleste regnum. Vel dicendum est, Chrysostomum fortasse locutum de circuncisione absque fide Christi venturi, quae nullum per se ipsam praestabat auxilium: circuncisio enim non suapte virtute gratiam conferebat, sed virtute fidei; quam veteres protestabantur in signaculo susceptae circuncisionis. Lege Annotationem 232. libri sexti.

S. Bernardus Ep. LXXVII. ad Hugonem de S. Victore.

ANNOTATIO XCVII.

Infans octo dierum circumcidatur octava die. *Gen. 17. b*

Circuncisio cur octava die data sit.

FRANCISCUS Georgius Tomo sexto, Problemate 337. hujus praecepti rationem inquirens, superstitiosas quasdam causas ex Thalmudicis fabulis & Genethliacis deliramentis assignat, inquiens idcirco datum esse circuncisionis mandatum, ut ex illa sanguinis effusione placarentur aquilonares virtutes, sanguinem pro delicto exquirentes. Hanc autem sanguinis effusionem octava praesertim die lex fieri jussit, ut infantis corpusculum per septem dierum spacium favorem a singulis septem planetis accipere posset, unaquaque videlicet die ab uno ex planetis ejus diei domino; donec, expleto septem dierum curriculo, infans ad eundem planetam rediret, qui praeerat diei, in quo infans editus fuerat. Ad hujusmodi planetarias divinationes innumeris pene locis idem hic auctor divertitur: nam tomo primo, problemate 150. asserit Abrahamum ex astrologicis prognosticis praevidisse uxoris suae Sarae sterilitatem: problemate 240. ejusdem tomi asseverat familiam Israëliticam cito crevisse, quia cum castrametationes disposuisset juxta aspectum duodecim signorum coeli, ab omnibus duodecim signis influentias siderales copiosissime recepit: item problemate 335. ejusdem tomi, asserit Arietem, primum signorum, praedominari Aegypto, omnemque ejus provinciae virtutem ab Arietis astro pendere. Confutavimus hujusmodi ineptias superius Annot. 15.

ANNOTATIO XCVIII.

Cecidit Abraham in faciem suam, & risit in corde suo, dicens, Putasne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet? Gen. 17. c

Num Abraham Infidelitate peccaverit.

CHRYSOSTOMUS homilia quadragesima in Genesim, ad hujus loci explanationem: VIDENS, inquit, Abraham excellentem promissionem, & magnitudinem ejus, qui promiserat, cogitans, cecidit in faciem suam, & risit. Graecus Chrysostomi codex, quem Lugduni in Bibliotheca Sanctis Pagnini vetustissimum vidimus, statim post hanc periodum verba quaedam habebat, quae in caeteris vulgatis voluminibus non leguntur: ea sunt haec: DEUS, uti solus sine peccato sit, permisit aliquando justos secundum ipsorum arbitrium in peccatum cadere: unde & Sanctus Abraham infidelitate peccavit, & poenas a Deo recepit, ut semen ejus quadringentis annis serviret. Moses quoque cum non glorificavit Deum, qui ei aquam de petra largitus est, ingratus fuit: & Deus dixit illi, Non
Deut. 32. c videbis terram promissionis, & non intrabis in eam. Hactenus Graecum exemplar: cujus verba cum minime cohaereant sequenti narrationi, quae Abraham testatur, non ex infidelitate, sed ex ingenti gaudio in eas cogitationes vocesque prorupisse, nescientem quid diceret: suspicor praedicta verba a studioso quopiam aliunde ex Chrysostomo desumpta, & in margine praesentis loci posita, demum, ut saepe fit, scriptorum incuria in contextum translata: nam in fine homiliae sextae De poenitentia locus, praemisso non dissimilis, habetur sensu plane, & verbis iisdem, in hunc modum: SED, quoniam Deus erat & idem sine peccato solus, permisit justos proprium penes arbitrium humanis erroribus incurvari, non jam ipse ad peccatum impellens, sed arbitrio permittens secundum proprium nutum ambulare. Sic itaque infidelitate sanctus peccavit Abraham, propterea poenam non effugit a Deo, ut serviret ejus semen annis quadringentis. Et iterum Moses, non glorificans Deum, cum aquam de petra donavit, ingratus fuit: atque ideo ad eum Deus, Videbis, inquit, terram promissionis, & non intrabis in eam. Eandem sententiam amplectitur Hieronymus lib. 3. contra Pelagium, his verbis: ABRAHAM non credidit, quod Deus repromisit, sed risit in corde, putans se celare Deum, & aperte ridere non audens: denique causas incredulitatis exponens, dicit in corde suo: Quomodo potest fieri, ut centenarius de nonagenaria pariat filium? Vivat, inquit, Ismaël in conspectu tuo, quem semel dedisti: difficilia

difficilia non quaero: conteotus sum beneficio, quod accepi. Quem occulta refponfione arguens Deus, ait: Etiam fiat, quod exiftimes non futurum; & ex errore tuo, quo rififti, filius tuus Ifaac rifus nomen accipiet. Paulus omnino huic affertioni videtur adverfari, cum ad Romanos fcribens, ait: ET non infirmatus eft in fide, nec confideravit corpus fuum emortuum, cum jam fere centum effet annorum, & emortuam vulvam Sarae: in repromiffione etiam Dei non haefitavit diffidentia, fed confortatus eft fide, dans gloriam Deo, pleniffime fciens, quia quaecunque promifit Deus, potens eft facere: ideo & reputatum eft illi ad juftitiam. Quam fententiam exponentes Ambrofius ac Theophylactus, fentiunt Abraham nihil prorfus haefitaffe, imo contra fpem in fpem pleniffime credidiffe: quin & Auguftinus libro 16. De civitate Dei, cap.26. fcribit rifum Abrahae fuiffe exultationem gratulantis, non irrifionem diffidentis: verba quoque illa, Putafne centenario nafcetur filius, & Sara nonagenaria pariet? non dubitantis, fed admirantis fuiffe ait. Joannes Arboreus libro θεοσοφίας primo hujufmodi fedans controverfiam, inquit, Abrahamum fubdubitaffe, & animo haefitaffe in initio, cum rifit in corde fuo, dicens: Putafne centenario nafcetur filius? fed verba promiffionis, quae fubjunxit Deus, erexerunt illius animum, ancipiti judicio verfatum; & fic ab omni dubitatione explicarunt, ut deinceps certiffima & immobili fide divinis pollicitationibus innifus fit. Rom.4. 19.

ANNOTATIO XCIX.

Apparuerunt ei tres viri. Gen. 18. a

PROCOPIUS Gazaeus, examinans apparitionem Angelorum ad Abraham, videtur afferere columbam, in qua apparuit Spiritus Sanctus in baptifmo Chrifti, non fuiffe vere columbam, fic dicens: DEUS in veteri Teftamento confpectus eft in forma corporis; nec tamen illud corpus mortalis corporis habuit proprietatem: non enim vel carne, vel fanguine conftitit: ad eum modum Spiritus Sanctus in noftrum confpectum venit in fpecie columbae: nec tamen erat columba; quia non eam, quam columba, habebat, proprietatem. Vide annotationem libri 6. Columba fuper Chriftum defcendens an fuerit verum animal.

ANNOTATIO C.

Domine, fi inveni gratiam in oculis tuis. Gen. 18. a

THOMAS Cajetanus ab Ambrofio, archiepifcopo Compfae, graviter reprehenditur, quod abftulerit ex praefenti capite egregium locum, unde juxta fanctorum doctrinam, & ipfam totius ecclefiae vocem myfterium Trinitatis elicitur, cum fcilicet Abraham in valle Mambrae tres vidit, & unum adorans, dixit: Domine, fi inveni gratiam in oculis tuis; ipfe, immutata voce fingulari, in pluralem tranftulit, & expofuit, Domini mei, fi inveni gratiam in oculis tuis. Sed apparet, Ambrofium, ut adagio fertur, nodum quaerere in fcirpo, & occafiones calumniandi de induftria venari: non enim Cajetanus hac numeri permutatione quicquam derogat Trinitati divinarum perfonarum; imo ftatuit potius Trinitatis unitatem, & oftendit nomen Adonai, quod numerum multitudinis continet, ad numerum unitatis referri, fic inquiens: QUAMVIS Adonai fit pluralis numeri, fignificans Domini mei: hic tamen ufurpari pro fingulari manifeftat pronomen tuis. Haec ille. Rabbi David ait, nomen אדני Adonai, quod eft pluralis numeri, quoties fcribitur cum cameza, tribui Deo Creatori honoris, & excellentiae gratia. Num locus hic ad Trinitatem fpectat.

ANNOTATIO CI.

Cum ergo furrexiffent inde viri. Gen. 18. a

CHRYSOSTOMUS homilia in Genefim 42. commendans Abraham, quod virtutes omnes abfolutiffime poffederit, habet verba quaedam fere in principio Num divina gratia non praeveniat, vel a nobis praeveniatur.

cipio sermonis, ob quae, & alia plurima his similia variis in locis expressa Joannes Oecolampadius, Lutheranae haereseos professor, vitio illi vertit, quod nimius sit in assertione liberi arbitrii ex mundanae philosophiae scholis hausta, & violentus admodum in exigendis naturae humanae viribus, quae nullae sunt, una cum voluntaris nostrae praeparatione. Sunt autem haec Chrysostomi verba: QUAE igitur nobis posthaec relicta est excusatio, cum unus homo cunctas in se possideat virtutes; nos vero ita immunes earum simus, ut ne unam quidem perficere juvet: quod enim non ex eo, quod non possumus, sed quod non volumus, a bonis omnibus sumus alieni, manifeste indicat hoc ipsum, quod Patriarcha, qui ante gratiae tempus, & ante legem fuit, a seipso & a scientia, quae naturae insita est, in tantum pervenit virtutis fastigium, ut sufficiat ad confutandum omnes excusationes nostras. At forte dicent aliqui, quod vir ille multam a Deo consecutus sit gratiam, & omnium Dominus singularem ejus habuerit curam. Fateor ita esse & ego: verum nisi prius & ipse, quod suum erat, fecisset; non tanta a Domino obtinuisset: ea propter attende, quomodo primum in omnibus virtutis suae indicium exhibuerit, atque sic divinum meruerit praesidium, quod neque a primogenitoribus semen fidei acceperit, & a se ipso valde religiosam, atque piam mentem obtulerit. Et paulo post addit: VIDISTI, quomodo ab initio, quae a semet ipso erant, attulerit, & propterea divina quotidie ubertim acceperit? Hanc eandem sententiam quamplurimis locis inculcat, praesertim homil. 17. in Joannis cap. 2. ubi sic loquitur: HINC admoneri possumus, Deum suis in nos beneficiis nostras non praevenire voluntates, sed a nobis incipiendum esse, cum autem ille nos viderit prompto paratoque animo ad suscipiendam gratiam, tunc multas nobis offert salutis occasiones. Quibus sane verbis videtur Chrysostomus innuere, quod principium salutis nostrae ita in nobis situm sit, ut absque Praevenientis gratiae auxilio ex propriis naturae viribus mereri possimus divinum justificantis gratiae munus: qui Pelagianorum est error.

SED APPARET Chrysostomum noluisse his verbis praevenienti gratiae derogare, quam toties extollit; sed ignaviam suorum auditorum arguere, & desidiam nostram inexcusabilem reddere: quod etiam praemissae orationis ingressus aperte manifestat, dum inquit: QUAE igitur nobis post haec relicta est excusatio, &c. haec enim est fixa & ubique immobilis Chrysostomi sententia, scilicet; Nos, quicquid boni habemus, ex praevenientis, vocantis, & semper incipientis gratiae benignitate habere, nullumque esse in nobis meritum, quod non sit donum Dei: cujus quidem tanta est bonitas, ut velit nostra esse merita, quae sunt ipsius dona. Et, ne quis, injusta Oecolampadii calumnia commotus, suspicetur Chrysostomum non ita sensisse, ut dicimus; sufficiant duo, aut tria ex tam multis ejus locis inducere; in quibus ipse pro divinae gratiae defensione sic loquitur homilia 12. in quartum caput primae ad Corinthios: QUOD, inquit, habes, hoc accepisti; neque hoc tantum; & illud, sed quicquid habes: non enim merita tua haec sunt, sed Dei gratia: quamvis fidem adducas, a vocatione eam accepisti: quamvis peccatorum veniam adducas, quamvis gratias, quamvis virtutes, omnia inde tibi provenerunt: quid igitur habes, quod non acceptum habeas? num ipse per te recte operatus es? non sane, sed accepisti: non enim tuum id munus est, sed largientis: nam si accepisti, ab illo accepisti: si ab illo, non tuum accepisti: si non tuum; quid insolescis, ac si tuum habeas? Hom. 38. ad populum Antiochenum, quae DE HUMILITATE ET QUIETE inscribitur, NOLIMUS, inquit, nos extolli, sed nos dicamus inutiles, & utiles efficiamur: nam, si te dixeris probabilem, licet probabilis existas, inutilis factus es, si vero te nominaveris inutilem, factus es utilis, licet sis improbandus: propterea meritorum oblivisci necessarium est: tutus enim meritorum thesaurus, oblivio meritorum. Et aliquanto post addit: NE igitur mercede te dignum repures, ut capias mercedem, gratia confitere salvari, ut ipse tibi se debitorem confiteatur: nam & nos, servos habentes, maxime tunc eos acceptos habemus, cum postquam omnia benevole ministraverint, nihil magnum fecisse se censent: itaque si tu quoque magna vis reddere merita tua, ea ne magna esse putes, & magna tunc erunt. Haec Chrysostomus: qui si aliquando diversum dicere videatur, ita interpretandus

dus est, ut referamus praemissa ejus verba, & alia his similia non ad illam primam praevenientis atque excitantis gratiae motionem, quae semper ita nos praevenit, ut a nobis praeveniri non possit, sed ad illud subsequentis gratiae donum, quod in scholis theologorum habitualis gratia nuncupatur. Hoc enim nullus, ut pie sanctèque censet Chrysostomus, consequitur, nisi animum ad susceptionem tanti doni rite praeparatum obtulerit. Vel dicendum est, sicut etiam Anianus in praefatione commentariorum Chrysostomi in Matthaeum annotavit, Chrysostomum interdum naturae nostrae vires plus aequo extulisse ex contentione disceptandi cum Manichaeis, & Gentilibus, qui hominem asserebant vel natura malum, vel fati violentia ad peccandum compelli. Vide Ann.184. 194.& 257. lib.6.

ANNOTATIO CII.

Nunc cognovi, quod timeas Deum. Gen. 22. c.

Num Dei filius fuerit Angelus.

ORIGENES homilia in Genesim octava accusatur, quod senserit angelum, loquentem ad Abraham, fuisse ipsum Dei filium, qui prius factus esset angelus, quam fieret homo. Sic enim scripsit: CONSIDERANDUM est, quia angelus haec refertur ad Abraham locutus; & quod in consequentibus evidenter hic angelus, Dominus ostenditur: unde puto, quod sicut inter homines habitu repertus est ut homo, ita inter angelos habitu est repertus ut angelus. Opinor Origenem hoc loco per angeli habitum significare voluisse non angeli naturam, sed officium; ita ut sensus verborum ejus sit, Filium Dei ante, quam habitu inveniretur ut homo, hoc est ante, quam naturam humanitatis nostrae assumeret in angeli habitu, hoc est ministerio, fuisse, cum priscis Patribus multifarie appareret, multisque modis loqueretur: juxta quam intelligentiam D. Augustinus Tom. 6. in tract. super Ego sum qui sum, censet secure credi ac dici posse, Filium Dei non solum apparuisse Abrahae, ac Mosi, verum etiam recte eum appellari posse angelum, quem propheta nuncupavit Magni consilii angelum, officio scilicet, non natura.

ANNOTATIO CIII.

Vidit post tergum arietem inter vepres haerentem cornibus. Gen.22.d

Sabek perperam pro hirco exponi.

EUSEBII Emeseni errorem, quamvis leve, Hieronymus in Quaestionibus Hebraicis indicandum putavit, nempe quod is dum exponeret praesentem locum juxta LXX. editionem, in qua legitur, Aries tenebatur in virgulto Sabek cornibus suis, ridiculam rem scripserit, Sabek, inquiens, dici hircum, qui rectis cornibus, & ad carpendas arboris frondes sublimis attollitur. Huic errori ansam praebuerunt LXX. interpretes: qui nomen סבך Sabek, quod perplexionem significat, tanquam loci alicujus, vel animalis, vel plantae proprium nomen esset, reliquerunt in editione sua, *ἰδοὺ κριὸς εἷς κατεχόμενος ἐν φυτῷ σαβὲκ τῶν κεράτων*, id est, *Ecce Aries unus interceptus ad arborem Sabek cornuum suorum.* Proinde Eusebius, posita distinctionis nota ante dictionem Sabek, putavit appositive legendum esse *σαβὲκ τῶν κεράτων*, id est Hircus cornuum, sive cornutus. Ad id etiam fortasse inductus est vocis similitudine, quam quidam apud Syros ferunt significare Hircum, quem Itali quoque vocant Becco, & Germani Strambek.

Samuel Bochartus, aliique docti viri, quos laudat P. Calmet, invictis argumentis ostendunt סבך Sabek significare spinas, ac vepres implicantes.

ANNOTATIO CIIII.

Deprecatus est Isaac super uxore sua. Gen. 24.

Maria Virgo an aliquando infidelitate laboraverit.

CHRYSOSTOMUS hom. 49. post enarrationem istius sententiae videtur inurere notam incredulitatis Mariae virgini, quod Christi conceptum in utero suo absque humana commistione futurum non crediderit nuncianti angelo. Sic

enim

enim angelum introducit loquentem ad Mariam: ET QUIA adeo incredula es, per hoc crede. Et post pauca addit, PLANE per omnia manuducebat eam ad credendum annunciationi; & vide, quanta Gabriel utitur solertia: non enim ei in memoriam reducit Saram, vel Rebeccam, quae fuerunt steriles & vetulae; quia erant hae antiquae narrationes: sed adducit eam ad hoc, quod nuper in Helisabeth contigit, ut mentem ejus ad credendum provocaret. Hunc eundem fidei defectum videtur Chrysostomus eidem ascribere in morte filii sui, dum in Psalmo 13. sic inquit: QUANDO Christus fuit crucifixus, non fuit qui faceret bonum: discipuli omnes fugerunt, Johannes nudus recedit, Petrus negat, ipsius Mariae matris animum gladius dubitationis pertransit. Huic sententiae non dissimile est, quod de dubitatione Mariae scribunt Origenes hom. 17. in Lucam, Theophylactus in Lucae 2. & Augustinus in quaestionibus super Lucam, sicut infra videre poteris in censuris super Evangelium Lucae. Sunt qui perperam judicent Chrysostomi ingenium, suapte natura foemineis moribus infensum, non potuisse cohibere se, quin aliquid muliebre etiam Mariae tribueret; quam alibi, quoque in commentariis Evangeliorum Matthaei, & Joannis ut importunam & ambitiosam perstringit. Verum, quia Chrysostomus inter caeteras Mariae virtutes etiam fidem miris ubique celebrat laudibus; necesse est referre ipsius verba non ad illud sive dubitationis, sive incredulitatis genus, quod sub infidelitatis crimine collocatur; sed ad quandam haesitationem, ex vehementi admiratione, ac stupore nascentem, quoties praeter naturae modum & ordinem, insolitae eventuum species nobis primum occurrunt; quod & ipse satis aperte indicat, cùm eo in loco Mariam describit ad sermones angeli summa admiratione obstupefactam. Lege Annot. 58. 138. 139. 140. 185. lib. 6.

Luc. 1. e

Luc. 2. e

ANNOTATIO CV.

Rursus fodit alios puteos, quos foderant servi patris sui Abraham. Gen. 26. d

Num coeli vocalem sonum motu suo edant.

PHILO Judaeus in libro De somniis allegorice pertractans historiam de puteis, a Jacob inventis, cum obiter incidisset in sermonem eorum, quae laudant Deum, asseruit orbes coelestes vocalis harmoniae sono, qui ex eorum circuitione conficitur, continuo celebrare Deum. Sunt autem verba ejus hujusmodi: COELUM perpetuo concentu suorum motuum reddit harmoniam suavissimam; quae si posset ad nostras aures pervenire, in nobis excitaret impotentes amores, & insanum desiderium; quo stimulati rerum ad victum necessariarum oblivisceremur, non pasti cibo, potuque per fauces demisso, sed quemadmodum immortalitatis candidati divinis consummatae musicae cantibus: quales cum Moses extra corpus raptus audivisset, fertur per quadraginta dies, totidemque noctes nec panem, nec aquam gustasse: itaque coelum instrumentum musicae archetypum videtur mihi non propter alia sic elaboratum, quam ut rerum parentis hymni scire decantentur, & musice. Ad eandem sententiam haud dubium est, quin alluserit D. Ambrosius in praefatione commentariorum in psalmos his verbis: LAUDANT angeli Dominum, psallunt ei potestates coelorum, & ante initium mundi cherubim & seraphim cum suavitate canora vocis suae dicunt, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Ipsum quoque axem coeli fert expressior sermo cum quadam perpetui concentus suavitate versari, ut sonus ejus extremis terrarum partibus audiretur, ubi sunt quaedam secreta naturae: neque id ab usu naturae videtur alienum. Licentius ad Augustinum, praeceptorem suum, de Deo loquens hoc ipsum elegantissimis versibus breviter complexus est, inquiens:

Aptavit numeros coelis, jussitque sonoros
Exercere modos, parilesque agitare choreas.

Divus Anselmus libro primo De imagine mundi horum positionem approbans, apertiori sermone eam declarat in hunc modum: SEPTEM coelorum orbes cum dulcisona harmonia volvuntur, ac suavissimi concentus eorum circuitione efficiuntur: qui sonus ideo ad nostras aures non pervenit, quia ultra aërem fit, & ejus magnitudo nostrum angustum auditum excedit: nullus enim a nobis sonus

per-

percipitur, nisi qui in aëre efficitur: a terra autem usque ad firmamentum coelestis musica mensuratur; ad cujus exemplar nostra musica inventa est. Sed his obstare videtur, quod Epiphanius libro primo Panarii, & Irenaeus libro adversus haereses hanc assertionem inter damnata Marcosiorum dogmata collocant, & Basilius in Hexaëmeron hom.2. & Ambrosius ipse in Hexaëmeron eandem veluti cavillatoriam, ac debilissimo fundamento innixam contemnunt: nisi forte dicamus hos gravissimos viros non ipsam coelestium sonorum assertionem rejicere, sed ridiculas ratiocinationes, quibus inepti quidam philosophi eam tueri annitebantur, vel prodigiosa quaedam figmenta, quae haeretici, praesertim Marcosii, ex ipsa deducebant. Scripsimus de hac re uberius in libro De quaestionibus physicis in divinas scripturas,

ANNOTATIO CVI.

Venerunt ipsa die servi Isaac, annunciantes de puteo, dicentes, Invenimus aquam. Gen. 26. g

SEPTUAGINTA pro eo, quod in Hebraeo legitur, Venerunt ipsa die servi Isaac, annunciantes de puteo, quem foderant, dicentes: Invenimus aquam, unde appellatum est nomen ejus Abundantia, ipsi penitus ex opposito verterunt: Venerunt servi Isaac, & nunciaverunt ei de puteo, quem foderant, dicentes, Non invenimus aquam: unde appellatum est nomen ejus Juramentum. Quam interpretationem Hieronymus in libro De Hebraïcis traditionibus, ut corruptam, damnat, inquiens: QUAE enim etymologia est, propterea vocari Juramentum, quia aquam non invenissent? cum & contrarium in Hebraeo sit, & Aquila, & Symmachus consenserint, quod aquam invenerint: & propterea appellatus sit puteus ipse Abundantia, vel Saturitas. (a)

LXX. male verterunt non invenimus aquam.

ANNOTATIO CVII.

Ego sum Esau primogenitus tuus. Gen. 27. e

ORIGENES in sexto libro Stromateon obiter hunc locum attingens, docuit simulationes & mendacia aliquando Christianis esse proficua; posseque prudentem ac sapientem virum officioso mendacio non secus, quam medicamine, cum

An liceat viro bono mentiri.

(a) Lectionem, seu versionem LXXII. Interpretum immediate adversam Hebraico textui, non habent neque Hieronymus, neque Aquila, nec Symmachus, imo nec ipsa editio Septuaginta Complutensis; quare facile fieri potuit, ut ex oscitantia librariorum irrepserit particula illa negativa, quam adcurate eraserunt Complutenses Doctores, qui perquisitis purgatioribus Codicibus editionem laudatam procuderunt: & quidem si aquam non invenerunt ibi, undenam abundantia? ubinam quies & pax? unde gaudium, ut ex Divino textu colligitur?

Ut autem res clarius percipiatur, ad incudem revocare lubet Hebraicum verbum שבע, quod trifariam lectum triplicem habet significationem. Vel enim legitur שבע per schin, & redditur scheba, & tunc significat septem, & potest hic ejus esse sensus: Hic est septimus puteus, quem effodi, ut legit Vatablus. Vel hic est puteus septem agnarum, quibus eum emit Abraham Cap. XXI. v. 30. & 31. Vel tandem hic est puteus septem, idest multas, & copiosas dabit aquas, quem sensum retinuisse videtur Vulgatus interpres. Vel שבע legi potest per schin, schebua, & significat Juramentum, & in eo sensu usurparunt Septuaginta, fortasse quia ad hunc puteum jurarunt, foedusque inierunt Abraham & Isaac cum Abimelecho. Vel tandem שבע legi potest per sin, & reddi seba, & significat saturitatem, & abbundantiam; & re vera hic fuit sensus Isaaci, ut patet ex versibus 22., & sequentibus, & hanc significationem retinuerunt Hieronymus, Symmachus, Aquila, & nostra Vulgata. Observant itidem duo NN. doctissimi Authores, Hebraice peritissimi, Xantes Pagninus *Thesauro linguae Sanct.* V. שבע, & Thomas Malvenda *in Cap. XXVI. Genes.* quod variatio omnis tollitur dum punctum adjicitur. Si enim ש adjicitur punctum cornu dextero, legendo *schabagh* (heinc aliqui etiam ad exprimendam hanc majorem emphasim finalem scribunt שבעה) significat *septem* & *jurare*. Si autem adponatur cornu sinistro legendo *scabagh*, vel *sabagh*, vel *saba*, sive *seba* (ob defectum enim punctorum variant in expressione Doctores) tunc significat *saturari*, & *satiari*: cujus rei innumera proferunt exempla, eaque dilucida in Verbo scripto ad id comprobandum; iidemque pariter concludunt, quod etiam hoc modo, & quomodocumque pronuncietur, aut scribatur, *Abundantia* in vulgato textu retenta clarissime manifestatur. Septenarius enim numerus plenitudinem denotat, & Juramentum plenam ac indubitatam fidem facit. Contextus demum historiae ita luculentam praesefert hanc aquarum copiam, & in puteo repertam, ut aliter velle interpretari sit historiam corrumpere, & contorquere: qua de caussa mendum grave irrepsisse in Graeca LXXII. versione in adpositione particulae negativae *non invenimus aquam*, qui utroque non caligat oculo, clare observat. Legesis laudatos Authores, necnon Cornelium a Lapide, Calmetum, & ceteros. Sed de hac re iterum in calce operis.

cum necesse fuerit, uti. Sic enim Origenes, cum Platonis dogmatibus dogmata nostra conferret, eo in loco scriptum reliquit: PLATO in tertio De Republica libro: VERITAS, inquit, sectanda magnopere est: si enim, ut paulo ante rectissime dicebamus, Deo indecens & inutile mendacium est, hominibus quandoque utile, ut utantur eo quasi condimento, atque medicamine; nulli dubium est, quin hujusmodi licentia medicis danda sit, & ab imprudentibus removenda: ergo & principes urbium, si quibus & aliis hoc conceditur, oportet aliquando mentiri vel contra hostes, vel pro patria & civibus: ab aliis vero, qui mendacio uti nesciunt, auferendum est omne mendacium. Hactenus verba Platonis recensuimus; & nos, igitur illius praecepti memores, Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: non debemus dicere, Quis est proximus meus? sed considerare, quomodo philosophus caute dixerit, Deo indecens & inutile esse mendacium, hominibus non interdum utile: & quod ne pro dispensatione quidem putandus sit Deus aliquando mentiri; sin autem commodum audientis exegerit, verbis loquitur ambiguis, & per aenigmata, quae vult, profert, ut veritatis apud eum dignitas conservetur, & quod noxium esse poterat, si nudum proferretur, in vulgus quodam tectum velamine proferatur: homo autem, cui incumbit necessitas mentiendi, diligenter attendat, ut sic utatur interdum mendacio, tanquam condimento & medicamine; ut servet mensuram ejus, nec excedat terminos, quibus usa est Judith contra Holofernem, & vicit eum prudenti simulatione: imitetur Esther, quae Artaxerxis sententiam diu tacita gentis veritate correxit; & in primis patriarcham Jacob, quem legimus benedictiones patris artificioso impetrasse mendacio; ex quo perspicuum est, quod nisi ita mentiti fuerimus, ut magnum nobis ex hoc aliquod quaeratur bonum, judicandi sumus quasi inimici ejus, qui ait: EGO sum veritas. Haec Origenes in 6. libro Stromateon. In decimo autem ejusdem operis libro hoc ipsum apostolico exemplo confirmans, dixit, Petrum & Paulum, Apostolorum principes, non vera, sed simulata contentione invicem apud Antiochiam contendisse; ut eo simulationis genere Judaeos & Gentiles, inter se de legalibus dissidentes, ad concordiam revocarent.

[Marginal notes: Eph. 4. e — Jud. 11. a — Est. 5. c — Joan. 14. e — Gal. 2.]

IN EANDEM sententiam ire videtur Chrysostomus in fine libri primi De sacerdotio: ubi apertissime tradit fraudes, dolos, deceptiones, & imposturas, quae non studio nocendi, sed alicujus magni boni gratia, & ex recto animi judicio fiunt, esse usque adeo necessarias, ut permulti poenas saepenumero subierint hoc ipso, quod fraudes non exercuerint. Quam rem multis etiam adhibitis exemplis confirmat, in primis imperatorum, quibus magis decorum est hostes fraude vicisse, quam aperto Marte debellasse: deinde medicorum, qui aegros, aut pharmaca recusantes, aut ferri sectionem refugientes, fraudibus circumveniunt, &, remediis per dolum porrectis, ad sanitatem perducunt: demum & sacrorum virorum exemplo, inter quos Jacob sibi jus primogenitorum dolose vendicavit; Moses per deceptionem opes Aegyptiorum in Israëlitarum transtulit castra; Michol, circumvento ac decepto patre, liberavit a morte maritum suum Davidem, quem paulo post frater ejus Jonathas iisdem armis ab ira Saulis servavit; Paulus, tanquam salutare pharmacum, imposturas saepe usurpavit, ceu cum in gratiam Judaeorum, quos ad Christum desiderabat allicere, Timotheum circumcidit, & multis aliis caeremoniis legis se submisit, quas post fidem Christo datam exitiosas esse sciebat. Rursus hom. 53. in Gen. exponens illud, Ego sum Esau primogenitus tuus, asserit Jacob, haec dicentem, fuisse mentitum; sed mendacium hujusmodi non esse culpandum: quia is non temporalis commodi, vel avaritiae causa mentitus fit, sed quo patris benedictionem sibi compararet. Item hom. 32. in Gen. super illis verbis, Dic, quod soror mea sis, & in epistola ad Olympiam, Abrahae, atque Sarae simulationem, qua, ut ipse inquit, mentitum genus, & aliam pro alia persona inferebant, laude & imitatione dignam pronunciat.

[Marginal notes: Gen. 27. — Exod. 12. e — 1. Reg. 19. e — 1. Reg. 20. e — Act. 16. a — Genes. 27. — Gen. 20.]

JOANNES Cassianus, Chrysostomi diaconus & discipulus, metaphoram medicamenti & mendacii, a Platone in Origene usurpatam, pertrahens ad ejusdem sententiae comprobationem, inquit, sanctis viris ita utendum esse mendacio, ac si ei natura insit hellebori: sicut enim helleborum, si imminente exitia-

[Marginal note: Cassianus Collat. XVII. cap. 17.]

li

si morbo sumatur, salubre est; si vero sine summi discriminis necessitate bibatur, exitiale est: ita & mendacium proficuum est, cum ex veritatis confessione periculum imminet; mortiferum vero, cum nulla occultandae veritatis necessitas incumbit. Hanc autem necessitatem ad duo tempora reducit, nempe vel cum magnum aliquod damnum fuerit avitandum, & optimum aliquod lucrum assequendum, vel cum humilitatis gratia fuerit mentiendum, hoc est ut quis virtutes suas ad evitandam inanem gloriam pro mendacio occultet. Priorem hujus assertionis partem astruit libro 17. Collationum a capite 17. usque ad 21. exemplis Jacob, fraude & mendacio paternam haereditatem invadentis; Joseph, mendacibus verbis fratres suos deterrentis; Raab, pro salute exploratorum mentientis; Davidis, coram sacerdote Achimelech mendaciter loquentis; Jacobi, Petri, & Pauli, ad simulationis figmenta pro ecclesiae pace, descendentium. Posteriorem vero ejusdem assertionis partem comprobat a cap. 21. usque ad 25. allatis aliquot Scripturae testimoniis.

HIERONYMUS quoque huic Origenico dogmati accessisse videtur in commentariis epistolae ad Galatas: ubi cum de Petro, a Paulo reprehenso, tractaret, hypocrisin censuit viris bonis in tempore assumendam, ad imitationem multorum illustrium virorum; de quorum numero Hieu, rex Israël, sub fallaci pro- 4. Reg. 10.
missione colendi Baal, sacerdotes ejusdem Baal interemit. David, ficta insania, 1. Reg. 21.
Achidis Gethaei regis periculum aufugit. Paulus simulata objurgatione, Petrum, Gal. 2.
nullius culpae reum, ad terrorem judaizantium reprehendit; &, ut Judaeos Act. 16. 3
Christo lucrifaceret, Timotheum circumcidit; ipseque caput totondit in Caen- Act. 21. 26.
chris; &, facto calvitio, oblationem obtulit in Hierusalem.

HANC assertionem Augustinus cap. 2. libri De mendacio ad Consentium in Priscillianistis haereticis damnat: & in epistola ad Hieronymum dolet eam aliquando a Hieronymo defensam, sic scribens: LEGI quaedam scripta, quae tua dicerentur, in epistolas Pauli, quarum unam ad Galatas cum enodare velles, venit in manus locus ille, quo Apostolus Petrus a perniciosa simulatione revocatur: ibi patrocinium mendacii susceptum esse abs te tali viro, fateor, non mediocriter doleo: mihi enim videtur exitiosissime credi eos homines, per quos nobis divina scriptura ministrata est, atque conscripta, aliquid fuisse mentitos. Haec Augustinus. Est & aperta adversus hanc sententiam ecclesiae determinatio in Decretalibus, titulo De usuris, cap. Super eo: ubi Innocentius pontifex ejus nominis tertius constanter affirmat, divini verbi praecepto vetati, ne quis etiam pro alterius vita servanda mentiatur: quam determinationem omnes theologi scholastici sequentes, planissime decernunt non solum omne mendacium esse peccatum, sed etiam omnem, seu noxiam, seu officiosam simulationem, & fraudem esse vitium veritati contrarium, & ad mendacii crimen pertinens: nam sive sermone, sive quocunque facto vel laedendi, vel juvandi studio quispiam mentiatur, mendax est; & omne mendacium aut peccatum est, aut non sine peccato.

AD EA vero, quae a defensoribus contrariae opinionis objecta sunt, facile ex Augustini doctrina respondent, distribuentes multitudinem eorum, qui in exemplum proficuae simulationis, & officiosi mendacii producuntur in duas classes. In prima statuunt eos, qui cum nihil mentiti sint, mendaces tamen fuisse videntur: porro ex his alii mendaces fuisse putantur, quia figurate & mystice locuti sunt, veluti Jacob: qui cum in verbis illis, Ego sum Esau primogenitus tuus, mentiri videretur; vera tamen pronunciabat: quia juxta divinam providentiam, quae illum ad primogenituram Esau delegerat, vere primogenitus erat. Alii vero in suspicionem fallaciae ac mendacii deciderunt; quia, occultatis animi consiliis, veritatem aperire noluerunt, ceu Abraham de uxore sua interroganti respondens eam esse sororem, mendacium protulisse, & veritatem abnegasse visus est; cum tamen nullo modo mentitus fuerit, sed veritatem tantum occultaverit, tacens eam esse uxorem, & indicans, quod verum erat, eam esse sororem: erat enim ei vere soror ex patre, sed non ex matre. Ad hanc occultandae veritatis regulam theologi referunt omnia bellica stratagemata, & militares insidias, caeterasque gubernatorum, judicum & medicorum simulationes; quae, remoto omni falsitatis crimine, in sola veritatis occultatione consistunt. Inter has recenseri possunt fictiones Mosis, Aegyptum expoliantis; Judith, Holofernem obtruncantis; Davi-

dis, in saniam simulantis; Petri, se comedere dissimulantis; & Pauli, ficta objurgatione Petrum increpantis: quae quidem fictiones cum omni prorsus mendacio careant, frustra ad mentiendi patrocinium inductae sunt. In secunda vero classe scholastici collocant eos, quos absque dubitatione constat fuisse mentitos: quales sunt David coram sacerdote Achimelech, Jonathas coram Saule, Hieu rex cum sacerdotibus Baal, Raab pro exploratoribus Judaeorum, Michol pro Davidis salute: hos autem asserunt non esse in favorem falsitatis & mendacii allegandos, cum eorum mendacia nusquam a Deo fuerint approbata: nam etsi aliquos horum legamus in sacris literis post haec mendacia laudatos, & etiam bonis temporalibus a Deo remuneratos: non tamen existimandum est in eis laudatam ac remuneratam fuisse fallaciam & mendacium, sed pietatem & charitatem & fidem, qua complexi sunt illos, pro quibus mentiri non timuerunt. [a]

ANNOTATIO CVIII.

Viditque Jacob in somnis scalam stantem super terram. Gen. 28. c

Utrum sidera sint animalia rationalia. PHILO Judaeus in libro De somniis circa hujus visionis elucidationem intentus, IN COELO, inquit, sidera sunt, quae singula non solum animantia dicuntur, sed & mentes purissimae sunt: quam sententiam clarius explicans in libro De opificio sex dierum, haec scripsit: RERUM, quae sunt in natura, aliae nec virtutis participes censentur, nec vitii, ut stirpes, & bruta; aliae item sola virtute praeditae, nihil omnino habent vitii, ut stellae: nam hae animalia sunt, & quidem intelligentia: vel potius mentes singulares, totae probae, nec ullius capaces vitii: rursum aliae mistae ex utroque, ut homo, qui contrariorum est capax. Et in eodem libro inferius addit: STELLAE sunt rationales, ac divinae naturae, partim intelligibiles & incorporeae, partim vero corporeae.

SECUTUS est Origenes Philonem, hoc uno tamen ab eo dissentiens, quod ille siderum naturam omnis vitii credat expertem, hic vero eandem arbitretur non minus vitii, quam virtutis capacem. Sic enim de stellis primo Tomo commentariorum in Joannem locutus est: ETENIM absurdum est dicere Christum pro humanis tantum peccatis mortuum esse, & non pro aliquo alio, quod praeter hominem in peccato fuit, veluti pro stellis, cum nec stellae omnino mundae
Job 25. 5 sint coram Deo, ut in Job legimus, Stellae autem non sunt mundae coram ipso. Rursus de siderum animatione in primo Peri Archon, capite 7. latius disputans, ostendit astra esse animalia ratione praedita, quae in virtutibus proficiant, & deficiant; esseque illis spiritum extrinsecus a Deo infusum, ut intra siderum corpus ad hominum utilitatem illuminandi ministerium exerceant usque ad finem saeculi: in quo cum sancti Dei consummatam gloriam adepti fuerint, tunc & ipsa ab hujus ministerii servitute liberabuntur. Atque hoc ipsum homilia ultima in libris Numerorum, & aliis compluribus locis frequenter inculcat.

AD eandem opinionem visus est alludere Hieronymus in commentariis su-
Eccl. 1. 6. per Ecclesiasten: ubi expendens illud, quod in principio ejus libri legitur, Gyrans gyrando vadit Spiritus, haec attulit: QUOD autem ait, Gyrans gyrando vadit Spiritus, & in circulos suos revertitur, sive ipsum Solem spiritum nominavit, quod animet, & spiret, & vigeat, & annuos orbis cursus expleat, ut ait poëta,

Interea magnum Sol circumvolvitur annum. & alibi,
Atque in se sua per vestigia volvitur annus. sive quod,
Lucentemque globum Lunae, Titaniaque astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

non de annuo Solis cursu, sed de quotidianis ejus semitis loquitur. Non longe ab his distare videtur cardinalis Cajetanus: qui in Psalmo 135. enarrans illud, Fecit coelos in intellectu; IN intellectu, ait, hoc est intellectuales: quod est verum vel

(a) Legesis Exercitationem nostram XIII. in Propos. proscriptas ab Innoc. XI. Tom. II. & Cl. N. Josephum Augustinum Orsi Secretarium S. Congregationis Indicis *De usu materiali verborum*, ubi cuncta reperies opportuna ad rem hanc dilucide expendendam, & mendacii patronos confutandos.

vel quantum ad substantiam coelorum, si sunt animati, ut multi philosophi ratiooabilitet putant: vel quo ad motum, quia motus eorum ptocludubio intellectualis est, hoc est ab intellectu. Et alio loco obiter exponens, quod in praefatiooe divioi sacrificii canitur: Coeli coelorum virtutes socia exultatione concelebrant, existimavit id posse intelligi de coelis, qui cum aoimati sint, ipsi quoque una cum caetetis angelis laudaot Deum. Neque ab hac sententia omnino abhorruit Augustinus; qui eam noo ausus improbare, sub dubio reliquit, ita in secundo libro De Genesi ad literam cap.18. scribens: SOLET etiam quaeri, utrum coeli lumioaria solum corpora conspicua sint, an habeant rectores quosdam Spiritus suos: & si habeant, uttum ab eis vitalitet inspirentur, sicut animantur carnes per animas animalium, an sola sine ulla permistione praesentia. Quod licet in praesenti facile oon possit comprehendi; arbittor tamen in processu tractandarum scripturarum opportuniora loca posse occurrere: ubi oobis de hac re secundum sanctae auctoritatis litetas, etsi non ostendere certum aliquid, tamen credere licebit. Et in Enchiridio ad Laurentium 58. idem repetens, addit: SED oec illud quidem certum habeo, utrum ad eandem societatem angelotum pertineant Sol, & Luna, & cuncta sidera, quamvis nonnullis lucida corpora esse, oon cum sensu, & intelligentia videantur. (a)

EX OPPOSITO Basilius, cognomento Magnus, in homilia tertia Hexaëmeron hanc opinionem refellens, inquit: NEQUE enim coeli animati suot, quoniam enarrant gloriam Dei; neque firmamentum animal est sensitivum, quia annunciat opera manuum ipsius: sic enim & ros, & pruina, & frigus spititualis quaedam & rationalis natura erunt, quia apud Daoielem Deum laudare videntur &c. Cui consentiens Joan.Damascenus libto 2. De orthodoxa fide capite 6. NULLUS, ait, coelos, aut luminaria arbitretur animata: ioaoima enim sunt, & insensibilia: quare si Scriptura dicit, Laetentur coeli, Angelos, qui sunt in coelo, ad laetitiam vocat: novit etiam Scriptura prosopopoejam, personarumque fictionem usurpare; & de inanimis, ut de animatis, dicere: ut, Mare vidit, & fugit. Hieronymus item io epistola ad Avitum intet haereses, quas in libris Periarchon Origenis caveri admonet, assertionem quoque de stellis aoima rationali ptaeditis enumerat.

CAETERUM D.Thomas io primo volumine Summae theologicae qu. 70. art.3.controversiam haoc sedat,hujusmodi allata distinctione:SIDERA,inquit,caeteraque coelestia corpora esse animata, sive animalia, bifariam intelligi potest, aut uoivoce, hoc est anima informante, quae sit corporis forma, quales sunt plantarum & animalium animae; aut aequivoce, hoc est anima assistente, quae corpori uniatut, non tanquam forma, sed tanquam movens mobili. Basilius itaque, & Damascenus, & in epistola ad Avitum Hieronymus non tepreheodunt eos, qui juxta postetiorem intellectum creduot astra esse aoimata vel animalia, ceu verisimile est sensisse Philonem, arque ipsum Hieronymum in libro Ecclesiastis, forteque etiam Origenem, sed eos duntaxat refellunt, qui stellas animatas, & sidera docueruot esse animalia juxta priorem intelligendi modum: hos intet an Philo, & Otigenes recensendi siot, non satis constat: tametsi Nicephorus lib.17. historiae ecclesiasticae inter anathematismos adversus Origeoem in V. Synodo contortos, hunc, quoque reponat: SI quis dicit coelum, & Solem & Lunam, & Stellas animatas quasdam esse, & mobiles virtutes Anathema sit.

ANNOTATIO CIX.

Dixit Rachel, Da mihi mandragoras. Gen. 30. b

HIERONYMUM reprehendit Franciscus Georgius Tomo primo, problemate 215. quod pro voce, quae hoc loco Hebraice legitur דודאים Dudaim, vertetit Maodtagoras, cum Lilia exponere debuisset: nam qui fieri potest, ut Ra- Mandragorae an perperam positae pro Dudaim.

 chel

(a) Consule Cl. Cardinalem Henricum de Noris in *Vindiciis Augustinianis* ubi rem totam clarissime expendit, & ex variis S. Augustini monumentis ostendit S. Patrem priorem retractasse sententiam de animabus syderum &c.

chel ſterilis concipiendi deſiderio tantopere mandragoras expetierit, quae frigidiſſimae ſunt, & conceptibus praeſertim infeſtae, immo etiam ſumentibus lethiferae, ut Dioſcorides longo ſermone proſequitur. Hinc & Andraclon ipſa mandragora dicitur, quia hominem interimar: quamvis alii eam dici velint Andricelon ab hominis effigie: quod falſum experientia comprobat: niſi forte interpres de alio mandragorae genere intellexerit, quam Circeam vocant, cujus radix amoribus deſervit: hujus tamen radix, ut ipſe Dioſcorides refert, paſtoribus, eam mandentibus, capitis gravedinem affert, ac ſtuporem inducit. Similiter & de alio genere mandragorae, quae Morion appellatur, idem auctor narrat, quod ejus dragma, in potu ſumpta, dementiam inducat. דודאים Dudaim ergo lilia ſunt, quae calida ſunt, & conceptui valde propria. Ejuſmodi quoque error ha-
Cant. 7. 13. betur in Cantico Canticorum, ubi dicitur, MANDRAGORAE dederunt odorem ſuum; cum mandragora prorſus inodora ſit, nec ullum odorem emittat. (a)

AN-

(a) Male reprehenditur S. Hieronymus a Franciſco Georgio, quod דודאים *Dudaim* verterit *Mandragoras*, & ex eo quidem momento, quia nimirum Mandragorae frigidiſſimae ſunt, ſterilitatem inducentes, quas propterea Rachel expetere nequibat dum foecunditatem perardenter optabat. Non deficiunt autem Hieronymo monumenta ſcriptorum Botanices, qui oppoſitum docuerunt. Plinius namque *Lib. XXV. c. 15.* adſerit mandragorae ſemen potum vulvam purgare. Ariſtoteles *lib. 5. de Generat. Animal.* docet mandragoras juvare foecunditatem: quia nimirum cient menſtrua, matricem purgant, & ad conceptum praeparant. Ad Hieronymi vindiciam reſpondet etiam Laevinus Lemnius *lib. de Herbis S. Scripturae cap. 2.* quod etſi mandragora frigidiſſima ſit, in Judaea tamen, & Meſopotamia (calidiſſimis regionibus) ubi degebant Jacob & Rachel ad foecunditatem conducebant, quia ibidem aeſtum & ſiccitatem uteri temperabant. At num דודאים *Dudaim* ſignificent lilia, ut Georgius contendit, & idcirco Hieronymum ventilartoperioſius, eſto breviter, eſt obſervandum, ſicut & ut res haec vere ediſſeratur oportet. Notum quippe eſt iis, qui vel a limine Sacra Biblia ſalutarunt, & Hebraica Lexica aliquando ad manus habuerunt, vel etiam Sacros Interpretes, & de re Biblica Scriptores vel obiter conſuluerunt, diverſimode דודאים *Dudaim* explicari ab interpretibus, variamque ſubire explicationem. Uſurpari enim pro herba, pro radice, pro fructu pro flore, pro arbore innumera ſuppetunt monumenta, & quam variam ſpeciem in eiſdem met variis rerum ſpeciebus ſubire, quis poterit ſine toedio effari? Nonnulli Herbam dicunt eſſe, ſive Sampſuchum, ſeu Clinopodium, ſive Mandragoram &c. Alii Florem, ſive Violas, ſive Lilia, ſive Gelſiminos &c. Alii tubera terrae, aliasve radices. Alii tandem diverſas ejus nominis adſignant arbores, & fortaſſe ex fructu quem iſtae producunt. Sed de hoc fructu quis poterit tantas componere lites, quum de eo varia ſit ſcriptorum opinio, eoſque inter non levis diſſenſio? Malum citrinum alii adſerunt, alii Ceraſa, alii nuces juglandes, alii fructus inſtar parvi peponis grati ſaporis amoenique odoris, alii peculiarem fructum inſtar pomi, odoris ſaporiſque ſuavis. De qua re cum integra nobis non ſit adhibenda Diſſertatio, ſed ſolummodo brevis critica notula, ſatis ſuperque erit ſi primum indigitaverimus Clariores ea de re Scriptores, deinde quid poſſit addi ad rei claritatem & criterium veritatis, ſtrictim tamen, ſed ſine confuſione adnotaverimus.

De דודאים enim qui magis erudita ſcribunt ſunt NN. Xantes Pagninus *Theſaur. lingu. Sanct.* verbo דוד, & Thomas Malvenda in *Cap. XXX. Geneſ.* Auguſtinus Calmetus, & Cornelius a Lapide ibidem, Johannes Druſius *de Dudaim ad finem Ruth*, Blaſius Caryophilus de דודאים praecipue tamen & uberius Matthaeus Hillerus *Hierophytic. P. I. Cap. XXVII.*

Quod vero mihi ulterius adnotando opportunum eſt obſervare, id unum eſt, דודאים non ſignificare lilia, quum Hebraeis lilii proprium ſit ac expreſſivum nomen, videlicet שושן *Schuſchan & Schuſchanna*,

Hiſce ergo praemiſſis, quum hic Rachel Mandragoras poſcat: quum Canticorum VII. Mandragorae dicantur dediſſe odorem ſuum, eaeque tempore meſſis triticeae, verno inclinante tempore, ad maturitatem pervenerint; ſimiliter quum Jeremiae XXIV. duo deſcribantur דודאים in Hebraico Textu, ſeu duo *Calathi* ex noſtra Vulgata, iique *pleni ficis*, eos certe certius exiſtimo eſſe fructus ab iis productos arboribus, e quarum cortice facile eſt efformare calathos, qui proinde idem ſortiantur nomen ac fructus, ut non ſemel in Divino eloquio eſt obſervare. II. Regum V. Juncus pro fiſcella uſurpatur. Job XL. arundo pro ſagitta, & Pſalmo LXVIII. pro jaculo arundo; quin etiam ita ab profanis Scriptoribus id uſurpari conſuevit. Hinc Virgilius Aeneid. IV. ait.

----- „ Haeret lateri lethalis arundo „

Aeneidum V.

„ Namque volans liquidis in nubibus arſit
„ arundo „

Sicut etiam & myrtum pro haſtili.

----- „ Lyciam ut gerat ipſa pharetram „
„ Et paſtoralem praefixa cuſpide myrtum. „

Sed certe hoſce fructus nonniſi ceraſa eſt interpretari, quod etiam Hillero placuit, I. Quia Dudaim ſunt communes Syriae & Paleſtinae, ut ex Cap. XXX. Geneſeos, ex VII. Canticorum, & ex Epiſtola Hieronymi ad Euſthochium conſtat. II. Quia Ceraſi arbores ineunte vere flores, prima autem aeſtate dant fructus, ut praeceteris Plinius ſcribit *lib. XV. c. 25.* III. Ceraſorum cortices & libri aptiſſimi ſunt ad ſportas calathoſque formandos, quibus arborum fructus ſerventur detineantur adſportentur; ex eiſque paſtorales etiam buccinas efformatas videmus. IV. Quia Ceraſa primitivos, & vulgares aeſtatis fructus pueri, puellaeque, ac mulieres pulchre norunt; veſcendoque ipſis plurimum afficiuntur. V. Quia ſole & igne ſiccata recondi poſſunt, ſuntque eos inter fructus, qui univerſim ſub initium aeſtatis ex arbore maturi pendent; ſunt etiam & qui autumnali tempore proſtant in ſylvis. Idipſum (non inficior) quoad ſingulas proprietates dici poteſt de malo citrino ut Calmetus prae aliis ſentit, idque mandragorae nomine voluit expreſſum: quare etſi nomine Dudaim Ceraſa fructus facilius adſeram, non piget etiam Citrina mala admittere; praeſertim quia puellis nimium adrident Cedrorum flores & poma; flores quippe prae venuſtate & odore, poma ex colore flavo, & acri ſucco eiſdem nimium grato. Quid vero obeſt quod *Mandragorae* nomine non id uſurpemus, quod apud nos impraeſentiarum ſonat, quum etiam Cedrus in Scripturis non noſtrum vulgarem fructum, aut

arborem

ANNOTATIO CX.

Facta sunt pecora, quae erant serotina, Laban. Gen. 30. g

SEPTUAGINTA pro eo, quod in Hebraeo est, Facta sunt pecora, quae erant serotina, Laban, &, quae primi temporis, Jacob, verterunt diverso sensu, Facta sunt autem non signata Laban, signata vero Jacob. Hieronymus in Quaestionibus Hebraicis.

Erratum LXX interpretum.

ANNOTATIO CXI.

Et ecce vir luctabatur cum eo usque mane. Gen. 32. e

THEODORUS, Heracleae episcopus, ut ex Catena Graeca Oecumenii constat, praesentem locum elucidans, asseverat Jacob verae & corporeae luctationis complexu dimicasse adversus angelum; qui, virili forma ad tempus assumpta, Patriarcham ipsum ad luctam provocaverat. Hanc sententiam licet omnes fere Hebraei, Graeci, & Latini expositores sequantur: Hieronymus tamen improbasse videtur in tertio libro commentariorum epistolae ad Ephesios: ubi explicans illud, NON est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus spiritualia nequitiae in coelestibus, indicavit Jacob non pugnasse corporaliter contra eum, qui sibi in homine apparuit; sed magis auxilio ejus, qui sibi in homine apparuit, spiritualiter decertasse, non adversus humanas tentationes, sed adversus maximas & suprahumanas improbi daemonis tentationes; quas Paulus appellavit colluctationes non adversus carnem & sanguinem, sed adversus spiritualia nequitiae in coelestibus. Hunc autem sensum expressit his verbis: HAEC in medium protulimus, ut retundamus eorum opinionem, qui putant omnia vitia esse carnis & sanguinis, & nullam habere daemones potestatem, ut nos incitent ad peccandum: talem luctationem & Jacob fuisse putamus, quod scilicet non adversum carnem & sanguinem contenderit, quando remansit solus, & luctabatur cum eo homo adjuvans eum, & corroborans adversum alium sudore nimio dimicantem: & simul vide, ne forte ridiculi sint, qui arbitrantur in ritum luctantium tota Jacob nocte luctatum: quid enim grande, si, ut illi ajunt, luctans aut superarit, aut victus sit? sed juxta rationabilem & convenientem Patriarchae luctam talem illi colluctationem fuisse credendum est, qualem illi habent, qui possunt dicere: Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus spiritalia nequitiae in coelestibus.

Utrum Jacob corporea luctatione cum Angelo certaverit.

Ephes. 6. 12

HACTENUS verba Hieronymi, sequentis hac in parte judicium Origenis; qui prius de eadem re in tertio Peri Archon sic scripserat: UNDE & angelus luctatus dicitur cum Jacob: quod nos quidem non ita intelligimus, ut idem sit, luctatum esse cum Jacob angelum, quod est adversum Jacob: sed quod is, qui ei salutis causa aderat, & ei nomen Israël imponebat, ille idem cum ipso luctatur, id est cum ipso est in agone, & juvat eum in certamine: cum sine dubio alius esset, adversus quem dimicaret, & adversus quem ei certamen ageretur. Denique & Paulus non dixit nobis esse luctamen cum principatibus & potestatibus, sed adversus principatus & potestates: unde & si Jacob luctatus est, sine dubio adversus aliquam harum virtutum luctatus est, quas humano generi, & sanctis praecipue adversari, & movere certamina Paulus enunciat: ideo de Jacob denique dicit Scriptura, quia luctatus est cum angelo, & invaluit ad Deum, ut, si sit agonis quidem certamen, angeli adjutorio sustentatum, perfectionis vero palma vincentem perducat ad Deum. Procopius Gazaeus in commentariis hujus capituli, QUIDAM,

arborem denotet, aliudque longe sit Libani Cedrus ab nostris, quarum nulla est proceritas, dissimilisque fructus? In Hebraico textu נתר *Nether*, & in Vulgata *Nitrum* occurrit, sed quis poterit unquam asserere illud ipsissimum esse ac nostrum nitrum? Reclamant Scripturae: quum illud Hebraicum fuerit saponariae & extersivae virtutis ad sordes abigendas aptum, juxta illud Jeremiae. II. *Si laveris te nitro* &c. secus autem nostrum. Id genus etiam sexcenta occurrunt in eodem Divino Eloquio exempla. Cetera qui optat, Eruditos consulat, quum haec adnotasse sufficiat.

DAM, inquit, ut ex docto quodam viro accepimus, profitentur cum Jacobo concertasse diabolum in specie Esau: volentem devincere ipsum; caeterum ab Jacobo stetisse angelum auxiliarem: ob cujus auxilium nihil diabolus quiverit efficere. Ne igitur putaret Jacob propria virtute debellasse adversarium, sed angeli virtute adjutus, tactus est ei nervus, & claudicatio subsecuta. (a)

A N N O T A T I O CXII.

Nequaquam Jacobus appellabitur nomen tuum, sed Israël. Gen. 32. f

Israëlis vocabulum non recte interpretati sunt multi.

PHILONEM in libro De Abraham, & in libro De Hebraicorum nominum interpretatione, Eusebium, & Chrysostomum, & Hilarium male interpretantes nomen Israël, Jacob Patriarchae impositum, Hieronymus in libro Hebraicatum quaestionum taxat his verbis: ILLUD autem, quod in libro nominum interpretatur Israël, Vir videns Deum, omnium pene sermone detritum, non tam vere, quam violenter interpretatum videtur. Hic enim Israël per has literas ישראל scribitur, quod interpretatur Princeps Dei, sive Rectus Dei: Vir vero videns Deum his literis אישראהאל scribitur, ex quibus איש virum, ראה videns, אל Deum significant. Quamvis igitur grandis auctoritatis sint & eloquentiae, & ipsorum umbra nos opprimat, qui Israël virum, sive mentem videntem Deum transtulerunt: nos magis scripturae, & angeli, vel Dei, qui ipsum Israël vocavit, auctoritate ducimur, quam cujuslibet eloquentiae saecularis. (b)

A N N O T A T I O CXIII.

Joseph autem accusavit fratres apud patrem de crimine pessimo. Gen. 37. a

Num Joseph fratres accusaverint eum de crimine pessimo.

AQUILA, secundus divinorum voluminum interpres, ubi nos juxta Hebraicam veritatem legimus, quod Joseph accusaverit fratres suos apud patrem de crimine pessimo, transtulit, quemadmodum Procopius testatur, contrario sensu κατήνεγκαν δὲ ψόγον ἰωσὴφ πρὸς τὸν πατέρα αὐτῶν, hoc est, Detulerunt scilicet

fratres

(a) Unanimis certe Patrum cum Graecorum, cum Latinorum, nec non Theologorum, ac Interpretum omnium sententia est, luctam cum Angelo humana specie conspicuo a Jacobo initam fuisse corporalem atque realem, & patet expresse ex contextu, omnibusque in divino eloquio gestis, atque narratis, certamine, nimirum, praefato, femoris Jacobaei luxatione, in conflictu a Jacobo benedictione petita, & post agonem Angelico encomio de Patriarchae triumpho. Quapropter Hieronymi expositio non literalis, sed mystica est: sicut etiam parilis sunt conditionis aliae id genus interpretationes, praesertim illa Ruperti Abbatis, exponentis hunc locum de vi, quam precibus suis Jacob faciebat, ut diutius sisteret Angelum, cujus praesentia fruebatur. Ex hoc autem vera realique Jacobi cum Angelo colluctatione, utpote ex genuina historia, profluxit fabula, quam Licophron refert de Jove integra nocte cum Hercule pugnante, istoque de illo victoriam reportante. Quae vero ex aliorum sententia Procopius in medium promit, nisi ad mysterium itidem, sed non sine violentia, pertrahantur, longe a veritate recedunt: praesertim quum benedictionem a Doemone sub specie Esau pugnante Sanctissimus Patriarcha petere nequisset.

(b) Hieronymi textum contractum refert Xystus, substantia quidem invariata, esto aliter ab eodem S. D. vulgatum. Sic enim legitur in editione Marii Victorii apud Paulum Manutium Aldi filium Romae 1566. omnium optima. „ Illud autem, quod in li- „ bro nominum interpretatur Israël, vir videns „ Deum, sive mens videns Deum, omnium pene „ sermone detritum, non tam vere, quam violen- „ ter mihi interpretatum videtur. Hic enim Israël „ per has litteras scribitur jod, sin, res, aleph, „ lamed, quod interpretatur princeps Dei, sive „ directus Dei, hoc est εὐθύτατος Θεοῦ, Vir vero „ videns Deum his litteris scribitur: ut vir ex tri- „ bus litteris scribatur aleph, jod, sin, איש is: „ videns vero ex tribus, res, aleph, he, & dica- „ tur ראה rahe. Porro אל el, ex duabus, aleph, „ & lamed: & interpretatur Deus, sive fortis. „ Quamvis igitur „ &c. ut apud Xystum. Verum observant viri Hebraice docti, quod sicut verum est Israëlem non esse eum, qui Deum videt, seu *videns Deum*, ut a nonnullis exponitur, ita quoque certissimum est non esse, eum qui dicitur *Rectus Dei*, sed potius *Praevalens Deo* ut Angelus, qui ei hoc nomen indidit, aperte indicavit Genes. XXXII. v. 28. „ Nequaquam, inquit, appellabitur nomen tuum Ja- „ cob, sed Israël, quoniam si contra Deum fortis „ fuisti, quanto magis contra homines praevale- „ bis? „ hinc iidem observant non esse aptandam notionem ישר *Jasar*, idest rectum esse, sed שרר *Sarar*, quae est principari, praevalere &c. Attamen sicut quia Jacob luctando praevaluit dictus est Israël, idest praevalens Deo, ita pariter quia luctando vidit Deum, dictus est videns Deum, juxta id, quod ibidem ipsemet Jacob ait v. 30. „ Vocavitque Jacob nomen „ loci illius Phanuel, dicens: Vidi Deum facie ad „ faciem, & salva facta est anima mea. „ Ex quo vindicantur Ecclesiae PP. ita expendentes vocabulum *Israël*. Hieronymus, vero esto adjecerit *Rectus Dei*, ut genuinam radicalemque notionem retineret, tamen quod adjecit, ad majorem explicationem potius adposuit: quare & ipse quoque vindicatur S. Doctor Hebraice peritissimus. Ad majorem autem hujusce rei notitiam legesis Interpretes Hebraice doctos,

fratres convicium malum de Joseph ad patrem ipsorum. Eodem quoque modo ante Aquilam verterunt hoc ipsum LXX. interpretes: quam versionem sequens Chrysostomus, juxta eundem sensum haec verba exposuit hom.61. in Genesim, inquiens: VIDENTES illi patris erga illum benevolentiam, in invidiam contra eum excitati sunt: detulerunt enim Joseph de pessimo crimine apud Israël patrem suum. Vide malitiae eminentiam: etiam patris charitatem perturbare attentabant: & quae non erant, fingunt contra eum tantum malum perficientes, solum ut invidiam suam explere possent. Consentiunt cum hac eadem editione Theodori Heracleotae, Isidori Pelusiotae, & Theodoreti explanationes. (a)

ANNOTATIO CXIV.

Ingrediens Judas ad Thamar, dixit, Dimitte me, ut coëam tecum. Gen. 38. d

CHRYSOSTOMUS, examinans congressum Judae & Thamar, nempe soceri cum nuru, praesenti capite descriptum, diversa & plane dictis suis contraria videtur sentire: nam in 62.homil. in Genesim ram socerum, quam nurum ab omni crimine liberans, ita scribit: THAMAR furari voluit soceri concubitum, & ex illo filios procreare, non libidinem explere concupiscens: (absit hoc) sed dispensatio erat quod fiebat.Et post pauca tres hujus sententiae rationes inducens: NULLUS, inquit, haec audiens condemnet Thamar: nam, ut dixi, dispensationi ministravit: & propterea neque ullam inde reprehensionem meretur, neque Judas criminibus fuit obnoxius. Ecce enim hac via procedens invenies ex pueris Judae natis Christum secundum carnem ducere genus: praeterea duo isti filii per eum nati duorum populorum figura fuerunt, & praedictio quaedam vitae Judaïcae, & spiritualis. His tribus rationibus Chrysostomus hoc loco Judam & THAMAR defendit, quos aliis in locis aperte damnat; hanc quidem ut incestam, illum vero ut fornicarium: siquidem homilia prima in Matthaeum de ipsius Thamar concubitu mentionem faciens, ita inquirit: CUR MATTHAEUS in generatione Christi eas tantummodo foeminas, quae de aliquo vitio celebratae sunt, eduxit in medium, id est, si qua adultera, vel meretrix, si qua etiam ex nuptiis non legitime copulata, si qua alienigena, vel barbara fuit: siquidem non modo Uriae uxorem, sed etiam Thamar, & Ruth Evangelista commemorat: quarum alia quidem erat alienigena, ut Ruth; alia vero scortum, ut Thamar; quae cum affine rem habuit, non tantum non lege illi conjuncta conjugii, sed furata concubitum, & intra habitum meretricis abscondita. Cui quidem quaestioni idem homilia in Matthaeum tertia satisfaciens, tres hujus facti causas assignat, primam, ut ostenderet, quod Christus, qui nostra opprobria extincturus advenerat, progenitores peccatores habere dignatus sit, nihil ob mala nostra erubescens: secundam, ut demonstret nobis non esse de parentibus etiam fornicationis & adulterii foeditate sorditatis erubescendum, si propria decoremur virtute, quae parentis non decoloratur opprobriis: tertiam, ut fastum reprimeret Judaeorum, qui de parentum virtutibus nimium insolenter gloriabantur, docens Patriarcham ipsorum Judam, a quo Judaei nomen accipiunt, non exiguum aliquod in Thamar fornicatione admisisse delictum.

Num Thamar Judae congrediens scelus perpetrarit.

Matth. 1. 3.

HACTENUS Chrysostomus: cujus priorem sententiam sequuntur Ambrosius lib. 3. commentariorum in Lucam, & Theodoretus quaest.94. in Genesim: posteriorem vero ejusdem assertionem amplectuntur Hieronymus in quaestionibus Hebraïcis, & D.Augustinus; qui rationibus occurrens, pro prima Chrysostomi assertione inductis, in lib.22. contra Faustum inquit, non omnia hominum

facta

(a) Praefatam inversam lectionem vel ex eo mendosam esse constat, quia Hebraicus Originalis Textus adversatur, contra eam etiam stant Symmachus Theodotion, & S. Hieronymus, quinimo in Bibliis Polyglottis Parisiensibus, & Antuerpiensibus Editio LXXII. Interpretum ab ea inversione longe abit, & nostrae vulgatae consentit; ceteri itidem Patres haud sequuntur mendosam eam lectionem Septuaginta, & ceterorum, quos N. Xystus hic refert. Quare corrigendum est quod in Editione LXXII. habetur *κατήνεγκαν accusaverunt* scilicet fratres Josephum, & restituendum est *κατήνεγκεν accusavit*, idest Josephus, Fratres suos &c.

facta esse a nobis comprobanda, ex quibus bona quaedam juxta divinae providentiae dispensationem aut sequuntur, aut significantur: nam divina providentia, ubique bonitatem suam servans, & tam de malis, quam de bonis hominum operibus bonum educens, de libidine Judae, qui ad Thamar concupiscentia victus intravit, boni aliquid non solum efficere, sed aliqua futura bona prophetice significare voluit. Ad significanda enim aliqua bona nihil interest facta illa, quibus ea significantur, seu bona, seu mala sint. Aloysius, episcopus Veronensis, in Catena explanationum in Genesim: NON est, ait, excusandus Judas a peccato fornicationis; nec, ut soluti cum soluta, approbanda est fornicatio: peccavit enim multipliciter, & in aliis, mendacio, proditione, & odio. Rabbi Simeon Jochai in commentariis Pentateuchi, quos ZOAR praescripsit, liberat eam ab omni crimine: quod non explendae libidinis gratia id egerit, sed pio quodam instinctu, nempe ut ex Juda expectatum Messiam conciperet.

ANNOTATIO CXV.

Haec autem erunt vestimenta, quae facient. Exod.28.a

Mundus an Dei sit filius, ut sensit Philo.

PHILO Judaeus libro 3. De vita Mosis, vestimenti pontificalis, in quo totus repraesentabatur orbis, allegoriam aperiens, mundum esse dicit perfectissimum Dei filium, his verbis: IN hunc modum ornatus Pontifex ad sacra mittitur, ut quoties ritu patrio vota facturus est, totum mundum introducat sub figuris, quas gestat in vestibus: necessarium enim erat, ut sacerdos, supplicaturus patri omnipotenti, advocatum adhiberet mundum ejus perfectissimum filium ad impetrandam erratorum veniam, & uberem in posterum gratiam. Suspicor haec verba metaphorice intelligenda esse juxta communem loquendi usum, quo solemus interdum artificialia opera artificum foetus, partusque appellare.

ANNOTATIO CXVI.

Ignorabat, quod cornuta esset facies ejus. Exod. cap.34.

Num Mosis facies cornuta fuerit.

HIERONYMUM admiratur Augustinus, Chisamensis episcopus, quod contra Hebraicam veritatem, & Septuaginta editionem posuerit in translatione sua, Mosis faciem fuisse cornutam. Sic enim episcopus iste in Annotationibus Exodi scribit: VOX enim ambigua fecit in editione errorem: quamvis etiam sit discrimen inter nomen Cornu, & id, quod significat Radians: nam cornu vocatur קרן Keren per duplex segol: at radians קרן Karan. Igitur non habetur in contextu Hebraico faciem Mosis fuisse cornutam, sed radiantem: quod ex verbis ipsis apertissime intelligitur, quae in hunc habet modum, ו משה לא ידע כי קרן עור פניו בדברו אתו V Mosce lo jadaha chi karan hor panaiu bedabbero ito. Hoc est, Et ignorabat Moses, quod cutis faciei suae esset radians. Non scribitur igitur, faciem fuisse cornutam, sed cutem radiantem. Ex hoc ergo potest emendari prava vulgi consuetudo, qui duobus cornibus pingunt Mosen: non enim cornua e fronte egrediebantur, sed & frons, & nasus, & os, & mentum radiabant: & mirum, quod Hieronymus, non considerata veritate Hebraica, non animadverterit etiam, quid Septuaginta transtulissent; qui bene hunc locum verterunt, *καὶ μωυσῆς οὐκ ᾔδει ὅτι δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρωτὸς τοῦ προσώπου αὐτοῦ*, Et Moses ignorabat, quod glorificatus esset aspectus cutis faciei suae. Rident itaque nos, & execrantur Judaei, quoties Mosen in nostris templis cornuta facie depictum aspiciunt; quasi nos eum diabolum quendam, ut ipsi stulte interpretantur, esse putemus. Ex hoc editionis Septuaginta loco cognoscitur, antiquam illam editionem, qua ante Hieronymum utebatur ecclesia, fuisse ipsorum Septuaginta: nam in officio transfigurationis Salvatoris canitur, Glorificata est facies Mosi: quod ex editione Septuaginta sumptum est, qua Latini utebantur, unde & antiphonas sumebant.

AN-

ANNOTATIO CXVII.

Fundent ſanguinem ſuper altaris circuitum, quod eſt ante oſtium tabernaculi teſtimonii. Levitici cap. 1. b

In noſtra Vulgata deeſt teſtimonii.

ORIGENES homilia prima in Leviticum hanc periodum enarrans, indicat, Chriſtum paſſum eſſe non ſolum pro peccatis hominum, ſed etiam angelorum, in hunc modum ſcribens: SANGUIS Jeſu non ſolum effuſus eſt in Hieruſalem, ubi erat altare, ſed etiam ſuper altare illud, quod eſt in coelis, ubi eſt eccleſia primitivorum, idem ſanguis aſperſus eſt; ſicut & Apoſtolus dicit Pacificans per ſanguinem crucis ſuae, ſive quae in terra ſunt, ſive quae in coelis. Non enim ſolum pro terreſtribus, ſed etiam pro coeleſtibus oblatus eſt hoſtia Jeſus: & hic quidem pro hominibus ipſam corporalem materiam ſanguinis ſui fudit, in coeleſtibus vero vitalem corporis ſui virtutem, veluti ſpirituale quoddam ſacrificium, immolavit. Vis autem ſcire, quod duplex hoſtia in eo fuit conveniens terreſtribus, & apta coeleſtibus? Apoſtolus, ad Hebraeos ſcribens, dicit per velamen, id eſt carnem ſuam. Et iterum interius velamen interpretatur coelum, quod penetravit Jeſus, ut aſſiſtat nunc vultui Dei pro nobis. Si ergo duo intelliguntur velamina, quae, velut Pontifex, ingreſſus eſt Jeſus: conſequenter & ſacrificium duplex intelligendum eſt, per quod & terreſtria ſalvantur, & coeleſtia. Ad eandem ſententiam alludit homilia 2. in Leviticum, ubi explicans illud ex capite 4. Levitici, Pontifex offerret pro peccato ſuo vitulum, ſic ait: VIDE ergo, ne forte Jeſus, quem Paulus dicit pacificaſſe per ſanguinem ſuum non ſolum, quae in terris, ſed quae in coelis, idem ipſe ſit vitulus, qui in coelis quidem non pro peccato, ſed pro munere oblatus eſt: in terris vero, ubi ab Adam uſque ad Moſem regnavit peccatum, paſſus eſt pro peccato. Hoc ipſum aperrius exprimit Tomo primo commentariorum in Joannem, ſic inquiens: MAGNUS noſter Pontifex non pro hominibus ſolis, ſed etiam pro omni, quod ratione particeps eſt, hoſtia, quae ſemel oblata eſt, ſemetipſum obtulit: nam, excepto Deo, pro omnibus mortem guſtavit, non ſolum pro hominibus, ſed etiam pro reliquis, quae ratione utuntur, mortem pertulit: etenim abſurdum eſt eum pro humanis quidem peccatis mortuum dicere, & non pro aliquo alio, quod praeter hominem in peccato fuit, veluti pro ſtellis, cum nec ſtellae omnino mundae ſint coram Deo, ut in Job legimus. Conſimilem quoque aſſertionem habet libro primo commentariorum in epiſtolam ad Epheſios: quo loco explicans illud ex primo capite ejuſdem epiſtolae, Omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, ſic loquitur: IN EO, quod dicit Omnia, videtur facere quaeſtionem: nam illud, quod dictum eſt, Oportet eum regnare, donec ponat inimicos ſub pedibus ejus, non magnopere quaerit interpretem: quia ea, quae inimica ſunt, cum fuerint ſuperata, ſubjicientur ſub pedibus ejus, & in victoris venient poteſtatem. Quomodo autem omnia, id eſt angeli, throni, dominationes, poteſtates, & virtutes caeterae, quae nunquam fuerunt Deo contrariae, ejus pedibus ſubjicientur; videtur obſcurum: poteſt itaque reſponderi, quod abſque peccato nullus ſit, & ſidera ipſa non ſint munda coram Deo, omniſque creatura paveat creatoris adventum: unde & crux Salvatoris non ſolum ea, quae in terris, ſed etiam quae in coelis erant, purgaſſe perhibetur. Rufinus libro primo Invectivarum hoc ipſum dogma Hieronymo impingit, conjectura plane invalida, quod is in commentariis epiſtolae ad Epheſios praemiſſa Origenis verba ſine nomine auctoris explanationi ſuae inſeruerit, nulla appoſita ipſorum confutatione. Vide Ann. 170. & 292. lib. ſequentis.

An Chriſtus paſſus ſit pro Angelis.
Coloſ. 1. 20.
Hebr. 10. 20.
Levit. 4. 3.
Coloſ. 1. 20.
Job 25. b

ANNOTATIO CXVIII.

Moſes, congregata omni turba ante fores tabernaculi, ait, &c. Levit. 8. a

Num Epiſcopi ex authoritate populi ſint eligendi.

ORIGENES homil. 6. in Leviticum ex hoc loco deducere videtur epiſcopos ex populi auctoritate eligendos. Sic enim ſcribit: LICET ergo Dominus de con-

stituendo Pontifice praecepisset, & Dominus elegisset: tamen convocatur & turba: requiritur enim in ordinando sacerdote & praesentia populi, ut sciant omnes, & certi sint: quia qui praestantior est ex omni populo, qui sanctior, qui doctior qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium, & hoc astante populo, ne qua postmodum retractatio cuiquam, ne quis scrupulus resideret. Hermannus Bodius in Collectaneis suis utitur contra nos hoc testimonio: cui subnectit verba ex epistola quinta Cypriani ad plebem, & clerum, dicentis: IN ORDINANDIS clericis, fratres charissimi, solemus vos ante consulere, & mores, ac merita singulorum communi consilio ponderare. Cypriani quoque auctoritatem confirmat exemplo Matthiae, qui non ab Apostolis solum, sed ab omni Christianorum coetu electus fuit, & sicuti Leonis Papae temporibus factum esse dicitur.

VERUM, si recte utriusque doctoris verba expendantur, neuter eorum jus eligendi episcopum populo attribuit; sed hoc tantum fuisse indicant a rectoribus ecclesiae plebi concessum, ut ipsi, populo praesente, sub oculis omnium deligerentur, ut digni, atque idonei publico judicio comprobarentur, ne ulla post ordinationem tertactandi occasio remaneret: unde & Lampridius, scriptor a nostra religione alienus, in vita Alexandri Augusti refert consuevisse prius nomina eorum, qui ecclesiae praeficiendi erant, proponi palam, ut si quid contra eum populus haberet, id in medium proferret. Atque hic idem mos temporibus nostris non omnino, aliqua tamen ex parte servatur: prius enim de fide & moribus eligendi exquiri solet a viris probatissimis: deinde cum egregia de ipso testimonia suscepta sunt, ante, quam in ecclesiae regimine collocetur, vocari solet populus, & eo praesente declarari, quo electio populi favore comprobetur, & multo libentius ei obsequatur multitudo, quem suo quoque consensu in eam dignitatem evectum sciat. Caeterum ipsa episcopi electio veterum conciliorum decretis populo interdicta est, sicut ex concilio Laodiceno apparet: in cujus duodecimo canone vetitum est, ne electio episcopi fiat nisi ab episcopo metropolitano una cum episcopis comprovincialibus, vel sacerdorum collegio. Nemini igitur episcopos eligere licet, nisi his, qui ecclesiae gubernacula teneant, & summo praesertim Christi vicario, & his tantum principibus, & populis, quibus peculiari quadam praerogativa ab ipso Pontifice Maximo concessum sit episcopum nominare, quem regendo idoneum judicaverint, sicut nunc ex ejus auctoritate nonnulli populi faciunt, feceruntque olim tempore Leonis Papae, & Apostolorum temporibus in electione Matthiae. Tunc enim hoc facile multitudini fidelium donari poterat, (Act. 1.) quando fidelium populus erat moderatus, gravis, & publicae utilitatis studiosissimus: nunc autem, cum plebs bestia sit multorum capitum, factionibus & seditionibus semper intenta, id ipsum non nisi maxima ecclesiae perturbatione concederetur, sed & D. Cyprianus in eadem epistola, ab haereticis citata, aperte asserit, non esse necessarium, ut a populo de meritis eligendis quaeratur, ubi divina suffragia per episcopos prolata praecedant.

ANNOTATIO CXIX.

Vinum, & omne, quod inebriare potest, non bibetis, quando intrabitis in tabernaculum testimonii. Levit. 10. b

(Num Christus adhuc lugeat peccata nostra.) ORIGENES hom. 7. in Leviticum periodi hujus sensum edisserens, haec scribit: SALVATOR meus luget etiam nunc peccata mea, & Salvator meus laetari non potest, donec ego in iniquitate permaneo: quomodo enim potest esse in laetitia, ad quem peccatorum meorum moeror semper ascendit? si enim Apostolus ipsius luget quosdam, qui ante peccaverunt: quid dicam de ipso, qui filius dicitur charitatis? nam quia misericors est, & miserator Dominus, majore affectu ipse, quam Apostolus, suos flet; & multo magis luget eos, qui peccaverunt; & non egerunt poenitentiam: neque enim putandum est, quod Paulus lugeat pro peccatoribus, Dominus autem meus Jesus abstineat a fletu, cum accedit ad patrem, & propitiationem pro nobis offert. D. Bernardus in sermone, qui DE VERBIS ORIGENIS inscribitur, hunc locum copiosissime confutavit. Possumus tamen

men Origenica verba facile ad pium intellectum revocare, si dicamus Christum lugere peccata nostra, non quod ipse, qui omnis doloris ac fletus est expers, aliquo modo lugeat, aut lugere queat: sed quia adhuc in membris suis peccata nostra lugeat, dum electis suis fletum & compassionem alienae iniquitatis infundit: quo quidem sensu dixit Apostolus, Spiritum Dei gemitibus inenarrabilibus orare pro nobis quia nos ad gemitus & flebiles orationes provocat. Neque ab hac intelligentia discrepant sequentia Origenis verba, quae de ecclesia, & membris spiritualibus corporis Christi latissime disputant. Rom.8.26.

HABET etiam Origenes in hac homilia quaedam, quae alludere videntur ad sententiam eorum, qui statuunt animas sanctorum non frui beatitudine visionis divinae usque ad ultimam carnis resurrectionem. Haec videre poteris pagina secunda praesentis homiliae in verbis illis, NONDUM enim sancti receperunt laetitiam suam, nec Apostoli quidem: sed & ipsi expectant, ut ego laetitiae eorum particeps fiam, &c. quae interpretanda sunt de integra completae felicitatis consummatione, quam nondum sancti in corporibus receperunt. Sed de his copiosius Annot.345. libri sequentis.

ANNOTATIO CXX.

Pectusculum quoque, quod oblatum est, edetis in loco mundissimo. *Levitici* 10. c

ORIGENES homilia septima in Leviticum, in allegoriam loci hujus excurrens, duo pronunciat, quae Hermannus Bodius in suis Collectaneis ad labefactandam eucharistiae veritatem inducit: primum est, quod caro & sanguis Christi nihil aliud sint, quam sermo & doctrina Christi. Proximum huic est, quod sententia illa Salvatoris, Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis &c. figurate intelligenda sit de doctrina Christi, & non secundum literam de reali esu corporis & sanguinis Christi. Sunt enim haec Origenis verba: DOMINUS & Salvator noster dicit, Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis ipsis: caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Jesus ergo quia totus ex toto mundus est, tota ejus caro cibus est, & totus sanguis ejus potus est: quia omne opus ejus sanctum est, & omnis sermo ejus verus est: propterea ergo & caro ejus vere est cibus, & sanguis ejus vere est potus: carnibus enim & sanguine verbi sui, tanquam mundo cibo & potu, potat, & reficit omne hominum genus. Et paulo post addit. AGNOSCITE, quia figurae sunt, quae in divinis voluminibus scripta sunt: & ideo tanquam spirituales, & non tanquam carnales examinate, & intelligite, quae dicuntur: si enim secundum literam sequatis, quod dictum est, Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum: occidit haec litera. Ad idem alludere videtur homil.9. in Leviticum, ubi excutiens illud, Et imponet incensum super ignem in conspectu Domini, &c. inquit: TU QUI ad Christum venisti, Pontificem verum, qui sanguine suo Deum tibi propitium fecit, & reconciliavit te patri, non haereas in sanguine carnis; sed disce potius sanguinem verbi; & audi ipsum, tibi dicentem, Quia hic sanguis meus est, qui pro vobis in remissionem effundetur peccatorum: novit, qui mysteriis imbutus est, & carnem & sanguinem verbi Dei: non ergo immoremur in his, quae & scientibus nota sunt, & ignorantibus patere non possunt. Huic sententiae non dissimilem habet Augustinus in Psalmum tertium, & in libro 3. De doctrina Christiana cap.16.cui Thomas Cajetanus astipulatur in commentariis super sexto capite Joannis. Harum propositionum rectam intelligentiam assequi poteritis Annotatione 196. libri 6. (a)

Verum caro, & sanguis Christi nihil aliud sint, quam ejus doctrina.

Joan.6. 53.

Levit. 16.

(a) Quamvis hac de re infra sermonem habeat N. Xystus, ut ipse met hic advertit, non taedet tamen hic ad Heterodoxorum confutationem aliqua Origenis monumenta, quibus veritas catholica firmetur, in medium laudare. *Homilia VII.in Numeros* ita rem hanc edisserit: „ In aenigmate erat manna cibus. Nunc autem in specie caro Verbi Dei est verus cibus, „ *Homil. V. in diversi.* „ Quando sanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum, quando vere pane, & poculo frueris, manducas, & bibis corpus, & sanguinem Domini. „ *Et lib. VIII. contra Celsum*. Oblatis panibus vescimur, qui utique per precem efficiuntur corpus sanctum „. Cetera dabit infra Xystus: Consule itidem Polemicos de hac re ubertim agentes,

ANNOTATIO CXXI.

Et imponet incensum super ignem in conspectu Domini. Levit.16. e

ORIGENIS verba ex homilia 9. in Leviticum, ad expositionem hujus loci allata, citantur a Sacramentariis in confirmationem haereseos, quae negat verum Christi corpus esse in sacramento altaris. Lege Annotationem centesimam nonagesimam sextam in sequenti volumine.

ANNOTATIO CXXII.

Aedes Levitarum, quae in urbibus sunt, semper possunt redimi. Levit.25. e

An Sacerdotibus liceat temporalia possidere. 1.Timot.6.8.

ORIGENES circa initium homil. 15. in Leviticum sentire videtur Christum clericis prohibuisse rerum temporalium possessionem, sic inquiens: NOBIS lex Christi, si eam sequamur, nec possessiones in terra, nec in urbibus domos habere permittit: & quid dico domos? nec etiam plures tunicas, nec multam concedit possidere pecuniam. Habentes enim, inquit, victum & vestitum, his contenti simus. Consule Annotationem 106. libri sexti.

ANNOTATIO CXXIII.

Locuta est Maria contra Mosem propter uxorem ejus Aethiopissam. Numerorum cap.12. a

De Mosis uxore.

JOSEPHUS, libro secundo Antiquitatum hanc historiam describens, redarguitur in Annotationibus Augustini, episcopi Chisamensis, his verbis: REFERT hanc Aethiopissam Josephus Mosen duxisse eo casu, quod cum in regia Pharaonis educaretur, electus Imperator sit contra Aethiopas; atque inde mulierem abduxerit captivam; uxoremque sibi eam fecerit, filiam regis Aethiopum; duasque uxores habuerit Moses, hanc & Sephoram: quod ego fabulosissimum esse existimo. Mentitur etiam Apollinaris duas uxores habuisse Mosen: quis enim non videt haec ab eis esse ficta? clarum enim est hanc esse Sephoram filiam sacerdotis Madian: non quod Madian Aethiopia sit, quae ultra Aegyptum est, sed ea Aethiopia, quae Arabiae juncta est: contra enim Madianitas pugnarunt filii Israël, in Palaestinam venientes: & Madianitae ex eis locis descendebant in Aegyptum.

ANNOTATIO CXXIIII.

Fueruntque virgae duodecim absque virga Aaron. Num.17. b

An virgae a Mose allatae fuerint plures, quam duodecim.

HIERONYMI translationem hoc loco refellit Augustinus, episcopus Chisamensis, haec in Annotationibus Pentateuchi scribens: OMITTITUR hic, quod erat maxime necessarium, scilicet ומטה אהרן בתוך מטותם V matte Aaron bethoc mathotam: hoc est, Et virga Aaron in medio virgarum eorum erat posita: quod non est omissum a Septuaginta, καὶ ἡ ῥάβδος ἀαρὼν ἀνὰ μέσον τῶν ῥάβδων αὐτῶν: hoc est, Et virga Aaron in medio virgarum illorum: quippe qui a Deo sacerdos electus fuerat, & inter caeteros principatum obtineret. Quod autem loco hujus sententiae substituit Hieronymus, Excepta virga Aaron, nescio an sit veridice dictum; cum neque in contextu Hebraïco habeatur, neque etiam verum sit fuisse duodecim virgas, excepta virga Aaron, immo una cum virga Aaron: quaelibet enim virga tribum repraesentabat: duodecim vero erant tribus: quare nec virgae plures duodecim esse potuerunt: superfluit igitur Absque virga Aaron; sed loco ejus ponendum est, Et in medio earum virga Aaron; nam neque apud Septuaginta ea sit exceptio.

ANNOTATIO CXXV.

Dixit homo, cui obturatus est oculus. Num. 24. a

HIERONYMI versionem Augustinus, Chisamensis episcopus, hac in parte expendens, ita in suis Annotationibus admonet: *Dixit homo, cujus est obturatus oculus.* הגבר שתם העין Aggever scetum ahain, id est, Vir, cujus est apertus oculus, ut interpretantur Hebraei, & Chaldaïca transfert editio: quare in contrarium acceptum est ab Hieronymo: mirorque, cur Septuaginta secutus non sit, qui secundum Hebraïcum transtulerunt, φησὶν ἄνθρωπος ὁ ἀληθινός, id est, *Dixit homo verax*: quo fit, ut suspicer, non eo modo reddidisse Hieronymum, sed deesse in nostris codicibus negationem: ut dicendum sit, *Dixit homo, cujus non est obturatus oculus*: contraria enim sibi diceret Balaam, qui paulo post se sermonum Dei auditorem esse protestatur. An Hieronymi versio sit recta.

ANNOTATIO CXXVI.

Et iratus Dominus dixit ad Mosen, Tolle cunctos principes, & ostenta illos contra Solem. Num. 25. a

ORIGENES homilia 20. in Numeros allegoricam huic loco interpretationem apponens, docet, angelos, custodes nostros, in die judicii judicandos a Deo, utrum nos accurata diligentia custodierint, nec ne? acceptutosque bene, vel male impensae erga nos curae aut poenas, aut praemia, quae nunc ipsi inter spem & metum solliciti de salute sua expectant. Ejus verba haec sunt: VENIENT angeli ad judicium nobiscum, & stabunt pro nobis ante Solem justitiae, ne forte aliquid etiam ex ipsis causae fuerit, quod nos delinquimus, ne forte minus erga nos operis & laboris expenderint, quo nos a peccatorum labe revocarent: nisi enim esset etiam aliquid in ipsis, quod in causa nostri culpandum videretur, numquam diceret Scriptura ad angelum illius, vel illius ecclesiae, Qui habes, verbi gratia, quosdam tenentes doctrinam Balaam: vel, Quia dereliquisti charitatem tuam primam, vel patientiam tuam, vel alia hujusmodi, pro quibus in Apocalypsi angeli uniuscujusque ecclesiae culpantur. Si enim mercedem sperat angelus, verbi gratia, qui me consignatum accepit a Deo pro iis, quae bene gessi: certum est, quia & culpari timebit pro his, quae a me non bene gesta sunt, & ideo ostentari dicuntur contra Solem: ut appareat proculdubio, utrum pro mea inobedientia, aut per illius negligentiam commissa sint. Et homilia 24. in Numer. exponens illud ex 20. ejusdem libri capite, Mulier, si quippiam noverit, &c. idem repetens, inquit: SAEPE diximus, animarum, quae in ecclesia Dei sunt, curam, procurationemque haberi per angelos, quosque etiam ad judicium venire, cum hominibus ostendimus; ut illo divino constet examine, utrum sua desidia peccaverint homines, an monitorum, custodumque negligentia, &c. Rursum homilia 13. in Lucam enarrans illud ex cap. 2. Facta est multitudo coelestis exercitus, &c. fusius id ipsum pertractat, ita scribens: SI AUDACTER expedit loqui scripturarum sensum sequenti, per singulas ecclesias bini sunt episcopi: alius visibilis, scilicet homo, alius invisibilis, qui est angelus; ille visui carnis, hic sensui patens: & quo modo, si commissam sibi dispensationem bene egerit, laudatur a Domino; si male, culpae & vitio subjacet: sic & angelus. Scriptum est enim in Apocalypsi Joannis, Sed habes ibi nomina pauca, quae polluerunt illud, vel illud. Et rursus habes ibi, qui doctrinam Nicolaitarum doceant: ac deinde habes illa, vel illa peccata facientes: & accusantur angeli, quibus ecclesiae contraditae sunt. Si autem angelis sollicitudo est, quomodo ecclesiae gubernentur: quid necesse est de hominibus dicere, quantum metum habeant, ut possint cum angelis laborantibus laborantes salutem consequi? ego puto simul inveniri posse & angelum & hominem bonos ecclesiae episcopos, & quodammodo unius operis participes: quod cum ita sit; petamus omnipotentem Deum, ut angeli & homines ecclesiarum episcopi

An Angeli sint in die judicii judicandi.

Apoc. 2. 14.

Luc. 2. 13.

Apoc. 2. 15.

episcopi adjumento sint nobis; & sciamus, quoniam utrique pro nobis a Domino judicentur: quod si illi fuerint judicati, & vitium, atque peccatum non in eorum incuria, sed in nostra negligentia fuerit inventum; nos arguemur, atque plectemur: illis enim universa facientibus, & pro nostra salute nitentibus, nos nihilominus a peccatis vacabimus: porro frequenter evenit, ut nobis laborantibus, illi suum officium non expleant, & in culpis sint. Iterum homilia 35. in Lu-
Luc. 12, 58. cam super illud capitis XII. Cum vadis cum adversario tuo, &c. ad eundem sensum haec apertius loquitur, inquiens: SCRIBITUR alibi, quod assistant homini sive in bonam, sive in malam partem duplices angeli: de bonis enim Salvator
Matth. 18. 10. meminit, dicens, Angeli eorum semper vident faciem patris. Simul quaere, utrum angeli parvulorum in ecclesia semper videant faciem patris, & aliorum angeli non habeant libertatem vultum patris attendere: neque enim sperandum est omnium angelos videre faciem patris, qui in coelis est. Si fuero de ecclesia, quamvis minimus sim; habet libertatem angelus meus, & fiduciam semper videndi faciem patris mei: si autem forinsecus, nec de illa ecclesia, quae non habet maculam, neque rugam, aut quid istiusmodi, & ego reprobor alienus esse a tali congregatione: non habet fiduciam angelus meus respiciendi vultum patris mei, qui in coelis est. Quam ob causam angeli pro bonis solliciti sunt, scientes, quod si nos bene gubernaverint, & ad salutem usque perduxerint, habeant etiam ipsi fiduciam videndi faciem patris. Quo modo enim, si per curam eorum & industriam salus hominibus comparatur, faciem patris semper attendunt: sic, si per negligentiam eorum homo corruerit, etiam sui periculum esse non nesciunt: & sicut bonus episcopus, & optimus dispensator scit sui meriti esse, atque virtutis, si oves gregis, sibi crediti, fuerint custoditae: ita intellige & de angelis: ignominia angelo est, si homo justus creditus fuerit ei, & peccaverit; ut e contrario gloria est angelo, si creditus sibi saltem minimus in ecclesia fuerit: videbunt enim non aliquando, sed semper faciem patris, qui est in coelis, cum alii semper non videant: secundum enim meritum eorum, quorum angeli sunt, aut semper, aut nunquam, vel parum, vel plus faciem Dei angeli contemplabuntur.

HACTENUS Origenes: cujus sententiae videtur subscribere Hieronymus libro secundo commentariorum in Michaeam: ubi edisserens verba illa 6. cap. ejusdem
Mich. 6. 1. Prophetae, Surge, contende in judicio adversum montes, &c. ita scriptum reliquit: PER MONTES, non alios significat, puto, quam angelos, quibus rerum humanarum commissa est procuratio, Deuteronomii cantico in id ipsum con-
Deut. 32. 8. gruente: Cum divideret excelsus gentes, cum disseminaret filios Adam, constituit terminos terrae, secundum numerum angelorum Dei. *Et contende judicio*, ut sive montes, sive colles reputati fuerint, non digne populos procurasse; vel meum videatur esse, qui tales proposui, vel culpa tollatur a populo, & referatur ad angelos. Legimus Apocalypsin Joannis, in qua laudantur, accusanturque angeli ecclesiarum pro virtutibus, vitiisque eorum, quibus praeesse dicuntur: sicut enim interdum episcopi culpa est, interdum plebis; & saepe magister peccat, saepe discipulus; & nonnunquam patris vitium est, nonnunquam filii, ut vel bene, vel male erudiantur: ita in judicio Dei vel ad angelos crimen refertur, si non egerint cuncta, quae ad suum officium pertinebant; vel ad populum, si illis, universa facientibus, ipsi audire contempserint. Haec Hieronymus, magis, ut arbitror, ex aliena, quam ex propria sententia, locutus.

S. Thom. 1. p. Qu. 113. art. 7. ad 4. DIVUS Thomas Theologicae summae parte prima, quaest. 113. amice ac benevole, ut semper solet, errores Patrum excusans, ait Origenem ex praedictis verbis nihil aliud inferre voluisse, nisi quod angeli pro peccatis hominum essent in judicium adducendi, non quidem ut rei, sed ut testes, ad convincendam ignaviam eorum, qui angelorum monitis acquiescere neglexerunt. Nec abludere videntur ab hac pia Thomae interpretatione ea, quae Origenes homilia undecima in Numeros protulit his verbis: IGITUR unusquisque angelorum in consummatione saeculi aderit in judicio, educens eos secum, quibus praefuit; & puto etiam ibi inquisitionem futuram, non quidem, an culturae hominum angelus defuerit; sed an culturae angelicae nequaquam digne segnities humana responderit.

AN-

ANNOTATIO CXXVII.

Istis dividetur terra in sortem juxta numerum vocabulorum in possessionem, Num. 26. f

ORIGENES homilia 21. in Numeros super his verbis, ait, duplex esse genus beatorum, unum superius & perfectius, quod Deum videbit facie ad faciem; alterum inferius, quod solum haereditabit terram viventium, hoc est, solam immortalitatem, sublimitatem, & potentiam. Sententiam huic alludentem habet Origenes homilia 35. in Luc. Vide Annot. 345. sequentis voluminis.

Num Beati omnes Deum videant.

ANNOTATIO CXXVIII.

Hae sunt mansiones filiorum Israël, Numer. 33. a

ORIGENES homil. 27. in Numeros haec exponens, indicat animas post resurrectionem non statim elevandas ad Dei visionem, sed per multas illuminationum ascensiones gradatim ad Dei contuitum deducendas. Ait enim: AGITUR ergo ascensio de Aegypto ad terram repromissionis, per quam, ut dixi, mysticis descriptionibus edocemur ascensum animae ad coelum ex resurrectionis ex mortuis sacramento. Ponuntur autem & nomina mansionum. Et paulo post: TALIS ergo fiet beatae animae ascensus, cum submersi fuerint omnes Aegyptii, & Amalechitae, atque universi, qui impugnaverunt eam: & per singulas quasque mansiones digrediens, illas scilicet multas, quae dicuntur esse apud patrem, illuminatur amplius ex una ad aliam veniens, & majora semper illuminationis augmenta conquirit, usquequo assueta sit ipsius veri luminis, quod illuminat omnem hominem intuitum pati, & mirae majestatis ferre splendorem. Haec Origenes: cui adversatur, quod Paulus ait: MORTUI, qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis obviam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus. Quibus verbis ostendit sanctorum animas statim post resurrectionem ad intuitum Dei sine ulla cunctatione rapiendas. Mansiones vero, quas Origenes in domo patris esse ait, non ad diversa ascensionum tempora, sed ad diversos praemiorum gradus referendae sunt.

Num Sancti statim post judicium ad Dei contuitum eleventur.

Alii Codices Origenis habent: Et resurrectionis ex mortuis Sacramentum.

Joan. 14. 2.

1 Thes. 4. 16. 17.

ANNOTATIO CXXIX.

Cum ingressi fueritis terram Chanaam, illa his finibus terminabitur, Num. 34. a

HIERONYMUS in epistola ad Dardanum terminos terrae sanctae, praesenti capitulo comprehensos, explicans, indicat se ab inepto quodam haeretico injuste damnatum, quod historicam terrae promissae veritatem sustulerit, docens ea, quae Deus de terra promissionis in Sacris literis promisit, ad nudam potissimum allegoriam pertinere, hoc est, ad illam duntaxat viventium terram, quae in coelis est, referri: quoniam tota Judaeorum regio adeo angusta sit ambitu, ut vix longitudinem habeat 160. millia passuum, latitudinem vero 40. & in his etiam regiones, loca, urbes, & oppida sint plurima, nunquam a Judaeis occupata, sed tantum divina pollicitatione promissa. Et libro in Esaiam 13. his consona scribens super illud Esaiae 49. Et dixit Sion, Dereliquit me Dominus, &c. ait: EX QUO discimus, Hierusalem nequaquam in Palaestinae regione petendam, quae totius provinciae deterrima est, & saxosis montibus asperatur, & penuriam patitur sitis: ita ut coelestibus utatur pluviis, & raritatem fontium cisternarum extructione soletur, sed in Dei manibus, ad quam dicitur, Festinaverant structores tui, &c. Huic calumniae Hieronymus in calce ejusdem epistolae occurrit, his verbis: NEQUE hoc dico in suggillationem terrae Judaeae, ut haereticus sycophanta mentitur, aut quo auferam historiae veritatem, quae fundamentum est intelligentiae spiritalis; sed ut decutiam supercilium Judaeorum, qui synagogae

Num terra promissionis sit ad literam intelligenda, quanta sit longitudo, & latitudo regionis Judaeorum.

Isa. 49. 14.

gogae angustias latitudini ecclesiae praeferunt: si enim occidentem tantum sequuntur literam, & non spiritum vivificantem; ostendant terram repromissionis lacte & melle manantem.

ANNOTATIO CXXX.

Dominus Deus noster Deus unus est. Deut. 6. 4

An ex hoc loco Trinitatis mysteriũ eliui debeat.

ANSELMUS Laudunensis, Glossae interlinearis auctor, subindicat, Mosem idcirco Deum unum tribus nominibus appellasse, ut significaret; quod Deus in majestate sit unus, & in personis trinus, neque divisionem habens, neque recipiens solitudinem. Videtur haec expositio desumpta vel ex Augustino, qui hunc locum de unitate trinitatis exponit libro tertio adversus Maximinum, Arrianorum episcopum, capit.23. vel ex epistola prima Alexandri Papae & Martyris: qui ex divina sententia, huic sententiae simili, Trinitatis in unitate mysterium ostendens, hunc in modum argumentatur: SI Trinitas non est; quare in Deuteronomio dixit, Dominus, Deus noster, hic est Deus? Si Unitas non est; quare, Hic est, dixit, & non, Hi sunt, plurali numero designavit? Si Trinitas non est; quare in eodem dicitur libro, Dominus, Deus tuus, Deus magnus & potens est? Si Unitas non est; quare magnus & potens pluraliter non nominatur? Haec Alexander. Praeterea brevitatis gratia Idacium Clarum, vetustum auctorem, haec eadem Alexandri verba in libro, quem contra Varimandum scripsit, repetentem. Sed & Gregorius, Nyssae Pontifex, in libro De cognitione Dei adversus Judaeos, hoc ipsum testimonium pro unitate Trinitatis inducens, AUDI, inquit Israël, Dominus, Deus tuus, Deus unus est. Illud DOMINUS, & DEUS, & DEUS, tres personas ostendit: illud autem, Unus est, divinitatem, & naturam unam. Theodoretus libro De curatione Graecarum affectionum secundo ad eundem modum exponens, inquit: MOSES cum dicit, Audi o Israël, Dominus, Deus tuus, Dominus unus est; & unitatem docet, & trinitatem significat: semel enim Deo proposito, bisque Domino repetito, trinitatem subostendit: cumque adderet, Unus est, & congruentem Judaeis doctrinam attulit, & unam in tribus, eandemque divinitatem, & substantiam esse docuit.

AUGUSTINUS, Chisamensis episcopus, forte ignorans hanc esse explanationem magnorum ecclesiae Patrum, eam in suis Annotationibus reprobat ceu insulsam. Ejus verba haec sunt: NON EST hoc loco silentio praetereundum, quod Rabbi Moses Aegyptius, primus Hebraeorum scriptor, carpit Christianos, eosque longa subsannatione deridet. Christiani, inquit, colligunt Trinitatem ex isto loco: primum enim tres exprimuntur personae, cum dicitur Dominus, Deus, Deus: ter enim ibi divinum nomen repetitur: postea innuitur Trinitas, cum dicitur, Unus est. Productis autem his verbis, multis probris in nos invehitur. Potuit quidem esse, ut aliquis insulsior e nostris (a), quorum plurimi reperiuntur, id Judaeo illi dixerit: nam multi divinatum literarum imperiti ex his locis Trinitatem colligunt, ex quibus colligi non potest. Rursum, ubi clarissime ea divina res exprimitur, nihil ejus in eorum animos penetrat. Primum maxime fit a concionantibus;

(a) Sapienter nimis N. Xystus indigitat errorem Augustini Chisamensis Episcopi, dum ejus verba refert, postquam validis PP. monumentis (ex is tamen erade supposititiam S. Alexandri I. R. P. decretalem epistolam) legitimam Deuteronomii interpretationem ad Trinitatis mysterium edisserendum comprobavit. Et quidem ignoranter nimis, nimiumque impudenter fidem ille detraxit Ecclesiae PP. doctisque Theologis, quam adhibuit perfido Judaeo toto conatu (sicut & ceteri de synogoga impraesentiarum ogganniunt, furunt, blasphemant) evertere curanti Trynitatis mysterium, etsi non semel sed pluries alibi in Veteri Testamento expressum: quod proinde Patriarchae Israelis ne dum, verum & Majores omnes ex Hebraeorum coetu crediderunt, docueruntque; nec minori temeritate criminanti Christianos de tritheismo. Ita enim dilucidum est laudatum Deuteronomii monumentum ad probandam Trinitatis fidem, ut vel ipsi Rabbini posterioris aetatis ex eo victas dederint manus Trinitatem divinarum personarum in unitate naturae confitentibus, quod praecipue observare est in R. Simeone filio Joai, R.Ibba, aliisque. Ex phrasi namque Divini eloquii clarissime mysterium Trinitatis colligitur, ut omnes Hebraice apprime docti una voce fateantur, quum ibi ter Deus repetatur, qui tamen unus asseritur ibidem. Legesis Cornelium a Lapide, & Augustinum Calmetum *ibidem*, & posteriorem etiam in Dictionario Biblico *V. Trinitas*, NN. Thomam Malvenda, & Seraphinum Porrecta in *Deuteron.* N. Raymundum Martin. *Pug. fid.* & plagiarium ejus Petrum Galatinum *Arcan. fid.* ac novissime Paulum Medice de *Ritib. Hebr.* & alibi.

cionantibus; qui saepe divinas extorquent literas, dum illud volunt esse figuram illius, & illud alterius. Acciditque, ut oculatis in nos Judaeis ludibrio simus: tenendum utique medium esset, ut, quae figuram praeseferunt, figurate interpretentur: quae autem in aliud tempus non spectant, non eo extorqueantur: perquirendumque diligenter, ut ubi de Messia dicitur, attente cognoscamus; ubi autem nihil ejusmodi praedicitur, non violenter trahamus: fit enim ex hac causa, ut foedissimis fabulis divinas inficiamus literas. Quam rem maxime vituperat Gregorius Nazianzenus: erat enim & apud Graecos genus hominum, quale nostris, & multis ante viguit diebus, qui infinitum quendam figurarum coacervarunt cumulum; eoque utuntur ad ostendendum, omnia non tam maxima, quam minima, fuisse figuris praemonstrata: ego certe dicerem, id non modo esse stultissimum, sed etiam impiissimum: neque enim hoc dicimus, quorundam Germanorum imitati procacitatem, qui sibi, omnibus, & diis, & hominibus, & humanis, & divinis rebus maledicendi licentiam usurparunt; sed, ut vituperemus vituperanda; laudemus autem, quae laude digna sunt. Ut enim Christianus est, qui neque Arrianam divisionem, neque conjunctionem Sabellianam sequitur: ita vere Christianus, qui neque illorum hominum procacitatem sequitur, neque tamen non reprehendit, quae reprehensione digna sunt: potuit igitur esse, ut aliquis Christianus ea Rabbi Mosi dixerit. Verum & illud non est ignorandum, solere plerunque Hebraeos falsa in nos crimina confingere, & res nostras ad vituperandum accommodare: multaque apud eos reperimus, quae illi falso asserunt esse nostra: omninoque ab ea gente est hoc factum, ut nostra dogmata impiissimis contaminarint mendaciis: eoque sunt ad Christi fidem suscipiendam tardiores: habent enim suos Scriptores, quibus illi habent fidem: inveniuntque apud eos nostra summis vituperationibus lacerata, sceleratissimisque corrupta mendaciis. Dicitur ergo hoc loco, Dominus Deus, eo quod semper in divinis literis Deus his duobus nominibus simul conjunctis soleat nuncupari, scilicet ELOHIM, & JEHOVA; quorum secundum est nomen tetragrammaton, id est, divinam significans essentiam: primum vero id nomen divinum est, quo ejus significatur fortitudo: puto enim fere idem esse EL, & ELOHA: ubi autem dicitur, Deus unus est, patet fieri Dei repetitionem, non esse cum duobus illis connumeratum. Possunt autem & alii melius, quam nos, interpretari.

ANNOTATIO CXXXI.

Josue succendit urbem Hay, & fecit eam tumulum sempiternum. Jos. 8. f

ORIGENES, allegoriam praesentis loci componens, visus est asserere, quod post Resurrectionis diem, nec daemones, nec infernus, daemonum locus, semper futuri sint; sed post aliqua temporum spacia daemones cum caeteris damnatis, qui ab inferis detinentur, ad coelestem beatitudinem perventuros. Sic enim scripsit homilia octava in librum Josue: EST IN hoc etiam resurrectionis futurae mysterium: jam enim tunc ultra omnino non erit diabolus, quia jam non erit mors: de diabolo enim loquens Apostolus dicit: ἔσχατος ἐχθρὸς καταργεῖται ὁ θάνατος: hoc est, Novissimus inimicus destruitur mors. Sed videamus, quae in posterioribus sequuntur. Et incendit, inquit, Jesus urbem Hay: & effecta est urbs, quae non habitetur in aeternum. Vides, quia haec, quae consequuntur, magis ad mysterii, quam historiae pertinent veritatem: non enim tam ille locus terrae inhabitabilis est in aeternum, quam locus daemonum inhabitabilis erit, tum cum jam nemo peccabit, neque regnabit in aliquo peccatum; cum diabolus & angeli ejus igni tradentur aeterno, dicente Christo his, qui vicerunt, Venite benedicti patris mei, &c. aliis autem, Ite in ignem aeternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus, donec omni animae, quibus ipse novit, remediis consulat, & omnis Israël salvus fiat. In eandem sententiam loquitur libro primo Periarchon, capite sexto, ubi de spiritibus improbis, qui peccaverunt, ab initio pertractans, haec affert: HI VERO, qui de statu primae beatitudinis moti quidem sunt, non tamen irremediabiliter moti, illis, quos supra descripsimus, sanctis beatisque or-

Num daemones, & inferni supplicia semper erunt.

1. Cor. 15. 26.

Matth. 25. 34. & 41.

dinibus subjecti sunt ad regendum: quorum adjutorio usi, & institutionibus ac disciplinis salutaribus reformati, redire, ac restitui ad statum beatitudinis possunt. Item Tomo decimo octavo in Joannem, exponens illud Joannis 8. Quo ego
Joan.8. 21. vado, vos non potestis venire, ait: SI QUIS blasphemiam dixerit in Spiritum Sanctum, non remittetur ei, nec in hoc saeculo, nec in futuro: non tamen si in futuro saeculo non remittetur, ergo neque in futuris saeculis non remittetur. Hoc idem apertius prodidisse eum in expositione primi & secundi capitis Epistolae ad Ephesios, testis est Hieronymus in Commentariis ejusdem Epistolae. Theophilus etiam Alexandrinus episcopus libro 2. Paschalis, Augustinus in libro De haeresibus, & Hieronymus in epistola ad Avitum, & in aliis plerisque locis hujusmodi errorem in Origene detestantur. Rufinus tamen libro primo Iuvectivarum asseverat Hieronymum in Commentationibus Epistolae ad Ephesios comprobasse hoc dogma: cui etiam Erasmus in annotationibus Origenicis indicat subscripsisse Ambrosium in expositione tertii capitis ejusdem epistolae. Sed de hoc infra dicemus, Annotat.298. libri sexti.

NUNC APPONERE libet testimonia quaedam Origenis, superioribus locis ex diametro pugnantia; ex quibus Jacobus Merlinus in Apologia pro Origene contendit praemissas sententias non ab ipso Origene, sed ab aemulis Origenis; operibus Origenicis iniquo animo fuisse insertas, his verbis: DOGMA De reparatione daemonum, & damnatorum, in quod putant Origenem declinasse, ex
In Canonica multis ejus dictis refellitur: nam super Ezechielem homilia 14. inquit, angelos,
S.Judae v. 6. non custodientes principatum suum, sed deserentes proprium habitaculum suum, in judicio magnae diei vinculis sempiternis sub tenebris servabit. Homilia 14. super Jesum Nave exponendo, quomodo multi reges congregati sunt contra Josue,
Josue 10. 8. cui dicit Dominus, Ne verearis a facie eorum, quia crastina die hac hora reddam eos in manus tuas: Video, inquit, quod hodie non possumus illos opprimere, nec cunctos interficere; sed crastino perimentur: id est, post consummationem hujus saeculi. Tunc enim omnis virtus contraria destruetur: & tunc penitus vin-
Matth.25.41. cetur, cum videris, iis, qui a sinistris sunt, dici, Ite in ignem aeternum, quem praeparavit Deus diabolo & angelis ejus. Idem asserit homil.14. Numerorum, ex-
Matth. 8. 29. ponendo illud, Rogabant Dominum, ne torqueret eos ante tempus. Idem libro quinto in explanatione epistolae ad Romanos asserit, allegans epistolam Judae. Quod si in aeternum puniendos eos asserit, & igne perpetuo affligi: ergo non asserit eos tandem liberari. Insuper his verbis libro quinto praefatae explanationis
Rom.6. 9. utitur, exponendo illud Pauli, Mors illi ultra non dominabitur, &c. UNDE miror quosdam contra hanc evidentissimam Pauli sententiam velle asserere, quod in futuris iterum saeculis vel eadem, vel similia necesse sit pati Christum, ut liberati possint etiam hi, quos in praesenti vita dispensationis ejus medicina sanare non potuit. Ajunt enim, nunquid potest esse saeculum aliquod in futuro, ubi neque boni aliquid, neque mali agatur: sed stupeant res, & maneant profunda si-
Rom. 11. 26. lentia? Rursus exponendo illud Pauli, Nunquid sic offenderunt, ut caderent, inquit: ISRAEL salvus fiet: istius autem, qui de coelo cecidisse dicitur, nec in fine saeculi erit ulla conversio. De damnatis idem sentit super Esaiam: ubi expo-
Isai.26. 19. nendo illa verba, Resurgent hi, qui sunt in sepulcris, &c. inquit: MELIUS est ergo dicere, quod omnes quidem resurgemus; ut & impii veniant in illum locum, ubi fletus est, & stridor dentium; & justi, ubi recipiet unusquisque in suo ordine secundum meritum bonorum gestorum suorum, cum transformabitur corpus humilitatis eorum. Item homilia 18. Numerorum sic inquit: SI ANIMA non habeat virtutes, non veniet caro, neque anima ad haereditatem, sed solum ad judicium illius, qui potest animam & corpus perdere in gehennam. Item homilia
Ezec.16. 53. prima super Ezechielem exponendo illud, Restituetur Sodoma, &c. per Sodomam intelligens, peccantem animam, culpat aliquos ex Hebraeis asserentes Sodomam aliquando restitui. Item in expositione Psalmi 37. hortatur peccatorem, ut hoc in saeculo se praeparet ad flagella, ne ignibus aeternis reservetur: ex quo notum est, ignem aeternum secundum ejus sententiam fore. Denique, si quis desideret scire, quam timorate Origenes de gehenna fuerit locutus, librum Josue legat, ubi eam comparando diversis locis terrae promissionis infert: UTINAM

ea,

ea, quae diximus, non videremur temere & periculose dixisse. Et in libro Periarchon, ubi de consummatione loquitur, inquit: QUAE quidem a nobis etiam cum magno metu & cautela dicuntur discutientibus magis & pertractantibus, quam pro certo ac definito statuentibus. Unde, quam apertum sit Origenem affirmare perditarum creaturarum reparationem nunquam fiendam, sagax Lector puto satis intelligit. (a)

ANNOTATIO CXXXII.

Et insiluit spiritus Domini malus in Saul. 1. *Reg.* 10.

AUGUSTINUS libro secundo Quaestionum ad Simplicianum, quaestione prima, haec exponens, visus est liberae voluntatis arbitrio plus aequo tribuere, cum diceret: QUAMVIS sit in cujusque potestate, quid velit; non est tamen in cujusque potestate, quid possit facere cuiquam, vel a quoquam pari. Hanc sententiam ipse Augustinus in secundo Retractationum capite primo recognoscens: HOC, inquit, a nobis dictum est, quia non dicimus esse in potestate nostra, nisi quod, cum volumus, fit, ubi prius, & maxime est ipsum velle: sine ullo quippe intervallo temporis praesto est voluntas ipsa, cum volumus: sed hanc quoque ad bene vivendum desuper accipimus potestatem, cum praeparatur voluntas a Domino. De libero arbitrio.

ANNOTATIO CXXXIII.

Regina Saba, audita sapientia Salomonis, venit, &c. 3. *Reg.* 10.

JOSEPHUS in octavo Antiquitatum volumine hunc locum paraphrastice illustrans, ait, reginam Sabae in Aethiopia regnum suum habuisse, atque inde ad Salomonem venisse: quam rem animadvertens Augustinus, Chisamensis episcopus, in Annotationibus Geneseos ita scriptum reliquit: DUAE SUNT regiones, quae eodem nomine Saba a nobis & Graecis appellantur: apud Hebraeos tamen insigne discrimen est: alteraque in Aethiopia, altera in Arabia est: quae Aethiopiae est, scribitur apud Hebraeos per, ſ, exile, hoc est, סבא Seba: quae vero in Arabia, per, ʃ, crassum, sic שבא Sceba. Quod & ab Hieronymo in Hebraicis quaestionibus annotatur. Regina ergo Saba non Aethiopicae, sed Arabicae Sabae regina erat: fallitur autem, meo quidem judicio, Josephus, qui scribit reginam Sabae, de qua in libris Regum scribitur, fuisse non ejus, quae in Arabia, sed quae in Aethiopia est: quippe quae ea tempestate Aegypto atque Aethiopiae imperaret: sed omnibus ex locis certe colligitur, eam reginam Arabiae fuisse: ideo ab Esaia eodem loco, ubi dixit, Omnes de Saba venient, ponitur, Omne pecus Cedar congregabitur tibi; arietes Nabajoth ministrabunt tibi. Cedar autem omnes apud Hebraeos sciunt esse Arabiae partem. Nabajoth quoque Arabiae populi sunt, qui a Graecis & Latinis, paulùlum luxato nomine, Nabathaei vocantur: sic & David canit: REGES Arabum & Saba, &c. Vicinae De Saba, & Sceba. 3. Reg. 10. Isa. 60. 6. Psal. 71. 10.

(a) Prolixum nimium foret hic ad examen revocare num Origenes reapse in relatos, aliosque ei adjectos inciderit errores? quum varia sit de hac re Scriptorum opinio. Adversus Origenem scripsisse Veteres Patres, ac Theologos, praesertim Angelicum Doctorem, eidemque adjudicasse quamplures haereses, nemo est, qui ignoret. Verum fuisse pro Origene ab aliquibus editas Apologias extra dubietatis aleam quoque est. Satis ergo superque est vel digito monstrare eos, qui pro, & qui contra illum calamum moverunt. Contra Origenem quidem sunt Veteres laudati PP. & V. Synodus Generalis, de quibus universim agunt posteriores, quum de litteraria historia tractatus ediderunt, aut alio ex momento de eodem egerunt, & adversus eundem Adamantium steterunt, nimirum N. Natalis *Hist. Eccl. Sec. III. Dissert. XVI.* ubi etsi in aliquibus eum purget, sphalmata tamen ejusdem, eaque indubitata, percenset, & ex Ecclesiae judicio damnat, Cl. Card. Norisius *De V. Synodo*, Antonius Possevinus *in Apparat.* N. Card. Gotti *Tom. VII. Christ. Religion. P. II.* Card. Bellarminus, & Aubertus Miraeus *de Script. Ecclesiasticis*, aliique plures. Pro Origene scripserunt Comes Picus Mirandulanus, Gilbertus Genebrardus, Petrus Halloix, Daniel Huetius, aliique pauci. Consule itidem L. Eliam Du-Pin *Tom. I. Biblioth.* Laudando igitur, ac venerando Ecclesiae decreta, ac judicia de Origene, non taedet hic addere quod etiam ex Protestantibus non ignobilis Scriptor Johannes Popeblount inquit *Censur. Celebr. Auth. in Origene*; „ Celebre de „ eo vetustatis judicium est: *Origenes ubi bene nemo melius, ubi male nemo pejus*„. Consule quae supra in Origene diximus T. I.

autem ibi regiones simul ponuntur. In Arabia praeterea feruntur esse aromata, quae illa ad regem attulerit. Praeterea, cum dixerimus, Saba per, s, crassum significare eam, quae in Arabia est; patet hujus eam mulierem reginam fecisse; quia tertio Regum scribitur ומלכת שבא V malchirh Sceba, id est, Et regina Sabae, quod nomen per, s, crassum scribitur. Quamobrem non possumus probare sententiam Josephi: neque nos moveat, quod in Evangelio appelletur regina Austri: nam Sabaei respectu Judaeae in Austrum positi sunt; & ea plaga australis aliquando nuncupatur. Haec ideo animadversa sunt, quia plerique apud nos & Graecos horum nominum Amphibologia decepti sunt:. eodem autem versu utraque Saba hoc loco memoratur.

Matth. 12. d

Luc. 11. d

ANNOTATIO CXXXIIII.

Et erat vir simplex & rectus. Job 1. a

De Trinitate

ORIGENI perperam adscripta Commentaria in expositione loci hujus duas habent propositiones; quarum priorem censet Erasmus Atrianum quid subolere, eo quod ejus verba sic habeant: OMNIA, quaecunque faciunt homines, gratis faciunt, si non in fide fecerint, sine causa agunt, nisi in agnitione unius ingeniti Dei patris, & in confessione unius unigeniti filii ejus, Domini nostri Jesu Christi, & in illuminatione Spiritus Sancti gloriosi ac venerabilis Paracleti, &c. In his verbis soli patri additur nomen Dei, & hic solus dicitur ingenitus, quod solus non habuerit initium: Filius Dominus appellatur, non Deus; Spiritus vero nec Deus, nec Dominus, sed venerabilis Paracletus: his enim dictionibus solebant Atriani in Trinitate significare magnum esse Spiritum Sanctum, majorem Filium, maximum vero Patrem.

SECUNDAM propositionem usurpavit Lutherus in articulis a se disputatis, cum astrueret omnes infidelium virtutes esse peccata: sunt autem propositionis hujus verba talia: UT BREVITER, atque audenter dicam, Omnia, quaecunque fecerint homines, sive in virginitate, sive abstinentia, sive in corporis castitate, sive in bonorum suorum distributione, omnia gratis faciunt, si non in fide fecerint: omnem enim sanctitatem, & omnem justitiam, quam fecerit quis foris a vera Dei fide, frustra facit, in perditione facit, non prodest ei, non adjuvat eum in die irae: ad quod testis est Paulus, dicens, Omne, quod non est ex fide, peccatum est. Ejusdem opinionis videntur esse Ambrosius, Augustinus, & Anselmus: quorum mentem catholice expressam habes Annotatione 255. libri, qui hunc proxime sequitur.

Rom. 14. 23.

ANNOTATIO CXXXV.

Chaldaei fecerunt tres turmas, & invaserunt Camelos. Job 1. e

De Trinitate impia dogmata falso adscribuntur Origeni.

ORIGENES libro primo Commentariorum in Job allegoriam his verbis affingens, Homousianos, hoc est, qui recte de Patris & Filii consubstantialitate sentiunt, insectatur his verbis: TRIA cornua, sive tres turmas fecit diabolus in typum, atque figuram trionymae illius sectae, triumque deorum haereseos, quae universum orbem terrae in modum tenebrarum replevit; quae Patrem & Filium & Spiritum Sanctum aliquando tanquam tres colit, nonnunquam unum adorat, quemadmodum Graecorum lingua commemorat Triada & Homousion. Istam ergo Trinitatis sectam, & haeresin, atque infidelitatem jam olim delonge designans versutissimus ille diabolus, tria cornua misit ad Job depraedandum: sic nanque etiam nunc memorata trionyma haeresis praesertim praedatur, atque expugnat ecclesiam. Hactenus horum Commentariorum auctor, quos falso Origenis titulo inscriptos jam ostendimus, cum in praecedenti volumine catalogum Origenicorum Operum describeremus.

AN-

ANNOTATIO CXXXVI.

Sicut Domino placuit, ita factum est. Job 1. d

STRABUS, auctor Glossae, quae Ordinaria dicitur, qualem glossam huic periodo applicaverit, videbis infra in expositione verborum Hieronymi, Ann. 227. libri hujus.

ANNOTATIO CXXXVII.

Multiplicavit vulnera mea, etiam sine causa. Job 9. b

GREGORIUS libro nono explanationum in Job, cap. 16. ex his verbis colligere videtur contra communem theologorum consensum, infantes, absque baptismo decedentes, perpetuis damnatorum tormentis sensibiliter puniri: ibi enim ita scriptum reliquit: NONNULLI prius a praesenti vita subtrahuntur, quam ad proferenda bona malave merita activae vitae perveniant: quos quia a culpa originis sacramenta salutis non liberant, & hic ex proprio nihil egerunt; etiam illuc ad tormenta perveniunt: & quia post hanc mortem aeterna quoque mors sequitur, occulto eis justoque judicio, etiam sine causa vulnera multiplicantur: perpetua quippe tormenta percipiunt, qui nihil ex propria voluntate peccaverunt. Ait ergo Job, In turbine conteret me, & multiplicabit vulnera mea, etiam sine causa: ac si aperte humani generis damna considerans, dicat: Districtus judex qua eos animadversione trucidat, quos culpa propriae actionis damnat; sic & illos in aeternum percutit, quos reatus arbitrii non addicit. *Num infantes damnatorum suppliciis puniantur.*

HAEC GREGORIUS, secutus nimirum Augustini decretum, qui in libro De fide ad Petrum, cap. 27. [a] de hac re decrevit, his verbis: FIRMISSIME tene, & nullatenus dubites, non solum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur, sive de matribus nati, sine sacramento sancti baptismatis, quod datur in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, de hoc saeculo transeunt, ignis aeterni sempiterno supplicio puniendos: quia etsi propriae actionis peccatum nullum habuerunt; originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione, & nativitate traxerunt. Et in eodem libro, cap. 3. apertius exprimit hujusmodi infantes eadem cum daemonibus, caeterisque damnatis supplicii qualitate plecti, inquiens: QUALITAS malae vitae ab infidelitate incipit, quae ab originali peccato initium sumit: in quo quisquis ita vivere incipit, ut ante finiat vitam, quam ejus obligatione solvatur, si unius diei, vel unius horae spacio anima illa vixit in corpore, necesse est eam cum eodem corpore interminabilia gehennae supplicia sustinere, ubi diabolus cum angelis suis in aeternum arsurus est: ubi cum eo etiam fornicarii, idolis servientes, adulteri, molles, fures, avari, & omnes, qui opera carnis agunt, si ante hujus vitae terminum conversi non fuerint, aeternis ignibus exurentur. Rursum in sermone De baptismo parvulorum hanc suam opinionem Evangelicae auctoritatis argumento comprobans, inquit: SICUT Evangelium loquitur, duas partes facturus est Christus, dexteram, & sinistram: sinistris dicturus est, Ite maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus: dextris dicturus est, Venite benedicti patris mei, possidete regnum: nullus hic relictus est locus medius, ubi ponere queas infantes: & in extrema sententia dicit, Abibunt isti in combustionem aeternam, justi autem in vitam aeternam. Ecce exposuit tibi, quid sit regnum, & quid ignis aeternus: ut, quando confiteris parvulum non futurum in regno, fatearis futurum in ignem aeternum. Atque hoc idem fusioribus verbis, sed eodem plane sensu repetit libro quinto Hypognosticon, ostendens eodem poenae genere parvulos non baptizatos, & adultos, atque daemones affligi. Caeterum quo ad poenae quantitatem attinet, ubique docet infantium cruciatus esse levissimos, praesertim vero libro quinto adversus Julianum Pelagianum, sic loquens: EGO autem non dico parvulos, sine Christi baptismate morientes, *Matth. 25. d*

(a) Liber *de Fide ad Petrum* non est M. P. Augustini, sed S. Fulgentii Ruspensis Episcopi.

rientes, tanta poena esse plectendos, ut eis non nasci potius expediret: cum hoc Dominus non de quibuslibet peccatoribus, sed de sceleſtiſſimis & impiiſſimis dixerit: si enim, quod de Sodomis ait, & utique non de ſolis intelligi voluit, alius alio tolerabilius in die judicii punietur: quis dubitaverit parvulos non baptizatos, qui ſolum habent originale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium leviſſima futuros? Quae qualis & quanta erit, quamvis definire non poſſim; non tamen audeo dicere, quod eis, ut nulli eſſent, quam ut ibi eſſent, potius expediret. Id ipſum quoque habet libro primo De peccatorum meritis, & remiſſione, cap.16. & in Enchiridio ad Laurentium capit.93. ubi ſic fatur: MITISSIMA ſane omnium poena erit eorum, qui praeter peccatum, quod originale traxerunt, nullum inſuper addiderunt; & in caeteris, qui addiderunt, tanto quiſque tolerabiliorem ibi habebit damnationem, quanto hic minorem habuit iniquitatem. Gennadius, Maſſilienſis presbyter, putat Auguſtinum in hac parte ex multiloquio erraſſe: nam in Catalogo virorum illuſtrium, AUGUSTINUS, inquit, quanquam minus capacibus dubitationem de abortivis fecerit; error tamen illius, ex multo ſermone, ut ſuperius dixi, contractus, lucta hoſtium exaggeratus, necdum haereſis quaeſtionem dedit. Haec Gennadius.

DIVUS THOMAS in Quaeſtionibus diſputatis, in quaeſtione de poena peccati originalis, articulo 2. propoſitas Gregorii & Auguſtini ſententias mitigans, dixit, eos per ignem, gehennam, atque tormenta nihil aliud ſignificare voluiſſe, quam privationem divinae viſionis, qua ſola carent, nondum renati infantes: hanc autem privationem Patres illi tam duris nominibus appellarunt, per exceſſum quendam loquendi, ut multo magis execrabilem redderent Pelagianorum errorem, qui in parvulis praedicabant nullum eſſe peccatum. At Gregorius Ariminenſis in ſecundo Sententiarum, diſtinct.31. quaeſt.3. utriuſque Doctoris dicta mordicus tenens, cenſet ea ſecundum illam rigiditatem eſſe intelligenda, quam verborum ſeveritas praeſefert. (a)

A N N O T A T I O CXXXVIII.

Verebar omnia opera mea. Job 9.d

An in quolibet opere juſtus peccet.

GREGORIUS libro nono explanationum in Job hoc explicans, ait: PER ſanctum virum Job recte dicitur, Verebar omnia opera mea, ac ſi humili confeſſione diceretur, Quae aperte egerim, video: ſed, quid in his latenter pertulerim, ignoro. Lutherus in compendio Articulorum perfidiae ſuae, artic.35. uſurpat haec verba ad confirmationem ſui perverſi dogmatis; quo docet neminem juſtum eſſe certum, ſe non ſemper in quolibet opere peccare mortaliter. Joannes, Roſenſis epiſcopus, adverſus Lutherum ſcribens, demonſtrat eum truncatim, ac praeter rem induxiſſe haec verba, quibus quidem admonemur, de bonis operibus timere, non quod ipſa bona, ſanctaque opera, ut affirmat Lutherus, mala ſint ac peccatis annexa: ſed ne ex eorum conſideratione, vel in ſuperbiam efferamur, vel in deſidiam, ac torporem labamur. Hunc autem fuiſſe Gregorii ſenſum, praecedentia ejus verba, a Luthero vafre praetermiſſa, apertiſſime indicant.

A N N O T A T I O CXXXIX.

Sive nobiles fuerint filii ejus, ſive ignobiles, non intelliget. Job 14.d

Num animae Sanctorum videant omnia, quae hic aguntur.

GREGORIUS libro 12. Commentariorum in Job, cap.13. de cognitione beatorum loquens, ab Auguſtini ſententia diſcrepare videtur, dicens, quod animae ſanctorum, Deum videntes, omnia intuentur, quae hic apud nos aguntur. Sic enim fatur: MORTUI vitam in carne viventium poſt eos, qualiter diſponatur, neſciunt; quia vita ſpiritus longe eſt a vita carnis: & ſicut corporea, atque incorporea diverſa ſunt genere; ita etiam diſtincta cognitione: quod tamen de animabus ſanctis ſentiendum non eſt, quia quae intus omnipotentis Dei charitatem

(a) Legeſis Cl.Card.Noriſium in Vindiciis Auguſtinianis.

charitatem vident, nullo modo credendum est, quia foris fit aliquid, quod ignorent. Augustinus vero in libro De cura pro mortuis agenda cap.13. diversum scribit, affirmans, quod nesciant mortui, etiam sancti, quid agant vivi, etiam eorum filii; sicut apud Esaiam Israëlitae conqueruntur, dicentes: ABRAHAM nos nescivit, & Israël non cognovit nos. Quod & exemplo matris suae Monicae confirmat, inquiens: SI REBUS viventium interessent animae mortuorum; ut de aliis taceam, me ipsum pia mater nullo modo desereret, quae terra marique me secuta est, ut mecum viveret: absit enim, ut facta sit vita foeliciore crudelis. Si autem parentes non intersunt; qui sunt alii mortuorum, qui noverint, quid agamus, quidve patiamur? D.Thomas 1.parte Summae theologicae, quaest. 89. artic. 8. existimat Augustinum haec dubitando protulisse, non asserendo: quod & ipse Augustinus indicavit, cum diceret, Ut volet, accipiat unusquisque, quod dicam. Isa.63.16.

ANNOTATIO CXL.

Post tenebras spero lucem. Job 17. c

GREGORIUS libro 13. explanationum in Job, cap.20. haec scribit: QUIA auctoris nostri gratia redempti sumus, hoc jam coelestis muneris habemus; ut cum a carnis nostrae inhabitatione subtrahimur, mox ad coelestia praemia ducamur: quia dum conditor & redemptor noster, claustra inferni penetrans, electorum exinde animas eduxit; nos illo ire non patitur, unde jam alios descendendo liberavit. Hunc locum a Lutheranis fuisse detortum ad labefactandam purgatorii fidem, testis est Joannes Bunderius titulo 18. suarum Concertationum: ubi eosdem haereticos refellens, NOLUIT, inquit, his verbis Gregorius negare purgatorium, quod in quarto dialogorum, & alibi per Scripturas & historias tam diligenter confirmavit: voluit autem hoc insinuare, quod nun excludimur nunc a regno coelorum e vita migrantes, sicut Patres veteris Testamenti ante Christi passionem excludebantur: quia illi, quantumlibet purgati, adhuc tamen excludebantur: id autem modo non fit. Quod autem haec ejus fuerit intentio, patet per sequentia: subdit enim: Hi, qui ante ejus adventum in hunc mundum venerunt, quantumlibet justitiae virtutem haberent, ex corporibus educti, in sinum coelestis patriae statim recipi nullo modo poterant; quia nondum venerat, qui inferni claustra sua descensione solveret, & justorum animas in perpetua sede collocaret. Num animae poenitentiū statim post hanc vitam beatae fiant.

ANNOTATIO CXLI.

Devorabit eum ignis, qui non succenditur. Job 20. d

GREGORIUS lib.15. Moralium videtur ex his verbis deducere, quod ignis inferni incorporeus sit, & ab hoc igne nostro specie diversus: quod quidem Hieronymus, ad Avitum scribens, inter damnatas Origenis assertiones recenset. Verba ex cap.15. Moralium sic habent: *Devorabit eum ignis, qui non succenditur:* miro valde modo paucis verbis expressus est ignis gehennae: ignis nanque corporeus, ut esse ignis valeat, corporeis indiget fomentis: qui cum necesse est, ut servetur, per congesta ligna proculdubio nutritur: nec valet nisi succensus esse, & nisi refotus subsistere: at contra gehennae ignis cum sit incorporeus, & in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel durat inextinguibilis, & succensione non indiget, & ardore non caret. In hac Gregorii sententia fuisse videntur Augustinus libro in Genesim ad literam 12. ubi locum, ad quem animae feruntur post mortem, non corporalem, sed spiritualem esse docuit; & Joannes Damascenus, qui finem libri quarti De fide orthodoxa conclusit, his verbis: ET tradentur diabolus, & daemones ejus, & homo ejus, id est, Antichristus, & impii, & peccatores in ignem aeternum, non materialem, qualis est apud nos, sed qualem novit Deus. Num ignis inferni sit incorporeus.

CAETERUM non ita sensisse Gregorium, perspicue demonstratur libro quarto dialogorum capite 29. ubi percontanti Petro, utrum ipse gehennae ignem esse

esse incorporeum fateretur, an corporeum, respondet: Ignem gehennae corporeum esse non ambigo, in quo certum est corpora cruciari. Proinde sciendum est haec verba Gregorii in omnibus codicibus Lugdunensibus Hugonis a Potta, & in aliquibus manuscriptis exemplaribus corrupte legi: ubi enim in his habetur, Ignis gehennae cum sit incorporeus, delenda fuerat syllaba In; ut pro dictione, Incorporeus, legeretur, Corporeus: hoc enim sequentia Gregorii verba palam ostendunt, & in hunc modum ea citat D.Thomas in quarto Sententiarum volumine, distinct.44. quaest.3. inquiens ex hoc loco non posse deduci, quod ignis inferni alterius sit naturae, ac speciei, quam iste sit: nam etsi in his ignibus quaedam diversae proprietates inveniantur: utriusque tamen eadem est natura, forma, & substantia. Ad id vero, quod ex Damasceno allatum est, Durandus Portianensis in quarto Sententiarum libere pronunciat auctorem illum in hac parte male sentientem errasse.

Correcta exemplaria San. Gregorii habent ignis corporeus, & ita praesertim in editione Parisiensi PP. Sancti Mauri.

AT D.THOMAS, ut sui moris est, urbane & benigne Damascenum pertractans, ait ejus mentem duplici modo interpretari posse: primo, ut intelligamus eum non simpliciter negasse ignem inferni materialem, sed non esse materialem perinde, ac nostrum, qui ab illo igne proprietatibus aliquot discernitur: secundo, ut intelligamus eum non negasse ignem inferni materialem esse, quo ad substantiam, sed quod ad punitionis effectum: punit enim spirituali quadam actione corpora, quae nec dissolvit, nec consumit, & ipsas animas multo magis spiritualiter cruciat. Ad Augustini sententiam quid respondendum sit, habes supra Annotatione 40.

ANNOTATIO CXLII.

Stellae non sunt mundae in conspectu ejus. Job 25. b

Num Angeli, & animae naturae sint corporeae.

HIERONYMUS in commentariis, ejus nomine inscriptis [a] hunc locum pertractans, ait: SI ENIM angeli, & coelorum etiam corpora ad comparationem Dei immunda esse dicuntur: quid putas, homo existimandus est, cum sit ipse putredo? Faustus, in Gallia circa annum Domini 430. episcopus, elicit ex his verbis Hieronymum fuisse in sententia eorum, qui docuerunt, animarum & angelorum naturam esse corpoream. Sic enim in principio libri De creaturis scripsit: NONNULLI eruditissimi Patrum, quicquid creatum est, corpus esse definiunt; & animarum & angelorum naturam asserunt esse corpoream, pro eo quod initio circumscribitur & spacio: nam sicut in quodam sancti Hieronymi tractatu legimus, GLOBOS, inquit, siderum, corporatos esse Spiritus arbitrantur: & item, Si angeli, inquit, coelestia etiam corpora ad comparationem Dei immunda esse dicuntur: quid putas, homo existimandus est? Claudianus, Viennae Galliarum episcopus, libro De statu animae secundo refellens Faustum, asserentem omnia creata esse corporea, ostendit hoc testimonium temere ac perperam ab ipso usurpatum; quippe quod nec ad rem faciat, neque Fausti instituto deserviat. Caeterum quid de hac re senserint Patres, habes infra Annot.35. libri sexti.

ANNOTATIO CXLIII.

Nunquid post ortum tuum percepisti diluculo? Job 38. a

An filius Dei semper signatus, semperque nascatur.

GREGORIUS in initio libri 29. in Job loci hujus explanationem aggrediens, indicat recte dici non posse, filium Dei semper gigni a patre, semperque nasci,

(a) Optime N. Xystus loquens de Commentariis in Jobum non adjudicat eos S.Hieronymo, sed ei dicit adscriptos, vulgo quidem, & ut olim ei perperam adscribebantur. Non esse quidem Hieronymum eorum Authorem nemo, qui Criticus eruditusque audit, inficiatur. Sed cuinam debeant restitui, incertum est apud eos. Philippo Presbytero & Monacho, S. Hieronymi discipulo eos adjudicant Gennadius, & Cavius. Verum, ut Dupinius existimat, Commentarius ille ipse est, qui vulgo Bedae adscribitur. Censet igitur Dupinius hosce Commentarios V. Bedae potius esse restituendos, quum eundem retineant stylum, eundemque sapiant Auctorem Commentariorum in Proverbia, qui certe fuot V. Bedae. Eidem quoque eos adjudicant Card. Bellarminus, & Marianus Victorius, eo ducti momento, quia in extremo volumine scribit author se scripsisse in gratiam Vecterii: Vecterium autem Episcopum fuisse in Anglia tempore Bedae ex ejusdem Bedae historia liquet, Videsis reliquos Criticos.

nasci, ita scribens: DOMINUS DEUS JESUS in eo, quod virtus & sapientia Dei est, de patre ante tempora natus est: vel potius, quia nec coepit nasci, nec desiit, dicamus verius, semper natus: non autem possumus dicere, semper nascitur, ne imperfectus esse videatur: at vero, ut aeternus designari valeat, & perfectus, & semper dicamus, & natus, quatenus & natus ad perfectionem pertineat, & semper ad aeternitatem. Quamvis per hoc ipsum, quod perfectum dicimus, multum ab illius veritatis expressione deviamus: quia quod factum non est, non potest dici proprie perfectum: sed balbutiendo, ut possumus, excelsa Dei resonemus: & Dominus nostrae infirmitatis verbis condescendens, Estote, inquit, perfecti, sicut & pater vester coelestis perfectus est. Matth. 5. 48.

HAEC Gregorius: cui reclamare videtur Origenes homilia in Jeremiam secunda, ostendens filium Dei perpetuo nasci, his verbis: SALVATOR noster est sapientia Dei: sapientia vero est splendor aeternae lucis: Salvator ergo noster splendor est charitatis: splendor autem non semel nascitur, & desinit: sed quoties ortum fuerit lumen, ex quo splendor oritur, toties oritur etiam splendor charitatis: sic ergo Salvator semper nascitur. Unde ait in libro Sapientiae. Ante omnes colles generat me Dominus: non, ut quidam male legunt, generavit. Prover. 8. 25.

PETRUS Lombardus libro primo Sententiarum distinct. 9. hujusmodi controversiam sedat, hunc in modum loquens: SED, ne tanti auctores sibi contradicere in re tanta videantur, illa verba Gregorii benigne interpretemur. Dominus, inquit, Jesus ante tempora natus est de patre: vel potius, quia nec coepit nasci, nec desiit, dicamus verius, semper natus. Sed quomodo verius dicitur hoc, scilicet quod filius semper natus est, quam illud, scilicet quod de patre ante tempora natus est? illud enim sincera & catholica fides tenet, ac praedicat, ut istud: quare ergo ait, Dicamus verius, cum utrunque pariter sit verum; nisi quia volebar intelligi hoc ad majorem evidentiam & expressionem veritatis dici, quam illud: his etenim verbis omnis calumniandi versutis haereticis obstruitur aditus, quibus Christi secundum deitatem generatio, sine initio, & sine fine esse, ac perfecta monstratur: non autem adeo aperte semper manifestatur veritas, cum dicitur, Filius ante tempora genitus est de patre, vel, Filius semper nascitur de patre: & ideo dixit Gregorius, quod non possumus dicere, Semper nascitur: non, inquam, ita convenienter, non ita congrue ad explanationem veritatis: potest tamen dici, si sane intelligatur: semper enim nascitur filius de patre, ut ait Origenes, non quod quotidie iteretur illa generatio, sed quia semper est: semper ergo nascitur, id est, nativitas ejus sempiterna est.

ANNOTATIO CXLIV.

De cujus utero egressa est glacies? & gelu de coelo quis genuit? Job 38. c

ORIGENI falso inscripta explanatio sub elucidatione hujus sententiae perstringere videtur Homousianos, hoc est eos, qui filium patri consubstantialem credunt, verbis admodum ambiguis & obscuris, inquiens: RECITA haec tu cum judicio apud Homousiastas, &c. lege, & expende quid sibi velit. De Trinitate male sensit Pseudo-Origenes.

ANNOTATIO CXLV.

Mortuus est senex, & plenus dierum. Job 42.

GREGORIUS in fine libri 35. Moralium, QUIS, inquit, inter ista remanet salutis locus, quando, & mala nostra pura mala sunt, & bona nostra, quae nos habere credimus, pura bona esse nequaquam possunt? Martinus Lutherus in libro Articulorum suorum, articulo 35. nititur hoc testimonio ostendere neminem esse certum, se non semper peccare mortaliter: quia nullum unquam a nobis purum bonum fiat, sed nec fieri possit. Joannes Rofensis episcopus in confutatione ejusdem articuli, inquit Gregorium non loqui de cunctis bonis nostris operibus, sed de solis his, quae nos ipsi ceu bona, approbamus, & de quibus nobis placemus: Num aliquis certus sit se non semper peccare.

mus: & ob hoc ait, dixisse eum Bona, quae oos habere credimus, pura bona esse non posse; propterea quod in eis nobis applaudimus, & inanites de eorum bonitate gloriamur.

ANNOTATIO CXLVI.

Beatus vir, qui non abiit. Psalm. 1. a

De Trinitate male videtur Origenes sensisse.

ORIGENES, expositurus hunc Psalmum, cum io ipsa praefatione Deum futuri operis adjutorem imploraret, QUANDOQUIDEM, inquit, oihil sine Deo bonum esse potest, & maxime intelligeotia divinitus inspiratae scripturae, rogemus patrem uoiversorum Deum per Salvatorem oostrum, ac Pontificem, γενητὸν Deum, dari oobis primum, ut recte quaeramus, &c. Epiphanius libro 2. adversus haereses Origenem insimulat, quod cum potuisset, ac debuisset Christum appellare Deum γεννητὸν per duplex o: (id eoim geoitum significat) maluerit eum nuocupare γενητὸν per simplex o: quod quidem factum sonat: oimitum ut ex hac una dictione Christum malitiose ab essentia parernae deitatis abalienaret, eumque facturam & creaturam esse indicaret. Epiphanii censuram ipse quidem in praeseotia oec probo, neo improbo: sed de hoc ipso errore, quem alii quoque magni nomiois viri Origeni attribuuot, commodius scribam iofra.

ANNOTATIO CXLVII.

Batus vir, qui non abiit. Psal. 1. a

Num Angeli ante mundũ sint conditi, & an Coelum vocalem sonum edat.

AMBROSIUS io initio praefationis io Psalmos angelos dicit aote hunc visibilem mundum fuisse: quod plerique Patrum noo approbant: asserit etiam coelos rotatu suo edere perpetuum sonitum: quod Basilius & Epiphanius, ut rem fabulosam & risu dignam, rejiciunt. Scripsimus de utraque assertione io censuris libri Geneseos Aoootatiooe quinta, & ceotesima quinta.

ANNOTATIO CXLVIII.

Non resurgent impii in judicio. Psal. 1. b

Num resurrectio futura sit in individuo.

ORIGENES io commentariis Psalmorum, quemadmodum referuot Methodius, Olympi Lyciae episcopus, in dialogo, cui titulus est AGLAOPHON, & Epiphanius in secundo libro Panarii, hunc versiculum excutiens, docuit, resurrectiooem corporis nostri non io iodividuo, sed io ipsa duntaxat specie futuram: idque testimooio Pauli astruere conabatur: quin in epistola ad Corinthios imagioem resurrecturi corporis exemplo seminati frumeoti depioxit, ioquiens: NON, quod futurum est corpus, feminas, sed nudum granum, ut puta tritici: Deus autem dat illi corpus, prout vult. Qua quidem similitudine signare voluit Apostolus, quod sicut spica, ex grano coosurgeos, differt ab illo magnitudine, figura, & veritate, quamvis eaodem cum illo speciem participet: ita corpus in resurrectione alterum ab illo resurget, quod in morte seminatur: tametsi eadem in ipso remaneat species. Huic Pauli testimonio ratiocinatiooem quoque addidit talem: CUM in praesenti vita nec per biduum quidem corpus idem circumferamus: qui fieri potest, ut in futura vita cum hoc ipso corpore resurgamus? quod autem oec ad breve tempus idem io nobis corpus permaoeat, idemque materiale corporis subjectum; argumento suot mortalia animantia, quae deperditas corporis carnes, humoresque, novis quotidie ingestis alimentis, & io novas carnes mutatis, reponunt, oovumque corpus instauraot. Quapropter oon immerito aoimalium corpus a Graecis appellatum est εἶδος, id est rivus, vel fluvius: quia sicur in fluvio prioribus decedentibus undis continuo aliae post alias undae succeduot: sic in corpore nostro pro ea, quae perpetuo seceroirur, & defluit carois, humorumque substaotia, oova superinducitur carois, saoguioisque materia, eadem tameo

1. Cor. 15. e

specie

specie semper manente. Sed & in commentariis Psalmi 65. expendens sententiam illam, Transivimus per aquam & ignem, &c. hanc ipsam corporis mutationem expressit exemplo utris: quem si quis paulatim evacuet, paulatimque impleat, tantum semper aquae adjiciens, quantum effunditur; necesse est, quod in utre continetur aquae subjectum, nunquam esse id ipsum, sed semper variari: quamvis eadem sempet utris figura, speciesque permaneat. Haec de Origene Methodius, & Epiphanius. Caeterum cum beatus martyr Pamphilus in Apologia, quam pro Origene edidit, propositione septima copiosissime ostendat, Origenem plurimis in locis, & in hujus potissimum Psalmi, atque versiculi expositione de resurrectione corporis nostri in eodem individuo aperte ac magnifice praedicasse; credibile fuerit haec vel e malevolis hoc loco furtim fuisse intrusa, vel ab ipso auctore non ex propria, sed ex adversarii persona fuisse conscripta. Psal. 65. 12.

AD EA igitur, quae contra rectam resurrectionis fidem proposita sunt, Methodius in Aglaophonte breviter respondet, Pauli similitudinem non omnino accomodari ad corporum resurrectionem, sed in hac duntaxat parte, quod quemadmodum triticum non renascitur, neque in novam vitam assurgit, nisi prius terrae immissum corrumpatur, dicente Christo, NISI granum frumenti, humi dejectum, moriatur, non fructificat, &c. sic & corpora nostra, ni prius mortua fuerint, & in terram dissoluta, non resurgent, neque ad feliciorem vitam revivifcent. Cum autem ex assidua transmutatione alimenti in corpus, individua corporis transmutatio infertur, perperam id colligi Methodius censet: quia quamvis nutrimenta quotidie sumpta in novas vertantur carnes, quae vicem deperditarum carnium expleant: non tamen desinit homo idem ipse secundum numerum esse, qui prius erat. Sufficit enim ad servandam ejusdem hominis individuam rationem, ut potiores ac praestantiores ejus partes absque ulla mutationis vicissitudine perstent; & quod caeterae fluxibiles partes, quae continuo in corpus influunt, figuram, situm, ordinem, aliasque decedentium partium qualitates servent. Quapropter cum anima nobilior, ac melior hominis portio, eadem semper maneat; & partes aliae, corpori supervenientes, praetereuntium partium situm, figuram, ordinem, & qualitates pristinas retineant; quin & ipsae etiam vulnerum cicatrices, & ulcerum vestigia, & membrorum mutilationes per omnem aetatem in corporibus perdurent: consequens est individuam hominis subsistentiam eandem esse numero usque ad finem mortalis vitae, postquam anima iterum in consummatione saeculi ad idem numero corpus per divinam potentiam reverteretur, praeter omnem legem, & ordinem naturae proprium corpus resumens. Joan. 12. 24.

ANNOTATIO CXLIX.

Quare fremuerunt gentes, &c. Psal. 2. a

HILARIUM taxat Hieronymus in principio libri De Hebraïcis traditionibus, quod is in expositione hujus versiculi asseruerit pro eo, quod nos in exordio Geneseos habemus, In principio creavit Deus coelum & terram, in Hebraeo haberi, In Filio fecit Deus &c. quod quidem falsum esse ipsius rei veritas comprobat: nam in Hebraeö scriptum non est בבר Bebar, quod In Filio significat; sed בראשת Berescith, quod In principio significat: Videtur Hilarium in hoc fuisse deceptum auctoritate Tertulliani, qui id ipsum asseruit in libro adversus Praxeam.[a] De principio Geneseos. Genes. c. 1.

(a) Hieronymus loco laudato ab Authore ita scribit: „ Plerique existimant, sicut In altercatione „ quoque Jasonis, & Papisci scriptum est, & Tertullianus libro contra Praxeam disputat, necnon „ Hilarius in expositione cujusdam Psalmi affirmat „ in Hebraeo haberi: IN FILIO fecit Deus Coelum, & terram: quod falsum esse, ipsius rei veritas comprobat; nam & Septuaginta interpretes, „ & Symmachus, & Theodotion IN PRINCIPIO „ transtulerunt, & in Habraeo scriptum est בראשית „ Beresit: quod Aquila interpretatur: IN CAPITULO, & non בבן beben, quod interpretatur: „ IN FILIO. Magis itaque secundum sensum, „ quam secundum verbi translationem de Christo „ accipi potest, qui tam in ipsa fronte Geneseos, „ quae caput librorum omnium est, quam etiam in „ principio Joannis coeli & terrae conditor appellatur., &c.

Ex hisce autem D. Hieronymi verbis corrigendus occurrit ejusdem textus hic a nostro Xysto laudatus, nimirum בבר be bar, vel be ber, ex imperitia typographorum fortasse mutato ן nuo finali in ר res. Quamvis enim apud Hebraeos בר Bar filium denotet, ut ex variis monumentis idem Xystus ostendit

ANNOTATIO CL.

Dabo tibi gentes haereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terrae; Psalm. 2. c

HILARIUS io elucidatiooe hujus versiculi ioter caetera haec scripsit: ACCEPIT Christus possessionem finium terrae, id est, ut in nomine Jesu omne genu (Philip. 2. b) flectatur: coelestium, terrestrium, & infernorum &c. ooo terrena sola, sed superna etiam, inferoaque dooaotur, & ea, quibus terra concluditur, & in gloria Dei Patris hodie genitus nascitur, id est in manente antea Dei forma per praemium mortis forma servilis adhonestatur. Erasmus io Annotationibus, quas ad margines commentariorum Hilarii apposuit, asseverat haec verba Origenicum sibi quiddam subolere: sed cum ipse nullam suspicionis suae rationem afferat, neque ex verbis Hilarii tale quicquam deduci queat: videaot alii, me doctiores, quanti faciendum sit Erasmi judicium.

ANNOTATIO CLI.

Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, &c. Psal. 2. e

(Locus hic sum a Hieronymo bene versus.) HIERONYMUM in ioterpretatiooe & expositione praesentis versiculi reprehendit Rufinus, Aquilejae presbyter: cui respondens Hieronymus in prima adversus ejusdem viri calumnias Apologia, haec ad Pammachium scripsit: ILLUD quoque Rufinus carpere dicitur, quod secuodum Psalmum interpretans; pro eo, quod legimus in Latino, Apprehendite disciplinam, & in Hebraeo volumine scriptum est נשקובר Nascubar, dixerim in commentariolis meis, Adorate Filium: & rursum omoe Psalterium in Romanum vertens sonum, quasi immemor expositionis antiquae posuerim, Adorate pure: quod utique sibi esse contrarium omnibus pater: & revera ignoscendum est ei, si ignoret linguae Hebraïcae veritatem, qui interdum & io Latinis haesitat: נשקו Nasku, ut verbum de verbo interpreter, καταφιλήσατε, id est, Deosculamini dicitur: quod ego oolens transferre putide, sensum magis secutus sum, ut dicerem, Adorate: quia eoim qui adorant, solent deosculari manum, & capita submittere: quod se beatus Job (Job 31. e) elementis & idolis fecisse negat, dicens: Si vidi Solem, cum fulgeret, & Lunam incedentem clare; & laetatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo: quae iniquitas maxima est, & negatio contra Deum altissimum? & Hebraei juxta linguae suae proprietatem deosculationem pro veneratione ponunt: id transtuli, quod ipsi intelliguot; quorum verbum est בר Bar. Bar autem apud illos diversa significat: dicitur enim Et Filius: ut est illud, Bar Jona, filius columbae; & Barptolemaeus, filius Ptolemaei; Bartineus, & Barchiseus, & Barabbas: triticum quoque, & spicarum fasciculus, & electus, ac purus. Quid igitur peccavi, si verbum ambiguum diversa interpretatione converti? & qui in commentariolis, ubi libertas est differendi, dixeram, Adorate Filium: in ipso corpore, ne violentus viderer interpres, & Judaïcae calumniae locum darem, dixerim, Adorate pure, sive electe: quod Aquila quoque, & Symmachus transtulerunt. Quid ergo ecclesiasticae fidei nocet, si doceatur lector, quot modis apud Hebraeos unus versiculus explanetur?

(Legesis Joh. Frontonis Dissertationem de cultu SS ubi erudite nimis hoc explicat, ritum deosculandi ad venerationem exhibendam expendens.)

AN-

ostendit infra *Adnot. CLI.* & bene propterea legi posse בבר be bar *in filio*: tamen quia Hieronymus scripsit בבן be ben, ita retinendus est ejusdem textus, praecipue cum etiam בן Ben filium denotet: heine idem Hieronymus *Praefat. in Josue* dicit: „quem „ Hebraei יהושע בן נון, idest Josue filium Nun „ vocant. „

Patres San-Mauraei in nova editione operum S. Hilarii *hic* non diffitentur Hilarium ita sensisse, sed aliqua addunt quae hic etiam adnotare non taedet. Ajunt enim „ Ita tamen in Hebraeo haberi, „ *in Filio*, affirmat Hilarius, ut huic interpreta„ tioni neque adhaereat ipse, neque adhaerendum „ putet. De Tertulliano obiter observamus, eam „ in ipsius libro contra Praxeam nusquam reperiri, „ sed hoc dumtaxat nu. 5. de Praxeae sectariis: *Ajunt* „ *quidem, & Genesim in Hebraeo ita incipere: In* „ *principio Deus fecit sibi Filium: hoc ut firmum* „ *non sit, alia me argumenta deducunt*. Quam„ quam hunc Tertulliani locum ex Hieronymo „ emendandum esse facile concedamus. Ipse vero „ Tertullianus legere solet *in primordio*, & libro „ contra Hermogenem n. 20. Juxta vim vocis grae„ cae permittit, ut legatur *in principatu, in potestate*.

ANNOTATIO CLII.

Domine quid multiplicati sunt, &c. Psalm. 3. a

AUGUSTINUS in commentariis Psalmorum super hoc versu, IN historia, inquit, novi testamenti ipsa Domini nostri Jesu Christi tanta & tam miranda fuit patientia, quod Judam ad convivium adhibuit: in quo corporis & sanguinis sui figuram discipulis commendavit, & tradidit. Hermannus Bodius in Collectaneis colligit ex his verbis sacramentum Eucharistiae nihil aliud esse, quam figuram, ac typum Corporis Christi. Vide, quod contra hunc annotavimus Annotatione 146. libri sequentis. De Eucharistia.

ANNOTATIO CLIII.

Cum invocarem, exaudivit me Deus, &c. Psalm. 4. a

CHRYSOSTOMUS in praefatione enarrationis in hunc Psalmum habet nonnulla, quae a Lutheranis contra Sanctorum invocationem inducuntur: ea sunt haec: NON potes dicere, Vereor accedere, & orare Deum: sed semper & assidue eum potes interpellare; & nulla adest difficultas: neque enim opus est janitoribus, qui te introducant, non dispensatoribus, procuratoribus, custodibus, aut amicis: sed quando ipse per te ipsum accesseris, tunc maxime te audiet, tunc, quando neminem rogaveris: non ita enim eum per alios placamus orantes, sicut per nos ipsos: quando viderit nos hoc per nos ipsos facientes; tunc maxime annuit. Ita etiam fecit in Chananaea; &, cum Petrus quidem & Jacobus accederent, non annuit: cum ea autem permaneret; quod petebatur, dedit. Repetit Chrysostomus multis etiam aliis locis haec eadem, quorum intelligentiam pie explicatam habes Annotatione 310. libri hunc proxime sequentis. De invocatione Sanctorum. Matth. 15. c

ANNOTATIO CLIIII.

Non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum. Psal. 13. a

CHRYSOSTOMUS, sive alius quisquiam, cujus expositio in Psalmum 13. inserta est Chrysostomi commentariis, hanc sententiam enarrans, indicat Mariam virginem, moriente Christo, haesitasse in fide. Sunt enim haec ipsius verba: NON fuit, qui faceret bonum: quando discipuli omnes eo relicto, fugerunt, Joannes nudus recedit, Petrus negat, discipuli fugiunt, ipsius Mariae matris animum gladius dubitationis pertransit. Habes hujus sententiae interpretationem supra Annotatione 104. & infra Annotatione 138. 139. 140. & 185. libri sexti. Num Maria in morte Christi haesitaverit.

ANNOTATIO CLV.

Sepulcrum patens est guttur eorum. Psal. 13. b

HIERONYMUS in commentariis Psalterii, quae ejus esse creduntur, admonet illos octo versus, qui ab hoc loco usque ad illum, Non est timor Dei ante oculos eorum, in vulgata editione habentur, non esse in Hebraïcis exemplaribus, sed a Paulo ex variis divinae scripturae locis collectos, & in ea, quae est ad Romanos, epistola in testimonium sententiae suae assumptos. Idem in praefatione commentarii in Esaiam sextidecimi respondens Eustochio, quaerenti, unde Paulus praedictos usurpasset versiculos, inquit cum duos primos versus, Sepulcrum patens est guttur eorum, Linguis suis dolose agebant, ex quinto Psalmo accepisse: tertium, Quorum os maledictione, & amaritudine plenum est, ex Psalmo nono: quartum, Venenum aspidum sub labiis eorum, ex Psalmo 139. quintum, sextum, & septimum, Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, ex capite De octo versiculis Psalmo XIII. superadditis. Rom. 3. b

pite Esaiae 50. octavum, Non est timor Dei ante oculos eorum, ex Psalmo quinto: demum subdit hos octo versiculos fuisse ab incerto auctore insertos Psalmo tertiodecimo: quod is idoneum locum non inveniret, ad quem hoc Pauli referret testimonium, cum in his Hebraeis codicibus non haberetur. Joannes Cochlaeus in libro De canonicae scripturae, & catholicae ecclesiae auctoritate improbans hanc Hieronymi sententiam, putat Hebraïca exemplaria esse hoc loco mutila & imminuta: sic autem fatur: IN epistola ad Romanos capite tertio Paulus allegat multos versiculos ex Psalmo 73. qui apud Hebraeos cernuntur omissi: sed potius credendum esse putamus Paulo Apostolo, quam Judaeorum Bibliis. Scio quidem, quid de loco ex epistola ad Romanos citato responderit sacrae virgini Eustochio S. Hieronymus in prologo sextidecimi commentarii in Esaiam; sed alibi ostendi eum isti quaestioni, salva ejus gloria & honore, non satisfecisse.

ANNOTATIO CLVI.

Qui ingreditur sine macula, &c. Psal.14.a

Maria Virgo sine maculis.

ARNOBIUM, haec verba in commentariis Psalterii explicantem, Erasmus caute legendum admonuit, quasi is innuere videantur, Mariam, ingrediente Christo in ejus uterum, fuisse mundatam a maculis, quibus ante Christi conceptionem esset infecta, dum inquit: OMNIS maculatus ingreditur tabernaculum Domini, & ibi immaculatus efficitur. Jesus autem solus immaculatus virgineam aulam ingressus, ipsum tabernaculum a maculis carnalibus liberavit, & dedit ei sanctificationem. Atqui manifestum est ex sequentibus verbis eum non loqui de maculis, quae ante Christi ingressum fuissent in Maria, sed de his, quae in aliis foeminis esse consueverunt, a quibus Christus suam matrem servavit immunem. Quod autem addit eam ingressu Christi sanctificatam, non ita intelligendum est, quasi tum primum sanctificari coeperit, cum Christum conciperet, sed quod in illam ingrediens Christus, ampliora ei sanctitatis incrementa attulerit. Lege Annotation. 136. & 137. libri, qui hunc proxime sequitur.

ANNOTATIO CLVII.

Conserva me Domine, quoniam speravi in te. Psalm. 15. a

Num Psalmi ad literam loquentes de Davide possint ad literam exponi de Christo. Psalm.15. b

THOMAS Cajetanus cum in commentariis suis praefaretur in hunc Psalmum, haec exaravit: EX HOC Psalmo colligimus regulam generalem intelligendi Psalmos, quod omnis Psalmus, qui non potest exponi ad literam de David, exponendus est de Christo, sicut Apostolus verba hujus Psalmi, Non dabis sanctum tuum videre corruptionem, intulit, quod de Christo scripta erant, quia Davidi convenire non poterant: & potest etiam hinc haberi altera regula per oppositum, scilicet quod omnis Psalmus, qui potest ad literam exponi de David, non est exponendus ad literam de Christo. Ambrosius, Compsae episcopus, libro 2. Annotationum in Cajetanum haec verba expendens, scribit in hunc modum: VERA est omnino prima regula, sed falsa secunda, & ad spiritus extinctionem ex doctrina Judaeorum accepta, & contra omnes, quos legi, catholicos doctores; qui istam regulam non cognoverunt: nec ex prima regula elicitur secunda, ut ipse putavit, falsus a fallacia, quam logici vocant, consequentis. Haec autem praemissa sunt lectori, ut cognoscant judicium meum de commentariis ejus, quos edidit super Psalmos; in quibus vix usquam video Christum, nisi cum ita cogitur auctoritate scripturae, ut non valeat absque perfidia manifesta tergiversari. Quot autem errores, & quantos ob istam regulam datam ipse incurrerit, non fuit ocium colligere: in commentariis enim illis super Psalmos, est hic perpetuus error: nonnullos tamen & graves in his, quos in hoc secundo libro complexus sum, annotationibus indicavi.

ANNOTATIO CLVIII.

Dixi, Domine, Deus meus es tu. *Psalm. 15. a*

EUSEBIUS, Caesarienfis epifcopus, in commentariis Pfalmorum quaedam ad interpretandum haec verba attulit Arrianorum dogmati De Patris & Filii inaequalitate faventia; & funt haec: LEGE naturae cujufvis Filii Pater Dominus quoque ejus exiftit: ob id unigeniti illius Filii Dei, qui genuit illum, Pater eft etiam illius & Dominus, & Deus, & Pater. Hanc fententiam idem Eufebius, prolixo fermone repetitam, explicat in epiftola ad Alexandrum, Athanafii praeceptorem: cujus initium eft, QUANTO LABORE & diligentia in has literas inciderim. Annotavit hoc Epiphanius Diaconus in actione fexta fecundae Synodi Nicaenae.

De Trinitate male fenfit Eufebius Caefarienfis.

ANNOTATIO CLIX.

Infuper & ufque ad noctem increpuerunt me renes mei. *Pfal. 15. b*

ORIGENES cum hucufque explanando perveniffet, afferuit viros fanctos, cum ad virtutum venerint fummitatem, ne in nocte quidem ea pati, quae hominum funt, nec cogitatione vitiorum aliqua titillari. Hieronymus in epiftola ad Ctefiphontem, quae incipit, NON AUDACTER, dicit hunc locum effe unum ex fontibus, unde errorem fuum haufernnt Pelagiani, docentes hominem fieri poffe ἀναμάρτητον, hoc eft impeccabilem, feu abfque peccato effe poffe, fi velit. Vide Annotat. 232. libri hujus.

Num homo fieri queat impeccabilis.

ANNOTATIO CLX.

In fole pofuit tabernaculum fuum. *Pfalm. 18. a*

ORIGENEM accufat Serapion, epifcopus Thmuenus, contra Manichaeos fcribens, quod in elucidatione allegorica hujus verficuli docuerit Chriftum, cum in coelum afcenderet, corpus fuum reliquiffe in globo Solis; inde vero folam animam fecum fupra omnes coelos ad dexteram patris evexiffe: atque hinc ait Manichaeos fuiffe perfuafos, ut Solem adorarent, ceu tabernaculum, ac perpetuum domicilium corporis Chrifti. Auguftinus libro 20. contra Fauftum nulla facta mentione Origenici nominis, refert Manichaeos ex hoc pfalmi teftimonio, perperam intellecto, in adorationem Solis incidiffe: unde facile credi poteft Origenis commentarios hoc loco ab haereticis fuiffe falfatos, eoque maxime, quod Pamphilus martyr in Apologia demonftrat, hanc fententiam fuiffe ab Origene dedita opera oppugnatam in hac ipfa praefentis pfalmi, atque verficuli explanatione his plane verbis, ex ipfo Origenis commentario defumptis: QUID eft, quod dixit David, In Sole pofuit tabernaculum fuum? quidam quidem dicebant, quod Salvator nofter, afcendens e terris ad coelum, & corpus fuum affumens, pervenit ufque ad eum circulum, qui Solis Zona nominatur: & ibi, ajunt, pofuit tabernaculum corporis fui: non enim ultra erat poffibile id progredi. Sed haec illi ita fentiunt pro eo, quod allegoriam nolunt in Scriptura divina recipere: & ideo putae hiftoriae defervientes, hujufmodi fabulas, & figmenta componunt: nos vero precamur omnipotentiam Dei, ut nos dignetur audire, & fecreta nobis fpiritalis intelligentiae dignetur aperire. Quod ergo a nobis in hoc loco fentitur, hoc eft. In Sole pofuit tabernaculum fuum, Quaero, quid fit tabernaculum Chrifti, & quae fit habitatio, in qua tabernaculum Chrifti collocatur? Habitatio tabernaculi Chrifti Sol effe dicitur. Tabernaculum vero Chrifti ecclefiam intelligo. Solem autem, quem alium fentire debeo, nifi illud lumen verum, quod illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum? ipfum video Solem, de quo dictum eft, Quia timentibus nomen meum orietur Sol juftitiae. In Sole ergo pofuit tabernaculum fuum, id eft In Sole juftitiae ecclefiam fuam collocavit.

Num Chrifti corpus in Sole pofitum fit.

Senfus literalis ex textu Hebraico eft: *Soli pofuit tabernaculum in eis*, fupple, *Coelis* ea magnifica habitatione ei data.

Joan. 1. a

Malach. 4. a

AN-

ANNOTATIO CLXI.

Deus meus clamabo per diem, & non exaudies. *Psalm. 21. a*

An oratio Christi fuerit exaudita. HIERONYMUS in commentariis psalmorum, qui ejus esse dicuntur, pertractans hunc versum, CLAMAVIT, inquit, Christus in cruce, & oravit pro suis: exauditus, & non exauditus est: exauditus pro praedestinatis; sicut in octo millibus, vel pro illis centum viginti & quingentis fratribus: & non exauditus, hoc
Matt. 27. 25. est pro illis, qui non erant praedestinati: de quibus dixit Evangelista, Sanguis ejus super nos, & super filios nostros. Divus Thomas in tertio volumine Summae theologicae, quaestione 21. artic. 4. existimat perperam dici, aut credi, quod
Joan. 11. f Christus, qui de se ait, Pater ego sciebam, quia semper me exaudis, &c. non fuerit aliquando exauditus, & praecipue in cruce exclamans; cum de eo, in cruce
Hebr. 5. b clamante, dicat Paulus: Cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. Proinde censet Christum neque pro omnibus, qui erant in eum credituri; sed pro his solum, qui erant praedestinati ad vitam aeternam, & pro his esse exauditum. Quod autem psalmus ait, Clamabo, & non exaudies, intelligendum esse putat non quo ad rationis desiderium, quae semper exaudita est; sed quo ad effectum carnis, mortem refugientis. Thomas Cajetanus ad solutionem D. Thomae hoc etiam superaddit, quod omnis Christi oratio tam secundum rationis, quam secundum carnis voluntatem fuerit exaudita: quia quod caro petebat, non fixa determinatione flagitabat, sed ea conditione, si ita patri visum foret: quod si secus ei videretur; tum demum postulabat expleri patris
Matth. 26. d voluntatem, inquiens: Fiat voluntas tua: ergo juxta hanc ultimam conditionem a carne propositam Christi oratio cumulatissime exaudita est. (a)

ANNOTATIO CLXII.

Longe a salute mea verba delictorum meorum. *Psalm. 21. a*

Num Christus vere timuerit, atque doluerit. AUGUSTINUS in commentariis psalmorum enarratione secunda hujus psalmi videtur sentire, Christum non vere timuisse, nec veram habuisse tristitiam: nam Magister Sententiarum libro tertio, distinct. 15. refert ejus explanationem, permutatis tamen ac transpositis aliquot verbis ad lucidiorem sensus in-
1. Petr. 2. 22. telligentiam hoc modo: QUOMODO hoc dicit, Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus? de nobis, corpore suo; hoc dicit: corporis enim sui,

(a) Quia multifariam hisce similibusque monumentis abutuntur, qui pro Jansenii systemate pugnant, ex eisque contendunt ostendere Christum haud orasse pro reprobis, horumce salutem non esse a Deo volitam, nec Servatorem Jesum pro eisdem praestitisse redemtionis lytrum, quod praesertim est observare in Aegidio Albano novissimo Jansenianorum Coriphaeo, lubet aliqua hic addere ad consutationem erroris. S. Leo M. enim *Serm. LX.* (editionis Quesnellianae) *de Passione Domini* ita loquitur dum de Christo agit: „ Cujus etiam circa interfectores suos tanta erat pietatis affectio, ut de Cruce supplicans Patri non se vindicari, sed illis postularet ignosci dicens: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. De cujus utique orationis potentia fuit, ut praedicatio Petri Apostoli ex iis, qui dixerunt: *Sanguis illius super nos, & super filios nostros*, multorum ad poenitentiam corda converteret; & uno die baptizarentur tria fere millia Judaeorum, fieretque omnium cor unum, & anima una, paratorum jam pro eo mori, quem poposcerant crucifigi. Ad hanc indulgentiam traditor Judas pervenire non potuit, quoniam perditionis filius, cui Diabolus stabat a dextris, prius in desperationem transiit, quam Sacramentum generalis redemtionis Christus impleret. Nam mortuo pro omnibus impiis Domino, potuisset etiam forte hic consequi remedium, si non festinasset ad laqueum. Sed maligno cordi nunc furtis fraudum dedito, nunc parricidalibus commerciis occupato nihil unquam documentorum misericordiae Salvatoris insederat, nec piis acceptaverat Domini verba dicentis: *Non veni vocare justos, sed peccatores*. Et: *Filius hominis venit quaerere, & salvare quod perierat &c.* „ S. Thomas *III. P. Qu. XXI. Art. IV.* & *Lect. II. in Cap. XVII. Johan.* explicans illud Johannis XVII. *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi*, ait: „ Christus quantum est de se, pro omnibus oravit, quia oratio sua, quantum est de se, efficax est ut valeat toti mundo; sed tamen non in omnibus sortitur effectum, nisi in Sanctis, & Electis Dei; & hoc propter impedimentum mundanorum. „ Consule Theologos, qui adversus Jansenii & Quesnellii propositiones scripserunt. Videsis etiam Exercitationem nostrum IV. Tom. III. In propos. proscriptas ab Alexandro VIII. Porro Commentarii in Psalmos (quos N. Xystus Hieronymi credit asserit) esto plura contineant, quae sunt ex Hieronymo excerpta, non sunt Hieronymi, sed a pluribus, iisque incertis Authoribus compositi.

sui, id est ecclesiae, gerebat personam; sicut & alibi, cum dixit, Transeat a me calix iste, pro nobis loquitur: nisi forte putetur timuisse mori: sed non vere timebat Dominus pati, tertia die resurrecturus, cum arderet Paulus dissolvi, & esse cum Christo: non enim fortior est miles, quam imperator; miles enim coronandus gaudet mori, & Dominus coronaturus timet mortem? sed infirmitatem nostram repraesentans pro suis infirmis, qui timent mori, haec dixit: vox enim illorum erat. Consimilem sententiam habet in epistola ad Probam De gratia novi testamenti, capite sexto & septimo, item in enarratione psalmi 103. Sed liquet Augustinum non ita sensisse ex his, quae contra hanc opinionem attulit in enarratione psalmi 93. his verbis: NOLITE putare, non fuisse tristem Dominum: si enim hoc dixerimus quia non erat tristis, cum Evangelium dicat, Tristis est anima mea usque ad mortem: ergo quando dicit Evangelium, Dormivit Jesus, non dormivit Jesus; Manducavit Jesus, non manducavit: & ita nihil sanum relinquitur, ut dicatur. Et jam corpus non erat verum, & carnem veram non habuit: quicquid ergo de illo scriptum est, factum est, verum est: ergo tristis fuit, prorsus tristis, sed voluntate suscipiens tristitiam, quo modo voluntate suscipiens carnem.

Matth. 26. 39.

Philip. 1. 23.

Matth. 26. c

MAGISTER Sententiarum distinctione 15. libri 4. ait, Augustinum in psalmo 3. significasse, quod Christus non vere timuit secundum passionem; in psalmo autem 93. ostendisse, quod Christus secundum propassionem vere timuerit. Videbis infra, quae ad hoc argumentum pertineant, Annotatione libri hujus 186.

ANNOTATIO CLXIII.

Manducaverunt, & adoraverunt omnes pingues terrae. Psalm. 21.

STRABUS in Glossa ad expositionem hujus versiculi affert sententiam sub titulo Augustini talem: NON prohibeat dispensator manducare pingues terrae in mensa Domini, sed exactorem moneat timere. Gratianus De consecratione distinctione secunda, hæc ipsa verba ex innominato & incerto Augustini loco citat, & ex his colligit, peccatores non esse arcendos a communione mensae Dominicae. (a) D. Thomas in tertio Summae volumine, quaestione 80. indicat, hanc sententiam non esse intelligendam de publicis peccatoribus, in aperto crimine viventibus, sed de occultis ac latentibus. Illis enim, quamvis obnixe efflagitantibus, non censet concedendum Eucharistiae sacramentum: istis autem indicat non esse denegandum in publico; desiderat tamen, ut sacramenti minister, si forte fuerit illorum delicti conscius, dehortetur eos, aliquo tamen occulto admonitionis genere, a susceptione Dominici corporis.

Num Eucharistia peccatoribus sit deneganda.

ANNOTATIO CLXIIII.

Parasti in conspectu meo mensam. Psalm. 22. b

CHRYSOSTOMUS in homilia quadam super Psalmum 22. quae tamen ejus esse non creditur, habet haec verba: ISTA mensa est altaris Domini consecratio: & quia istam mensam praeparavit divina sapientia servis & ancillis suis in conspectu eorum, ut quotidie in similitudinem corporis & sanguinis Christi panem & vinum secundum ordinem Melchisedech nobis in sacramento ostenderet: ideo dicit, Parasti in conspectu meo mensam. Protulit hunc locum Joannes Oecolampadius contra veritatem corporis Christi in Eucharistia, ut sub Chrysostomi nomine haeresi suae fidem astrueret: sed cum phrasis, & explanationis character palam arguant homiliam non esse ejus, cujus titulo praenotatur; non opus est, ut quicquam Oecolampadio respondeamus pro defensione Chrysostomi;

De Eucharistiae Sacramento mentiuntur haeretici Chrysostomum male sensisse.

(a) N. Johannes Nicolai in glossa marginali ad *Art. VI. Qu. LXXX. III. P.* S. Thomae ita ad rem adnotat textum Gratiani expendens, & commentarium ab eo laudatum sub nomine Augustini: „ Ut refertur „ de Consecratione Cap. *Non prohibeat*, & colligi- „ tur non ex Commentario super Psalm. XXI. ubi „ nec sic expresse Glossa insinuat, sed super Psalm. „ XLVIII. ubi *divites terrae* legit, qui manducant, „ nec saturantur; Glossam vero Decreti *peccatores* „ explicat, sicut per Parenthesin S. Thomas. „

mi; quem constat acerrimum esse hujus sacramenti propugnatorem: cujuscunque tamen haec verba sint, non eum sensum reddunt, quem ex his falso colligit Oecolampadius: nihil enim prohibet, imo necessarium est, ut una cum vero corpore & sanguine Christi sint in sacramento altaris panis & vini accidentia, quae hic panis & vinum dicuntur. Haec autem similitudinem & figuram gerunt corpo-
1. Cor. 10. 17 ris Christi mystici, quod est ecclesia, dicente Paulo: UNUS panis, & unum corpus sumus omnes, qui de uno pane, & de uno calice participamus.

ANNOTATIO CLXV.

Quoniam defecit in dolore vita mea. *Psalm.* 30. *b*

De doloribus Christi Jesu.

NICOLAUS Cusanus in sermone, quem in praesentem versiculum edidit, tum propter ea, quae hoc loco a Propheta dicuntur, tum propter multa alia credidit Christum Dominum sustinuisse in anima dolorem inferni. Annotavit hanc sententiam Augustinus, Nebiensis episcopus, in scholiis Octapli, ad hunc Psalmum appositis, asserens se hujus eruditissimi viri, & in omni scientia eminentissimi opinionem nec amplecti, nec aspernari.

ANNOTATIO CLXVI.

In manibus tuis sortes meae, &c. *Psalm.* 30. *d*

Num sortibus uti liceat.

AUGUSTINUS concione secunda in hunc Psalmum, cum de sortibus, hic a Davide commemoratis, dissereret, visus est approbare sortium usum, dum, inquit: SORS non est aliquid mali, sed res in humana dubitatione divinam indicans voluntatem: nam & sortes miserunt Apostoli, quando Judas, tradito Do-
Actor. 1. 26. mino periit; & cecidit sors super Matthiam. Eidem sententiae subscribit in epistola ad Honoratum, sic loquens: SI INTER Dei ministros sit disceptatio, qui eorum persecutionis tempore maneant, ne fuga fiat omnium; & qui eorum fugiat, ne morte eorum deseratur ecclesia; Si haec disceptatio aliter non potuerit terminari, quantum mihi videtur, qui maneant & qui fugiant, sorte sunt eligendi. Et in primo libro De doctrina Christiana id ipsum confirmans, ait: SI CUI abundaret aliquid, quod oporteret dari eis, qui non haberent, nec duobus dari potuisset; si tibi occurrant duo, quorum neuter alium vel indigentia, vel urgente aliqua necessitate superaret, nihil justius faceres, quam ut sorte eligeres, cui dandum esset, quod dari utrique non posset. Sunt, qui putent his Augusti-
Leo PP. IV. epist. ad Episcop. Britan. cap. 4. ut ex Ivone, & antiquis editionibus. At in nova editione legitur: Cuncta vos vestris discriminatis (id est decernitis) judiciis.

ni dictis adversari decretum Leonis Papae IIII. ex epistola ad episcopos Britanniae, quod in Decretis Pontificum, causa 26, quaestione 5. scribitur: SORTES, quibus cuncta vos vestris discriminatis provinciis, quas Patres damnaverunt, nihil aliud, quam divinationes & maleficia decernimus: quamobrem volumus omnino illas damnari, & ultra inter Christianos nolumus nominari: &, ne exerceantur, anathematis interdicto prohibemus.

D. THOMAS in secunda secundae, quaest. 95, artic. 8. hujusmodi sedans controversiam, ostendit, Leonis decreto non interdici sortes, Augustino approbatas, eas videlicet, quae pie & religiose tractantur; sed eas, quae superstitiose & impie exerceri solent, spretis illis quinque conditionibus, quas pia sortium exercitatio requirit. Harum prima est, ut rei propositae divisio, vel consultatio, vel praenotio a solo Deo, sortium directore, expectetur: secunda, ut non nisi compellente necessitate sortes exquirantur: tertia, ut nonnisi praemissis ad Deum precationibus tententur: quarta, ne divinis oraculis ad sortium inquisitionem abutantur: quinta, ne sortibus utamur in electionibus ecclesiasticis, quae sola Spiritus Sancti inspiratione fieri debet: nam licet olim Matthias sortibus fuerit electus; nunc plenitudine spiritus effusa, permitti jam amplius non debet, quod ante Spiritus Sancti effusionem nondum evangelicae lucis splendore coruscante, permissum est.

AN-

ANNOTATIO CLXVII.

Beati, quorum remissae sunt iniquitates, &c. Psalm. 31. a

AUGUSTINUS in praefatione Psalmi hujus favere videtur Lutheranis, asserentibus, omnia opera praecedentia fidem esse mala; & omnes infidelium actiones, cogitationesque esse peccata. Sic enim ratiocinatur: NEMO computet bona opera sua ante fidem: quia ubi fides non erat, bonum non erat: bonum enim opus intentio facit: intentionem vero fides dirigit. Et iterum infra subdit: CREDE in eum, qui justificat impium, ut possint bona opera tua esse opera bona: nam nec bona illa appellarim, quae non de radice bona procedunt: & rursum post pauca subjungit: ANTE gratiam fidei nihil boni fecisti, & datur tibi remissio peccatorum: attendantur opera tua; & invenientur omnia mala: si quod deberur illis operibus Deus daret; utique damnaret. Stipendium enim peccati mors est: tu autem in malis operibus inventus es. Denique in fine praefationis concludens, inquit: ETSI bona videaris facere; tamen, quia facis sine fide, nec bona quidem vocanda sunt. Hactenus Augustini verba, a Joanne Calvino in decimo Institutionum capite citata ad comprobationem impiae doctrinae suae; qua docet, omnia opera, quantumlibet bona, esse peccata. Magister Sententiarum lib.2. distin.41. hunc locum animadvertens, ait, Augustinum hic appellasse malum opus, quod ad meritum aeternae vitae est invalidum & inutile: nam licet ante fidem omnes infidelium virtutes, juxta regulam rectae rationis dimensae, ad bene vivendum in praesenti vita bonae fiunt: ad consequendam tamen futurae vitae beatitudinem sine fide, quae intentionem dirigit, adeo sunt ineptae, ut mala potius, quam bona, dici debeant. Consule Annotationem 235. libri 6. (a)

Num omnia infidelium opera sint peccata.

Hunc errorē docet Calvinus Lib. IV. Instit cap. 13. nu. 10.

ANNOTATIO CLXVIII.

Verbo Domini coeli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Psalm. 32. a

THOMAM, cardinalem Cajetanum, Ambrosius, Compsanus episcopus, libro 4. Annotationum in eundem damnat, quod solus omnium neget ad Spiritus Sancti personam pertinere hunc locum, ex quo omnes catholici expositores colligunt divinae Triadis mysterium, dicentes per Dominum intelligendum esse Patrem, per Verbum Filium, per Spiritum oris ejus, Spiritum Sanctum paracletum. Verum, si attente legas Cajetani commentarios, cognosces hujusmodi explanationem nec oppugnari, nec rejici, nec negari, sed silentio taorum praeteriri. Longe vero aliud sunt negare & tacere, vel oppugnare & omittere: neque mirandum est, si Cajetanus, qui in commentariis Psalmorum literae duntaxat elucidationem profitetur, Trinitatis expositionem, quam fere omnes mysticam fatentur, omiserit; vel si juxta nudam literam exponens, dixerit, Spiritum oris Domini ipsum Dei Verbum, & jussum humano more appellari: nam & Graecus interpres Euthymius, qui hunc locum ex dictis Graecorum Patrum variis ac diversis interpretationibus illustravit, ante, quam mysticum sensum attingeret, historicam intelligentiam, quam secutus est Cajetanus, expressit his verbis: VIDENTUR hae dictiones, Verbo Domini, & Spiritu oris ejus, idem aeque significare: dixit enim Deus de unoquoque, Fiat; & factum est. Verum praeterea oris Spiritus est, aërem verberans: & qualis est oris Spiritus, aërem verberans; tale est ipsum verbum. Deinde subnectens mysticum sensum, ait: SE juxta altiorem sensum, quo dicere possumus, beatum Davidem hoc in loco de sancta Trinitate

Num hic locus ad Spiritum Sanctum pertineat.

(a) Laudatus Augustini textus dum sic ab Heterodoxis laudatur, certe nonnisi fraude magna interpolatus, & corruptus refertur: & satis superque est legere vel solam S. P. praefationem in Psalmum XXXI. aut etiam integram in eum Psalmum Enarrationem ad clare cognoscendum quam infeliciter Novatores veritati fucum facere pertentent. Ibi quidem ita diserte M.P. loquitur de operibus bonis, seu meritoriis vitae aeternae, quae utique nunquam talia dicit esse posse sine fide, ut vel coecutientes ipsi primo adspectu dignoscant.

nitate philosophari; per Dominum Patrem intellige, & Filium per Verbum, & per Spiritum oris ejus, Spiritum Sanctum.

ANNOTATIO CLXIX.

Adhuc pusillum, & non erit peccator. Psalm. 36. b

Num animae Sanctorum ante resurrectionem in Coelo sint.

AUGUSTINUS in enarratione propositi versiculi non nihil declinare videtur ad errorem Armenorum, Graecorum, & Anabaptistarum, assereotium animas sanctorum usque ad diem judicii in occultis receptaculis longe a divinae visionis intuitu coërceri, in hunc modum scribens: POST vitam istam nondum eris, ubi eruot sancti; quibus dicetur, Venite beoedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origioe mundi: nondum ibi eris, quis nescit? sed jam poteris ibi esse, ubi illum quondam ulcerosum pauperem dives ille superbus in mediis tormeotis vidit looge requiescentem: in illa requie certe securus expectabis judicii diem, quando recipies corpus, quando immuteris, ut angelo aequeris. Ad hanc sententiam idem alludere videtur in Eochiridio ad Laurentium cap. 108. ubi ait: TEMPUS, quod inter hominis mortem, & ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis contioet, sicut quaeque digna est vel requie, vel aerumna, pro eo, quod sortita est in carne, dum viveret. Et libro 12. De civitate Dei cap. 9. PARS illa civitatis Dei, quae coojungenda immortalibus angelis ex mortalibus homioibus congregatur, nunc vel mortaliter peregrinatur in terris, vel in eis, qui mortem obierunt, secretis animarum receptaculis, sedibusque requiescit. Et rursus io 12. libro De Genesi ad literam cap. 35. indicare videtur sanctorum animas aote corporis resumptionem frui non posse visione divina, his verbis: SI QUEM movet, quid opus sit spiritibus corpora sua in resurrectione recipere, si potest eis etiam sine corporibus summa illa beatitudo praeberi; minime illi dubitandum est raptam hominum a carnis sensibus mentem, & post mortem, carne deposita, non sic videre posse incommutabile bonum, ut sancti angeli vident. Et libro primo Retractationum, cap. 14. cum hanc quaestionem ex professo attigisset, indiscussam & in ambiguo reliquit, ita scribens: ILLUD nos beatissimos facit, quod ait Apostolus, Tunc autem facie ad faciem, & tunc cognoscam, sicut & cognitus sum: qui hoc invenerunt, ipsi dicendi sunt in beatitudinis possessione consistere. Sed quinam sint illi beatissimi, qui jam sint in ea possessione, magna quaestio est: & angeli sancti, quod ibi sint, nulla quaestio est: sed de sanctis hominibus, jam defunctis, utrum ipsi saltem dicendi sint jam in illa possessione consistere, merito quaeritur: jam enim corpore, quo anima aggravatur, exuti sunt; sed adhuc expectant etiam ipsi redemptionem corporis sui, & caro ipsorum requiescit in spe, necdum in futura incorruptione clarescit: sed utrum ad contemplandam cordis oculis veritatem facie ad faciem nihil ex hoc minus habeant, non hic locus disputando inquirere.

1. Cor. 13. 2.

HAEC LOCA, atque alia his similia, saepius in diversis scriptis Augustini repetita, civiliter interpretari oportet, praesertim cum apud ipsum Augustinum nonnulla inveniantur testimonia, quae astruunt sanctorum animas, etiam ante diem judicii, Deum facie ad faciem intueri: de quorum numero unum habetur sermone quarto in solennitate sanctorum: ubi exponens verba illa ex 6. cap. Apoc. Vidi sub altare Dei animas interfectorum, & datae sunt illis singulae stolae albae, &c. sic loquitur: PER STOLAS albas debemus intelligere mercedem baptismi, praemium martyrii, mercedem aeternorum, & gaudium coelestis patriae. Habent enim ante resurrectionem sancti singulas stolas, quia in sola anima adhuc aeternis beatitudinibus perfruuntur: postea autem accepturi sunt binas, quando, receptis corporibus, immutabiles erunt in anima, & incorruptibiles in corpore. Et paulo post, UNDE dicit Joannes, Stabant ante thronum in conspectu agni, amicti stolis albis, & palmae in manibus eorum: stant enim modo ante thronum Dei coronati, stant in conspectu agni, nulla ratione illic a contemplanda ejus gloria separandi.

Sermo hic in Appendice CCLXXI. non non est Augustini, sed incerti authoris Gregorio M. posterioris.

SUNT igitur paulo antea citata loca, praesenti loco & huic similibus in speciem

eiem pugnantia, in hoc sensu interpretanda, ut dicamus Augustinum non dubitasse de gloria animarum ante judicium, sed de loco gloriae, & de gradibus, sive quantitate, sive consummatione gloriae ante judicium. Nam, cum animae ubicunque Dei gloriam intuentur, ibi beatae sint; incertum habuit aliquando Augustinus, quibus in locis, ac sedibus, sive receptaculis animae Deum viderent. Similiter & de quantitate gloriae saepe quaesivit Augustinus, utrum animae sanctorum ante judicium pares essent angelis in visione Dei, an aliquid minus viderent: quod & ipsa praedictorum locorum verba plane indicant, praesertim ex testimonio primi Retractationum: ubi dicitur animas, exutas corporibus, non sic videre Deum, ut angeli vident, hoc est, visione consummata, atque perfecta: & ex 12. in Genesim ubi legitur: UTRUM animae ad contemplandam cordis oculis veritatem nihil ex hoc minus habeant, non hic locus disputando inquirere. Lege Annotat. 345. libri sexti.

ANNOTATIO CLXX.

Gladium evaginaverunt peccatores. Psalm. 36. c

ORIGENES homilia tertia in Psalmum trigesimum sextum videtur sentire, quod omnes tam boni, quam mali post hanc vitam adituri sint ignem gehennae: ex quo boni & sancti impune, & absque laesione ulla evadent; mali vero, quo ad purgationem suorum scelerum expleant, in eo demersi permanebunt. ejus verba haec sunt: SI IN hac vita positi faciamus in nobis interire peccatum, ut nunquam omnino a nobis neque per cogitationem, neque per opus, neque per verbum peccati gladius proferatur: non indigebimus poena ignis aeterni, non tenebris exterioribus condemnabimur, neque illis suppliciis, quae peccatoribus imminent, subjacebimus. Si vero in hac vita contemnimus commonentis nos divinae Scripturae verba, & curari, vel emendari ejus correptionibus nolumus: certum est, quia manet nos ignis, qui praeparatus est peccatoribus; & veniemus ad illum ignem, in quo uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit. Et, ut ego arbitror, omnes nos venire necesse est ad illum ignem: etiam si Paulus sit aliquis, vel Petrus; venit tamen ad illum ignem. Sed illi tales audiunt: etiam si pertranseas, flamma non adures te. Si vero aliquis mei similis peccator sit, veniet quidem ad ignem illum, sicut Petrus & Paulus: sed non sic transiet, sicut Petrus & Paulus. Et quemadmodum ad rubrum mare venerunt Hebraei, venerunt & Aegyptii; sed Hebraei quidem transierunt mare rubrum, Aegyptii autem demersi sunt in ipso: hoc modo etiam nos, si quidem Aegyptii sumus, & sequimur Pharaonem diabolum, praeceptis ejus obedientes, demergemur in illum fluvium, sive lacum igneum, cum inventa fuerint in nobis peccata. Si autem sumus Hebraei, & sanguine agni immaculati sumus redempti; si non portamus nobiscum fermentum nequitiae, ingredimur quidem & nos fluvium ignis, sed sicut Hebraeis erat aq a dextra laevaque: ita etiam ignis erit mutus, si nos faciamus quod de illis dictum est, Quia crediderunt Deo, & Mosi famulo ejus: id est, legi ejus, & mandatis: & sic sequamur columnam ignis, & columnam nubis. Hanc opinionem clarius explicat in fine lib. 8. commentariorum in epistolam ad Romanos, ubi haec habet ad verbum: OMNES quidem, qui beati sunt, sive illi ex Israël, sive ex gentibus, praesentis temporis Evangelicae doctrinae sermo purificat, ut sint tales, sicut erant illi, ad quos Dominus dicebat, Ecce jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis: qui vero verbi Dei, & doctrinae Evangelicae purificationes spreverit, tristibus & poenalibus purificationibus semetipsum reservat, ut ignis gehennae in cruciatibus purget, quem nec Apostolica doctrina, nec evangelicus sermo purgavit, secundum illud, quod scriptum est, Et purificabo te igne ad purificationem. Verum haec ipsa purgatio, quae per poenam ignis adhibetur, quantis temporibus, quantisve saeculis de peccatoribus exigat cruciatus, solus scire potest ille, cui pater omne judicium tradidit; qui ita diligit creaturam suam, ut pro ipsa evacuaverit semetipsum de Dei forma, & servi formam susceperit, humilians semetipsum usque ad mortem, volensque omnes homines

Margin notes: Num post hanc vitam omnes, tam boni, quam mali ignem gehennae adituri sint. — 1. Cor. 3. 13. — Isai. 43. 2. — Exodi 14. — Joan. 15. 10. — Malach. 3. 3. — Phil. 2. 7. 8.

mines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Veruntamen meminisse oportet, quod praesentem locum Apostolus, quasi mysterium, habere voluit; quo scilicet hujusmodi sensus fideles quique & perfecti intra semetipsos, veluti mysterium Dei, silentio tegant, nec passim imperfectis & minus capacibus proferant.

Origenes Homil. in Jer. 13. juxta S. Hieronymum. Poa, herba Borith, saponariae & extersivae virtutis. Luc. 3. 16.

Et rursum homilia 13. in Jeremiam idem repetens, ita fatur: SI PECCASTI, & paccatorum sorde pollutus es: lavabit Dominus sordes filiorum, & filiarum Sion: si autem mortale peccatum est: non possumus nitro, poaque mundari, sed spiritu judicii, spiritu combustionis, & poenae: forsitan & Jesus baptizat Spiritu Sancto & igne, non quia eundem in Spiritu Sancto, atque igne baptizet: sed quo sanctus baptizetur Spiritu Sancto; & is, qui post fidem & magisterium Dei rursum ad scelera conversus est, cruciatu purgetur incendii. Beatus, qui lavacrum accepit Spiritus Sancti, & ignis lavacro non indiget: miserabilis autem, & omni fletu dignus, qui post lavacrum Spiritus Sancti baptizandus est igne: beatus qui

Apoc. 20. 6.

habet partem in resurrectione prima: siquis servaverit lavacrum Spiritus Sancti; iste in resurrectionis primae parte communicat: si quis vero in secunda resurrectione servatur; iste peccator est; qui ignis indiget baptismo, qui combustione purgatur; ut, quicquid habuerit lignorum, foeni, & stipulae, ignis consumat.

AUGUSTINUS libro 21. De civit. Dei cap. 26. & 27. dogma istud confutat: tu vide, an Originis verba interpretari queant de igne ultimae conflagrationis, qui in die judicii purgabit quosdam electos nondum purgatos, & convolvet omnes reprobos. Vide Annotat. sequentem.

ANNOTATIO CLXXI.

Gladius ipsorum intret in corda ipsorum. Psalm. 36. d

Utrum omnes animae post hanc vitam ignibus probandae sint.

AMBROSIUS in Commentariis Psalterii hujus clausulae intelligentiam detegens, consentire creditur Origeni, dicenti: Omnes, qui sunt, qui fuerunt, quique futuri sunt homines, uno Christo excepto, examinandos, probandos, & aliquo modo urendos igne conflagrationis mundanae in die judicii. Transtulit enim ex explanatione Origenis in hunc Psalmum omnia fere hic sequentia verba:

Psal. 16. 3. Malach. 3. 1. 2.

IGNE nos examinasti, dicit David: ergo omnes igne examinabimur: & Malachias dicit, Ecce venit Dominus omnipotens: & quis sustinebit diem introitus ejus? quoniam ipse introibit, sicut ignis conflatorii; & sedebit conflans, & purgans, sicut aurum, & argentum; & purgabit filios Levi. Igne ergo purgabuntur filii Levi, igne Ezechiel, igne Daniel: sed etsi per ignem examinabuntur: di-

Psal. 65. 12.

cent tamen, Transivimus per ignem & aquam: alii in igne remanebunt: illis rorabit ignis, ut Hebraeis pueris, qui incendio fornacis ardentis objecti sunt: ministros autem impietatis ultor ignis exuret: vaeh mihi, si opus meum arserit, & laboris hujus patiar detrimentum: & si salvos faciet Dominus servos suos: salvi erimus per fidem; sic tamen salvi, quasi per ignem: & si non exuremur: tamen uremur. Quomodo tamen alii remaneant igne, alii pertranseant, docet nos di-

Exodi 14.

vina Scriptura: nempe in mare rubrum demersus est populus Aegyptiorum; transivit autem populus Hebraeorum. Moses pertransivit; praecipitatus est Pharao, quoniam eum gravia peccata merserunt: eo modo praecipitabuntur sacrilegi in lacum ignis ardentis. Sequamur ergo hic positi columnam ignis, quae nos in hoc corpore illuminet, & viam monstret, ut in futurum nobis nebula refrigeret noctis, quo saeva incendia revelare possimus. Rursus in expositione Psalmi 118. super illud, Vide humilitatem meam, & erue me, &c. OMNES, inquit, oportet probari per ignem, quicunque ad Paradisum redire desiderant: non enim ociose scriptum est, quod, ejectis Adam & Eva de Paradisi sede, posuit Deus in exitu Paradisi gladium igneum versatilem: omnes oportet transire per flammas: sive ille Joannes Evangelista sit, quem ita dilexit Dominus, ut de eo diceret ad Pe-

Jo. 21. 22.

trum, Sic eum volo manere: quid ad te? tu me sequere: de morte ejus aliqui dubitaverunt, de transitu per ignem dubitare non possumus: sive ille sit Petrus, qui claves regni coelorum accepit, oportet dicat, Transivimus per ignem: sed Joanni cito versabitur igneus gladius, quia non invenitur in eo iniquitas, quem dile-

xit

xit aequitas: si quid in eo vitii fuit, charitas divina decoxit. Ille examinabitur, ut argentum; ego examinabor, ut plumbum: donec plumbum tabescat, ardebo, si nihil argenti in me inventum fuerit: heu me, in ultima inferni detrudar; aut, ut stipula, totus exurar: si quid in me inventi fuerit auri, vel argenti: non per meos actus, sed per misericordiam & gratiam Christi, per ministerium sacerdotii dicam fortasse ego, Etenim, qui sperant in te, non confundentur. Unus ignem illum sentire non potuit, qui est justitia Dei, Christus; qui peccatum non fecit: nihil enim ignis in eo, quod exurere posset, invenit. Ergo, quia examinandi sumus, sic nos agamus, ut judicio probari mereamur divino: teneamus hic positi humilitatem; ut cum unusquisque nostrum venerit ad judicium Dei, ad illos ignes, quos transituri sumus, dicar, Vide humilitatem meam, & erue me, &c.

HILARIUS una cum Ambrosio, Origenem suum secutus, in Commentariis Psalmi 118. ad eum versiculum, Concupivit anima mea desiderare judicia tua, &c. sic scripsit; MEMINIT Propheta arduum esse desiderare judicium: cum enim nemo vivens in conspectu ipsius mundus sit: quomodo desiderabile potest esse judicium, in quo nobis est ille indefessus ignis obeundus, in quo subeunda sunt gravia illa expiandae a peccatis animae supplicia? beatae Mariae animam gladius pertransivit, ut revelentur multorum cordium cogitationes: si ergo in judicii severitatem capax illa Dei virgo ventura est: desiderare quis audebit a Deo judicari? Et canone in Matth. 3. explicans illud: Baptizabit vos in Spiritu Sancto: & igni: Matth. 3. 11.
Baptizatis inquit in Spiritu Sancto, reliquum est ut consumentur in igne judicii.

EODEM pertinere videntur, quae Basilius in quartum Esaiae caput annotavit in illis Prophetae verbis, Expurgabit Hierusalem in spiritu judicii, & spiritu ardoris, &c. inquiens: HOC autem, In spiritu judicii & spiritu ardoris, ad eam refertur probationem, sive examen, quod per ignem fiet in saeculo futuro. Et paulo post, QUI post acceptam vitae notitiam, consulto ac studio se ipsos reddunt obnoxios sanguini; utique tales opus est purgari per ignem, & hi expurgandi sunt spiritu ardoris, sive exaestuationis. Et iterum in eisdem Commentariis, expendens illud Esaiae 9. In indignatione irae Domini subversa est terra, &c. DE- Isa. 9. 19.
CLARAT, inquit, Propheta terrena ipsa tradi depascenda igni punitivo in gratiam & beneficium animae: non enim omnimodam internecionem & exterminium comminatur; sed innuit expurgationem juxta Apostoli sententiam, Quia si 1. Cor. 3. 15.
cujus opus exarserit, damnum patietur: ipse autem salvus fiet, sic tamen quasi per ignem.

AD EANDEM opinionem apparet allusisse Hieronymum libro in Amos ter- Amos 7. 4.
tio: ubi edisserens illud ex capite septimo, Et ecce vocabit ignem ad judicium, & devorabit abyssum, & comedet simul partem, &c. sic loquitur: VOCATUS ignis ad judicium devorat primum abyssum, id est, omnia genera peccatorum, ligna, 1. Cor. 3. 12.
foenum, stipulam; & postea comedit simul partem, hoc est, ad sanctos illos pervenit, qui in peculium Domini, & in ejus parte reputantur: tempus enim est, ut judicium incipiat a domo Domini. Et in Ezechiel praecipitur his, qui poenas Ezec. 9. 6.
illaturi sunt, A sanctis meis incipite: & in Apostolo legimus, Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem: 1. Cor. 3. 15.
cumque omnes fuerimus in peccato, & jacuerimus ad sententiae veritatem; miserebitur Dominus nostri, & resurrectionis nos tempore suscitabit.

LACTANTIUS Firmianus, longe ante Hieronymum & Hilarium de hoc igne loquens, in septimo Divinarum Institutionum libro, capite 21. ita scriptum reliquit: IDEM igitur divinus ignis una eademque vi, atque potentia, & cremabit impios, & recreabit; & quantum e corporibus absumet, tantum resumet, ac sibi ipse aeternum pabulum subministrabit: sed & justos cum judicaverit Deus, etiam igni eos examinabit; tum quorum peccata vel pondere, vel numero praevaluerint, perstringentur igni, atque amburentur: quos autem plena justitia, & maturitas virtutis incoxerit, ignem illum non sentient; habent enim aliquid in se Dei, quod vim flammae repellat, ac rejiciat: tanta vis est innocentiae, ut ab ea ignis ille refugiat innoxius, qui accipit a Deo hanc potestatem, ut impios urat, justis obtemperet.

AB HORUM auctorum sententiis apparent satis esse diversa, quae tradunt

omnes theologi Scholastici de igne ultimae conflagrationis: qui licet fateantur cunctos mortales, quos judicii tempus viventes invenerit, hunc ignem intraturos, & electos quosdam expiatione indigentes in eo cum dolore purgandos; quosdam vero, in quibus nihil erit purgandum, ex eo sine ullo cruciatu evasuros, reprobis una cum ipso igne in infernum devolutis ac demersis; inficianrur tamen sanctos, ante judicium defunctos, fore eo igne purgandos, praesertim Apostolos Spiritu Sancto purificatos, & Mariam Dei genetricem in utero sanctificatam, & cum purissimo corpore in coelo assumptam, tum quia mortui non resurgent, nisi postquam ignis ille ab officio purgationis cessaverit, purgandi facultate depo- sita; tum quia sanctorum corpora post resurrectionem adeo erunt spiritualia & impassibilia, ut igneae purgationis non sint amplius capacia. Neque multum dissidet a scholasticis Augustinus in 20. De civit. Dei cap.8. ubi futuros, inquit, sanctos in superioribus mundi partibus, in quibus non ascendat flamma illius incendii, quemadmodum nec olim unda diluvii: talia quippe illis inerunt corpora, ut illic sint, ubi esse voluerint: sed nec ignem conflagrationis illius pertimescent immortales, atque incorruptibiles facti; sicut virorum trium corruptib lia corpora, atque mortalia in camino ardenti vivere illaesa potuerunt. Vide Annotationem praecedentem. (a)

AN-

(a) Citra omnem dubietatis aleam est, quamplures Veteres PP. in eam ivisse sententiam, nimirum etiam Sanctos cum Christo regnantes in Coelis fore igne probandos in die judicii; idque cum ex laudato Psalmo, tum ex illo 1. ad Corinth. 3. tum ex aliis Scripturae locis ab eisdem laudatis. Verum, ut comperi singulorum lustrando opera, & per integrum conferendo textus, atque contextus, non omnium una ea in re est opinio, sed nimium diversa sententia eorum; quare singulorum judicium, sive opinionem singillatim expendere operae pretium duxi.

Lactantii Firmiani quidem clara est sententia ex verbis, quae Xystus refert, adseritque proinde vetustus author ignem justis ac sanctis plene probatis ad coronam & decorem servire; reprobis vero cedere in poenam. Ambrosius vero contra de omnibus igne probandis sententiam profert loco a Xysto laudato, nimirum *Serm. XX. in Psalm. CXVIII. num. 10.* at *num. 15.* excipit ab ea lege eaque probatione Johannem Evangelistam, & *num. 13.* Petrum Apostolum; quinimo ceteros sanctos plene probatos: ibi enim ita generatim loquitur: „ Qui habuerit hic „ charitatis ignem, illic ignem gladii timere non po- „ terit. „ De Hilario Pictaviensi nullus subest dubitandi locus, quum clarus sit ejus textus a Xysto laudatus, ubi etiam Deiparam transituram per hunc ignem adfirmat; verum haud omittenda est adcurata animadversio PP. Benedictinorum in nova editione S. Hilarii loco relato. „ Dicit quidem Hilarius „ Mariam transituram, sed passuram non dicit. „ Passio autem sola peccatum arguit, non transitus, „ maxime in ipsius aliorumque Patrum sententia, „ qui Coelum nulli patere existimant, nisi per „ ostium flammeo gladio obseratum. „ Basilius autem non ita diminute sentit, ut ex paucis verbis a a Xysto relatis sentire videtur, sed ibidem *in Cap. IV. Esaiae* clarius suam aperit mentem. Quum enim variam ibi descripserit aut purgationem, aut examen, aut poenam per ignem, de Sanctis, innoxiisque viris, quibus nihil purgandum remanet, verbum habens inquit. „ Nonnulli quidem Dei adventum hi- „ lariter praestolantur, quidam autem refovebun- „ tur, & conquiescent sub tegmine coelestium vir- „ tutum, alii vero in gloria, quae ab eo lumine ex- „ splendescet, quasi ab amoeno vapore occulentur. „ Forte ipsi quidem monti Sion ea lux affulgebit: „ quae autem in ejus sunt circuitu suo splendore „ cuncta illustrabit per diem nubes; & haec qui- „ dem non aliunde sortitura ortum suum, quam ab „ eo lumine: quemadmodum & fumus ab igne, ita „ & nubes a lumine sua mutuatur subsistentiam, sub „ cujus obumbratione genialiter versantes insigni „ gloria perfruuntur „. Deinde assignans discrimen Sanctos inter, & peccatores, addens varium circa eos ejusdem ignis effectum, similitudine adhibita, rem totam expendit. „ Sit unus aliquis, qui ab hosti- „ bus quidem quaeritur, a domesticis vero & fami- „ liariter notis in quapiam domuncula alicubi ob- „ servatur, & custoditur in loco perquam difficili „ inventu. Equidem tale aliquid intelligendum est „ fieri a nube illa divinae protectionis circa sanctum; „ ut ne facile intercipiatur hostium manibus. Tan- „ ta ad hoc scripta sunt, ut dilucidius intelligere- „ tur auxilium esse ei exhibitum, qui versantur in „ circuitu montis Sion, in hoc ut interdiu quidem „ obumbraret eos nubes, qua ab aestu protege- „ rentur, nocte vero illustraret eos lux accensi „ ignis, & utroque tempore tuti esse possent ab in- „ sidiantium manibus. „ Ex quibus, ut constat, Basilius colligit tantummodo spiritum judicii & ardoris, flammamque extremi diei, quae judicem praecedet, Sanctis cum Deo regnantibus, quos ibidem dicit in Beata Hierusalem constitutos, ibique in libro vitae scriptos, in decorem gloriam & protectionem cedere; secus autem ad examen aut purgationem, vel ob levissimam poenam. Hoc iterum clarius explicat *Homilia I. in Psalm. XXVIII.* super ea verba: *Vox Domini intercidentis flammam ignis*: „ Existimo au- „ tem, quod ignis ad supplicium diabolo, & angelis „ ejus paratus Domini voce intercidītur. Quoniam „ duo sunt in igne potissima „ (sive duae sunt po- „ tentiae *δύο δυνάμεις*) „ ustiva vis & illustratoria. „ Vis prior ignis, acerrima quidem ad poenas irro- „ gandas, reposita est his, qui ustione sunt digni. „ Altera, nempe splendissimi sui luminis diffusiva, ve- „ lut sortito succedet iis, qui claritate perfruituri „ sunt gaudii perennis. Vox itaque Domini inter- „ cidentis flammam ignis ac dividentis, ita ut ob- „ scurus (*[illegible]*) quidem sit ignis supplicii, vi vero combu- „ rendi careat lux illa refocillationis. „ Hierony- mus tandem frustra laudatur, & perperam pro Origenis sententia in medium profertur, quum ibidem non agat de extremo judicio, sed de peculiari judicio, quod subsequitur vel transitorius ignis ad purgandos electos, vel aeternus ad cruciandos damnatos, ut constat ex ejus integro textu bene librato. Et quamvis dicat: „ Cumque omnes fuerimus in „ peccato, & venerimus ad sententiae veritatem, „ miserebitur Dominus nostri, & quia parvuli sumus, resurrectionis tempore suscitabit „ Solum ibi misericordiam Dei indicat erga filios aliqua tor-

de

ANNOTATIO CLXXII.

Quoniam Deus rex omnis terrae: psallite sapienter. *Psalm.* 46. *b*

CASSIODORUS in Commentariis Psalmorum, enarrans hunc versiculum, NON solum, inquit, cantantes psallere debemus, sed intelligentes: nemo enim sapienter quicquam facit, quod non intelligit. Utuntur haeretici hoc testimonio adversus eos, qui Psalmos, ac preces, non intellectas, ante Deum vel canunt, vel orant, asserentes eas orationes nullius esse fructus, quae peregrina & ignota lingua a simplicibus ac rudibus divinae majestati offeruntur: quia nemo orationis emolumenta consequitur, nisi prius attenta cogitatione diligenter consideraverit, quae orat: considerare vero non poterit, nisi prius ea intellexerit: nec ea intelligere valebit, quae aliena & incognita sibi lingua fuerint pronuncianda. His respondendum est, duplicem esse orandi attentionem; unam, solis intelligentibus peculiarem ac propriam, quae in verba, verborumque sensum prospicit, ne quid utrinque erretur; alteram vero longe praestantiorem, tam intelligentibus, quam non intelligentibus perviam, quae mentis aciem dirigit in finem & scopum orationis, nempe in Deum, quem orat, & deinde in rem ipsam, quam orat. Contingit autem hujusmodi attentionem aliquoties intendi usque adeo, ut mens, in Dei meditatione sublata, & verborum, & sensuum, & sui interdum obliviscatur: nec dubium est, ad hanc attentionem respexisse Davidem, & Cassiodorum, cum monerent psallendum sapienter, & intelligenter. Ille enim proculdubio sapienter psallit, & orat, qui saporem ac fructum divinae contemplationis in oratione degustat: & ille revera intelligenter orat, qui Deum, quem orat, intento animo contemplatur. Habes nonnulla huc spectantia libro sexto, Annotat. 263.

Num ignota lingua orandum sit.

ANNOTATIO CLXXIII.

Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. *Psal.* 50. *a*

CHRYSOSTOMUS homilia 2. in Psal. 50. cum ex verbis hujus versiculi deploratissimum quemque peccatorem ad poenitentiam animaret, prorupit in eam vocem, a se etiam in multis homiliis saepissime repetitam, PECCASTI;

Num poenitentia iteranda sit.

de criminum conspurcatos, quos, etsi igne purgatos, suscitabit tamen ad gloriam, ad differentiam reproborum, quos & prima & secunda mors intercepit: quare protinus subdit. „ Sive suscitabit per „ virtutes, qui in vitiis jacebamus: hoc Domino „ promittente, atque dicente: *Sed & istud non* „ *erit*. Pulchre autem dixit sed & : quia jam supra „ dixerat: *hoc non erit*. Non enim in finem irascetur, neque in aeternum comminabitur. Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Quantum „ distat ortus ab Occidente longe fecit a nobis ini„ quitates nostras. Quomodo miseretur pater filio„ rum, misertus est Dominus timentibus se. „ His adde Scholion ex Chrysostomo & Theodoreto excerptum (olim sub nomine Basilii M. venditatum) in *Psalm. XXVIII.* „ In futura vero vita duplex erit „ ac divisa ignis operatio. Virtutis athletas illuminabit; operarios vero malitiae comburet. „ Cum ergo ea sit Veterum PP. hac de re opinio, & falsitas Origeniani commenti clare colligitur, & communis Theologorum assertio plane clarescit, atque subsistit ex ipsis met Scripturarum monumentis, praecipue ex Psalmis, ex quibus colligitur ignem, qui praecedet universale judicium, solummodo fore consumturum orbem, hominesque tunc in terra viventes. Paulinum autem testimonium de probatione hominum per ignem ad veritatem purgatorii spectare concors est Catholicorum sententia: quare ad pleniorem veritatis, de qua nunc agitur, notitiam lubet in medium producere doctrinam S. Thomae Aquinatis, qui, agens de conflagratione ignis praecessuri finale judicium, ita de ejusdem actione in homines loquitur *Supplem. ad III. P. Qu. LXXVI. Art.* 8. „ Respondeo dicendum, quod ignis ille finalis con„ flagrationis quantum ad hoc, quod judicium prae„ cedat, aget ut instrumentum divinae justitiae, „ & iterum per virtutem naturalem ignis. Quantum „ ergo pertinet ad virtutem naturalem ipsius, simi„ liter aget in malos, & bonos, qui vivi reperien„ tur, utrorumque corpora in cinerem resolvendo. „ In quantum vero aget ut instrumentum divinae „ justitiae, diversimode aget in diversos, quantum „ ad sensum poenae: Mali enim per actionem ignis „ cruciabuntur: Boni vero, in quibus nihil purgan„ dum invenietur, omnino nullum dolorem ex igne „ sentient; sicut nec pueri senserunt in camino ignis, „ *Daniel.* 3. Quamvis eorum corpora non servabun„ tur integra, sicut puerorum servata fuerunt: Et „ hoc divina virtute fieri poterit, ut sine doloris „ cruciatu resolutionem corporum patiantur. Boni „ vero, in quibus aliquid purgandum reperietur, „ sentient cruciatum doloris ex illo igne, plus, vel „ minus, pro meritorum diversitate. Sed quantum „ ad actum, quem post judicium ille ignis habebit, „ in damnatos tantum aget, quia omnes boni ha„ bebunt corpora impassibilia. „ Lege itidem sequentem, seu posteriorem Articulum ejusdem S.D. ubi idipsum aliis Scripturarum ac PP. monumentis confirmat.

POENITERE: MILLIES PECCASTI; MILLIES POENITERE: MILLIES POENITET; ETIAM ADHUC POENITERE. Quam vocem non defuerunt olim, qui damnarint, veluti quoddam intemperantiae, & effraenis licentiae seminarium, inter alios vero Socrates Constantinopolitanus lib.6. historiae Ecclesiasticae capit.21. de ea scribit in hunc modum: SUBIT mihi admiratio, quomodo Joannes, cum tantum temperantiae zelum exercuerit, temperantiam in homiliis suis contemnere docuerit: cum enim unica tantum esset a syoodo episcoporum lapsis data poenitentia; ausus est ipse dicere, Etiam, qui millies poenitentiam egisti, accede: propter quam doctrinam ab amicis quoque damnabatur, maxime a Sisinnio, Novatianorum episcopo; qui librum contra hoc dictum conscripsit, & ob id illi fortiter restitit. Haec Socrates: quem haud dubium est fuisse Novatianum, & ob id una cum suo episcopo offensum Chrysostomi dictis: tametsi Chrysostomus, haec dicens, non respiceret ad illam solennem & publicam poenitentiam, quam synodica decreta semel tantum lapsis concesserunt (a), sed ad privatam, singularem & secretam poenitentiam, quae coram Deo, vel particulari sacerdote cuicunque peccanti necessaria est: hanc millies peccanti, millies in remedium offert Chrysostomus, non ut iis materiam praebeat intemperantis licentiae, sed ut eos ab omni desperandi occasione liberet: quod & ipsemet in eadem homilia post praedicta verba plane declarat, sic addens: HAEC dico, non ut negligentes vos faciam, sed ut ad fidem vos salutaris expectationis adducam; ne unquam desperetis de vobis, sed semper de Dei misericordia confidatis: desperandum enim de illo tantum est, qui de se ipso desperavit.

ANNOTATIO CXLII.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Psalm. 50. a

De satisfactione.

CHRYSOSTOMUS homilia 2. in Psalm.50. hanc clausulam interpretans, inter caetera haec infert verba: UBI misericordia flagitatur, interrogatio cessat: ubi misericordia postulatur, judicium non saevit: ubi misericordia petitur, poenae locus non est: ubi misericordia, quaestio nulla: ubi misericordia condonata responsio est. Joannes Calvinus cap. 9. suarum Institutionum abutitur hac sententia ad evertendum satisfactorias poenas, quas theologi docent poenitentibus maxime necessarias. Relege Annotationem 16. libri hujus.

Haec habet Jo. Calvinus Lib.III. Instit. cap.4. nu.38.

ANNOTATIO CLXXV.

Peccatum meum contra me est semper. Psal.50.a

Utrum Sacramentalis confessio sit necessaria.

CHRYSOSTOMUS homilia 2. in hunc Psalmum ad expositionem praesentis versiculi nonnulla de confessione inseruit, quae Joannes Calvinus Institutionis suae cap.9. & caeteri Luterani inducunt, una cum plerisque aliis ejusdem auctoris sententiis adversus sacramentalem confessionem: ea in hunc modum habent: PECCATA tua dicito, ut deleas illa: si confunderis alicui dicere, quia peccasti; dicito ea quotidie in anima tua: oon dico, ut confitearis coonservo tuo: sed dicito Deo, qui curat ea. Consimilem sententiam, & iisdem pene verbis inculcat Chrysostomus quamplurimis in locis; e quibus aliquot insigniores huc afferam,

Haec habet Calvinus Libr. III. Instit. cap. 4. n.8.

(a) Dum N.Xystus publicam & solemnem poenitentiam excepit, forsasse ad eorum sententiam animum intendit, qui duplicem in veteri Ecclesia statuerunt publicam poenitentiam: communem, nempe, quae pro publicis universim gravibus criminibus imponebatur: & solemnem pro atrocioribus illis sceleribus, quae universam conturbabant Ecclesiam, indictam, & quam semel tantum imponi potuisse adserunt ad differentiam prioris, quae propter repetita scelera iterum imponebatur. Verum id universim adseri nequit, quum varia fuerit hujusce rei disciplina, & ad unicam generatim aliquando poenitentiam fuisse lapsos admissos constat ex S. Innocentii I. R.P. *Epist. ad S. Exuperium Tholosanum Episcopum*: neque inde vel levem Novatianismi rigorem posse argui, quum solum absolutio fuerit denegata, sed remedium contritionis, interiorisque poenitentiae remanserit lapsis, aperte patet ex S. Augustino *Epist. LIV. ad Macedonium*. Legesis ad eruditionem Card. Bellarminum, N. Natalem, Joh. Cabassutium, Gabrielem Albaspina, Christianum Lupum, aliosque. Videsis etiam nostram Exercitationem XV. Tom. I. in Propos. proscript. ab Alexandro VII. Docte autem N. Xystus privatam poenitentiam repeti posse ostendit.

feram, ut uno contuitu ponam tibi ob oculos, quaecunque is in hoc propositum dixerit: & ne mihi opus sit rursum hujusmodi argumenti locos repetere.

HOMILIA 4. de Lazaro, in Lucae cap.16. CUR igitur, inquit, pudescis & erubescis confiteri peccata tua? cave enim homini dixeris, ne tibi opprobret: neque enim conservo confiteris, ut in publicum proferat; sed ei, qui dominus est; ei, qui medicus est, ostendis vulnera: neque enim ignorat, etiam si ei non dixeris, qui sciebat etiam ante, quam perpetrares: quid igitur est curae, quo minus dicas? Non, inquit, cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere testes; mihi soli dic peccatum privatim, ut sanem ulcus, teque dolore liberem.

HOMILIA de Publicano in Luc.18. sic scriptum reliquit: ADMONEO te, ut assidue confiteare: neque enim te ad theatrum duco conservorum tuorum, nec te cogo peccata tua hominibus enunciare: conscientiam tuam Deo expone: ei ostende facta & vulnera; & ab eo medicinam pete: ostende te non exprobranti, sed curanti: ut enim taceas, tamen scit ille omnia: dic ergo illi, ut illuc liber, atque solutus a peccatis abeas, & ab illa peccatorum publicatione intolerabili liberere.

HOMILIA 31. in 12.caput epistolae ad Hebraeos, NON tantum, inquit, nos peccatores esse dicamus, sed etiam ipsa peccata specialiter singula computemus: non tibi dico, ut te prodas in publicum, neque ut te apud alios accuses: sed obedire te volo Prophetae, dicenti, Revela Domino viam tuam. Ante Deum ergo Psalm. 36. tua confitere peccata: apud verum judicem cum oratione delicta tua pronuncia, non lingua, sed conscientiae tuae memoria: & tunc demum spera misericordiam te posse consequi.

HOMILIA De poenitentia, & confessione air: TU CONFUNDERIS, & erubescis peccata tua effari: atqui oportebat maxime apud homines ea dicere, & invulgare: confusio est enim peccare: non est confusio confiteri peccata: nunc autem neque necessarium praesentibus testibus confiteri: cogitatione fiat delictorum exquisitio: absque teste sit hoc judicium: solus te Deus confitentem videat: Deus, qui non exprobrat peccata tua, sed solvit peccata propter confusionem, &c.

HOMILIA octava inter eas, quae De poenitentia habentur, NON reveles, inquit, ulcus, non in commune theatrum accusationem producas, non delictorum testes statuas: intus in conscienria, astante nemine, praeter eum, qui cuncta videt, Deum, qui & scrutatur, & de peccatis judicat, & omnium vitam quasi lance quadam librat, judicium peccatorum statuens, reforma, quod deliquisti; atque sic pura conscientia sacram attinge mensam, particepsque sancti sacrificii fias.

HOMILIA quinta De incomprehensibili Dei natura ait: QUAS ob res vos hortor, & rogo, & oro, fratres charissimi, crebrius Deo immortali confiteamini, &, enumeratis vestris delictis, veniam petatis, & numen propitium: non te in theatrum conservorum tuorum duco, non hominibus peccata tua detegere cogo: repete coram Deo conscientiam tuam, & explica: ostende Deo medico praestantissimo tua vulnera; & pete ab eo medicamentum: ostende ei, qui nihil opprobret, sed humanissime curet: dic ei, ut, abstersis tuis maculis, abeas illinc mundus, & sine ullo dedecore, in intolerabili promulgatione illa delictorum tuorum liberetis.

JOANNES CASSIANUS, praeceptori suo Chrysostomo in eadem sententia consentiens lib.20. Collationum cap.8. haec exaravit: QUIS EST, qui non possit Deo suppliciter dicere, Peccatum meum cognitum tibi feci? ut per hanc confes- Psalm. 31. 5. sionem etiam illud subjungere mereatur, Et tu remisisti impietatem peccati mei: quod si, verecundia retrahente, revelare peccata tua coram hominibus erubescis; illi, quem latere non possunt, confiteri ea jugi supplicatione non desinas, ac dicere: Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Psalm. 50. 5. Tibi soli peccavi, & malum coram te feci; qui & absque ullius verecundiae publicatione curare, & sine improperio donare consuevit.

MAGISTER Sententiarum libro 4. distinct. 18. ait, haec Chrysostomi dicta non sic esse intelligenda, ut liceat alicui, si tempus habuerit, sacerdoti non confiteri: sed quod satis sit, ubi crimen occultum est, soli Deo per confessorem secreto

erecto dicere. Ego vero arbitror, Chrysostomum haec dixisse non de secreta & auriculari confessione, quae sacramentalis poenitentiae pars est, sed de confessione illa theatrali & publica, quae pars est publicae poenitentiae; quam olim poenitentes pro enormibus flagitiis, ceu in theatro, coram episcopo, presbyteris, & populi multitudine facere solebant. Ad hanc enim eos, qui occulte deliquerant, Chrysostomus adigere noluit, tum quod ea, quae occulta sunt, coram omnibus publicanda non judicavit; tum quod etiam temporibus suis confessio publica fuerat metu furentis populi abrogata a Nectario, Constantinopolitano episcopo praedecessore suo, ob matronam, a diacono sub confessionis praetextu in templo compressam: sicut indicat Sozomenus lib.9. historiae Tripartitae cap.35. ex quo veterem publicae confessionis, ac poenitentiae ritum referre libet, ut melius praenotata Chrysostomi loca intelligantur. Sunt igitur ex illo capitulo haec Sozomeni verba:

Haec habet Sozomenus Lib. VII Hist. Ecclesiast cap. 15. Sed hodie versio Henrici Valesii alia est, quam videsis.

QUONIAM omnino non peccare divinum, & ultra humanam naturam esse cognoscitur; peccantibus autem & poenitentiam agentibus veniam Deus dari praecepit; qui vero confiteri refugiunt, majus peccatorum onus acquirunt: propterea visum est antiquis Pontificibus, ut velut in theatro sub testimonio Ecclesiastici populi delicta pandantur: & ad hanc rem presbyterum bonae conversationis, servantemque secretum, ac sapientem virum statuerunt: ad quem accedentes hi, qui deliquerant, delicta propria fatebantur. At ille secundum uniuscujusque culpam, indicebat & mulctam: quod etiam hactenus diligenter in Occidentalibus observatur ecclesiis, & maxime apud Romam: ubi etiam locus est certus poenitentium: stant enim rei, & velut in lamentationibus constituti. Cum enim sacra celebratio fuit adimpleta, illi communionem non percipientes, cum gemitu & lamentatione se ipsos in terram prosternunt: ad quos concurrens episcopus, & ipse cum lacrymis & gemitu spirituali prosternitur, & omnis Ecclesiae plebs fletibus inundatur. Post haec autem prior surgit episcopus, & elevat jacentes a terra: tum competenti pro poenitentibus facta oratione, dimittit omnes. At illi afflictionibus sponte vacantes, aut jejuniis, aut abstinentia lavacri, aut suspensione ciborum, aut rebus aliis, quae jubentur, expectant commune tempus, quod decernit episcopus: constituto vero tempore, velut quoddam debitum exolventes, afflictione de peccato curati, cum populo communione participant. Haec ergo antiquitus Romani Pontifices usque ab nostrum observarunt tempus: porro Constantinopoli presbyter super poenitentes fuit usque ad illud tempus: quo quaedam mulier nobilissima, cum peccata sua fuisset confessa, & ei a presbytero fuisset praeceptum, ut jejunaret, & Deo operibus supplicaret, cum hoc observaret, crebrius in ecclesia cum diacono se concubuisse confessa est: hoc cum populus cognovisset, saeviebat in sacerdotes, quasi per eos facta fuisset injuria ecclesiae. Tum Nectarius episcopus removit diaconum sceleratum; & quibusdam suadentibus, ut singulos ad communicandum judicio conscientiae suae relinqueret, etiam presbyterum nequaquam super poenitentes esse praecepit. Et ex illo antiquitatis consuetudo sublata est, cum, ut arbitror, minora peccata pro pudore confessionis, & subtilitate examinantium patrarentur. Haec Sozomenus. (a)

AN-

(a) De hac re agunt universim Polemici & Dogmatici, Card. Bellarminus, Baronius, & Gotti, Jacobus Boilau. Gaspar Juenin, Natalis Alexander, Dionysius S. Martha, Petrus Arcudius, Johannes Morinus, Emmanuel Schelstrate, Edmundus Martene, Johannes Filesacus, Antonius Arnaldus, aliique plures. Egimus etiam & nos, nec obiter quidem, *Tom. I. Exercit. XI. in XI. propos. proscript. ab Alexandro VII.* Quod vero Chrysostomus indictam omnibus fidelibus, qui post baptismum graviter deliquerunt, exomologesin, sive auricularem confessionem apertissime docuerit, constat evidenter ex innumeris ejusdem S. D. monumentis. Homilia quidem *XXX. in Genesim* recitata Antiochiae circa finem Quadragesimae exhortans populum ad Parasceuasticam purgationem animae, ut Paschale festum sancte celebraret, inquit „ Nunc maxime jejunii cursus intendendus, & magis continuandae sunt preces, faciendaque diligens, & pura peccatorum confessio. Scit enim inimicus noster, quod per tempus illud possumus de iis, quae ad nostram salutem attinent, loqui, & peccata declarare, seu aperire ἐξαγορεύσαντες, & detegere vulnera Medico, & sanitatem consequi „ &c. Similiter *Homil. IX. in Epist. ad Hebraeos* ita scribit: „ Sin autem dicit: sum peccator, ea autem per species non cogitat, ac supputat, & non dicit hoc, & illud admisi, numquam cessabit semper quidem confitens, curam autem nullam gerens confessionis. „ Idem etiam docet Chrysostomus *Lib. III. de Sacerdotio Cap. V.* Homil. *de Muliere Samaritan. T. VII.* & alibi. Pro Cassiano vide Alardum Gazeum.

ANNOTATIO CLXXVI.

Tibi soli peccavi, &c. Psalm.50. a

Num Regia potestas Sacerdotali sit praeferenda.

CASSIODORUS in Commentariis Psalmorum super hoc versu haec habet: SI QUIS de populo erraverit, & Deo peccat, & regi: nam quando rex delinquit, Soli Deo reus est; quia hominem non habet, qui ejus facta dijudicet: merito ergo rex Deo tantum se dicit peccasse; quia solus erat, qui ejus potuisset admissa discutere. Joannes Turrecremensis, presbyter cardinalis lib.1. De Ecclesiastica potestate cap.91. hunc locum ponit inter argumenta eorum, qui Caesaream potestatem Pontificiae potestati praeferunt. Haeretici nostrorum temporum, qui primum Ecclesiasticae dignitatis gradum saeculari magistratui vendicare conantur, hunc ipsum locum citant, eique aliam annectunt sententiam ex tertio Commentario Hieronymi in Jeremiam ubi in explanatione 13.cap.sic legitur: NON solum vulgus ignobile, vilisque plebecula, sed reges ecclesiarum, qui sedent super thronum, sacerdotes quoque ipsi, secundus in ecclesiastico honore gradus, varietate peccatorum complentur.

HORUM auctorum verba referenda sunt ad regnum & sacerdotium Judaeorum ac Gentilium: apud quos, cum omnis sacerdotalis cultus institutus esset ad consequendum terrena & temporalia praesentis vitae bona, quorum cura spectat ad regem, juste quidem sacerdotes & pontifices Judaeorum & Gentilium regibus & imperatoribus subdebantur: at in lege Evangelica, in qua Christus assistens Pontifex futurorum bonorum instituit sacerdotium longe praestantius, quod scilicet nobis conferret spiritualia & coelestia bona, in quibus regia potestas nullum jus habet, aequum est reges pontificum imperio subesse, & sacerdotum dicto parere. Observandum tamen hic est, ut Philo Judaeus in libro De profugis, & in libro De vita Musis 3. admonet, quod etsi summus Judaeorum sacerdos rege inferior esset; tamen quantisper ministerio suo fungebatur, ingrediens templum, amictus sacerdotali veste, & cidarim in locum regii diadematis capite gestans, & auream laminam Dei nomine insignitam, erat ipso rege superior. Quin & in libro de legatione ad Cajum restatur Machabaeos principes proavos suos jure optimo sacerdotium omni ex parte praetulisse regno, ita inquiens: Ego avos proavosque reges habui & ex his, aliquot & summos pontifices, quam illi dignitatem pluris faciebant quam regiam: rari quanto Deus antestat homini, tanti pontificatum regno excellentiorem: ad illius enim curam divinas res, humanas ad hujus pertinere. Habes de hac re apud D.Thomam lib.1. De regimine principum cap.14. (a) item de his plura leges infra in libro, qui hunc proxime sequitur, Annot.72.

ANNOTATIO CLXXVII.

Ecce enim in iniquitatibus, &c. Psal.50. a

Num peccatū Adae solum corporis mortem posteris transmiserit.

ARNOBIUS, in Commentariis Psalmorum hujus versiculi sensum aperiens, significare videtur, quod Adam peccando transmisit ad haeredes solum mortis corporeae supplicium, non autem peccatum, & originis vitium. Loquitur enim his verbis: NON dixit David, Cum iniquitatibus, aut, Cum peccatis genuit me mater mea; sed, In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis genuit me mater

(a) Liber de regimine Principum esto sit adjudicandus erudito Theologo nostri Ordinis, S.Thomae vero abjudicatur ab eruditis ex solidis momentis. I. quia illius Author scribit *lib. 3. cap.* 20. suo tempore accidisse, ut Adolphus Imperator Rodulpho, & Albertus Adolpho succederet; at S.Thomas obiit Anno 1274. Adolphus autem Rodulpho successit Anno 1292. & Albertus Adolpho Anno 1299. II. quia illius Author *lib. 3. cap.* 10. non semel summum Pontificem adpellat Christi successorem, quod certe ex S. Thomae calamo ac ore numquam potuit excidere. Alia itidem levia profert *lib.3. cap.* 22. & *lib.4. cap.* 26. ubi de nominibus Magistratuum profert, quae certe aliena sunt a gravitate & stylo S.Thomae. His adde, quod quum S. Thomas septem, eosque eruditissimos dederit libros de eruditione Principum, inter opuscula Romae edita receptos, nulla ei aderat caussa agendi de regimine Principum. Ita censent Card. Bellarminus, Casimirus Oudin, aliique; N. Natalis autem solum duos priores libros laudati Opusculi adjudicat S. Thomae. Videsis N.Cl. Jacobum Echard saepius laudatum.

mater mea: dicendo enim matrem eum in suis iniquitatibus concepisse, cum in peccatis saeculi peperisse signavit: quia omne peccatum corde concipitur, & ore consummatur: hic autem, qui nascitur, sententiam Adae habet; peccatum vero ipsius non habet. Lege Annot.236. libri sexti.

ANNOTATIO CLXXVIII.

Ecce enim in iniquitatibus, &c. Psal.50.a

De peccato originali.

CHRYSOSTOMUS a Joanne Fabro Viennensi episcopo in suspicionem adducitur, quod in enarratione Psalmi 50. quem luculenter exposuit, praesentem versiculum de industria intractum reliquerit, ne in sermonem incideret peccati originalis, quod ipse nullum esse existimavit, & multis etiam locis nihil esse demonstravit. Haec Faber in Apologia commentariorum in Paulum: cujus errorem confutavimus in censuris super cap.5. epistolae ad Romanos. Annot.236. libri sequentis.

ANNOTATIO CLXXIX.

Ecce enim in iniquitatibus conceptum sum. Psalm. 50. a

Utrum peccatum ex Adamo contractum sit simpliciter peccatum, an vero sola occasio peccati.

THEODORETUS in Commentariis Psalmorum super hujus Psalmi versiculo creditur fuisse in opinione eorum, qui asserunt peccatum originis, ab Adamo contractum, simpliciter, & secundum se non esse peccatum, sed occasionem & incitationem tantummodo peccati; quam si quis rationis judicio propulsaverit, ab omni peccato liber erit: si vero ei consenserit, incidet in peccatum, & peccati poena damnabitur: hoc enim quodammodo innuunt infrascripta ejus verba, a nobis ex Graeco exemplari translata: NON igitur David nuptias accusat, neque nuptialem communionem transgressionem vocat, sicut quidam imprudenter praesumpserunt, ita intelligentes illud, In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea: sed transgressionem a primis olim hominibus ausam profert in medium; & hanc genuisse dicit horum fluxuum fontem: nisi enim illi peccassent, non recepissent mortem, quae est peccati mulcta: mortalitatis autem expertes potentiores ad peccatum vincendum fuissent: cum incorruptione enim omnes quoque impassibilitas fuisset: impassibilitate vero gubernante, locus non fuisset peccato: quoniam autem peccaverunt, corruptioni traditi sunt: corruptibiles autem facti, persimiles sibi genuerunt filios: quos quidem desideria, timores, voluptates, dolores, ira, & invidia persequebantur: cum istis autem, & quae ex his nascuntur, ratio decertat: quae si vicerit; celebratur, & victorialibus redimitur coronis: victa vero & confusione mulctatur, & poenis dilaniatur. Haec Theodoretus apertius repetit in expositione quinti capitis ad Romanos: in cujus censuris, quae ibi dicat, videbis Annotatione 236. libri sequentis.

ANNOTATIO CLXXX.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum. Psalm. 50. a

An, si primi parentes non peccassent, conceptio, & generatio fuissent.

EUTHYMIUS, in Commentariis Psalmorum hanc sententiam edisserens, affirmat, peccatum Adae fuisse causam conceptionis ac generationis humanae, nisi enim ille peccasset; carnalis copula, & maris & foeminae conjunctio non fuisset. Sic enim scribit: SI ADAM non peccasset; nunquam oportuisset illum Evae conjungi: peccatum itaque copulam generavit: & copula rursum eos produxit, qui ex Adam & Eva nati sunt; & sic deinceps alios usque ad David: & licet nuptiae nunc in honorem habeantur: natura tamen ex peccato proveniunt: ex peccato igitur, inquit David, conceptus & genitus sum. Ad eundem modum exponit praesentem locum Auctor Operis imperfecti in Matthaeum homil.1. Confutavimus hanc opinionem superius Annot.20. & 21.

SUNT, qui existiment, Euthymium dedita opera hanc expositionem huic

adhibuisse

adhibuisse versiculo, ne cogeretur fateri peccatum illud, quod potissimum hoc loco regius Propheta deplorat, hoc est, peccatum originale, quod nos constanter credimus a primo parente in omnes posteros transfusum. Quam sententiam non admodum Euthymio placuisse testantur, quae ab eo scripta sunt in secundo Panopliae volumine, titulo 22. ubi, usurpatis etiam Gregorii Nazianzeni verbis, de peccato Adae sic loquitur: ITAQUE praecepti trasgressioni, & primi parentis peccato propositi sunt morbi, & mors, quam transgressio & peccatum conciliarunt: quae quidem mors indicat Dei benignitatem: est enim causa, ut, interrupto peccato, malum perpetuum non sit, ut Gregorius Theologus ait: supplicia autem aeterna non primae transgressioni proposita sunt, sed singulis hominibus, qui se peccatis obstringunt, sive, qui jam inde a primo parente usque ad mundi consummationem nullam peccatis curationem adhibuerunt. Hanc Euthymii sententiam nonnulli Chrysostomo tribuunt, sed perperam, & injuste, sicut videre licet Annot.236. libri sexti.

ANNOTATIO CLXXXI.

Non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum. Psalm. 52. a

Utrum Petrus in Christi negatione amiserit fidē.

HILARIUS, in Psalmorum Commentariis, hunc enarrans versiculum, negationem Petri ita excusat, ut eum fidei firmitatem non amisisse dicat: quia quamvis ex carnis trepidatione, quam cohibere non potuit, in negationem Christi ejus lingua proruperit, firma tamen fides confitendi Christum usque ad martyrium ex animo ejus non recessit. PRUDENTIUS in hymno ad Galli cantum, Hilario subscribit his versibus. Flevit negator denique ex ore prolapsum nefas, cum mens maneret innocens animusque servaret fidem. Alia quoque via eandem Petri negationem ad pium sensum detorquere annititur in Comentariis super Matthaeum. Reprehendit eum hac in re D.Hieronymus, ut videre poteris Ann.160. libri sequentis. (a)

ANNOTATIO CLXXXII.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, &c. Psal. 53. a

Num fames, sitis, dolor, & mors fuerint Christo naturales.

HILARIUS, in Commentariis Psalmorum subindicare videtur, sitim, famem, somnum, tristitiam, dolorem, lassitudinem, atque alias hujusmodi passiones non fuisse humanitati Christi naturales, sed assumptas. Sic enim ad coarrationem propositi versus loquirur: HINC illud, quod esurivit, sitivit, dormivit, lassatus fuit, moestus fuit, & flevit, & passus, & mortuus est: &, ut his omnibus non natura, sed assumptione subjectus esse posset intelligi, perfunctus his omnibus resurrexit. Legito Annot. libri hujus 186. (b)

ANNOTATIO CLXXXIII.

Beatus, quem elegisti, & assumpsisti, &c. Psalm. 64. a

Num merita nostra sint causa electionis aeternae.

HILARIUS in explanatione Psalterii, illustrans hunc locum, deferri videtur in sententiam eorum, qui statuunt merita nostra causam esse divinae & aeternae

(a) Patres Benedictini in nova editione operum S. Hilarii ita ejus mentem expendunt: „ Vult quippe Hilarius lapsum illum, quo Petrus Dominum „ negando a pristina bonitate demutatus excidit, „ aeternae damnationi obnoxium non fuisse, quia sui „ eum lapsus cito poenituit. Itaque qui scopum „ ipsius attendet, non eum judicabit a culpa velle „ Petrum purgare, sed a bonitate eatenus non excidisse, quatenus culpam cito correxit, & in bona „ voluntate perseveravit, sicut & prius Aaron, David, & Salomonem a culpa non exemit. Huc spe„ ctat illud c. 32. in Matth. *Amarissime flevit reco„ lens trepidationis istius culpam se nec admonitum „ potuisse vitare*. Juxta haec Petri culpam appellat „ Augustinus epist. 185. n. 46. mendacem timorem. „

(b) Laudati PP. San-Mauraei ibidem ita subdunt: „ Non negat (Hilarius) animam Christi no„ stris aut natura, aut infirmitate fuisse similem, „ alias pugnaret cum proxime dictis num. 7. nec sta„ ret, quod mox vocat Christum *nostri corporis, at„ que animae hominem*, sed eam ideo negat huma„ nae esse naturae, & infirmitatis, quia sit divinae „ personae, seu pertineat ad filium Dei, qui natu„ ra Deus & omnipotens est. „

aeternae electionis, dicens; BEATUS est, quisquis fuerit electus: multi enim secundum Evangelium vocati sunt, sed pauci electi: electi autem sunt nuptiali veste conspicui: puro atque integro novae nativitatis corpore splendidi: itaque non res indiscreti judicii electio est, sed ex meriti delectu facta discretio est: beatus ergo, quem elegit Deus: beatus ob id, quia electione sit dignus. Damnat Augustinus hanc sententiam in Pelagianis, ut habes infra Ann.251. libri sequentis.

Matth. 20.16.

ANNOTATIO CLXXXIIII.

Transivimus per ignem & aquam: & eduxisti nos in refrigerium. Psal.65.c

Num homines in eodem individuo resurgent.

ORIGENIS commentarii in Psalmos nonnulla hic habent, quae Methodius, Olympi episcopus, scripta putat adversus resurrectionem carnis in eodem individuo: eaque idem episcopus in Aglaophonte recenset, his verbis: EQUIDEM omnino vidisti pellem animalis, aut aliud quid tale aqua impletum; quo modo, si paulatim evacuetur, & paulatim impleatur, semper eandem speciem ostendit: quale enim fuerit, quod continet; necesse est ad ipsum etiam, quod intus est, formari: age enim, si subeffluat aqua, si quis adjiciat quantum effunditur, non sinens utrem acervatim aqua evacuari; necessarium est id, quod adjicitur, tale videri, quale est & totum: eo quod id, quod continet, idem fit. Et sane si quis corpus his assimilare velit, nullo pudore confundetur: eodem enim modo etiam ea, quae ab alimento introducuntur pro expulsis carnibus, in figuram speciei ipsius continentis transmutantur: & quantum quidem ad oculos diffusum fuerit, oculis simile est; quantum ad faciem, faciei; quantum ad alias partes, iisdem, ut idem unusquisque appareat, non quod sint carnes in eodem primae subjectae, sed species, juxta quam specificantur ea, quae accedunt: proinde si non sumus iidem vel ad paucos dies corpore, sed speciei in corpore (haec enim sola consistit in nativitate) multo igitur magis neque tunc iidem secundum eandem carnem erimus, sed secundum speciem, quae ita nunc semper conservatur in nobis, & manet: quod enim illic est pellis, hoc species est hic: quod vero illic in similitudine est aqua, hoc hic est quod accedit & decedit: quemadmodum igitur nunc, cum corpus non sit idem, tamen character secundum eandem formam idem servatur: sic, non eodem existente corpore, species, in majorem gloriam aucta, non amplius in corruptibili, sed in impassibili ac spirituali corpore ostendetur. Vide supra Annot.148. (a)

ANNOTATIO CLXXXV.

Induxisti nos in laqueum, &c. Psalm. 65. c

Num animae ob peccatum in coelo commissum detrudantur in corpora.

ORIGENI vitio vertit Methodius, Olympi episcopus, quod in commentatiis Psalterii hunc versum interpretans, dixerit, animas inductas esse in corpora, ut in his, tanquam in laqueum & vinculum, & carcerem, poenas luerent scelerum, quae in coelo commiserant. Hunc eundem errorem in Origene damnarunt, Epiphanius Salaminae episcopus lib.2. Panarii, Theophilus Alexandriae episcopus lib.1. Paschalis, Hieronymus in epistola ad Pammachium, & Cyrillus praesertim Alexandriae episcopus, qui in 1.lib. Commeorariorum super Joannem hoc ipsum dogma confutavit, allatis in medium multis non parvi momenti

(a) De hac re ad miraculum usque, juxta consuetum sibi morem, agit S. Thomas *Supplem. ad 3. p. Quaest. LXXXI. Art.* 2. ubi postquam pluribus momentis ostendit eundem numero hominem, qui mortuus fuit, fore resurrecturum, ex illo Job. XIX. *Quem visurus sum ego ipse & non alius*, concludit: „ Unde ponere, quod idem numero non fit, qui resurget, est haereticum derogans veritati Scripturae, quae resurrectionem praedicat. „ Id quidem etiam Apostolus Paulus clare adserit I. ad Corinth. cap. 15. „ Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitem „ De eadem veritate aguot etiam, eamque vindicant adversus Origenem. Johannem Hierosolimitanum, & alios ejusdem furfuris S. Joannes Chrysostomus *Homil. XXIV. in 1. ad Corinth.* Theodoretus *ibidem*. S.Hieronymus *Epistola LXI.* S.Gregorius M.Lib.XIV. Moral. Cap. 19. Habemus etiam Diffinitionem Concilii Lateranensis sub Innocentio III. Can.1. & Cap. *Firmiter* Extra *de sum. Trinit. & fide Catholic.* „ Omnes cum propriis resurgent corporibus, quae „ nunc gestant, ut recipiant secundum opera sua, „ &c.

momenti rationibus: quas quia apud nullum ex theologorum schola reperies, libuit huc in gratiam studiosi Lectoris apponere.

PRIMO, si ante corpora hominum animae fuerunt, & quadam inclinatione ad malum, ut ipse dicit, loco supplicii corporibus connectuntur: quomodo venientes in hunc mundum illuminari dicuntur? illuminatio enim majorem afferre gratiam videtur, & honoris certe, non supplicii est: non punitur autem, qui honoratur; nec cruciatibus vexatur, qui lumine divino participat: quare certum est non puniri connexu corporis animam, quae in ipso corpore honoratur.

2. ACCEDIT, quod falsum omnino esset illuminari animam, in hunc mundum venientem: siquidem mens, atque integer intellectus aurea fuit: si enim dum in corpus veniat, illuminatur: necesse est ante, quam veniat, lumine carere. Quomodo ergo intellectus integer ac purus erit, si tunc tandem illuminari coepit, quando in hunc mundum, & in molem carnis descendit?

3. PRAETEREA, si ante corpus anima fuit, & sicuti mens pura, & intellectus integer ipsi bono conjunctior erat; sed pravitate, cupiditateque pejorum ad terrena depressa est: quomodo non magna sibi injuria fit, quae modo in hoc corpore depressa, recte vivere, ac non peccare juberur? cum tunc potius oportuisset, quando nondum corpori alligata, longius ab omni aberat perturbatione. Non potuerit profecto dicere aut opportunitatem admonendae animae ignotam Deo fuisse, aut injuriose ab eo tractatam; qui peccare non potest. Opportune igitur, atque juste non peccare in hac carne jubemur; quoniam eo coepimus esse tempore, quo una cum corpore in hunc mundum venimus, ac quasi a loco quodam a nihilo ad esse pervenimus.

4. PRAETEREA, libenter ab eo quaererem, quam verisimilitudinem oratio habeat, cum dicat, propter delicta, quae prius anima commiserat, in corpus eam intrudi, ut experientia rerum, cupiditatis suae turpitudinem discat: quomodo non erubescit haec dicere? liberanda enim potius a pravis cogitationibus fuisse videtur, quam in profundum turpissimarum voluptatum detrudenda: non enim sic, sed ille modus curare eam potuisset. Quod si, ut corporis voluptatibus frueretur, ac eo modo magis aegrotaret, in corpus detrusa est: tam ignorantiae, quam injuriae crimine medicus jure accusari poterit, qui ea ratione sanari aegram posse putavit, si in majora, pluraque delicta per injuriam ab eo depelleretur: si autem ut delinquendi finem faceret: quomodo ab ultima profunditate miseriae, ac cupiditatis emersuram potius putavit, quam in ipso malorum principio, quando peccati fomite, id est, corpore, carebat, parva castigatione suum statum retenturam?

5. AD HAEC, si ante corpus deliquit anima, &, ut poenas lueret, corpori conjuncta est: oporteret certe credentes, qui fide a peccatis liberati sunt, a supplicio statim, id est, a corpore liberari. Quo modo enim, dic quaeso, remissionem peccatorum penitus consecuta esse anima intelligeretur; cum adhuc propter peccatum in corpore inclusa teneatur? videmus autem multo secus fieri: non modo enim illico fideles a corporibus non evolant; verum etiam resurrectionis professione, ac fide immortaliter se victuras cum corporibus credunt: non ergo ad cruciatum corpus animo conjungitur, praesertim cum ita divinitus honoratum sit, ut & Salvatoris revicturum omnipotentia attestetur, & vitam sit immortalem habiturum.

6. ADDE, quod morte majora delicta secundum legem plectuntur, cum qui levius peccarunt, vivere permittantur; qui autem omnino innocentes videntur, praemiis etiam, quasi quibusdam ad vivendum invitamentis, afficiantur: oportebat autem, si, ut commissorum poenas lueret, corpori anima conjuncta est, scelestos homines ad vivendum potius invitari, ut magis mole corporis vexarentur; innocentes vero contra citius ab hoc corpore, id est, a supplicio liberari: sed jure lex homicidam, caeterosque hujusmodi mori jussisset, justos autem honoribus decorari: falso ergo dicitur, supplicii causa corporibus animas annecti.

7. INSUPER, dicat, quaeso, si ad supplicium corpus animae connectitur: quid boni nobis, destructa morte, ac immortalitate corpori per resurrectionem donata, Salvator contulit? corruptioni potius perpetuae corporis, terminum

supplicio imponenti, quam Domino nostro Jesu Christo (quem credimus corporibus resurrectionem donasse) gratias agere deberemus: non autem ita ecclesia facit, sed Christo gratias agit, Salvatorem re ipsa existimans, quia nos a morte liberavit: non ergo ad supplicium animis corpora data sunt: nam, si sic esset; majora nobis inferret mala resurrectio, perpetuo miseras corporibus animas includens; & unde per mortem evaserunt, eo repellens: nihil autem mali, sed ad renovationem naturae a Christo pro singulari dono data est: non ad poenam animis corpora data sunt.

Dan.12.a 8. PRAETEREA, singulare nobis quidam Propheta gaudium annuncians, RESURGENT, clamabat, mortui, & suscitabuntur, qui sunt in monumentis; & omnes, qui in terra sunt, exultabunt. Magna potius afficientur moestitia, dicendum erat, rursus in corpora redeuntes: aut, si vera humanum genus afficere laetitia volebat, non resurrecturos mortuos, sed perpetuae naturam carnis datam esse corruptioni affirmasset. Cum vero divino inflatus spiritu, carnis resurrectionem ad gaudium annunciet; non sumus ad supplicium corporis annexi, cujus immortalitate laetari, exultareque jubemur.

Gen. 15. b & 26. b 9. ACCEDIT, quod Deus, cum beatum Abraham benediceret, quasi stellas coeli innumerabiles suos fore pollicetur: quare si ad corpus, ceu ad supplicium, anima introducitur; damnatarum divinitus animarum turbam, & quasi fugitivarum a bono, malignitatisque servum, ac maledictionis potius, quam benedictionis semen, pollicetur: sed re ipsa benedictus a Deo Abraham fuit: omni ergo culpa corporis, atque animi caret conjunctio.

Deut.1.b 10. SIMILITER divinus ille vir Moses, cum non injuria multitudinem Judaeorum admiratus esset: ECCE nanque, inquit, multitudine, veluti stellae coeli, hodie estis: adjecit orans, DOMINUS Deus Patrum vestrorum addat ad hunc numerum multa millia: quae res, si animae lapsae in corpore puniuntur, non optanda, sed repellenda potius oratione, intercessioneque Mosi ad Deum fuit: sed fuit optanda (non enim inanem quendam hominem fuisse Mosen dicimus) falso igitur & a se ipsis, non a Scripturis, nequam homines, hujusmodi falsitatea excogitant.

Jacob.4.a 11. PRAETEREA non ignoramus, nihil concedi a Deo male petentibus. PETITIS enim, inquit, & non accipitis; quia male petitis. Si ergo animae, ut ille dicit, incarnatio ad luendas poenas datur: non parum Anna, Phanuelis filia, peccavit, longa oratione a Deo filium postulans: animae nanque lapsum primo, deinde punitionem poscebat. Et si mulier, quasi homo, erravit: quomodo Deum exoravit? non enim poterat foemina in utero concipere, nisi anima in coelis deliquisset; ut propter delictum uterum mulieris ingressa, corpus assumeret: sed exoratus fuerat Deus, quia bene illa petiit: non ergo carni conjunguntur, quia peccaverimus antea; quippe qui ante corpus non fuimus.

1.Reg.1.33. 12. AD HAEC, si gratia supplicii corpori connectimur; cur Ezechias, vir sanctus, atque probus, prorogationem hujus vitae petiit? aut quomodo Deus quindecim annos pietate, & lacrymis illius commotus, beneficii loco illi adjecit? calamitatem enim potius & cruciatum, quam donum & gratiam, si aliquid veritatis istae nugae habent, illi contulisse videtur: sed donum certe fuit ac gratia prorogatio vitae: non ergo ad supplicium animis corpora dantur.

Isa.38.a.

Jerem.37.&c. 13. PRAETEREA, si corpus animae ad poenam datum est, inanem gratiam Deus ei retribuit, qui Jeremiam a lacu eduxit, quem a Chaldaeorum impetu evasurum, longiusque victurum pollicetur: cum potius debuisset, si honorare ipsum volebat, quamprimum a vexatione corporis liberare. Nec praeterea tribus illis

Dan.3.94. adolescentibus, quos a Babylonia flamma servavit, nec Danieli, quem a ferita-

Dan.13.39. te leonum eripuit, boni quicquam impartitus est: falsum autem hoc omnino est: laudatur enim, gratiaeque sibi aguntur; quia praecipuum eis contulit beneficium: falsum igitur etiam illud est, unde hoc sequitur.

2.Cor.5.b 14. ADDE, quod pro tribunali Dominico opera quaeque nostra patebunt, ut ait Paulus: OMNES enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. Si ergo pro operibus, quae perperam, aut contra cum corpore gessimus, retributio fiet;

fiet; nec ulla erit mentio eorum, quae ante corpus probe vel contra fecerimus: quomodo ante corpus fuisse animam audeat dicere, si ea solummodo quaeruntur, quae cum corpore gessit?

15 DEINDE, quomodo idem Paulus ait: EXHIBEATIS corpora vestra, hostiam viventem, sanctam, Deo placentem: nam, si ad supplicium animis corpora data sunt: quomodo in odorem suavitatis id Deo offerimus, per quod punimur? aut quomodo virtutem possidebit, quod natum ad puniendum magnas in peccato egit radices? Rom. 12. 1.

16 AD HAEC, propter transgressionem primi hominis, corruptio genus nostrum invasit, ut ait Paulus: sed regnavit mors ab Adam usque ad Mosen, & in eos, qui non peccaverunt, regnare mortem affirmat: si priscorum gratia delictorum mortale nobis corpus annectitur: quomodo non peccaverunt, si propter peccata in corpus deciderunt? Rom. 5. 14.

17 PRAETEREA, de quodam, ab utero matris caeco, Salvatorem discipuli interrogarunt, dicentes: RABBI, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut caecus nasceretur? nam, quoniam in propheticis scribitur libris, quod peccata parentum filiis Deus retribuit: hac de causa caecum fuisse natum hominem illum Apostoli arbitrabantur. Quid igitur Christus? NEC iste, inquit, peccavit, nec parentes ejus; sed, ut manifestentur opera Dei in illo. Quomodo autem non peccasse asserit eos, qui cum homines fuerint, non errasse proculdubio non potuerunt? manifestum igitur, atque conspicuum est, quia verba Domini tempus, quod nativitatem illorum praecesserat, respicit; quo tempore nec fuerunt, nec peccare potuerunt: hoc enim modo veritatis integritas in verbis veritatis, id est, Christi, conspicietur. Joan. 9. 2. Exod. 20. 5. Joan. 9. 3.

18 ACCEDIT, quod Esaias, quam ob causam facta sit, ostendens, NON frustra, inquit, creata est, sed ut habitetur: non a nudis spiritibus, nec incorporeis animis, sed animatis corporibus congruenter habitari potest: qua ex re sequitur: si praefuisse animas, & delinquentes in corpora delabi dabimus, voluntate ipsas Dei delinquere, ut homines scilicet essent, quibus terrarum orbis habitaretur: sed hoc falsum omnino est: verum igitur alterum. Esa. 45. 4. Mystice quidem varicinium Ilsiae laudatur.

19 ADDE, quod omnium artifex Sapientia in libro Parabolarum hujusmodi de se verba dicere introducitur: EGO ERAM, inquit, quo gaudebat universorum scilicet Creator: quotidie laetabar coram eo in omni tempore, quando consummato terrarum orbe gaudebat, & laetabatur super filios hominum. Si ergo creator Deus homine gaudebat: quomodo non insaniunt, qui peccatis ad corpora intrudi animas opinantur? si enim gaudet, quia poenas per corpora dant, non erit bonus, qui aliorum supplicio triumphat: sed bonus est ipse natura, & bonarum creaturarum productor: non igitur instrumentum puniendi corpora sunt, ut multi falso praedicant. Prov. 8. 30. 31. Genes. 1. 31.

20 PRAETEREA, si quae ante corpora deliquerunt, animae corporibus annexae puniuntur: quamobrem adversus impios diluvium immissum est, & Nohe justus in retributione fidei salvatur? contra namque fieri oportuit, ut justi scilicet citius a corpore solverentur, improbi vero longiore tempore mole corporis cruciarentur: sed justus Dominus morte punivit impios, longioribus hujus vitae spaciis justum honoravit: falsa igitur opinio, abjiciendaque penitus ex animis nostris est. Gen. 6. 9.

21 AD HAEC, quare Salvator Lazarum, quem amabat, suscitavit, & liberatum a suppliciis amicum in supplicia reduxit? sed suscitavit, honorans quem diligebat: adversus ergo veritatem dicuntur animae ante corpora deliquisse. Joan. 11.

22 ADDE, quod si ita esset; rationale hoc animal homo, naturaque hominis per peccatum producta videretur: sed per peccatum rursus ingressa in mundum mors est; quare repugnare sibi ipsi peccatum videretur, cum priora posterioribus dissolvat. Sathanas quoque in se ipso divisus esset: quomodo ergo staret regnum ejus? sed haec falsa sunt: vera igitur, quae eis opponuntur. Luc. 11. 18.

23 POSTREMO, mortem a Deo ecclesia negat productam: invidia enim diaboli venisse in mundum eam Scriptura confirmat: quod si ad puniendam animam corpus ei conjungitur: quare diabolus inculpatur, qui morte supplicium Sap. 2. 24.

animae dissolvit? quare autem Salvatori gratias agimus, per resurrectionem rursus corpora nobis restituenti? sed merito & agimus, & debemus gratias Salvatori, qui nos a corruptione, quam invidia diaboli nobis intulit, suo sanguine liberavit: non ergo instrumentum supplicii corpora sunt, nec animae ante corpora, quando non fuerunt, peccare potuerunt.

ANNOTATIO CLXXXVI.

Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam. Psalm. 68. a

Num Christi humanitas fuit suapte natura doloris, & miseriae capax.

HILARIUS, Pictavorum episcopus, expalanationi hujus Psalmi sententias aliquot inseruit, quibus innuere videtur, humanitatem Christi suapte natura fuisse doloris ac miseriae expertem; famem vero, sitim, moerorem, timorem, caeterasque animi & corporis infirmitates non fuisse illi naturales, sed ultro assumptas nostri gratia: siquidem in Praefatione Psalmi sic loquitur: UNIVERSARUM itaque humanarum passionum sorte perfunctus, secundum susceptas infirmitates nostras loquitur, & dolet, ipse quidem extra necessitatem timoris positus & doloris, sed his se tamen, quae suscepit, accommodans; ut qui carnis nostrae homo natus esset, ex dolorum nostrorum querelis & infirmitatis precatione loqueretur. Et post haec enarrans illud, In siti mea potaverunt me aceto, &c. addidit, VERUM prophetice non sitisse scribitur; sed, ut implerentur omnia, sitisse se dixit; quia cunctae nostrae, quae in eo fuerunt, infirmitates non naturales sunt, sed assumptae. Hanc rem longe copiosius & clarius prosequitur libro decimo De Trinitate: ubi ostendere annititur, nullum in Christo fuisse mortis metum, sumpto inde argumento, quod si Christus mortem formidasset, aut spiritus, aut corporis causa timuisset: quorum neutrum evenisse potuit: nam secundum spiritum tanto mentis ardore mortem appetebat, ut eam timere non posset. Carni vero similiter metuere nequibat: quippe qui sciret carnem se habere natura impatibilem: quam licet hostes plagis, ictibus, & vulneribus scindere, & confodere possent: dolore tamen afficere non valebant. Verba ejus haec sunt: FORTE si erunt, qui Christum mortem timuisse existiment, constituant, cui rei existimant mortem fuisse terribilem, spiritui, an corpori? si spiritui mors terribilis est: Lazaro, in Abrahae finibus laetante, infernum chaos Christus timeret? haec stulta atque ridicula sunt, ut in potestate ponendae animae, ac resumendae mori timeret, ad sacramentum vitae humanae sub voluntatis suae libertate moriturus: non est in voluntate morientis & potentis in manu mortis non diu manere timor mortis: quia & voluntas moriendi, & potestas revivifcendi, extra naturam timoris est, dum timeri mors non potest, & in voluntate moriendi, & in potestate vivendi. Sed forte penduli in cruce corporis poenae, & colligantium funium violenta vincula, & adactorum clavorum vulnera sunt timori. Videamus ergo, cujus corporis Christus sit: in quem quamvis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio elevaret; afferrent haec quidem impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent, ut telum aliquod, aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aëra vulnerans: omnes quidem has passiones naturae suae infert, ut perforet, ut compungat, ut vulneret: sed naturam suam in haec passio illata non retinet, dum in natura non est vel aquam forari, vel pungi ignem, vel aëra vulnerari; quamvis naturae teli sit vulnerare, & compungere, & forare. Passus quidem Dominus Jesus, dum caeditur, dum suspenditur, dum crucifigitur, dum moritur; sed in corpus Domini irruens passio naturam passionis non exercuit, dum & poenali ministerio illa desaevit, & virtus corporis sine sensu poenae, vim poenae in se desaevientis, excepit. Habuerit sane illud Domini corpus doloris nostri naturam, si corpus nostrum id naturae habet, ut calcet undas, & super fluctus eat, & non degravetur ingressu, neque aquae insistentis vestigiis cedat, penetret etiam solida, nec clausae domus vestigiis arceatur: at vero si Dominici corporis sola ista natura sit, ut sua virtute feratur in humidis, & insistat liquidis, & extructa transcurrat: quid per naturam humani corporis,

Psal. 68. 22.

corporis, concepta ex Spiritu Sancto caro judicatur? caro illa de coelis est, & homo ille de Deo est, habens ad patiendum quidem corpus, & passus est, sed naturam non habens ad dolendum: naturae enim propriae ac suae corpus illud est, quod in coelestem gloriam transformatur in monte, quod attactu suo fugat febres, quod de sputo suo oculos format, &c. In commentariis quoque super Matthaeum habentur quaedam hujus auctoris dicta, a propositae narrationis sensu non abhorrentia; quae brevitati studens omitto: praetereo etiam sententias aliquot Hieronymi & Augustini, huic dogmati abblandientes; quas commodius inspicies supra Annotatione 162. & infra Annotat. 115. libri sequentis.

PETRUS Parisiensis episcopus libro 3. Sententiarum, distinctione 15. Hilarii sermonem, amice ac benevole interpretans, ait illum nec verum timoris, doloris, ac passionis sensum, nec naturalem necessitatem timendi, dolendi, & patiendi Christo ademisse; sed causam & meritum patiendi, dolendi, ac timendi, quae in nobis est. In nobis enim est naturalis patiendi necessitas, propter Adae peccatum inducta: in Christo vero naturalis vere patiendi necessitas est, non vitio humanae conceptionis illata, sed ultro ex ejus libera voluntate suscepta. Claudianus, Viennae Galliarum episcopus, qui Petrum septingentis ferme annis praecessit, in secundo libro De statu animae ita excusat Hilarium, ut eum plane errasse pronunciet his verbis: PICTAVUS Hilarius inter complura praecessarum disputationum suarum quiddam secius sentiens, duo haec veris adversa disseruit: unum, quod nihil incorporeum creatum dixit; aliud, quod nihil doloris Christus in passione senserit: sed quoniam opinionis hujusce vitium virtute confessionis abolevit; sic sustinet reprehensionis stylum, quod non patitur detrimenta meritorum: quapropter eatenus divinarum tractatoribus scripturarum fidem adhibere par est, quoad usque eisdem tenore veritatis astipulantur.

JUSTINIANUS Augustus, vir in caeteris catholicus, ita Hilariano dogmati adhaesit, ut ipsum imperiali edicto praeceperit a sacerdotibus publice in ecclesia doceri, & ab omni plebe recipi, & firmiter credi. Testis est hujus rei Evagrius libro 4. ecclesiasticae historiae cap. 39. sic scribens: JUSTINIANUS Imperator edictum proposuit, in quo corpus Domini incorruptibile sanxit, naturaliumque & inculpatarum passionum haudquaquam capax fuisse dixit, sed Dominum ante passionem comedisse, quemadmodum post resurrectionem manducavit: nec sacrosanctum illius corpus aliquam mutationem, aut alterationem inde ab eo, quo in utero formatum est, neque in voluntariis, neque in naturalibus passionibus, nec post resurrectionem quidem accepisse asserens; cui opinioni sacerdotes passim assentire coëgit: contra hunc scripsit Anastasius, Antiochiae episcopus, illique magna sapientia & eloquentia demonstravit, quod divini Apostoli, & sancti Patres corpus Christi naturalibus & inculpatis passionibus corruptibile fuisse & cognoverint, & tradiderint. Haec Evagrius. Justiniani edictum de incorruptibilitate corporis Christi.

JOANNES Damascenus in libro De centum haeresibus, cap. 84. hunc errorem peculiarem fuisse Escharodocitis haereticis refert his verbis: ESCHARODOCITAE, qui & Gajanitae dicti sunt, corpus Domini ex ipsa plasmatione incorruptibile venerantur, & passionem quidem substinuisse dominum confitentur, esuriem dico, & famem, & sitim, & laborem; sed non secundum eum, qui nobis est, modum substinuisse, neque naturae legibus servientem dicunt. Suspicor Damascenum idcirco haereticis istis Escharodocitae cognomen indidisse, quia insensibilem atque impatibilem quandam carnis duritiem Christo astriberent; quae ictibus & vulneribus quantumlibet contusa nihil doloris pateretur. Graecis enim ἐσχάρα callosam carnis duritiem inveteratis vulneribus obductam significat; quae doloris sensum non habet: δοκίτης vero approbator: ita ut Escharodocita nihil aliud sonet, quam durae atque impatibilis carnis approbator. (a)

AN-

(a) Haud omittenda est hic celebris adnotatio PP. Benedictinorum ad verba S. Hilarii in Psalmum LXVIII. „ Jam observatum est in Psalm. 54. p. 119. „ not. c. id ab Hilario negari Christo naturaliter, „ quod ei non convenit ut Deus est. Hinc est, quod „ mox ait: *Alienum a natura sua corpus assumit*. „ Quomodo autem corpus alienum a natura illius „ est, ita & corporis infirmitas. Ut enim corpus, „ ita, & infirmitas assumta est, *Assumtio autem infirmitatis*, inquit Psalm. 137. n. 3. *non fecit infirmum; quia aliud est naturam esse, aliud est assumpsisse naturam*. Praeterea naturalem hic negat, quatenus hoc necessitatem sonat; contenditque infirmitatem a Christo fuisse susceptam „ voluntatis assumptione, non necessitate naturae. „

ANNOTATIO CLXXXVII.

Quoniam non cognovi literaturam, &c. *Psalm.* 70. *v.*

Utrum mercatura damnanda sit.

CASSIODORI explanationem in hunc versiculum D.Thomas in secunda secundae, quaest:77. art.4. argumentando profert, veluti prima fronte blandientem errori eorum, qui asserunt negociatores, charius vendentes, quam ementes, esse prorsus de ecclesia abjiciendos: citat autem auctoris verba, ad id alludentia, in hunc modum: QUONIAM non cognovi literaturam, vel negociationem secundum aliam literam: quid, inquit, aliud est negociatio, nisi vilius comparare, & charius distrahere? & subdit, Negociatores tales Dominus ejecit de templo: sed nullus ejicitur de templo, nisi propter aliquod peccatum; ergo talis negociatio est peccatum. Caeterum si verba ipsa, ut apud Cassiodorum sunt, diligenter inspecta fuerint; suam interpretationem secum afferunt: quandoquidem sententiam suam satis aperte interpretatur ipse auctor, sic loquens: QUONIAM cognovi negociationes: Pars ista versus, nisi bene requiratur, recipere cognoscitur quaestionem: nam si omnis negociator omnino damnandus est; nec illi hanc poenam refugiunt, qui artes reliquas exercere noscuntur. Quid est enim aliud negociatio, nisi, quae possunt vilius comparari, charius velle distrahere? deinde in vitis Patrum Paphnutium illum sanctissimum virum per revelationem negociatori legimus comparatum: & invenimus hodieque in ecclesia Dei tractantes quidem mercimonia, sed summa fide pollentes: actus enim pessimus, non res honesta damnatur; sicut & divitem legimus non introire in regnum coelorum; cum tamen Job, Abraham, Isaac, Jacob patriarchae facultatibus quoque fuerunt affluentes. Negociatores ergo illi abominabiles aestimantur, qui justitiam Domini minime considerantes, per immoderatum pecuniae ambitum polluuntur, merces suas plus perjuriis onerando, quam preciis: tales Dominus ejecit de templo,
Joan.2. 16. dicens: Nolite facere domum patris mei domum negociationis, & speluncam latronum, &c. In hoc propositum lege Annot.95. libri 6. (a)

(a) Tam varia lectio, quae in versiculo XVI. Psalmi LXX. observatur, certe ex Graeco Textu, ex eoque ob solam unius litterae variationem, occurrit: Quia enim *πραγματείας negotiationem* significat, & *γραμματείας litteraturam*, facile fuit, ut loco γ occurreret π, & non *γραμματείας*, sed *πραγματείας* legeretur, & hanc graecam posteriorem lectionem retinuerunt Hieronymus (ex Origenis commentario) Augustinus, Arnobius, Cassiodorus (quem etiam S. Thomas laudat) & plura alia Psalteria, Romanum, videlicet, Mediolanense, S. Germani, & Carnutense; quinimo in Sixti V. editione fuit ea retenta, quare in omnibus hisce legimus: *quoniam non cognovi negotiationem*; adsunt etiam proinde variae explicationes allegoricae, ultra literales, ad ejusdem textus declarationem. Qui autem iis usi sunt codicibus, in quibus scriptum erat *γραμματείας*, *litteraturam* verterunt, & ita quidem praeceteris Vulgatus interpres; & quidem conformius ad Originalem Hebraicum textum, ex quo facta est LXXII. versio, aliaeque deinceps Graecae versiones prodierunt. In Hebraico namque textu legitur ספרות *Sephorot*; & ספרות non dum *litteraturam* significat, verum & *numeros*, seu *numerationem*, sicut & *γραμματείας*, quae, ut Graecorum Lexica tradunt, & *numerationem*, & *litteraturam* significat: hinc factum est, quod innumeri Hebraice simul & Graece doctissimi, praesertim Chaldaeus Paraphrastes, Symmachus, Theodoretus, R. Kimchi, R. Salomon, Hugo Grotius, Cornelius Jansenius, Guillelmus Estius, Simeon Marotte, seu de Muis, & universim fere omnes Eruditi verterint: *quoniam non novi numeros*, quorum certe insignis est, eaque commendabilis expositio mysterii; lubetque hic transcribere, quod Cl.N.Malvenda inquit (QUONIAM „ NON COGNOVI LITTERATURAM) Heb. „ *quia non cognovi numeros*, Alii: *tametsi non novi numeros*, subaudi, beneficiorum tuorum; „ q. d. quia tot sunt beneficia tua, ut nullo modo „ comprehendi numero possint. Alii: *quorum ego* „ *modum ignoro*. Quidam: *quamvis tot extent in* „ *me, & tanta beneficia, ut numerum ignorem*. „ Nonnulli: *quamvis ignorem numerum ejus*, scilicet justitiae, & salutis tuae: Vide Psalm.XXXIX. „ v. 6. Est autem in his verbis modesta correctio: „ q. d. narrabo res inenarrabiles, non pro ipsarum „ amplitudine, sed pro tenui facultate mea: aggrediens saltem versu sequente: & fideliter expendens quae docueris me v. 17. Possis ex similitudine vocis, & significatione reddere: *Quia non* „ *novi siphros*, idest arcanas, & reconditas rationes tuorum consiliorum. Sic solent Principes, „ siphris, seu scripturae nobis arcana sua consilia „ perscribere. „ Et ex his patet etiam explicatio ad versionem ex ספרות per *litteraturam*, quia nimirum S. David nihil pervestigare, nec altitudines consilii divini scrutari volebat, sed in spiritu humilitatis Dei Providentiam adorans se totum ei committebat, cujus justitiam annunciabat. Videsis S.Remigium Autissiodorensem, & Dionysium Carthusianum, Incognitum, Calmetum, & alios.

Optime autem & accurate N. Xystus laudans Angelicum Doctorem advocavit eum argumentando indigitasse negotiationem, qua pluris venditur, quod minori pretio fuit emtum, illicitam fore. S. Thomas quippe, juxta morem sibi consuetum, prius argumenta ex adverso proponens, id ait, non autem ex sua sententia, & veluti resolutive: quandoquidem cum in corpore, tum in responsionibus ad objecta dicit hoc solum praefatum lucrum ex negotiatione proveniens suapte natura turpe censeri, quum intenditur ut finis, secus vero dum intenditur ut medium ad honestam sui sustentationem; quod certe nemo, qui verus Ethicus audit, inficiatur.

AN-

ANNOTATIO CLXXXVIII.

Ex usuris, & iniquitate redimet animas eorum. Psalm. 71. a

STRABUS in sua Glossa ordinaria expendens, quid sint usurae, quas hic commemorat David, inquit usuras esse peccata, quae nobis cum multo ac magno foenore poenas pariunt. Deus enim plus exigit in poenis, quam commissum sit in culpis: sunt autem haec verba desumpta ex commentariis Augustini, huoc versiculum exponentis. D. Thomas libro 4. Sententiarum distinct. 46. quaest. 2. artic. 2. observavit haoc sententiam, ut usurpatam ab iis, qui putant Deum punire peccata hominum supra condignum; eamque dicit esse intelligendam non secundum excessum poenae ad culpam in intentione & gravitate supplicii, sed secundum temporis durationem: quia pro delectatione momentanea infligitur poena aeterna. Statutum quippe est, ut duratio poenae non proportionetur durationi culpae; sed ut intentio poenae respondeat enormitati culpae, ut alibi ostensum est. Num poena inferni peccati gravitatem excedat.

ANNOTATIO CLXXXIX.

Domine refugium factus es nobis a generatione in generationem prius, quam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, a saeculo & usque in saeculum tu es Deus. Psalm. 89. a

ORIGENIS interpretationem, tacito auctoris nomine, reprehendit Hieronymus, ita scribens in explanatione Psalmi hujus ad Cypriaoum: HUNC locum quidam prava distinctione subvertunt, maxime hi, qui volunt ante fuisse animas, quam homo in sexti diei numero conderetur: ita enim legunt, atque distioguunt: Domine refugium factus es nobis: a generatione in generationem, prius quam montes firmarenrur, & fingerentur terra, & orbis terrarum. A saeculo, & usque in saeculum tu es Deus: ita enim edisserunt; Si Dominus aote, quam monres firmarentur, & fingeretur terra, orbisque terrarum, refugium fuit hominum: ergo fuerunt animae in coelestibus ante, quam hominum corpora formarentur. Nos autem, ut proposuimus, lectionem ita debemus distinguere: Ante, quam mootes firmarentur, & fingeretur terra & orbis terrarum, a saeculo & usque io saeculum tu es Deus; ut non refugium nostrum fuerit ante conditionem mundi, qui necdum eramus; sed quod Deus ab aeterno usque in aeternum sit semper Deus. Num animae conditae sint ante corpora.

ANNOTATIO CXC.

Quoniam mille anni ante oculos tuos, sicut dies hesterna, quae praeteriit. Psalm. 89. b

HIERONYMUS in epistolari expositione Psalmi octogesimi noni ad Cyprianum ex praesenti versiculo deducit, omnem praesentis saeculi durationem ab orbe condito usque ad diem judicii sex millium annorum spacio coocludi, sic scribens: EGO arbitror ex hoc loco & ex epistola, quae nomine Petri inscribitur, mille aonos pro una die solitos appellari; ut scilicet, quia mundus in sex diebus fabricatus, sex millibus taotum annorum credatur subsistere, & postea venire septeoarium numerum, & octonarium, io quo verus exercetur sabbarismus, & circuncisionis puritas redditur: unde & octo beatitudinibus bonorum operum praemia promittuntur. Scribit autem Petrus hoc modo: Unum hoc vos non praetereat, dilectissimi; quia una dies apud Deum quasi mille anni, & mille anni quasi uous dies. Ad eandem seoteotiam alludit in commentario Michaeae, cap. 4. ubi sextam atque novissimam sexti millenarii horam tempus fidei gentium esse ostendit his verbis: IN CONSUMMATIONE saeculorum Salvator noster apparuit, & in undecima hora ad conducendos operarios venit; &, completa illius passione, Joannes An mundi aetas sex millibus tantum annis constet. 2. Pet. 3. 8.

1. Joan. 2. 18. Joannes dicit: Filii novissima hora est: nam si in sex millibus annis quingenti anni per horas diei singulas dividantur; novissima hora consequenter est tempus fidei gentium.

FUIT OLIM haec opinio multorum magni nominis Patrum, in primis Justini philosophi, & martyris in libro Quaestionum ad gentes, quaest. 71. ita scribentis: EX PLERISQUE scripturae verbis intelligere licet, verum pronunciare eos, qui sex annorum millia esse tempus nunc ab orbe condito tradunt: aliquando enim dicit Paulus, in extremis his temporibus per filium nobiscum locutus est: alias vero, In quos fines saeculorum devenerunt: interdum quoque, Cum venit expletio temporum: haec autem omnia in sexies millesimo anno dicta sunt.

(Justin. Qu. & Responsio ad Orthodoxos Resp. ad 71 Qu. Verum hoc opus non est S. Justini M. sed vel Theodoriti, vel potius alterius Justini V. vel VI. seculo clari.)

IRENAEUS post hunc libro quinto adversus haereses capite ultimo in eandem sententiam sic loquitur: QUOTQUOT diebus hic factus est mundus, tot & millenis annis consummatur: & propter hoc ait Scriptura Geneseos, Et consummata sunt coelum, & terra, & omnis ornatus eorum: & consummavit Deus in die sexto omnia opera sua, quae fecit; & requievit in die septimo ab omnibus suis, quae fecit. Hoc autem est ante factorum narratio, quemadmodum facta sunt, & futurorum prophetia: est enim dies Domini quasi mille anni: in sex autem diebus consummata sunt, quae facta sunt: manifestum est ergo, quoniam consummatio istorum sextus millesimus annus est.

(Gen. 2. 2.)

LACTANTIUS libro septimo Institutionum capite septimo Irenaeo subscribit his verbis: SCIANT igitur philosophi, qui ab exordio mundi saeculorum millia enumerant, nondum sextum millesimum annum esse conclusum: quo numero expleto, consummationem fieri necesse est, & humanarum rerum statum in melius reformari. Cujus rei argumentum est; quod mundum Deus, & hoc naturae admirabile opus, sicut arcanis sacrae scripturae continetur, sex dierum spacio consummavit; diemque septimum, quo ab operibus requievit, sanxit. Hic est autem dies Sabbati, qui in lingua Hebraeorum a numero nomen accepit: unde septenarius numerus legitimus & plenus est. Nam & dies septem sunt, quibus per vicem revolutis, orbes conficiuntur annorum; & septem sidera, quae vocantur Errantia, quorum dispares cursus & inaequales motus rerum ac temporum varietates efficere creduntur. Ergo, quoniam sex diebus cuncta Dei opera perfecta sunt, per saecula sex, id est sex millia annorum, manere in hoc statu necesse est. Dies enim magnus Dei mille annorum circulo terminatur, sicut indicat Propheta, dicens: Ante oculos tuos, Domine, mille anni, tanquam dies unus: & sicut Deus in tantis rebus faciendis laboravit: ita & religio ejus & veritas in his sex millibus annorum laborare necesse est, malitia praevalente ac dominante. Et rursum, quoniam perfectis operibus requievit Deus die septimo, eumque benedixit; necesse est, ut in fine sexti millesimi anni malitia omnis aboleatur e terra, & regnet per annos mille justitia, sitque tranquillitas, & requies a laboribus, quos mundus jam diu perfert. Haec Lactantius.

(Lactantius Lib. VI. Inst. cap. 14 ex edition. Walchii.)

(Potius hoc nomen deducitur ex Hebraeo שבת requievit.)

(Psal. 89. 4.)

HILARIUS canone in Matthaeum decimo septimo exponens illud, Et post dies sex transfiguratus est, ait: CUM post sex dies, gloriae Dominicae habitus ostenditur, sex millium scilicet annorum temporibus evolutis regni coelestis honor praefiguratur.

AUGUSTINUS libro 20. De civitate Dei, capite septimo, explicans mille annos, quibus Joannes praevidit Satanam alligandum fore, sic scripsit: MILLE anni duobus modis possunt, quantum mihi occurrit, intelligi: aut quia in ultimis annis mille ista res agitur, id est sexto annorum milliario, tanquam sexto die, cujus nunc spacia posteriora volvuntur, secuturo deinde Sabbato, quod non habet vesperam, requiem scilicet sanctorum, quae non habet finem; ut hujus milliarii tanquam diei novissimam partem, quae remanebit usque ad terminum saeculi, mille annos appellaverit, eo loquendo modo, quo pars significatur a toto: aut certe mille annos pro annis omnibus hujus saeculi posuit, ut perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo.

(Apoc. 20.)

GERMANUS, Constantinopolitanus episcopus, ad hunc numerum annos quingentos ex auctoritate illustrium Graeciae Patrum adjecit. Is enim, cum in libro, quem DE THEORIA ECCLESIASTICARUM RERUM inscripsit, causam inquireret,

inquireret, cur Pontifex, populo benedicens, digitos attollat, ad supputationem numeri sexies millesimi & quingentesimi accommodatos, sic loquitur: QUOD Pontifex obsignet populum, id subindicat, futurum adventum Christi anno sexies millesimo quingentesimo fore, ex supputatione digitorum, significeante sexies millesimum quingentesimum: id & Hippolytus e Roma, & sanctus Cyrillus dicunt in libris suis de Antichristo, anno sexies millesimo quingentesimo futurum adventum fore; itemque Chrysostomus.

HAEC de orbis duratione Christiani auctores prodiderunt. Apud Ethnicos autem eadem prodidisse Hystaspen, Mercurium Trismegistum, ac Sibyllas, testis est Lactantius. Apud Hebraeos vero antiquissima Heliae Prophetae traditio habetur in Thalmudicis voluminibus ordine quarto, tract.4. cui titulus est SANEDRIU, hoc est JUDICUM, in haec verba: שתא אלפי שני לחוי עלמא : וחד חרב : ב אלפים תהו : ב אלפים תורה : ב אלפים ימות המשיח: scitta alphe sene leheve alma: vechad chareb: be alaphim tohu: be alaphim tora: be alaphim jemot Hamasejach; hoc est, Sex millia annorum erit mundus, & iterum destruetur: duo millia inanitatis, duo millia legis, duo millia dierum Messiae.

AMBROSIUS libro septimo commentariorum in Lucam explicans illud Matthaei, Post dies sex transfiguratus est, indicat se non recipere talem mundanae aetatis periodum; quia temporibus suis plus, quam sex annorum millia jam computarentur; ratione, ut arbitror, inita ex supputatione quadam annorum mundi sibi peculiari: nam secundum Hebraïcae veritatis calculum Ambrosii tempore nondum praeterierant anni quatuor millia quadringenti. Numerant enim Hebraei a condito mundo usque ad Christum annos 3962. a Christo vero usque ad praesentem annum 1566. quo haec scribimus, annos 5528. unde si haec vera sint; hoc tempore distamus a consummatione mundi annis 476. quod an ita sit, videbit ipsa posteritas: nos nihil temere affirmamus, ne in errorem Judae, & Lactantii incidamus: quorum ille mundi occasum suo tempore, hoc est anno a Christi nativitate ducentesimo affuturum scripsit; hic vero a sua aetate usque ad orbis interitum non plus ducentis annis fore existimavit, deceptus falsis Graecorum supputationibus, quas tunc omnis fere ecclesiastici scriptores sequebantur. Matt.17.1.

AUGUSTINUS in enarratione praesentis Psalmi eos, qui propositum versiculum detorquebant ad hujusmodi opinionem, refellit his verbis: AUSI sunt homines praesumere scientiam temporum: quod scire cupientibus discipulis Dominus ait, Non est vestrum scire tempora, quae pater posuit in sua potestate: & definierunt hoc saeculum sex annorum millibus, tanquam sex diebus posse finiri; nec attenderunt, quod dictum est, Tanquam dies unus, qui praeteriit: non enim, quando hoc dictum est, soli mille anni praeterierant; & quod eos maxime debuit admonere, ne temporum luderentur incerto, illud est, SICUT VIGILIA IN NOCTE: neque enim sicut de sex diebus aliquid verisimile videntur opinari, propter sex dies primos, quibus Deus perfecit opera sua: sic etiam sex vigilias, id est horas decem & octo possunt illi opinationi coaptare. Act.1.7.

ANNOTATIO CXCI.

Qui habitat in adjutorio altissimi. *Psalm.* 90.

HIERONYMO inscripta in Psalmos commentaria sub hoc versiculo habent haec verba: ADJUTORIUM interpretatur Ezras: denique βοηθὸς, Ezras Propheta dicitur: iste est, qui reduxit populum de captivitate Babyloniae, & induxit in terram repromissionis. Augustinus, Nebiensis episcopus, in Octaplo suo redarguit Hieronymum, quod his verbis negaverit Psalmum hunc non esse dictum de Christo, sed de Ezra. Ego unde Augustinus hujusmodi sensum recte possit elicere, non video; praesertim cum in ipso explanationis exordio Hieronymus evidentissime pronunciet praesentem Psalmum spectare ad Christum, sic ordiens: Iste Psalmus non habet titulum, eo quod de capite & membris ejus cantatur: caput in coelo est: membra in terra: & proprie intelligitur de jejunio, & illa tentatione eremi: praevidebat enim Propheta, quod venturus erat Christus in carne, ut tentaretur a diabolo in deserto. De argumento Psalm. XC.

ANNOTATIO CXCII.

Quoniam in me speravit, liberabo eum. *Psal.* 90. *c*

De merito bonorum operum. BERNARDI testimonium ex sermone quintodecimo in Psalmum nonagesimum Joannes Calvinus haereticus detorquet adversus merita bonorum operum: cujus rectam interpretationem habes infra Annotatione 195.

ANNOTATIO CXCIII.

Exaltate Dominum Deum nostrum. *Psal.* 98. *a*

De merito bonorum operum. AUGUSTINUS, hoc explicans, verba quaedam inducere videtur adversus merita bonorum operum: de quibus vide infra Annot. libri hujus 195.

ANNOTATIO CXCIIII.

Adorate scabellum pedum ejus. *Psal.* 98. *b*

De Sacramento Eucharistiae. AUGUSTINI verba, hunc locum exponentia, usurpant Sacramentarii nostrorum temporum, & olim usurparunt haeretici, qui Christi corpus ab eucharistiae Sacramento excludebant. Verborum exemplar hoc est: CUM adoras scabellum pedum ejus, ne cogitatione remaneas in carne, & a spiritu non vivificeris. Spiritus enim vivificat; caro autem nihil prodest: tunc autem, quando Dominus hoc commendavit, de carne sua locutus erat, & dixerat, Nisi quis manducaverit carnem meam, non habebit in se vitam aeternam, scandalizari sunt quidam discipuli, & dixerunt, Durus est hic sermo: acceperunt illud stulte, carnaliter illud cogitaverunt: & putaverunt, quod praecisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, & daturus illis: & dixerunt, Durus est hic sermo: ipsi erant duri, non sermo: ille autem instruxit eos, & ait illis: Spiritus est, qui vivificat; caro autem nihil prodest: verba, quae locutus sum vobis, Spiritus est, & vita: spiritualiter intelligite, quod locutus sum: non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis; & bibituri estis illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent: sacramentum aliquod vobis commendavi: spiritualiter intellectum vivificabit vos: etsi necesse est illud visibiliter celebrari: oportet tamen invisibiliter intelligi. Petrus, Parisiorum episcopus, ab haereticorum extorsione vindicavit hunc locum libro Sententiarum quarto, dist. 10. Vide infra Annotationem 196. libri sexti.

(Joan. 6. 53.)

ANNOTATIO CXCV.

Qui coronat te in misericordia & miserationibus. *Psalm.* 102. *a*

Num opera bona sint meritoria. AUGUSTINI sententiam ex enarratione hujus versiculi Hermannus Bodius in Collectaneis recenset inter eas, quibus Lutherani bonorum operum merita oppugnant: ea est hujusmodi: QUI in nobis victi sumus, in illo vicimus: ergo coronat te, quia dona sua coronat, non merita tua. Plus omnibus laboravi, ait Apostolus: sed vide, quid adjunxit: Non ego autem, sed gratia Dei mecum. Et in expositione Psalmi 98. super illud, Exaltate Dominum Deum nostrum, ait: DEUS, qui in nobis coronaturus est non merita nostra, sed dona sua, quantum debet a nobis exaltari? exaltate ergo Dominum Deum nostrum. Et in enarratione Psalmi 88. ait: CUM viderit homo, quicquid boni habet, non se habere a se, sed a Deo suo, videt id totum, quod in eo laudatur, non de suis meritis, sed de misericordia Dei. Et in Psalmum 139. MERITIS, inquit, suis nihil tribuunt sancti: totum non nisi misericordiae tuae tribuunt, o Deus. Et Psalmo 144. exponens ea verba, Misericors & miserator Dominus; &c. inquit: GRATIA salvi-

(1 Cor. 15. b)

facti estis: ubi audis gratiam, gratis intellige, si ergo gratis, nihil tu attulisti: *Ephes. 2. 8*
nihil meruisti: nam si meritis aliquid redditum est, merces est, non gratia. Et paulo post, TOTUM de misericordia est: merita tua nusquam jactes, quia & ipsa tua merita sunt illius dona. Et epistola 105. ad Sixtum presbyterum, CUM Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat, quam munera sua. Et in Joannem tractatu 3. CUM ergo Deus praemium immortalitatis tribuit, dona sua coronat, non merita tua: & in libro quinquaginta homiliarum homilia 14. PRORSUS tua *Nunc Serm. 333. in Natali Martyr.*
a te tibi parata non novimus, nisi mala, cum ergo Deus coronat merita tua; nihil coronat, nisi dona sua. Repetit hanc eandem sententiam Augustinus innumeris pene locis; quos, ne lectori molestus sim, praetereo: Non tamen ex his verbis, ut Lutherani haeretici mentiuntur, fidelium ac bonorum hominum merita damnat; (haec enim ubique docet, statuit, ac defendit, semper illud ore circumferens, quod in sermone De tempore 162. protulit, inquiens: DEUS pro meritis *Hic Sermo non est Augustini, sed rejectus in Appendicem CLXXI. nov. edit. PP. BB.*
fidei, atque bonorum operum dabit fidelibus suis regnum coelorum) sed his dictis Pelagianorum dejicit fastum, qui se jactabant propriis viribus & laboribus, etiam absque divinae gratiae auxilio, promereri & consequi posse coronam aeternae felicitatis. Adversus tam insolentem arrogantiam Augustinus pronunciat Deum in nobis non coronare merita nostra, sed munera sua; ut hac forma loquendi innuat humana merita bifariam esse consideranda: vel quatenus a destitutis naturae nostrae viribus oriuntur, nullo praecedente, nullo comitante divinae gratiae auxilio: & haec quidem neque ulla corona digna sunt, neque a Deo coronantur in nobis, sed inani duntaxat meriti nomine gaudent: vel quatenus ex divinae benignitatis ac praevenientis gratiae favore in nobis consentientibus oriuntur, & in nobis cooperantibus augentur: & haec quidem sunt, quae Deus aeternis condigna praemiis existimat, & in nobis coronat. Atque hanc suam esse definitionem, explicat ipsemet epistola centesima quinta ad Sixtum presbyterum his verbis: NULLUM est meritum hominis ante gratiam, quo percipiat gratiam, cum omne meritum nostrum non faciat in nobis nisi gratia; & cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronet, quam dona sua. Sicut enim ab initio fidei misericordiam consecuti sumus, non quia fideles eramus, sed ut essemus: sic in fine, quod erit in vita aeterna, coronabit nos, sicut scriptum est, In misericordia & miserationibus: non itaque frustra Deo cantatur, Et misericordia ejus praeveniet me, & misericordia ejus subsequetur me: unde & ipsa vita *Psal. 22. b*
aeterna, quae utique in fine sine fine habebitur, & ideo meritis praecedentibus redditur: tamen, quia ea eadem merita, quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur non ob aliud, nisi quia gratis datur; nec ideo quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur. Hoc ipsum lucidius exprimit in libro De gratia & libero arbitrio cap. 6. & 7. inquiens: CUM dicunt Pelagiani hanc esse solam non secundum merita nostra gratiam, qua homini peccata dimittuntur, illam vero, quae datur in finem, id est aeternam vitam, meritis nostris praecedentibus reddi: respondendum est eis, Si enim merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia: quoniam vero merita humana sic praedicant, ut ea ex semetipso habere hominem dicant; prorsus rectissime respondet Apostolus, Quis enim te discer- *1. Corint. 4.*
nit? quid autem habes, quod non accepisti? prorsus talia cogitanti verissime dicitur, Dona sua coronat Deus, non merita tua, si tibi a te ipso sunt merita tua: si autem Dei; dona sunt bona merita tua, non Deus coronat merita tua, tanquam merita tua, sed tanquam dona sua.

ANNOTATIO CXCVI.

Emitte spiritum tuum, & creabuntur. Psalm. 103. d

THOMAS Cajetanus taxatur ab Ambrosio, Compsae episcopo, quod in commentariis Psalmorum hunc versiculum non sit interpretatus de Spiritu Sancto, ut plerique sanctorum faciunt; sed de spiritu animalium, sive de ipsa anima, quae est similitudo divini Spiritus. *De Spiritu Sancto.*

ANNOTATIO CXCVII.

Dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Psalm. 108. c

De praedestinatione, & reprobatione.

ARNOBIUS in commentariis Psalmorum ad expositionem hujus versiculi haec attulit: DILEXIT maledictionem Adae, quae per Christum aufertur, & veniet ei: noluit benedictionem, quae per Christum affertur, & utique elongabitur ab eo. Nota ex arbitrio evenisse, ut nollet, propter haeresin, quae dicit Deum alios praedestinasse ad benedictionem, alios ad maledictionem: hic enim ex dilectione sua maledictionem habere probatur, & nolle suum benedictionis praemium non habere. Sunt, qui putent haec quodammodo taxare sententiam Augustini, & omnium scholarium theologorum de aeterna praedestinatione & reprobatione. Vide infra Annotationem 251. libri sexti.

ANNOTATIO CXCVIII.

Juravit Dominus, & non poenitebit eum. Psalm. 109. b

De juramento.

CHRYSOSTOMUS, haec verba edisserens, ait, juramentum in Deo non aliter intelligendum esse, quam per metaphoram: sicut etiam in Deo dicimus esse iram. Alludunt haec ad dogma Chrysostomi de juramento, prorsus omnibus Christianis interdicto. Vide Annot. 26. libri sexti.

ANNOTATIO CXCIX.

Convertere anima mea in requiem tuam. Psalm. 114. a

De merito bonorum operum.

BASILIUS in commentariis Psalmorum super hac periodo, PROPOSITA est, inquit, aeterna requies his, qui legitime in hac vita decertarunt: quae quidem non secundum operum debitum ac meritum retribuitur; sed juxta magnificentissimi Dei gratiam his, qui in ipsum speraverunt, exhibetur. Collectanea Hermanni inducunt haec verba adversus merita sanctarum actionum, sed violenter & perverse, ut caetera. Basilius enim ubique merita praedicat, maxime vero in Psalmum 61. quo loco enarrans illam Davidis sententiam, Quia tu reddis unicuique secundum opera sua, QUA mensura, inquit, mensi fueritis, eadem remetietur vobis: tribulasti fratrem; expecta aequilibrium: rapuisti bona inferiorum, calumniatus es, mentitus es; expecta horum retributionem: qualia enim unusquisque seminat, talia & metet: caeterum si quid boni a te perpetratum est, illius quoque multiplices expecta retributiones: quia reddet unicuique secundum opera sua. Basilius ergo non meriti virtutem voluit auferre, sed immensam Dei munificentiam attollere: quae singula operum nostrorum merita, non servata quantitatis aequalitate, compensat; sed mensuram meritorum excedens labores nostros supra omne condignum amplissimis remunerat praemiis. Sententias huc spectantes habes supra Annotatione nonagesima secunda.

Psalm. 61. 12.

ANNOTATIO CC.

Credidi, propter quod locutus sum. Psalm. 115. a

Num divina vocatio fit ex merito vocatorum.

CHRYSOSTOMUS, haec enarrans, constituere videtur divinam vocationem esse ex dignitate & meritis eorum, qui se dignos fecerunt, ut vocarentur. Ait enim: SI PATER trahit, filius deducit, Spiritus illuminat: quid peccant, qui neque tracti sunt, neque deducti, neque illuminati? quoniam non praebent se ipsos dignos, ut eam suscipiant illuminationem. Vide ergo hoc evenisse Cornelio: neque enim hos ille domi apud se invenit: sed eum Deus vocavit, quoniam ipse

Actor. 10.

ipse praeoccupans se ipsum dignum reddidit. Etsi enim ejus est trahere, & inducere: animam tamen requirit, quae morem gerat, & tunc suum adhibet auxilium: quocirca alibi dicit Paulus, Secundum propositum vocatis. Quaere horum verborum sensum Annotatione 251. libri 6. Rom. 8. 28.

ANNOTATIO CCI.

Beati immaculati in via. Psal. 118. a

HILARIUS, in hunc Psalmum praefatus, tradidit tres tantum Psalmos apud Hebraeos inveniri Alphabetarios, hoc est, quorum versus a literis juxta ordinem alphabeti Hebraici dispositis incipiant, nempe Psalmum centesimum undecimum, & centesimum duodecimum, & centesimum decimum octavum. Caeterum ipsa Hebraici Psalterii veritas aperte indicat, & Hieronymus in epistola ad Paulam Urbicam confirmat, Psalmos alphabeticos esse quinque; videlicet tres praedictos, & praeter eos, vigesimum quintum, & trigesimum quartum. Thomas Cajetanus in commentariis Psalterii ad hos quinque etiam duos alios addit Psalmos, secundum alphabeti seriem digestos, hoc est trigesimum septimum, interpolato & interrupto alphabeto contextum, & centesimum quadragesimum quintum, qui continuato decurrit alphabeto. De numero Alphabeticorum Psalmorum.

ANNOTATIO CCII.

Concupivit anima mea desiderare judicia tua. Psalm. 118. c

HILARIUS in commentariis Psalmorum, huic versiculo interpretationem apponens, annuere videtur, omnes homines, quantumlibet sanctos, & ipsam quoque Mariam, Dei genitricem, fore a peccatis expiandos poena ac supplicio ignis in conflagratione extremi judicii. Haec enim apud ipsum scripta sunt: MEMINIT Propheta arduum esse desiderare judicium: cum enim nemo vivens in conspectu ipsius mundus sit: quomodo desiderabile potest esse judicium, in quo nobis est ille indefessus ignis obeundus, in quo subeunda sunt gravia illa expiandae a peccatis animae supplicia? beatae Mariae animam gladius pertransivit, ut reveletur multorum cordium cogitationes: si ergo in judicii severitatem capax illa Dei virgo ventura est: desiderare quis audebit a Deo judicari? Vide supra Annot. 170. & 171. Num igne conflagrationis omnes Sancti purgandi sint. Luc. 2. 35.

ANNOTATIO CCIII.

Portio mea, Domine, dixi custodire legem tuam. Psalm. 118. b

HILARIUS, haec in Commentariis exponens, nonnulla affert, ex quibus Erasmus in Annotationibus, a se in Hilarium editis, colligit sacerdotibus non licere saecularium rerum possessionem retinere. Verba Hilarii haec sunt: RENUNCIANDUM est saeculo, omnibusque rebus ejus, ut nobis Deus portio sit: caeterum si nos ambitio detineat, si cura pecuniae occupet, si negotia rerum familiarium demorentur: porro nobis Dominus non erit, saecularium curatum, atque vitiorum possessione detentis. Mosi, eum justum esset portiones incolatus distribuere duodecim gentibus Israël, ita de tribu Levitica praeceptum est: Filiis Levi non erit portio, neque sors in medio fratrum suorum; quia Dominus Deus est pars eorum. Nullam ergo Deo servientibus lex terrenam voluit esse portionem, quia Deus pars eorum est. Meminit & Evangelii praedicator Petrus, nullam sibi esse portionem possessionis humanae, cum oranti alimoniam respondit, Aurum & argentum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do. Quid est illud, Petre, quod possides? renunciaveras omnibus Deo tuo, dicens, Ecce nos reliquimus omnia, &c. Vide infra Annotatione libri sequentis 121. Num saecularium rerum possessio Clericis competat. Num. 18. 20. Act. 3. b Matt. 19. 27.

ANNOTATIO CCIIII.

Juravi, & statui custodire judicia justitiae tuae, &c. *Psal.* 118. *f*

De juramento.

AMBROSII Commentaria videntur hic sententiam quandam continere, quae Christianis omne juramenti genus, etiam justum, & in causis justis interdicat. Consule Annotationem 26. libri sexti.

ANNOTATIO CCV.

Justus es Domine, & rectum judicium tuum. *Psal.* 118. *s*

Num in infidelitate manentibus peccata dimittantur.

AMBROSIUS, in Commentariis inquirens allegoriam literae צ zaddi, a qua incipit hic versiculus, videtur esse in ea sententia, quod, manente infidelitatis peccato, delicta quaedam infidelibus a Deo remittantur. Ita enim scribit: EST & aliud consolationis genus iis, qui graves solverint poenas, sicut scriptum

Isai. 40. 1.

est in Esaia, Consolamini populum meum, quoniam solutum est peccatum ejus: etiam si fides deerat, poena satisfecerat; D. Thomas in tertio volumine Summae theologicae quaest. 86. art. 3. hunc locum illustrans, inquit: IN VERBO illo Ambrosii, fides non potest accipi pro ea, qua creditur in Christum: quia, ut Augu-

Joan. 15. 22.

stinus dicit super illud Joannis, Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent, scilicet infidelitatis (hoc enim est peccatum, quo tenentur cuncta peccata) sed accipitur pro conscientia, quia interdum per poenas, quas quis patienter sustinet, consequitur remissionem peccati, cujus conscientiam non habet. (a)

ANNOTATIO CCVI.

Sicut sagittae in manu potentis, ita filii excussorum, &c. *Psal.* 126. *a*

De filiis excussorum.

HILARII expositionem super hoc versiculo Hieronymus, ad Marcellam scribens, improbat his verbis: ILLUD quoque de eodem Psalmo interrogare dignata es, Qui sunt filii excussorum? Miror te in Hilarii commentariis non legisse, Excussorum filios, credentium populos interpretari: quod scilicet Apostolos eo nomine putaverit appellatos, quibus in Evangeliis sit praeceptum, in quam-

Matt. 10. 14. Marc. 6. 11. Luc. 9. 5.

cunque civitatem introierint, & non fuerint recepti, excutere pulverem pedum suorum, in testimonium non credentium: licet tu argute precaveris, non posse Apostolos sub nomine excussorum intelligi, cum sit aliud excutientium, aliud excussorum: quia excutientes sunt, qui excutiant: excussi vero, qui ab aliis excutiantur: & incongruum esse excussos Apostolos accipi, qui magis excutientes debuerint appellari. Quid igitur faciam? tantum virum, & temporibus suis disertissimum reprehendere non audeo; qui & confessionis suae merito, vitae industria; & eloquentiae claritate, ubicunque Romanum nomen est, praedicatur; nisi quod non ejus culpae ascribendum est, quod Hebraei sermonis ignarus fuit. Grae-

(a) Sententiam S. Ambrosii refert Angelicus *III. P. Qu. LXXXV. Art. 6.* ut refertur a Gratiano in Decretis Dist. III. *de Poenitentia* Cap. *Prima*, sed Ambrosius paulo aliter, & plenius. Inquit enim „ Qui sunt in doloribus consolatione indigent: „ & qui gravibus aerumnis poenas commissorum „ luerunt, sperant indulgentiam, & qui fletibus „ ac lacrymis propria delicta laverunt, requiem „ promerentur „ Et paulo infra: „ Credentibus igi„ tur in Dominum est Domini misericordia conso„ latio. Est etiam aliud consolationis genus iis, „ qui graves solverint poenas, sicut scriptum est in „ Esaiae libro (*Cap.* 40.) Consolamini Hierusalem, „ quia completa est humiliatio ejus ταπείνωσις „ (vel *malitia* ejus, ut in Vulgata, seu *afflictio*) „ quae „ suscepit duplicia peccata sua „ (seu *duplicia pro peccatis*) „ de manu Dei. Etiam si fides deerat, poe„ na satisfecerat. Relevantur solutione poenarum „ qui absolvuntur commendatione meritorum „ Et rursum infra. „ Consolatio igitur prima ordine „ est, quoniam non obliviscitur Deus facere mise„ ricordiam, neque in aeternum projicit, quos pu„ taverit coërcendos (Psalm. 76. v. 8.) Secunda „ quod decursis suppliciis, quae propter peccata „ nostra toleravimus, ad veniam pertinemus. „ Ex quibus verbis clare colligitur Ambrosium loqui de poenis patienter & cum fide toleratis, adeoque meritoriis; liquet etiam quam bene Angelicus mentem Ambrosii expenderit, esto ex mutilata sententia ab Gratiano relata.

Graecarum quoque literarum quandam auriulam ceperat, sed ab Heliodoro presbytero, quo ille familiariter usus est: ea, quae intelligere non poterat, quomodo ab Origene essent dicta, quaerebat: qui quia in hoc psalmo Commentarium Origenis invenire non potuit, opinionem magis insinuare suam, quam insciitiam, voluit confiteri: quam ille sumptam claro sermone disseruit, & alienum errorem disertius executus est. Restat igitur, ut rursum ad fontem sermonis recurramus Hebraei, & videamus, quomodo scriptum sit: ubi nos habemus, Sicut filii excussorum, ibi legitur, Chen bene hanurim כן בני הנעורים, quod Aquila interpretatus est, Sicut filii pubertatum; Symmachus & Theodotion, Sicut filii juventutis; Sexta ἐκτιναχθέντος τῷ, quod nos dicere possumus, Exacuti sensus: ex quo manifestum est, adolescentiae populos intelligi Christianos. (a)

ANNOTATIO CCVII.

Labores manuum tuarum quia manducabit, &c. *Psalm. 127.*

HILARIUM in interpretatione hujus versiculi, quamvis leviter errantem, animadvertit Hieronymus in epistola ad Marcellam, sic scribens: IN HOC psalmo Heliodorus magis, quam noster Hilarius, erravit: qui de eo loco, in quo scriptum est, Labores fructuum tuorum manducabis, varia opinatus asseruit magis stare sententiam, si scribatur, Fructus laborum aliquem manducare; & non, Labores fructuum, unde spiritualem intelligentiam debere perquiri: & ex hac occasione longam ingrediens disputationem, tanta operositate, quod volebat intelligi, usus est persuadendi, quanta semper falsitas indiget, ut vera videatur; cum in hoc loco non LXX. interpretes, sed Latini, de Graeco verbi ambiguitate decepti, καρποὺς fructus magis, quam manus interpretati sint; cum καρποὶ manus quoque dicantur, quod Hebraeo ponitur caphecho כפיך; & Symmachus, Quintaque editio transtulerunt, Manuum tuarum, ut ambiguitatem prioris sermonis effugerent. De recta loci hujus versione.

ANNOTATIO CCVIII.

Fiant aures tuae intendentes, &c. *Psalm. 129.*

HILARIUS, hunc locum expositione illustrans, indicat animam primi hominis fuisse prius formatam, quam corpus. Ita enim apud eum legimus: CUM Deus pulcherrimum opus, perfecto jam mundo, inchoaret, hominem scilicet ad imaginem sui faciens, cum ex humili natura coelestique composuit, anima Num anima ante corpus fuerit formata.

(a) Subdit autem ibidem immediate Hieronymus, (quod N. Xystus omisit) ad intelligentiam dicti „ Secundum illud exemplum, quod Deus Sanctos suos in modum arcus & sagittarum dicatur „ extendere: ut in Propheta Zacharia: *Quoniam extendi te mihi Juda ut arcum*. Et Salvator de „ temetipso. *Posuit me sicut sagittam electam, & in pharetra sua abscondit me*. Denique in sequenti „ versu, exceptis Septuaginta, qui aliter transtulerunt, & in Hebraeo, & in cunctis editionibus „ ita reperi: *Beatus vir, qui replevit pharetram suam ex ipsis*. ut, quia metaphoram semel sumpserat ex sagittis, & in pharetra quoque translatio servaretur. Excussos autem, & consuetudo „ sermonis humani vegetos, & robustos, & expeditos vocat „ &c. Patres Benedictini Congregationis S. Mauri in nova editione operum S. Hilarii ita animadvertunt. „ Hieronymus epist. 141. ad Marcellam putavit hunc locum ab Hilario allatum, „ ut ex eo Apostoli ostenderentur *filii excussorum*, „ quia nimirum jussi sint pulverem a pedibus excutere. Quam interpretationem cum non probaret, „ quia hac ratione excutientes, seu excussa res potius audirent Apostoli, quam excussi; cum etiam „ Hilarium prae reverentia reprehendere non auderet, lapsum rejecit in presbyterum Heliodorum, „ quo, inquit, Hilarius familiariter utebatur; „ adeo ut ille ab Hilario consultus, nec habens ex „ Origene quid responderet, opinionem magis insinuare suam, quam inscitiam voluerit confiteri. „ At pace tanti viri dixerimus, vocabulum *excussorum* non intelligit Hilarius active, sed passive: „ eique filii excussorum perinde est ac *filii maledictorum*, seu eorum, qui sunt maledicti. Ad hoc „ autem dumtaxat praemisit locum de excusso pulvere, sicut & de excusso Pharaone, ut inde ostenderet verbum *excussos* in Scripturis maledictionem „ sonare. Demum Hilarii interpretatio ea ipsa est, „ quae Hieronymo in praedicta epistola tantopere „ arridet. Sic enim post varias ex Hebraeo interpretationes subjicit: *Legi & cujusdam librum, & elegantem in eo sensum reperi, excussos Judaeos dici a templo & lege & gratia Domini, pro eo quod est reprobos, & eorum esse filios Apostolos, qui ex ipsorum semine procreentur, & in similitudinem sagittarum manu Domini contineantur*. Sed „ haec, ut ipse ait, *furtivis horis* scribens, & gravi stomachi dolore pressus, non satis attendit „ quid hoc loco nonnihil perplexo Hilarius sentiret.

ma videlicet, atque corpore: & prius quidem animam illam divino illo & incomprehensibili nobis virtutis suae opere constituit: non enim cum ad imaginem Dei hominem fecit, tunc & corpus effecit. Genesis docet longe postea quam ad imaginem Dei homo erat factus, pulverem sumptum, formatumque corpus, dehinc sursus in animam viventem per inspirationem factum, naturam hanc scilicet terrenam atque coeleslem quodam inspirationis foedere copulatam.

AB HAC sententia non omnino abhorret Augustinus libro De Genesi ad literam septimo, cap.24. ubi haec literis mandavit: ILLUD ergo videamus, utrum forsitan verum esse possit, quod certe humanae opinioni tolerabilius mihi videtur, Deum in illis primis operibus, quae simul omnia creavit, animam etiam humanam creasse, quam suo tempore membris ex limo formati corporis inspiraret; cujus corporis in illis simul conditis rebus rationem creasset causaliter, secundum quam fieret, cum faciendum esset corpus humanum: nam neque illud, quod dictum est, Ad imaginem suam, nisi in anima; neque illud, quod dictum est,
Gen. 1. 27. Masculum & foeminam, nisi in corpore recte intelligimus. Credatur ergo, si nulla Scripturarum auctoritas, seu veritatis ratio contradicit, hominem ita factum sexto die, ut corporis quidem humani ratio causalis in elementis mundi, anima vero jam ipsa crearetur, sicut primitus conditus est dies, & creata lateret in operibus Dei, donec eam suo tempore sufflando, hoc est, inspirando, formato ex limo corpori insereret.

RUFINUS libro Invectivarum primo asseverat hoc idem aliquando sensisse
Ephes. 2. 10. Hieronymum in Commentariis epistolae ad Ephesios, cum elucidaret illud Apostoli, Ipsius enim factura sumus, &c. adducitque ipsius verba, hunc in modum habentia: DILIGENTER observa, quia non dixerit, Ipsius figuratio sumus, atque plasmatio; sed, Ipsius factura sumus: plasmatio quippe originem de terrae limo trahit; factura vero juxta similitudinem & imaginem Dei sumpsit exordium: quod in centesimo quoque decimo octavo Psalmo simul positum diversa significat: Manus tuae fecerunt me, & plasmaverunt me: factum primum locum tenet, deinde plasmatio.

PHILASTRIUS, Brixiensis episcopus, huic opinioni adeo constanter adhaeret, ut in Catalogo haereseon, a se edito, capite 99. eos, qui diversum sentiant, haereticos censeat: contra quos etiam profert Mosis testimonium, qui formationem hominis describens, primum animae creationem narravit, cum in primo
Gen. 1. 27. Geneseos capite dixit: CREAVIT Deus hominem ad imaginem suam: homo enim non est imago Dei secundum corpus, sed juxta animam duntaxat: deinde vero in secundo ejusdem libri capite corporis formationem referens; ait: FORMAVIT igitur Deus hominem de limo terrae, & inspiravit in illum spiraculum vitae: qua quidem narrationum distinctione voluit Moses, ut Philastrius inquit, significare prius animam creatam esse, deinde vero corpus esse plasmatum.

GREGORIUS, Nyssae episcopus, his assentiens, non solum primi hominis animam, sed omnium quoque hominum animas ante corpus Adae simul creatas fuisse affirmat: idque Sacrarum literarum auctoritate & ratione demonstrare contendit, haec in secundo libro philosophiae capite 6. scribens: SI QUIS, post corporis effictionem, immissam animam existimaverit, sive post corpus esse genitam, a veritate exorbitat: neque enim Moses creatam tunc eam dicit, quando in corpus immittebatur, neque secundum rationem ita habet. Et infra, opinionis suae demonstrationem afferens, inquit: PRINCIPALISSIMUM creationis opus est, ex non entibus aliqua facere: si ergo ex mutua procreatione animae fierent; ratione providentiae utique fierent, & corruptibiles essent, haud secus, ac animalia ex generis successione progenita: si autem ex non entibus fiunt; creatio adhuc fit;
Gen. 2. 2. & illud Moseos verum non est. Requievit Deus ab omnibus operibus suis: inconveniens vero est horum utrunque: non igitur animae nunc fiunt. Et rursum oc-
Joan. 5. 17 currens Eunomio, qui ex sententia Christi, dicentis, Pater meus usque modo operatur, ostendebat novas quotidie creari animas, subdit: QUOD autem dicit, Pater meus usque modo operatur, non de creatione, ut illi videtur, sed provisione, &, ut bene sint, accipiendum est.

SUNT, qui existiment assertionem hanc citra ullum haereseos periculum & credi

& credi posse, & defendi, dummodo non putemus, animas ante, quam illaberentur corporibus, peccasse, & propter peccata detrusas in corpore, tanquam in carcere: quod in Origene & in Origenistis & Priscillianistis conciliorum decreta damnarunt. Neque ab his discrepare videtur Petrus, Parisiorum episcopus, hanc rem sub dubio relinquens libro 2. Sent. distinct.17.

SED ISTIS aperte reclamat Leonis Papae primi auctoritas, qui in epistola ad episcopum Astorigensem ita decernit: CATHOLICA fides constanter praedicat, atque veraciter, quod animae hominum prius, quam suis inspirarentur corporibus, non fuere. D.Thomas in primo Theologicae summae volumine, quaestione nonagesima autumat positionem istam posse aliquo modo sustineri, si dicamus, Animas hominum praecessisse corpora non secundum actum, sed secundum quandam similitudinem generis, qua animae cum angelis conveniunt in intellectuali natura. Albertus Ratisponensis episcopus in Summa de homine, quaest.15. praemissam Gregorii Nysseni sententiam rejiciens, ceu Platonicum figmentum, ait Mosis auctoritatem, ab eo inductam, ita esse accipiendam, ut intelligamus Deum quievisse a creatione specifica cunctarum specierum, non autem ab individua creatione animarum, quae quotidie humanis corporibus infunduntur. (a)

S.Thom. I.P. Qu 90 Art.6. in corp.

ANNOTATIO CCIX.

Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam. Psal. 138. a

CASSIODORUS, hoc elucidans, subindicare videtur, Christi animam nec parem cum Deo habere scientiam, nec omnia scire, quae Deus scit: ait enim: FACTA est per Jesum Christum mirabilis scientia Patris, dum terrigenis sanctae legis sacramenta narrata sunt: &, ut conditionis humanae veritas panderetur, adjecit, Nec potero ad eam; quia naturam hominis, quam est dignatus assumere, divinae substantiae se non poterat coaequare. Petrus, Parisiorum episcopus, libro Sententiarum tertio, distinct.quartadecima, hanc auctoritatem, ab adversariis inductam, explicans, inquit: ANIMAM per sapientiam sibi gratis datam in verbo Dei, cui unita est, omnia scire; quae Deus scit, sed non ita clare & perspicue, ut Deus, cujus sapientia multo dignior est, & multo praestantius ac perfectius omnia complectitur, quam anima Christi; tametsi ipsa quoque omniscia sit, neque ulla res eam effugiat, quam Deus cognoscit.

Num anima Christi omniscia sit.

ANNOTATIO CCX.

Educ de custodia animam meam. Psalm. 141. b

ORIGENIS commentarios hic prudenter legito, ne impingas in errorem de animabus, in corporum custodia detrusis: ad cujus confirmationem Origenes praesenti versiculo utitur. Vide supra Annotationem 185.

Origenis error de animabus in corpore relligatis.

ANNOTATIO CCXI.

Parabolae Salomonis, filii David, &c. Proveb.1. a

DOROTHEUS, Tyri episcopus & martyr, cum in divinae scripturae Synopsi argumenta librorum Salomonis perstringeret, asseruisse videtur Salomonem non accepisse donum prophetiae his verbis: SALOMON conscripsit Proverbia,

Num Salomon fuerit Propheta.

(a) S. Leo M. Epistola *ad Turribium* Asturicensem Episcopum, olim XCIII. nunc juxta editionem Quesnellianam XV. agit de Priscillianistarum erroribus, quos confixerant Synodi Carthaginensis, Toletana, Bracharensis, Tarraconensis, & Lusitanae, sicut & Beticae Provinciarum; quinimmo eorum author, teste Hieronymo *Epistola ad Ctesiphontem* „ seculi gladio, & totius orbis authoritate damnatus est. „ Ibidemque, dum verba a Xysto laudata profert S. Pontifex, errorem illum in Priscillianistis perstringit, quo affirmabant animas in Coelo peccantes in corpora fuisse detrusas in poenam peccati, qui erat ipsissimus Origenis error. Quare longe abeunt nebulones isti ab sententia Hilarii, & Augustini. Videsis laudatam S. Leonis Epistolam.

verbia, Canticum Canticorum, & Ecclesiasten. Cum enim sapientiae gratiam a Deo accepisset, cunctos admonuit, ut in hac vita sapienter conversarentur: prophetiae vero donum non accepit: jam enim recensuimus eos, qui divino munere acceperunt, ut de Christo vaticinarentur. Diversum sentit Athanasius in Synopsi, Origenes in Cantico Canticorum, & D.Augustinus; qui libro De civitate Dei decimo septimo, cap.20. SALOMON, ait, prophetasse etiam ipse reperitur in suis libris, qui tres recepti sunt in auctoritatem canonicam, Proverbia, Ecclesiastes, & Canticum Canticorum, &c. Intelligit fortasse Salomonem non esse ponendum in catalogo majorum vel minorum Prophetarum, qui proprie & magis usitata significatione Prophetae appellantur: nam & Augustinus cum in secundo libro De doctrina Christiana libros Salomonis inter propheticos numerasset, a libris sexdecim Prophetarum separavit, quos proprie dixit vocari Prophetas.

ANNOTATIO CCXII.

Lustrans universa per circuitum pergit Spiritus. Eccl. 1. a

Utrum astra sint animata.

HIERONYMUS, in commentariis Ecclesiastis hujus sententiae sensum discutiens, haec scribit: QUOD autem ait, Lustrans universa per circuitum, sive gyrans gyrando vadit Spiritus, & in circuitus suos revertitur; sive ipsum Solem spiritum nominavit, quod animet, & spiret, & vigeat, & annuos orbis cursus expleat, ut ait poëta:

Interea magnum Sol circumvolvitur annum. & alibi,
Atque in se sua per vestigia volvitur annus. sive quod,
Lucentemque globum Lunae, Titaniaque astra,
Spiritus intus alit: totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet,

non de annuo Solis cursu, sed de quotidianis semitis ejus loquitur. D.Thomas in primo Summae theologicae volumine, quaest.70. articulo 3. colligit ex his Hieronymum sensisse cum Origene, Solem, atque caetera sidera esse animata, contra Basilii & multorum Patrum sententiam. Vide supra Annotationem centesimam octavam.

S. Thomas I. P. Qu. 70. a.3. c. dicit: Hieronymus etiam idem sentire videtur, &c.

ANNOTATIO CCXIII.

Quid est, quod factum est? id ipsum, quod futurum est. Eccl. 1. b

Num ante hunc mundū alii mundi fuerunt, & post hunc futuri sint.

ORIGENES, ut Methodius in libro De resurrectione testis est, cum in commenrationibus Ecclesiastis propositam particulam differeret, dixit, Salomonem hoc dicto significasse, & ante hunc mundum alios fuisse mundos, & post hunc mundum alios futuros: quod olim apud ethnicos philosophos Democritus & Epicurus tradidere. Hoc ipsum Hieronymus in epistola ad Avitum refert scripsisse Origenem in tertio libro Periarchon; quem cum ipse percurrerem, haec in eo verba legi: SOLENT nobis objicere adversarii, dicentes, Si coepit mundus ex tempore; quid ante faciebat Deus quam mundus fieret? ociosam enim dicere naturam Dei, ociosum est simul & absurdum vel putare, quod bonitas aliquando non fecerit, & omnipotentia aliquando non egerit potentatum. Ad quas propositiones nos, observantes regulas pietatis, respondebimus, quoniam non tum primum, cum visibilem istum mundum fecit Deus, coeperit operari; sed sicut post corruptionem hujus mundi erit alius mundus, ita & ante, quam hic esset, fuisse alios credimus. Quod utrunque divinae scripturae auctoritate firmabitur: nam quod erit post hunc alius mundus, Esaias docet, dicens: Erit coelum novum, & terra nova, quae ego faciam permanere in conspectu meo, dicit Dominus. Quod autem ante hunc mundum fuerint etiam alii, Ecclesiastes ostendit, dicens: Quid est, quod factum est? id ipsum, quod futurum est: & quid est, quod creatum est?

Isa 65. 17.

(a) Quae sub nomine Dorothei Tyri Episcopi quam hic laudat Xystus, subdititia est, ut non semel circumfertur, Synopsis, ubi de Salomone agitur, & fuit adnotatum. Idem dicito de Synopsi Athanasii.

est? hoc ipsum, quod creandum est: & nihil est omnino recens sub Sole: sed quis loquetur, & dicet; Ecce hoc novum est? jam fuit id in saeculis, quae fuerunt ante nos. Quibus testimoniis utrunque probatur, quod & ante fuerunt saecula, & futura sint postmodum: non tamen putandum est plures mundos simul esse, sed post hunc interim alios futuros. *

* Melius in aliis editionibus legitur: Post hunc initium aliorum futurū.

HAEC in libris Periarchon: quae an a corruptoribus Origenicorum voluminum depravata fuerint, an ipse Origenes vel imprudens protulerit, vel sciens volensque literis mandaverit; incertum est: nemo tamen putaverit Origenem, virum eruditione eximium, adeo fuisse hebetem ac stupidum, quin senserit quaestionem adversariorum non minus facile potuisse dissolvi, quam eludi. Si enim irridere maluisset; in promptu erat, quod Augustinus libro 11. Conf. cap. 12. quendam dixisse scribit: qui quaerentibus, Quid faceret Deus prius, quam conderet mundum? satis jocose quaestionis vanitatem illudens, respondit, Alta scrutantibus gehennas parabat. Aut, si quaestionem risu indignam putasset, equidem respondere poterat, Dei naturam neque unquam fuisse ociosam, neque unquam bonitatem ac potentiam ejus obtorpuisse cessando: semper enim aeterna illa Deitas, extra omnem locum in se ipsa manens, intra se ipsam incessabili intellectus ac voluntatis actione operabatur, mundum videlicet, quem mente gerebat, animo conspiciens, intelligentia pertractans, & voluntate deliberans, ac praecipiens, ne mundus ipse ab aeterno fieret, sed una cum tempore, quando eum divina providentia noverat, bonum atque opportunum fore, ut esset: neque enim, quia mundum fore, bonum esset, idcirco Deus condidit mundum: sed quia Deus mundum fore voluit, ideo mundum esse bonum fuit. Recte igitur mundus tum conditus est, quando eum Deus bonum esse decrevit, & non antea.

Quid fecerit Deus antequam conderet mundum.

ANNOTATIO CCXIIII.

Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in locum ubi ceciderit lignum, ibi erit. Eccl. 11. a

HIERONYMUS, in Ecclesiasten haec verba edissetens, innuere videtur, post hanc vitam nullum esse locum, ex quo animae, cum ad ipsum pervenerint, amplius exire queant. Sic enim apud eum scriptum est: IN LOCUM ubi ceciderit lignum, ibi erit: ubicunque enim tibi locum praeparaveris, futuramque sedem, sive ad Boream, sive ad Austrum; ibi, cum mortuus fueris, permanebis: tu enim quasi lignum, quamvis longaevus sis, non eris in perpetuum: sed subita, ut ventorum, ita mortis tempestate subversus, ubicunque cecideris, ibi jugiter permanebis: sive te rigidum & trucem, sive clementem & misericordem, ultimum invenerit tempus.

Num post hanc vitam detur locus, unde animae semel ingressae egredi queant.

OLYMPIODORUS in commentariis libri & loci hujus Hieronymo subscribit his verbis. In quocunque igitur loco, seu illustri, seu tenebroso, hoc est sive in turpi scelerum statione, sive in honesta virtutum deprehendatur homo cum moritur, in eo ordine atque gradu permanet in aeternum: nam vel requiescit in lumine felicitatis aeternae cum justis, & Christo Domino, vel in tenebris cruciatur cum iniquis, & principe eorum diabolo. Haec testimonia proferre solent Lutherani adversus catholicam assertionem De purgatorio, unde animae, expleta peccatorum expiatione, liberantur: quorum insaniam refellens Joannes Bonderius titulo undecimo suarum Concertationum, ait, non aliud sibi velle auctoritatem Salomonis, Hieronymi, & Olympiodori, nisi quod mortuus, in quo statu decesserit, ibi manebit, in charitate videlicet, vel extra charitatem: ut si sine charitate obierit quis, quod est esse rigidum & trucem, non possit fieri misericors & clemens in charitate, aut e diverso. Nam post mortem charitatem perdere, vel de novo sibi acquirere valet nemo: cum hoc tamen immutabili statu stat, ut qui hoc meruerunt in charitate existentes, possint hinc decedentes vivorum suffragiis a poenis debitis relevari: non enim illa poenarum relevatio statum mutat, sed in eo sunt statu, in quo possint a debitis poenis relevari.

ANNOTATIO CCXV.

Osculetur me osculo oris sui. Cant.1.a

Num Angeli sint corporei.

BERNARDUS sermone quinto in Canticum Canticorum docere videtur, angelos esse corporeos, dum inquit: JAM, quod & supercoelestes spiritus opus corporibus habeant, illa maxime certos nos faciat vera & vere divina sententia: nam omnes administratorii spiritus sunt missi in ministerium eorum, qui haereditatem capiunt salutis: quonam ergo modo implent ministerium suum sine corpore, praesertim apud viventes in corpore? denique non est discurrere, nec de loco ad locum transire, nisi corporum: quod frequenter angelos facere tam indubitata, quam nota probat auctoritas: hinc est quia & visi sunt patribus, &c. Vide supra Annotatione octava in primum Geneseos capitulum.

Ad Hebr.1. d

ANNOTATIO CCXVI.

Osculetur me osculo oris sui. Cant.1.a

Num Angeli eos deserant, quos in custodiem accepere.

BERNARDI verbis ex homilia in Canticum Canticorum septima uti solent scholastici, cum disceptandi gratia contendunt, angelos custodes aliquando deserere custodiam eorum, quos custodiendos accepere, ea sic habent: DOLEO perinde aliquos nostrum gravi in sacris vigiliis deprimi somno, nec coeli cives revereri, & in praesentia principum tanquam inordinatos apparere: vereor, ne nostram desidiam quandoque abominantes cum indignatione recedant, & unusquisque nostrum incipiat sero cum gemitu dicere, Longe fecisti notos meos a me: posuerunt me abominationem sibi; & illud, Elongasti a me amicum meum, &c. Albertus Magnus in primo Summae volumine, quaest.8. hunc locum expendens, ait homines ab angelis custodibus deseri non secundum locum, seu localem custodiam, sed secundum virtutem & efficaciam: & hoc non ex angeli desidia, sed ex hominis culpa, eo modo, quo sancti dicere solent, peccatorem discedere a Deo in regione dissimilitudinis, non distantia loci, sed meriti.

Psal. 87. b

ANNOTATIO CCXVII.

Veni columba mea in foraminibus petrae. Cant.2.c

De iustorum meritis.

BERNARDUS homilia 61. in Canticum Canticorum expositioni hujus clausulae haec inseruit verba: MERITUM proinde meum, miseratio Domini: non plane sum meriti inops, quandiu ille miserationum non fuerit: quod si misericordiae Domini multae; multus nihilominus in meritis sum: nunquid justitias meas cantabo? Domine memorabor justitiae tuae solius: ipsa est enim mea: nempe factus es mihi tu justitia a Deo, Joannes Calvinus Institutionum suarum capite decimo dum annititur ostendere, quod nulla sint coram Deo nostrorum bonorum merita, abutitur hoc testimonio, adjiciens & illud, quod ab eodem auctore dictum est sermone 15. in Psalmum nonagesimum. Hoc est totum hominis meritum, si totam spem suam ponat in eum, qui totum hominem salvum fecit, &c.

Psal.70. e

De bonorum operum meritis agit Calvinus Libr. III. Instit. cap. 15.

SED non ita se interpretari patitur Bernardus; cujus apertam de meritis piorum definitionem habes sermone sexagesimo octavo in Canticum Canticorum in hanc sententiam: SUFFICIT, inquit, ad meritum scire quod non sufficiant merita. Sed ut ad meritum satis est, de meritis non praesumere: sic carere meritis satis ad judicium est. Porro infantium renatorum neminem carere meritis, sed Christi habere merita, quibus se tamen indignos reddunt, si sua merita jungere non nequiverunt, & neglexerunt: quod quidem periculum jam adultae aetatis est. Merita proinde habere cures, habita data noveris: & sic omne periculum evasisti paupertatis, & praesumptionis. Perniciosa enim paupertas & penuria meritorum: praesumptio autem spiritus fallaces divitiae: & ideo, Divitias & paupertatem ne dederis

Prov.30. b

dederis mihi Domine, ait Sapiens. Haec Bernardi verba: ex quibus apparet eum in his, quae Calvinus attulit, non destruere, nec damnare merita sanctarum operationum, quae a servis Dei, Deo duce, & auspice Spiritu Sancto, humiliter fiunt; sed admonere servos Dei, ne de suis virtutibus ac meritis sic intumescant, ut existiment ea vel a se ipsis absque divini spiritus afflatu habere, vel ea sine coelestis gratiae auxilio digna esse, ut aliquid, quantumvis minimum, promereantur. Huc spectant, quae habes supra in dictis Augustini, Annotatione nonagesima secunda.

ANNOTATIO CCXVIII.

Diligite justitiam, &c. Sap. 1. a

AUGUSTINUS libro secundo de doctrina Christiana cap. 8. in quo canonem sanctarum scripturarum enumerat, dixit librum, qui attitulatur SAPIENTIA SALOMONIS, auctorem habuisse Jesum, filium Syrach; qui librum Ecclesiastici conscripsit. Hoc ipsum retractavit libro 2. Retractionum cap. 3. his verbis: DE AUCTORE libri, quem plures vocant Sapientiam Salomonis: quod etiam ipsum, sicut Ecclesiasticum, Jesus, filius Syrach, non ita constare, sicut a me dictum est, postea didici, & omnino probabilius comperi non esse hujus libri auctorem. De authore libri Sapientiae.

ANNOTATIO CCXIX.

Diligite sapientiam, qui judicatis terram. Sap. 1. a

HIERONYMUS libro Sapientiae Salomonis, a se emendato, argumentum praeponens, LIBER, inquit, Sapientiae apud Hebraeos nusquam est: unde ipse stylus Graecam linguam, & loquelam redolet: hunc Judaei Philonis esse affirmant, &c. Hujus argumenti gratia Jacobus Faber, Viennae episcopus, vir ab ecclesiasticis dogmatibus saepenumero dissentiens, Hieronymum insolentibus verbis, & episcopi modestia parum dignis mordet, ita adversus eum in commentariis epistolae ad Romanos scribens: IN conficiendo libri, qui SAPIENTIA dicitur, argumento Hieronymus cuidam perfido Judaeo nimis credulus fuisse videtur, modo ejus sit, magis, ut equidem credo, digno favillis, quam bibliis: haec me Dei, veritatisque zelus ita loqui compellunt. Utinam Hieronymus, alioqui vir sanctus & admirabilis, cum confecit sacrorum argumenta librorum, nunquam consuluisset Judaeos. Hujus errorem latissime confutavit Natalis Beda theologus libro primo Annotationum in eundem episcopum: ad cujus lectionem, alio properantes, curiosum lectorem transmittimus. De authore libri Sapientiae.

ANNOTATIO CCXX.

Quia excelsus reputatus est ipse. Esa. 2. e

SEPTUAGINTA Interpretes miratur Hieronymus, quod hanc sententiam intactam reliquerint: sic enim scribit in fine primi commentarii in Esaiam: TACITA mecum mente pertractans, non possum invenire rationem, quare LXX. tam perspicuam de Christo prophetiam in Graecum noluerint vertere: caeteri enim, qui verterunt quidem, sed sermonem ambiguum ad impietatis traxere sensum, non mirum, cur male interpretati sint, nec voluerint de Christo gloriosum quid dicere, in quem non credebant, videlicet ut Judaei, aut semijudaei, idest Hebionitae. Prophetia de Christo a LXX omissa.

ANNOTATIO CCXXI.

Vidi Dominum sedentem, &c. Esa.6. a

CHRYSOSTOMUS homilia prima in praesentem locum ait, angelos ineffabili Dei gloria frui, sed naturam ejus non videre. Vide Annot. lib.6. De Deo visu.

AN-

ANNOTATIO CCXXII.

Seraphim clamabant alter ad alterum. *Esa.* 6. *b*

De Trinitate

ORIGENEM in commentariis perperam haec exposuisse testatur Hieronymus libro in Esaiam 3. inquiens: IMPIE quidam duo Seraphim, Filium & Spiritum Sanctum intelligit, cum juxta Evangelistam Joannem, & Paulum Apostolum, Filium Dei visum in majestate regnantis, & Spiritum Sanctum locutum esse doceamur. Et in epistola ad Pammachium, & Oceanum, IN lectione, ait, Esaiae in qua duo Seraphim clamantia describuntur, Origene interpretante Filium & Spiritum Sanctum, ego ejus detestandam expositionem in duo testamenta mutavi. Haec quanquam Hieronymus immutasse se dicat: legimus tamen adhuc apud Origenem homilia quinta in hunc Esaiae locum Dominum nostrum Jesum Christum esse unum ex duobus Seraphim: quod quidem juxta allegoriam, & secundum carnis dispensationem intelligere oportet.

ANNOTATIO CCXXIII.

Vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis. *Esa.* 9. *c*

Vaticinium de Christo male versum a LXX. interpretibus.

SEPTUAGINTA Interpretes notat Hieronymus libro tertio in Esaiam quod horum verborum majestate perterriti non ausi fuerint manifeste interpretari hoc Esaiae vaticinium de Messia Christo pronunciatum; ne cogerentur aperte fateri, quod Christus appellandus esset admirabilis, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis: sed pro istis sex nominibus posuerint alia, quae in Hebraeo non habentur, scribentes hoc modo: VOCABITUR nomen ejus magni consilii angelus: & adducam pacem super principes, & sanitatem ejus. Atqui nunc in vulgata Graecorum editione, quae LXX. interpretum creditur esse, palam extant, quae Hieronymus miratur immutata, vel omissa: sic enim in ea invenitur scriptum: *Καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ μεγάλης βουλῆς ἄγγελος· θαυμαστὸς σύμβουλος, θεὸς ἰσχυρὸς, ἐξουσιαστὸς ἄρχων εἰρήνης, πατὴρ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος· ἄξω γὰρ εἰρήνην ἐπὶ τοὺς ἄρχοντας, καὶ ὑγίειαν αὐτοῦ· καὶ μεγάλη ἡ ἀρχὴ αὐτοῦ, καὶ τῆς εἰρήνης αὐτοῦ οὐκ ἔστι τέλος*: hoc est, Vocabitur nomen ejus magni consilii angelus, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, potestatem habens, princeps pacis, pater futuri saeculi: adducam enim pacem super principes, & sanitatem ejus: & magnus principatus ejus, & pacis ejus non erit finis. Haec autem in hunc modum habuisse olim veram & emendatam LXX. versionem testatur Eusebius libro 7. Evangelicae demonstrationis, inquiens: ERGO secundum ipsos LXX. non simpliciter angelus, sed magni consilii angelus, & admirabilis consiliarius, & Deus fortis, & potentiam habens, & princeps pacis, & pater futuri saeculi oriturus aliquando, & puerulus futurus canebatur. Hoc itidem pacto legit Chrysostomus in libro De Christi deitate adversus gentes, ita scribens: HAEC de puero homine nemo dicit: nam nullus hominum unquam dictus est Deus fortis, sicut neque pater futuri saeculi, nec princeps pacis hujus: nam pacis ejus, ait, non est finis. (a)

ANNOTATIO CCXXIIII.

Omnis anima hominis timebit. *Esa.* 13. *a*

Num Angeli animas habeant.

BASILIUS in Commentariis Esaiae. PULCHRE, ait, additur dictio Hominis: neque enim angelorum anima subjacet pavori: hac enim turbulenta affectione angeli anima superior est. Videtur his innuere angelos esse animalia, quae corpore & anima constent: nisi forte haec intransitiva loquendi forma per animas angelorum intelligamus angelos, qui animae sunt, ac spiritus simplicissimi. De hoc fusius locuti sumus supra Annot. 8.

AN-

(a) Idem habent Irenaeus *lib. IV. adv. haereses c.* 11. Clemens Alexandrinus *lib.* 1. *Paedagogi c.* 4. Athanasius *de Incarnatione Verbi*, & alii. Vide Gabrielem Alvarez in Isaiam, & alios.

ANNOTATIO CCXXV.

Tu autem projectus es, &c. Esa.14. d

ANSELMUS Laudunensis in Glossa interlineari, hunc locum allegorice ad diabolum pertrahens, ait: ETSI omnes animae aliquando habebunt requiem, tu nunquam habebis. Desumptum est hujusmodi scholion ex quinto Commentario Hieronymi in Esaiam: ubi ipse mysticam incerti auctoris, & forte Origenis in medium proferens, inquit: ALII vero locum istum sic interpretantur, Omnes animae apud inferos aliquam requiem accipient: tu solus in extremas tenebras religaberis. D.Thomas libro Sententiarum quarto, distinct.46. quaest.2. monet haec verba prudenter esse legenda, ne quis per incuriam labatur in dogma Origenis; qui supplicia damnatorum hominum existimavit aliquando finienda: prudenter autem legentur, si consideremus Anselmum non simpliciter & absolutè locutum, sed sub hypothesi impossibilis, ad exaggerandam magnitudinem peccati, in quod diabolus se ultro dejecit.

Num animae damnatorum aliquando requiem sint habiturae.

ANNOTATIO CCXXVI.

Omnis barba radetur. Esa.15. a

HIERONYMUS, quae huc de abrasione barbae & capitis conscripserit, Vide infra Annot.244. libri hujus.

ANNOTATIO CCXXVII.

In tribus annis mercenarii auferetur gloria. Esa. 16. d

HIERONYMUS in fine libri sexti in Esaiam, SI CASTUM, inquit, me simulo, & aliud est in conscientia mea; habeo non gloriam mercenarii, sed supplicia peccatoris: quia in comparatione duorum malorum levius est aperte peccare, quam simulare & fingere sanctitatem. D.Thomas in secunda secundae quaestione 111. articulo 4. annotat hunc locum, quod primo aspectu favere videatur his, qui asserunt hypocrisin semper esse mortale peccatum: judicat autem Hieronymi verba intelligenda esse de eo simulationis genere, quo quis sanctitatem simulat, quam nec habet, nec habere desiderat, imo etiam odit: non autem de eo simulationis genere, quo multi sanctitatem, quae ipsis nulla est, fingunt, non decipiendi & nocendi causa, sed studio potius juvandi. Haec enim licet omnino culpa non careat, lethale tamen vitium non est, neque aeterno supplicio dignum.

Num levius sit aperte peccare, quã fingere sanctitatem.

JUXTA hanc intelligentiam existimat D.Thomas interpretandas esse binas Strabi sententias. Harum altera habetur in Glossis, ab eo collectis, Job primo: ubi exponens illud, Sicut Domino placuit, ita factum est, &c. inquit: SIMULATA aequitas non est aequitas, sed duplex peccatum. Altera habetur in Threnis capite quarto: ubi exponens illud, Major est iniquitas populi mei peccato Sodomorum, SCELERA, inquit, animae planguntur, quae in hypocrisim labitur, cujus iniquitas major est peccato Sodomorum.

Glossa super Job est Strabi: sed super Threnos est innominati Authoris, qui ex professo vellicat Judaeos cum Sodomitis: violantes naturalem legẽ, & ulterius divinam scriptam ipsis datam transgredientes.

ANNOTATIO CCXXVIII.

Oblivioni traditae sunt angustiae priores. Esa. 65. c

HIERONYMUS libro in Esaiam decimo octavo videtur tradere sanctos in coelo non habituros memoriam praecedentium malorum, sive criminum. Ait enim: IN coelo novo, & in terra nova, omnia conversationis pristinae memoria delebitur, ne hoc ipsum pars malorum sit, prioris angustiae recordari. Magister Sententiarum

An Sancti in Coelo praeteritorum malorum recordentur.

Sententiarum libro quarto, distinct. 43. hunc locum secus, quam in codice Hieronymiano legitur, citans, dicit sic a nobis intelligendum esse, ut non excludamus a beatis memoriam praecedentium malorum, sed memoriae laesionem, ac molestiam: non enim delictorum memoria sanctorum felicitatem aliqua ex parte diminuet, sed ad gratias Deo peragendas promptiores & alacriores reddet. Quam interpretationem haud dubium est illum accepisse a Gregorio, qui aptissime hoc explicavit in fine libri quarti explanationum in Job, ita inquiens: QUAERENDUM est, quomodo electorum mens perfecta esse in beatitudine poterit, si hanc, inter gaudia, sui reatus tangit memoria? sed sciendum est, quod sicut saepe nunc tristium laeti reminiscimur; ita tunc transactae nequitiae sine laesione nostrae beatitudinis recordabimur. Plerunque enim incolumitatis tempore ad memoriam dolores praeteritos sine dolore reducimus; & quo aegros nos recolimus, eo nos incolumes plus amamus. Erit ergo in illa beatitudine culpae memoria, non quae mentem polluat, sed quae nos arctius laetitiae astringat: ut dum doloris sui animus sine dolore reminiscitur, & debitorem se medico verius intelligat, & eo magis acceptam salutem diligat, quo molestiae meminit, quam evasit.

ANNOTATIO CCXXIX.

Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, &c. *Esa. 66. g*

Num ignis inferni sit metaphoricus. HIERONYMUS in fine lib. 18. in Esaiam duas aliorum auctorum damnabiles expositiones huc attulit sine ipsorum nomine. Harum una docet ignem inferni esse metaphoricum in sola conscientiae ac memoriae afflictione positum; altera ignem inferni & damnatorum incendia tandem aliquando finienda: has explanationes cum non solum absque ulla erroris confutatione, aut accusatione referat, sed, allatis etiam plerisque divinae Scripturae testimoniis, confirmet; Rufinus, Hieronymi obtrectator, occasionem sumpsit calumniandi eum, tanquam utriusque dogmatis fautorem.

VERBA prioris expositionis haec sunt: VERMIS, qui non morietur, & ignis, qui non extinguetur, a plerisque conscientia accipitur peccatorum, quae torqueat in suppliciis constitutos; quia vitio atque peccato suo, tanto caruerunt bono, juxta
Psal. 31. a illud, quod dicitur, Versatus sum in miseria, dum infigitur mihi spina; & in
Prov. 25. d Proverbiis, Tinea ossium cor intelligens: *& iterum sub obelo*, Sicut tinea vestimentum, & vermes lignum, sic moeror excruciat cor viri.

POSTERIORIS interpretationis verba sic habent: PORRO qui volunt supplicia aliquando finiri, & licet post multa tempora, tamen terminum habere
Rom. 11. e tormenta, his utuntur testimoniis; CUM intraverit plenitudo gentium, tunc om-
Gal. 3. d nis Israël salvus fiet: & iterum, CONCLUSIT Deus omnia sub peccato, ut om-
Mich. 7. b nium misereatur: & in alio loco sanctus loquitur, IRAM Domini sustinebo, quia peccavi ei, donec justificet causam meam, & auferat judicium meum, & educat
Esai. 12. a me in lucem: & rursum, BENEDICAM te, Domine, quoniam iratus es mihi, avertisti faciem tuam a me, & misertus es mei. Dominus quoque loquitur ad peccatorem: CUM ira furoris mei fuerit, rursum sanabo: & hoc est, quod in
Psal. 30. c alio loco dicitur: QUAM grandis multitudo bonitatis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te. Quae omnia replicant asseverare cupientes, post cruciatus atque tormenta, futura refrigeria, quae nunc abscondenda sunt ab his, quibus timor utilis est; ut dum supplicia reformidant, peccare desistant: quod nos Dei solius debemus scientiae derelinquere; cujus non solum misericordiae, sed & tormenta in pondere sunt; & novit quem, quomodo, aut quandiu debeat judicare: solumque dicamus, quod humanae convenit fragilitati: Domine ne in
Psalm. 6. a furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me: & sicut diaboli, & omnium
Psal. 13. a negatorum, atque impiorum, qui dixerunt in corde suo: Non est Deus, credimus aeterna tormenta: sic peccatorum atque impiorum, & tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt, atque purganda, moderatam arbitramur, & mistam clementiae sententiam judicis.

UTRAQUE harum explanationum ita fideliter, & ad verbum expressa est,

Tomo 2.

Tomo 2. Origenicorum operum, homil. 9. in diversos Matthaei locos, ut facile persuaderi potuissem Hieronymum inde ambas transtulisse, nisi prius certissimis conjecturis, superiore libro commemoratis, deprehendissem homiliam illam non esse Origenis; tametsi utriusque expositioois dogmata Origenica sint a Hieronymo quidem sub alterius persona proposita, sed non propria asserrione firmata; nam & secundae interpretationis impietatem ipse ubique detestatur, sicut infra ostendimus Annot.290. libri sexti, & prioris errorem multis io locis omnino damnat, praesertim in epistola ad Avitum: ubi enumerans Origeois haereses, hanc quoque inter alias recenset, his verbis: ORIGENES lib.2. Periarchon ignem gehennae, & tormenta, quae Scriptura sancta peccatoribus comminatur, non ponit in suppliciis, sed in conscientia peccarorum, quando Dei virtute & potentia omnis memoria delictorum ante oculos nostros ponitur, & veluti ex quibusdam seminibus, io anima derelictis, universa vitiorum seges exoritur; & quicquid feceramus in vita, vel turpe, vel impium, omnis eorum in conspectu nostro pictura describitur, ac praeteritas voluptates mens intuens conscientiae punitur ardore, & poenitudinis stimulis confoditur. Et libro in epist.ad Ephes. 3. exponens illud ex capit.5. Nemo vos decipiat inanibus verbis, &c. ait: QUIA sunt plerique, qui dicunt non futura pro peccatis esse supplicia, nec extrinsecus adhibenda tormenta; sed ipsum peccatum & conscientiam delicti esse pro poena, dum vermis in corde non moritur, & animo ignis accenditur, in similitudinem febris, quae non torquet extrinsecus aegrotantem, sed corpora ipsa corripiens punit, sine cruciatuum forinsecus adhibitione, quod possidet. Has itaque persuasiones & decipulas fraudulentas Paulus Verba inania appellavit & vacua, quae videntur florem quendam habere sermonis, & blandiri peccantibus; sed dum fiduciam tribuunt, magis eos ferunt ad aeterna supplicia. Ex his liquet, quam pie & catholice senserit Hieronymus ignem inferorum esse corporeum, & eos, qui in ipso constituti sunt, intrinsecus & extrinsecus torqueri. Ephes.5. 6.

AD IPSA vero divinae Scripturae testimonia, quae Hieronymus, quod alibi plenissime declarasset, hic inexplicata reliquit, dicendum est ex his non auferri corporeas & extrinsecas damnatorum poenas, sed mentionem fieri interioris ac spiritualis supplicii, memoriam & conscientiam damnatorum perpetuo stimulo excrucíantis. Est enim prima ac maxima reproborum poena ultricis conscientiae flagellum: proxima huic est exterior poena, ignis scilicet, sulphur, spiritus procellarum, & caetera corporea tormenta, quae passim divinae literae impiis & impoenitentibus comminatur. Consule super his, quae pertinent ad veritatem ignis inferni, Annotat. libri hujus 40. super his vero, quae spectant ad ejusdem aeternitatem, lege Hieronymi sententiam Annot.290. libri sexti. (a) Psal. 10. 7.

ANNOTATIO CCXXX.

Si laveris te nitro, &c. Jerem.4. e

ORIGENES homilia tertiadecima in Jeremiam, hoc enarrans, ait, omnes, qui post lavacrum baptismi peccaverunt, purgandos esse igne conflagrationis in die judicii. Vide supra Anootatione 167. Ignis expiatorius.

TOM. II. S AN-

(a) Mitis nimium erga Origenem fuit N. Xystus, ut ex hic ab eo adpositis, & alibi a nobis dictis luculenter adparet. Fuisse autem Origenis errorem, quod doemones, & consequenter etiam damnati aliquando erunt per Dei misericordiam liberandi a poenis, clarissime tradit M. P. Augustinus *Lib. XXI. de Civit. Dei cap.* 15. ex quo id ipsum adstruit S. Thomas pluries & pluribus in locis. Ob idque etiam fuisse Origenem in V. Synodo Generali ab Ecclesia damnatum tradit idem Augustinus ibidem; inculcat etiam Hieronymus *Apolog. 1. contra Rufin. & Epist. LXXVIII.* quam Pammachio & Marcellae inscripsit: idem constat ex Nicephoro *Lib. VII. cap.* 27. & 28. nec non ex eadem Synodo *Actione IV. Cap. XI.* Videsis Cl. Card. Norisium.

Porro, quod ignis inferni sit aeternus, ejusque poena aeternum durabit clare constat ex divino Eloquio. Matth. XVIII. „ mitti in ignem aeternum „ Cap.XXV. „ discedite a me maledicti in ignem aeternum „ = „ ibunt in supplicium aeternum „ II. ad Thessalonicenses I. „ In flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi, „ qui poenas dabunt in interitu aeternas. „ & id genus sexcenta occurrunt monumenta divini foederis. Consule S.Thomam supplem.ad III.P.Q.2.XCVII. Art. 2. ubi expendit illud: *vermis eorum non moritur*, & Qu. C. Art. II.

ANNOTATIO CCXXXI.

Jurabit, vivit Dominus, in veritate. Jerem. 4. a

De juramento.

HIERONYMUS quid senserit de juramento, hunc locum exponens, annotavit Joannes Arboreus in sua Theosophia. Vide in fra Annot. 26. libri sexti.

ANNOTATIO CCXXXII.

Omnis laguncula implebitur vino, & omnes reges & sacerdotes ebrietate. Jerem. 13. b

Num aliquis in hac vita vere sit justus. — 2. Cor. 4. 7. — Ad Rom. 7. 18. & 19. — Ibidem 24. — Psal. 142. 2.

HIERONYMUS libro in Jeremiam tertio, ad elucidationem hujus periodi haec attulit: OSTENDIT Propheta, nos esse vas fragile juxta Apostolum, dicentem, Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus: nec posse fieri, ut non illud impleatur in nobis, quod scriptum est; Non habitat in carne mea bonum: & iterum, Non enim quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum hoc operor: ac deinde, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Hae autem ebrietate, qua obliviscimur praeceptorum Dei, & vitiis, atque peccatis omnis impletur humana conditio, dicente Propheta, Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens: non ad comparationem Dei, ut veteres & novi haeretici volunt, & patroni haereticorum; sed ad scientiam ejus. Homo enim videt in facie, Deus in corde; & quod nobis interdum pulchrum videtur, illius oculis sordidum deprehenditur: non solum vulgus ignobile, vilisque plebecula, sed reges ecclesiarum, qui sedent super thronum, sacerdotes quoque ipsi, secundus in ecclesiastico honore gradus, varietate peccatorum complentur.

HAC HIERONYMI pericope bifariam abutuntur nostrorum temporum haeretici. Bodius in Collectaneis pertrahit ipsam ad praesidia Lutheranorum, docentium, neminem, quantumlibet perfectum, in hac vita vere justum esse, sed in omnibus peccatum ira Dei dignum permanere usque ad mortem. Rursum hi, qui ecclesiasticam potestatem oppugnant, postremam orationis hujus clausulam inducunt adversus sacerdotalem potestatem, quam saeculari magistratui subjiciendam fore contendunt. Sed ambo verba haec violenter extorquent: nam quo ad saecerdotis & regis dignitatem attinet, jam supra ostendimus, Annot. videlicet 166. Hieronymum de Judaico saecerdotio hic locutum, non de Christiano. In caeteris vero propositae sententiae verbis dicimus Hieronymum respexisse ad humanam conditionem, Dei gratia destitutam: nullus enim sine gratiae divinae auxilio justus est, nec diu potest absque lethali crimine permanere. Quod si urgeas ipsum etiam haec pronunciasse de justis, quibus divina gratia inest per Spiritum Sanctum infusa: respondebimus, Hieronymum de levibus ac venialibus erroribus intelligendum esse, & non de lethiferis ac perniciosis sceleribus. Multa enim sunt venialia vitia, a quibus nullus, quantumlibet justus, excepta sancta Virgine, omnino liberatur. Est enim in sanctis quoque per gratiam reparatis declivis quaedam ad peccandum ex carnis fragilitate inclinatio, quam Paulus inhabitans peccatum nuncupavit; quia ex peccato orta sit, & in poenam peccati relicta ad agonem & exercitium justorum: & ex hac etiam nolentibus justis multa venialia peccata emergunt. Ad hanc ergo Paulus intuens, exclamabat, INFOELIX ego homo, &c. &, Scio, quod non habitat in carne mea bonum; &, non quod volo bonum hoc ago, sed quod nolo malum. Et David, ad venialia, sed assidua sanctorum errata intendens animum, dicebat: NON justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, si juxta rigorem divinae justitiae examinetur: quia Septies in die cadit justus.

ANNOTATIO CCXXXIII.

Conteram populum istum, & civitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultra instaurari. Jerem. 19. c

Num Chiliastarum opinio damnanda sit.

HIERONYMUS libro quarto in Jeremiam ita explicat hunc locum, ut asserere videatur χιλιαςῶν, id est, Millenariorum errorem non esse damnandum; quem

quem tamen plures sanctissimi Patres in Cherintho haeresiarcha, ut haereticum dogma, damnarunt; sed unicuique liberum esse in hoc sentire, quod velit. Haec enim apud eum legimus: PERSPICUE hoc non de Babylonia, sed de Romana dicitur captivitate: post Babylonios quippe & urbs instaurata, & populus reductus in Judaeam, & abundantiae pristinae restitutus est: post captivitatem autem, quae sub Vespasiano, & Tito, & postea accidit sub Hadriano usque ad consummationem saeculi, ruinae Hierusalem permansurae sunt: quanquam sibi Judaei auream, atque gemmatam Hierusalem restituendam putent, rursumque victimas, & sacrificia, & conjugia sanctorum, & regnum in terris Domini Salvatoris: quae licet non sequamur; tamen damnare non possumus: quia multi ecclesiasticorum virorum, & martyres ista dixerunt: & unusquisque in suo sensu abundet, & Domini cuncta judicio reserventur. Haec Hieronymus; qui hujus opinionis assertores nominatim prodens, in libro De viris illustribus ait: PAPIAS, Joannis auditor, Hieropolitanus episcopus, dicitur mille annorum Judaïcam edidisse δευτέρωσιν; quem secuti sunt Irenaeus, & Apollinarius, & caeteri, qui post resurrectionem ajunt in carne cum sanctis Dominum regnaturum. Tertullianus quoque in libro De spe fidelium, & Victorinus Pitabionensis hac opinione ducuntur. Et libro in Ezechielem undecimo scripta indicans, in quibus iidem auctores hoc docuerunt, inquit: NEQUE enim juxta Judaïcas fabulas, quas illi δευτερώσεις appellant, auream de coelo expectamus Hierusalem: quod & multi nostrorum, & praecipue Tertulliani liber, qui inscribitur DE SPE FIDELIUM; & Lactantii Institutionum volumen septimum pollicetur; & Victorini Pitabionensis crebrae expositiones; & nuper Severus noster in Dialogo, cui GALLUS nomen imposuit; &, ut Graecos nominem, & primum extremumque conjungam, Irenaeus, & Apollinarius.

NEQUE ab hac Hieronymi sententia abhorruisse videtur Augustinus: qui non ausus eam appellare nec haeresim, nec errorem, sic de ipsa in vigesimo De civitate Dei, cap. septimo scripsit: HAEC opinio esset utcunque tolerabilis, si aliquae deliciae spirituales in illo Sabbato, scilicet mille annorum, affuturae sanctis per Domini praesentiam crederentur: nam etiam nos hoc opinati fuimus aliquando. Hactenus Augustinus.

SCITO igitur nec Hieronymum, nec Augustinum hunc in modum sermonem suum temperasse, ut ostenderent hanc sententiam non esse damnabilem, quam utrique multis in locis incessunt & irrident; sed ut modestiae & benignitatis suae exemplo indicarent nobis etiam ab erroribus veterum ecclesiae Patrum summa cum reverentia dissentiendum; & ne complures catholicos, qui tum ea ducebantur opinione, insectari viderentur: quod non obscure innuit Hieronymus in Praefatione decimi octavi commentarii in Esaïam, his verbis: APOCALYPSIN Joannis, si juxta literam accipimus; Judaïzandum est: si spiritualiter, ut scripta est, disserimus; multorum veterum videbimur opinionibus contraire; Latinorum, Tertulliani, Victorini, Lactantii; Graecorum, ut caeteros praetermittam, Irenaei tantum Lugdunensis episcopi faciam mentionem: adversus quem vir eloquentissimus Dionysius, Alexandrinae ecclesiae Pontifex, elegantem scribit librum, irridens mille annorum fabulam, & auream, atque gemmatam in terris Hierusalem, instaurationem templi, hostiarum sanguinem, ocium Sabbati, circuncisionis injuriam, nuptias, partus, liberorum educationem, epularum delicias, & cunctarum gentium servitutem; rursusque bella, exercitus, ac triumphos, & superatorum neces, mortemque centenarii peccatoris: cui duobus voluminibus respondit Apollinarius; quem non solum suae sectae homines, sed & nostrorum in hac parte duntaxat plurima sequitur multitudo, ut praesaga mente jam cernam, quantorum in me rabies concitanda sit: quibus non invideo, si tantum amant terram, ut in regno Christi terrena desiderent, & post ciborum abundantiam, gulaeque, ac ventris ingluviem, ea, quae sub ventre sunt, quaerant.

HUCUSQUE Hieronymus, innuens his verbis opinionem istorum non longe abesse a dogmate Cherinthi. Sunt tamen, qui arbitrentur utranque sententiam latissime inter se distare. Cherinthus enim, ut scribit Eusebius, libro Ecclesiasticae historiae tertio, quia erat ventri, & gulae, & libidini deditus, ea docebat,

quae sibi libido dictabat, decernens noo solum per mille annos Christum post resurrectionem regnum admioistraturum io terris, sed in ipso quoque regno futuras omoes improbas voluptates, hoc est, foedam epularum ingluviem, ventris, & ea, quae sub ventre sunt, exquisitissima incitamenta, & vitia quaedam turpissima cujuslibet portentosae & execrandae libidinis. At isti quanquam existimareot Christum, excitatis sanctorum corporibus, rediturum io terras, ibique regnaturum annos mille, nullam tameo malorum hominum improbitatem, aut impietatem, aut injustitiam in regno illo futuram crediderunt, sed contra inestimabilem foelicissimi ac vere aurei saeculi tranquillitatem, in qua sancti viveotes in carne omnibus animi & corporis deliciis cum summa innocentia, puritate, justitia, temperantia, & pietate fruerentur: quod ut magis perspicuum fiat, libet huc adscribere, quae Lactaotius libro Divinarum Institutionum septimo hac de re memoriae prodidit, sic ioquieos:

VENIET summi ac maximi Dei filius, ut vivos ac mortuos judicet: & cum deleverit injustitiam, judiciumque maximum fecerit, ac justos, qui a principio fuerunt, ad vitam restauraverit, mille anois inter homines versabitur, eosque justissimo imperio reget: tunc, qui eruor io corporibus vivi, oon morientur, sed per eosdem mille aooos infinitam multitudinem geoerabuot: & erit soboles eorum sancta, & Deo chara, qui autem ab inferis suscitabuntur, hi praeerunt viveotibus, velut judices: gentes vero non extinguentur omnioo, sed quaedam relinqueotur in victoriam Dei, ut triumphenrur a justis, ac subjugeotur perpetuae servituti. Sub id tempus etiam princeps daemooum, qui est machinator omnium malorum, vincietur catenis, & erit in custodia mille annis coelestis imperii, quo justitia in orbe regnabit, ne quid malum adversus populum Dei moliatur; post cujus adventum congregabuotur justi ex omni terra, peractoque judicio civitas sancta constituetur in medio terrae; in qua ipse conditor Deus cum justis dominaotibus commoretur. Tunc auferentur a mundo tenebrae illae, quibus offendebatur, atque obcaecabatur coelum: & Luoa claritudinem Solis accipiet, nec minuetur ulterius: Sol autem septies taoto, quam nunc est clarior, fiet. Terra vero aperiet foecunditatem suam, & uberrimas fruges sponte sua generabit: rupes montium melle sudabunt: per rivos vina decurrent, & flumina lacte inundabunt: muodus denique ipse gaudebit; & omnis rerum oatura laetabitur, erepta & liberata dominio mali, & impietatis, & sceleris, & erroris. Non bestiae per hoc tempus sanguine alentur, non aves praeda, sed quieta & placida erunt omnia: leones & vituli ad praesepe simul stabunt: lupus ovem non rapiet: caois oon venabitur: accipitres & aquilae non nocebunt: infantes cum serpentibus ludent: deoique tunc fient illa, quae poëtae aureis temporibus facta esse, jam Saturno regnante, dixerunt: quorum error hinc exortus est, quod Prophetae pleraque sic proferunt, & enunciant, quasi jam peracta. Visiones enim divino spiritu offerebantur oculis eorum, & videbantur illa in conspectu suo, quasi fieri ac terminari: quae vaticinia eorum cum paulatim fama vulgasset, quoniam profani a sacramento ignorabant, quatenus dicereotur, completa esse veteribus saeculis illa omnia putaverunt: quae utique fieri, compleríque non poterant homine regnante: cum vero, deletis religionibus impiis, & scelere compresso, subjecta erit Deo terra:

Virgilius Ecloga IV cui nomen Pollio.

Cedet & ipse mari vector, nec nautica pinus
Mutabit merces: omnis feret omnia tellus.
Non rastros patietur humus, non vinea falcem:
Robustus quoque jam tauris juga solvet arator.
Tunc etiam molli flavescet campus arista:
Incultisque rubens pendebit sentibus uva:
Et durae quercus sudabunt roscida mella.
Nec varios discet mentiri lana colores:
Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto:
Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos.
Ipsae lacte domum referent distenta capellae
Ubera, nec magnos metuent armenta leones.

Vivent

Vivent itaque homines tanquillissimam vitam, & copiosissimam, & regnabunt cum Deo pariter: & seges gentium venient a finibus terrae cum donis ac muneribus, ut adorent & honorificent regem magnum; cujus nomen erit praeclarum ac venerabile universis nationibus, quae sub coelo erunt, & regibus, qui dominabuntur in terra: sed cum mille anni regni coeperint terminari, solvetur denuo princeps daemoniorum, & e custodia missus exibit: atque omnes gentes, quae tunc erunt sub ditione justorum, concitabit, ut inferant bellum sanctae civitati: & colligetur ex omni orbe terrae innumerabilis populus nationum, & obsidebit, & circundabit civitatem: tunc veniet novissima ira Dei super gentes, & debellabit eas usque ad unum: ac primum concutiet terram quam validissime: & a motu ejus scindentur montes Syriae; & subsident colles in abruptum, & muri omnium civitatum concident: & statuet Deus Solem triduo, ne occidat; & inflammabit eum, & descendet aestus nimius, & adustio magna supra perduelles & impios populos, & imbres sulphuris, & grandines lapidum, & guttae ignis; & liquescent spiritus eorum in calore, & corpora conterentur in grandine, & ipsi se invicem gladio ferient: replebuntur montes cadaveribus, & campi operientur ossibus: populus autem Dei tribus illis diebus sub concavis terrae occultatus erit, donec ira Dei adversus gentes, & extremum judicium terminetur. Tunc exibunt justi de lateribus suis, & invenient omnia cadaveribus atque ossibus tecta: sed & genus omne impiorum radicitus interibit, nec erit in hoc mundo ulla natio amplius, praeter solam gentem Dei. Tum per annos septem perpetes intactae erunt sylvae, nec excindetur de montibus lignum; sed arma gentium comburentur; etiam non erit bellum, sed pax & requies sempiterna. Cum vero completi fuerint mille anni, renovabitur mundus a Deo, & coelum complicabitur, & terra mutabitur: & transformabit Deus homines in similitudinem angelorum: & erunt candidi sicut nix, & versabuntur semper in conspectu omnipotentis, & Domino suo sacrificabunt, & servient in aeternum. Eodem tempore fiet secunda illa, & publica omnium resurrectio, etiam in qua excitabuntur impii ad cruciatus sempiternos: ii sunt, qui manufacta coluerunt, qui Dominum mundi, ac parentem vel nescierunt, vel abnegaverunt: sed & dominus illorum cum ministris suis comprehendetur, ad poenamque damnabitur; cum quo pariter omnis turba impiorum pro suis facinoribus in conspectu angelorum, atque justorum perpetuo igni cremabitur in aeternum. Haec est doctrina sanctorum Prophetarum; quam Christiani sequimur: haec est Christiana sapientia.

HACTENUS Lactantii, & aliorum, quos commemoravimus, sententia: quae licet a Cherinthi dogmate diversa sit; errorem tamen continet alienum ab Evangelica doctrina; quae docet nullum post resurrectionem fore maris ac foeminae coitum, nullum cibi potusque usum, nullum denique carnalis vitae oblectamentum, dicente Christo ad eos, qui carnales nuptias post resurrectionem futuras somniabant: ERRATIS, nescientes Scripturas, & virtutem Dei: in resurrectione neque nubent, neque nubentur; sed erunt omnes sicut angeli Dei, qui quidem neque uxoribus utuntur, neque epulis delectantur; sed cibo, ut Tobias inquit, invisibili vescuntur, qui Deus est; cujus nectare & ambrosia beatorum mentes spiritualiter pascuntur; ut juxta Pauli vocem, non sit regnum Dei esca & potus, sed gaudium & pax in Spiritu Sancto. Fridericus Staphylus in Epitome Lutheranae theologiae refert Anabaptistas, nostrorum temporum pestes, hunc errorem inter caeteras suas haereses recepisse. Persimilis argumenti observationem habes infra Annotatione 347. libri sequentis.

Matt. 22. c
Tob. 12. 19.
Rom. 14. c

ANNOTATIO CCXXXIIII.

Scribe virum istum abominatum, sive sterilem. Jerem. 22. g

ORIGENEM, in 5. Stromaton lib. hoc perperam exponentem, Hieronymus libro quarto Commentariorum in Jeremiam taxat his verbis: ORIGENES hunc locum refert ad Christum, quod de manu patris instar annuli avulsus sit, & missus in terram captivitatis, in vallem lacrymarum, crucique traditus, matrem De Christo.

quoque

quoque ejus, haud dubium, quin synagogam captam, atque projectam: & non pertimescit, ista commemorans, hoc, quod sequitur, Terra, terra audi verbum Domini: haec dicit Dominus: Scribe virum istum abominatum, sive sterilem, & reliqua intelligere de Domino majestatis. Scribit autem hoc, ne discipuli ejus negare audeant, in quinto Stromatum libro. Haec Hieronymus in Origenem; quem credibile est haec, utpote allegorice exponentem, protulisse de Christo eo sensu, quo Paulus ausus est dicere, Christum factum esse pro nobis peccatum, maledictum & execrationem, hoc est, oblationem pro peccato & maledictione, cui omnes eramus obnoxii.

2. Cor. 5. 21.

ANNOTATIO CCXXXV.

Propheta, qui habet somnium, narret somnium. Jerem. 23. f

De libero arbitrio.

HIERONYMUS libro quarto in Jeremiam ex interpretatione hujus clausulae in haec verba incidit: SOLENT haeretici semper prospera polliceri, & coelorum regna peccatoribus pandere, ut dicant, Parata sunt tibi regna coelorum; potes imitari majestatem Dei, ut absque peccato sis: accepisti enim liberi arbitrii potestatem, & legis scientiam, per quam consequaris quod volueris: decipiuntque blanditiis miseros, & maxime mulierculas oneratas peccatis, quae circunferuntur omni vento doctrinae. Hanc Pericopen, ut ex Collectaneis Bodii conjicitur, Lutherani usurpant, ut ostendant nos esse haereticos, qui doceamus hominem accepisse liberi arbitrii potestatem; ut, divina favente gratia, possit ab omni lethali culpa abstinere. Scito Hieronymum his verbis non rejicere hanc nostram catholicam de libero arbitrio sententiam, quam ubique praedicat, & egregie tuetur; sed damnare superbum atque insolens dogma Pelagii: qui, exclusa divinae gratiae ope, hominem asserebat ex scientia legis, & ex propriae voluntatis viribus posse ad imitationem Dei omnino fieri impeccabilem, & aeternae quoque foelicitatis possessorem: atque huc potissimum spectat, quod Hieronymus in Origenem superius annotavit, Annot. 159.

ANNOTATIO CCXXXVI.

Transmigrationem Juda emisi de loco isto in terram Chaldaeorum in bonum. Jerem. 24. b

De animabus coelo delapsis.

ORIGENEM, haec allegorice exponentem de descensu animarum in terram ob flagitia in coelis perpetrata, Hieronymus libro quinto in Jeremiam, his verbis incessit: DELIRAT in hoc loco allegoricus semper interpres: & vim cupiens historicae facere veritati, de coelesti Hierusalem captos refert, atque translatos in terram Chaldaeorum; rursumque ad locum pristinum reversuros, ut Jeremiam, & caeteros sanctos Prophetas; alios vero, qui peccatores fuerint in terra hac, & in valle lacrymarum, esse morituros. Idem supra Annot. 185.

ANNOTATIO CCXXXVII.

Catenas, vel furcas ligneas contrivisti: faciam pro eis furcas ferreas. Jerem. 28. c

Animarum incarceratio.

ORIGENES, super his allegorice differens, dixit animas in coelis peccasse, & ob id animas daemonum in corpora aërea subtiliora, animas vero hominum in corpora crassiora demissas. Refert hoc Hieronymus libro quinto in Jeremiam, sic scribens: DELIRAT in hoc loco allegoricus interpres, furcas & catenas ligneas aetherea appellans & aërea corpora, daemonum videlicet, & adversariarum potestatum; furcas autem, sive catenas ferreas nostra corpora crassiora, quae nervis & ossibus carne venisque contexta sint: ut qui voluerint de coelesti Hierusalem pro qualitate peccati minores subire cruciatus, in catenas nostrorum

ſtrorum corporum condemnentur, & infantiae vagitus, pannorum vincula, ſordesque ſuſtineant, & ſerviant diabolo regi Babylonis, id eſt, mundi hujus, dicente Scriptura: Mundus in maligno poſitus eſt cum beſtiis terrae, quae in brutorum animantium corpora ſunt religatae. Vide ſupra Annot. 185. 1. Joa. 5. 19.

ANNOTATIO CCXXXVIII.

Ponat te Dominus, ſicut Sedechiam, & Achab: quos frixit rex Babylonis in igne. Jerem. 29. e

HIERONYMUS Commentario quinto in Jeremiam huic periodo talem appoſuit expoſitionem: AJUNT Hebraei hos duos eſſe presbyteros, quorum uni loquitur Daniel: Inveterate dierum malorum: & alteri ſemen Chanaam, & non Juda, Species decepit te: ſic faciebatis filiabus Israël: & illae metuentes loquebantur vobiſcum. Sed illud, quod impraeſentiarum dicitur, Quos frixit rex Babylonis in igne, videtur Danielis hiſtoriae contraire: ille enim aſſerit, eos ad ſententiam Danielis a populo eſſe lapidatos: hic vero ſcriptum eſt, quod frixerit eos rex Babylonis in igne: unde & a pleriſque ac pene omnibus Hebraeis ipſa quaſi fabula non recipitur, nec legitur in ſynagogis eorum. Qui enim, inquiunt, fieri poterat, ut captivi lapidandi principes & Prophetas ſuos haberent poteſtatem? & magis hoc eſſe verum affirmant, quod ſcripſit Jeremias, convictos quidem eſſe presbyteros a Daniele; ſed latam in eos ſententiam a rege Babylonis, qui in captivos, ut victor & dominus, habebat imperium. Rufinus libro ſecundo Invectivarum Hieronymum incuſat, quod ſub aſſumpta Judaei perſona hiſtoriam Suſannae variis argumentis confutaverit. Habes haec fuſius Annotatione libri hujus 245. & 250. (a)

De Suſannae hiſtoria. Dan. 13. 50. & 56.

ANNOTATIO CCXXXIX.

Major eſt iniquitas populi mei peccato Sodomorum. Thren. 4. b

STRABUS in Gloſſa ſua, quae Ordinaria dicitur, hanc annotans clauſulam, dixit hypocriſin eſſe crimen longe majus peccato Sodomorum. Vide ſupra Eſaiae cap. ſextodecimo Annotat. 227. De Hypocriſi.

ANNOTATIO CCXL.

Ubi erat Spiritus, illuc gradiebantur, ac revertebantur, cum ambularent. Ezech. 1. c

GREGORIUS homilia quinta in Ezechielem ita hunc locum interpretatur, ut videatur aſſerere, quod charitas, ſemel habita, non poſſit amitti. Ait enim: NON revertebantur, cum ambularent: quia electi quippe ſic ad bona vadunt, ut ad mala perpetranda non redeant. Et poſt multa exponens illud, Diſcurrens in medio animalium ſplendor ignis, ait: POTEST diſcurſus, atque mobilitas ſic intelligi. In ſanctorum quippe cordibus, juxta quaſdam virtutes ſemper permanet, juxta quaſdam vero receſſurus venit, & venturus recedit. In fide enim, ſpe, atque charitate, & aliis bonis, ſine quibus ad coeleſtem patriam non poteſt perveniri, ſicuti eſt humilitas, caſtitas, juſtitia, atque miſericordia, perfectorum corda non deſerit: in pro-

Num charitas ſemel habita poſſit amitti. Ezech. 1. 13.

pbetiae

(a) Quinam fuerint iſti, quos frixit Rex Babylonis, haud certum ita eſt, ut poſſit indubitanter adſeverari. Rabanus, N. Hugo, & Lyranus eoſdem fuiſſe ajunt Presbyteros, ſeu ſeniores illos, qui in Suſannae pudicitiam primum, deinde in ejus vitam ſaevierunt, & de quibus ſermo eſt Danielis XIII. idque ex Hebraeorum traditione, quam etiam S. Hieronymus refert. Verum Maldonatus, Cornelius a Lapide, aliique ex Julio Africano alios longe diverſos fuiſſe adſerunt, praecipue quia illi Danielis Judices fuerunt, hi Jeremiae fuerunt Prophetae; illos populus occidit, hos Nabuchodonoſor interemit: illos lapidibus obrutos, hoſce in frixorio combuſtos novimus. Scio quid ad haec reſpondeant Delrius, & Lyranus: nimirum primum a populo ut adulteros lapidatos, deinde Regis juſſu in ſartagine frixos. Sed credat haec Judaeus Apella, non ego, cum & temporis, & muneris diverſitas obſtent. Jure igitur idem met Hieronymus hanc narratiunculam fabulis adcenſet, ſecus vero hiſtoriam Suſannae, quam vindicat locis ab Xyſto infra indigitatis. Videſis Interpretes laudatos, alioſque eruditos.

phetiae vero virtute, doctrinae facundia, miraculorum exhibitione electis suis aliquando adest, aliquando se subtrahit. In his itaque virtutibus, sine quibus minime ad vitam pervenitur, Spiritus Sanctus in electorum suorum cordibus permanet: unde recte stabilis dicitur: in his vero, per quas sanctitas demonstratur aliquando misericorditer praesto est, aliquando misericorditer recedit. Item
Cant. 8. 6 hom. 11. in Matth. cap. 13. FORTIS, inquit, est, ut mors, dilectio: quia videlicet sicut mors corpus interimit, sic ab amore rerum corporalium aeternae vitae charitas occidit: nam quem perfecte absorbuerit ad terrena foris desideria velut insensibilem reddit. Rursus homilia 30. in caput 14. Joannis ait: NUNQUAM est Dei amor otiosus: operatur enim magna, si magnus est: si vero operari renuit, amor non est. In hac opinione creditur etiam fuisse Augustinus tractatu tertio in priorem epistolam Joannis: ubi explicans illud ex capite secundo ejusdem epistolae, Unctio, quam accepimus ab eo, permaneat in nobis, &c. ait: UNCTIO invisibilis Spiritus Sanctus est: unctio invisibilis charitas est: quae in quocunque fuerit, tanquam radix ille erit: quae quamvis ardente Sole arescere non potest: omne enim, quod radicatum est, nutritur calore Solis, & non arescit. Et in eandem epistolam tractatu octavo, RADICATA est, inquit, charitas, securus esto, nihil mali procedere potest. Illam quoque sententiam, Charitas, quae deseri potuit, nunquam vera fuit, citat Gratianus distinctione 2. ex epistola quadam Augustini ad Julianum comitem; quae nunc in ejusdem epistolis non invenitur. Ad hunc sensum spectat, quod ex commentariis Ambrosii in sextum caput posterioris epistolae ad Corinthios idem Gratianus allegat: FICTA charitas est, quae deserit in adversitate: vel sicut apud ipsum Ambrosium legitur: SIMULATA charitas in his est, qui in necessitate deserunt fratres. Eodem pertinet, quod Beda in expositione prioris epistolae Joannis capite primo ex Rapsodiis Gregorii collegit his verbis: NOTANDUM est, quod semper in Domino manserit Spiritus Sanctus; in sanctis autem hominibus quandiu mortale corpus gestaverint, partim manet in aeternum, partim rediturus secedit: manet quippe apud eos, ut bonis insistant actibus, voluntariam paupertatem diligant, munditiam cordis & tranquillitatem pacis amplectantur, persecutionem pati non vereantur: eleemosynis, orationibus, jejuniis, caeterisque fructibus spiritus insistant. Recedit autem ad tempus, ne semper infirmos curandi, mortuos suscitandi, vel etiam prophetandi habeant facultatem. Manet semper, ut possint habere virtutes, & ut mirabiliter ipsi vivant: venit ad tempus, ut etiam aliis per miraculorum signa, quales sint intus, effulgeant.

PETRUS Lombardus libro Sententiarum tertio, distinct. 31. scribit fuisse quosdam, qui, accepta ex his sententiis errandi occasione, affirmaverint, charitatem neque ab his quidem, qui damnandi sunt, unquam haberi posse, neque ab his, qui salvandi sunt, cum semel habita fuerit, amitti posse. D. Thomas in secunda secundae quaest. 24. articulo 11. viam sternens ad intelligentiam horum locorum, ait, charitatem, quae hic in terris haberi potest, tribus modis in considerationem venire, aut in sui ipsius essentia, aut quatenus ab auctore suo procedit, vel quatenus a suscipiente recipitur. Si eam juxta duos priores contemplandi modos inspiciamus: tunc secundum propositas patrum sententias pronunciandum, charitatem esse omnino inamissibilem, tum quod ipse charitatis auctor Deus, nemini occasionem praebeat amittendi charitatem; tum quod ipsa charitas, suapte natura indeficiens, se ipsam perdere nequeat. Si vero charitatem spectemus ex parte recipientium, quorum est ingenium varium, semperque mutabile; nulli dubium est charitatem propter liberam & instabilem hominum voluntatem facile posse deperdi. (a)

AN-

(a) Laudata M. P. Augustini Epistola, quae ab N. Xysto indigitatur, in antiquis editionibus pro tertia, sed perperam notabatur, & in Decretis Dist. II. de Poenitentia Cap. *Charitas* (quod est tertium Caput) sic refertur. Verum, ut omnes emunctae naris, iique, doctissimi Critici observarunt, praefata Epistola, seu potius liber, qui inscribitur *de salutaribus documentis*, & *ad quendam Comitem* directus legitur, spurius est, supposititius, & indignus Augustino. Notandum insuper est, quod S. Thomas (& ex eo Xystus) dum ita legit ex praefato libro: *Charitas, quae deficere potest, nunquam vera fuit*, id ex Gratiano transcripsit, & quidem elegantius ac in praefato Pseudo-Augustiniano Codice, ubi habetur, *charitas, quae adseri potest*. Legesis ergo integrum S. Thomae articulum, sed Cl. N. Johannis Nicolai marginales notas diligenter adtendas.

ANNOTATIO CCXLI.

Haec dicit Dominus, Si forte audiant, & quiescant, &c. Ezech.3.c

GREGORIUS, homilia decima in Ezechielem obiter percurrens dictum illud Amos 4. Plui super unam civitatem, & super alteram non plui, &c. videtur innuere, quod poenitentibus unum quandoque peccatum remittatur, altero non remisso. Sic enim fatur: CUM ipse, qui praedicatores audit, ab aliis se vitiis corrigit, atque ab aliis emendare contemnit, una eademque civitas ex parte compluitur, & ex parte arida remanet; in qua a se praedicationis pluviam repellit: sunt etenim quidam, qui exhortationis verba omnino non audiunt: hi penitus suscipere pluviam nolunt: & sunt quidam, qui audiunt; sed tamen hanc medullitus non sequuntur: quia alia in se vitia resecant, sed in aliis graviter perdurant. D. Thomas in tertia parte Summae, quaestione 86. art.3. sic scribit. VERBUM Gregorii non est intelligendum, quantum ad remissionem culpae, sed quantum ad cessationem ab actu: quia interdum ille, qui plura peccata consuevit committere, deserit unum, non tamen aliud: quod quidem fit auxilio divino, quod tamen non pertingit usque ad remissionem culpae.

Num peccatum unum sine altero remittatur.

ANNOTATIO CCXLII.

Terra cum peccaverit mihi, ut praevaricetur praevaricans. Ezech.14. d

ORIGENES homilia quarta in Ezechielem ex interpretatione hujus sententiae statuere conatur, quod terra sit animal sensu & ratione praeditum, virtutis ac vitii, praemii & poenae capax. Ejus dicta summarim excerpta haec sunt: LATISSIMAM scripturae sylvam recensens, coarctor ad suspicandum, quod animalis sit terra ista, quam cernimus, accipiens testimonia dicta de terra: Qui aspicit super terram, & facit eam tremere: &, Offenditur terra ab his, qui insident in ea: &, Complacebit sibi terra in Sabbatis suis: item, Attende coelum, & loquar, & audiat terra verba oris mei: & Jeremias, Terra terra audi verbum Domini: & Paulus, Omnis creatura congemiscit & condolet. Si omnis creatura congemiscit & condolet, est autem creaturarum pars terra & coelum; & liberabitur omnis creatura a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei: quis scit & de terra, an secundum naturam suam in aliquo peccato teneatur obnoxia? Si enim animal est, si rationabilis est, si indiget auditione sermonis prophetici, dicentis, Attende coelum, & loquatur, & audiat terra verba oris mei: &, Audi coelum & auribus percipe terra: cur non dicamus, quod sicut hominum & angelorum futurum est judicium; ita aëris & terrae judicium sit futurum? Si autem non putas huic disputationi consentiendum, per quam asserimus omnem creaturam judicandam: audi & aliud testimonium de terra ad Cain: Maledicta terra, quae aperuit os suum ad excipiendum sanguinem fratris tui de manu tua: item, Maledicta terra in operibus tuis: item, De adventu Domini scriptum est, Omnis terra clamat cum laetitia: capax est enim, ut animal, juxta partium qualitates bonorum actuum & malorum, in quibus aut laudem meretur, aut poenam. Cum igitur dicitur, Terra quae peccaverit mihi, mysterium quoddam significatur: aliter quippe de habitatoribus, aliter de ea dicitur, quae inhabitatur. Coelum & terra pertransibunt: cur coelum praetergreditur? cur terra pertransit? nisi quia transitus sui quaedam digna fecerunt? & alio loco, Corrupta est, ait, omnis terra: quando corrupta est? ante diluvium: non quod per inundationem diluvii sit corrupta. Possem & aliter interpretari, quod terra aliquando delinquat: terra quippe est anima nostra, ut in parabola Evangelii significatur: sed cum hic addatur, Et auferam ex ea hominem & pecus, aliud est terra, aliud homo: nam habitatores terrae, ut quidam putant, nunc pro terra non nominat: si enim habitatores terrae per terram accipi velit: superfluum fuerat dicere, Auferam ex ea hominem & pecus.

Num terra sit animal rationis capax.
Psal. 103. d
Levit. 26. f
Deut. 32. a.
Jerem. 22. g
Ad Rom. 8. 22
Deut. 32. a
Isai. 1. a.
Genes. 4. b
Genes. 3. e
Psal. 95. a
Luc. 21. f
Gen. 6 b
Genes. 6. b

HAEC Origenes, sive potius Origenis corruptor: cui juxta Chrysostomi sententiam respondemus, omnia praedicta testimonia esse per prosopoejam, hoc est personae efictionem, accommodanda ad terram. Solent enim divini scriptores,
Psalm. 97. b ut oratio significantior fiat, rebus inanimis animatas personas affingere, inducen-
Psalm. 113. a tes tum fluvios manibus plaudentes, tum colles saltantes, tum montes subsultantes, non ut haec animata esse putemus, neque ut illis cogitationem aliquam attribuamus; sed ut intelligamus, quanta sit propositorum bonorum amplitudo, ut quae vel ea etiam, quae sensu carent, pertingat. Hoc ipsum & in rebus molestis faciunt, inducentes & vitam lamentantem, & montes, & templi laquearia ejulantia, ut & hinc rursus malorum graviratem reputemus.

Alter Origenis error. IN HAC eadem Origenis homilia, septuaginta fere lineis longe ab initio, caute lege, quod ait, Angelorum alios esse, qui praevaricantur, alios, qui non praevaricantur, & utrosque in die judicii judicandos secundum opera sua.

ANNOTATIO CCXLIII.

Sumens tibi de vestimentis meis, fecisti tibi excelsa. Ezech. 16. b

Num solus Christus sit imitandus. ORIGENES homilia septima in Ezechielem, cum hanc particulam enarraret, obiter ad explanandum sententiam Christi ex Matthaeo progressus est: SU-
Matt. 23. a PER cathedram Mosi sederunt scribae & pharisaei: omnia, quaecunque vobis dicunt, audite & facite; juxta autem opera eorum nolite facere: dicunt quippe, & non faciunt. Iste sermo de me est, qui bona doceo, & contraria gero, & sum sedens super cathedram Mosi, quasi scriba & pharisaeus: praeceptum tibi est, o popule, si non habueris accusationem doctrinae pessimae & alienae ab ecclesia dogmatum, conspexeris vero meam culpabilem vitam, atque peccata, ut non habeas juxta dicentis vitam, tuam instituere, sed ea facere, quae loquar: nullum imitemur: & si volumus imitari quempiam, propositus est nobis ad imitandum Christus.

HUNC locum, ut ex Collectaneis Hermanni deprehenditur, torquent haeretici adversus catholicos, praesertim monachos, qui Basilium, Benedictum, Dominicum, Franciscum, aliosque monasticae vitae institutores imitantur, quasi non satis sit unum imitari Christum; quem Paulus nobis, veluti unicum imita-
Ephes. 5. a tionis exemplar proponens, inquit: ESTOTE imitatores Christi. Quibus respondendum est, Nos, cum sanctos imitamur, non alium in sanctis imitari, quam
Galat. 2. d Christum, in sanctis habitantem ac viventem, dicente Paulo, Vivo ego, jam non ego: vivit autem in me Christus: nec alio modo sanctos imitamur, quam eo,
I. Cor. 4. d & XI. a quem nobis Paulus, in quo loquebatur Christus, praefixit, dicens, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi; hoc est, quatenus ipsi sancti Christum imitantur. Ad hunc igitur sensum proposita verba Origenis prolata sunt.

ANNOTATIO CCXLIIII.

Sacerdotes caput suum non radent. Ezech. 44. e

Num Clericis barba capillive tondendi sint. HIERONYMI explanationem, huc appositam, usurpant nostrorum temporum haeretici adversus traditiones ecclesiasticas de abradendis sacerdotum capillis & barba. Ex horum numero Hortensius quidam Landus, Augustinianae professionis desertor, libellum hujus argumenti particularem emisit, DE PERSECUTIONE BARBARUM titulo satis impie jocoso praenotatum: in quo variis & improbis scommatibus, conviciis, & blasphemiis insectatur clericos, & praecipue monachos, qui religiosum radendi verticis, & menti institutum servant, detorquens in illos aliquot divinae scripturae testimonia, & catholicorum interpretum dicta, in quibus est propositae clausulae explicatio, a Hieronymo in terriodecimo Ezechielis commentario his verbis expressa: QUOD autem sequitur, Caput suum non radent, &c. perspicue demonstrat, nec rasis capitibus, sicut sacerdotes, cultoresque Isidis, atque Serapis, nos esse debere; nec rursum comam demittere,

quod

quod proprie luxuriosorum est, barbarorumque: sed ut honestus habitus sacerdo-
tum facie demonstretur; nec calvitium novacula esse faciendum; nec ita ad pres-
sum tondendum caput, ut rasorum similes esse videamur; sed in tantum capil-
los demittendos, ut operta sit cutis. Et post pauca, RASA capita haber supersti-
tio gentilis, vino autem non reor aliquem abstinere gentilium. Rursus libro in
Esaiam sexto elucidans illud, In cunctis capitibus calvitium, & omnis barba rade- Esa.15. a
tur, &c. ait: SI QUID virilitatis haberi videbatur in barba, rasum a viro eccle-
siastico, effoeminatum & debile comprobatur. Et iterum libro in Esaiam 3. edis-
ferens illam Dei comminationem, In die illa radet Dominus in novacula, &c. ER- Esa.7. e
GO, inquit, in ista novacula acutissima, hoc est in rege Syrorum, omnes capil-
los, decoremque barbae, quod virilitatis indicium est, radet Dominus de Judaea,
ut nihil in illa forte, nihil pulchrum resideat: sed effoeminatis hominibus; im-
mo ignominiosis mulieribus comparetur. Huic Hieronymi sententiae altera Epi-
phanii, Salaminae episcopi, annectitur: qui in tertio Panarii volumine adversus
Massalianos decertans, affirmat sancitum esse ab Apostolis ex auctoritate divinae
scripturae, ne barba raderetur. Ejus verba haec sunt: FRATRES, qui in mona-
steriis per Mesopotamiam degunt, quod pejus est, barbam viri formam resecant,
capillos autem capitis saepe nutriunt: & tamen de barba quidem dicit in Consti-
tutionibus Apostolorum divina Scriptura, ac doctrina, Ne corrumpas, hoc est, Levit. 19. f
Ne feces pilos barbae, neque meretricio more ob comam efferaris. Adjungitur
Epiphanio Clemens, Alexandrinus presbyter, Origenis praeceptor, libro Paeda-
gogi tertio, cap. 11. sic scribens: VIRORUM capilli ne a capite nimium demit-
tantur, in comam muliebrem dilabentes: viris enim barba sufficit: quod si quis-
eriam barbam non nihil tondeat; ea tamen non est omnino denudanda: est enim
turpe spectaculum: barbaque ad cutem usque tonsus non videtur multum abesse
a vulsione & levore: jam enim psalmographus, barbae coma delectatus, SICUT Psal. 132. a
unguentum, inquit, quod descendit in barbam, barbam Aaronis: cum barbae
conduplicatione decorem laudasset, vultum exhilaravit unguento Domini. Ca-
pilli ergo tondendi sunt, non novacula: est enim hoc illiberale, sed tonsorum
forficibus. Barbae autem pili, qui nihil molestiae afferunt, non sunt vexandi, ut
qui vultui gravitatem afferant, & quendam paternum terrorem incutiant.

HAEC Pattum dicta Hortensius confirmat divinae scripturae auctoritatibus;
quibus non solum reprobat hunc radendi morem, sed eam quoque tondendi for-
mam vituperat, qua nunc utuntur clerici, capite in coronae modum attonso. Et
de rasurae quidem interdicto scriptum esse dicit in Ezechiele, SACERDOTES Ezec. 44. 20.
caput suum non radent. Et de Samuele sacerdote, OMNIBUS diebus vitae suae 1. Reg. 1. b
novacula non transibit per caput ejus. Et in Numeris ei, qui se ipsum Deo con-
secravit, dicitur, NOVACULA non transibit per caput ejus omni tempore con- Num. 6. a
secrationis suae. Et in Levitico praeceptum est omnibus, NON radetis barbam, Levit. 19. f
neque stigmata facietis vobis. Unde & in epistola Jeremiae ex Baruch, detestans Bar. 6. 30.
propheta ritum sacerdotum Babylonis, caput, & barbam radentium, ait: IN domi-
bus idolorum sacerdotes sedent, habentes tunicas scissas, & capita, & barbam ra-
sam; quorum capita nuda sunt. De circulari autem capitis tonsura ait mandasse
Deum in Levitico: NON attondebitis comam in rotundum, neque barbam rade- Levit. 19. f
tis. Et in Jeremia Deus, contemptoribus legis hujus dispersionem comminatus, in-
quit: DISPERGAM in omnem ventum eos, qui circumtonsi sunt coma. Jer. 9. g

ATQUE haec sunt, quae excucullatus ille transfuga adversus sacram tonden-
di radendique consuetudinem, prius a se longo tempore approbatam, in libello
suo induxit, jocis, dicteriis, & impuris fabellis intermista: cui breviter responde-
mus, nec divinis legibus, neque ullis Patrum decretis simpliciter prohiberi capi-
tis, mentique tonsionem, vel rasuram: sed e contra asserimus nos tondendi mo-
rem & a Dei, & ab ecclesiae, & ab ipsis quodammodo naturae legibus accepisse:
nam de naturali tonsionis lege scribens Paulus in priore ad Corinthios, inquit: 1. Cor. 11. b
NATURA ipsa docet vos, quod vir si comam nutriat, ignominia est illi: mulier
autem si comam nutriat, gloria est illi: quoniam capilli pro velamine ei dati
sunt: & turpe est mulierem tonderi, aut decalvari. Quae verba edisserens Chry-
sostomus, ait: NATURAM humano generi etiam in cultu capillorum dedisse

praesidentiae, ac subjectionis symbola: virum enim jussit, resecta coma, libero & adaperto capite principatus signum praeseferre: mulierem vero comam gestare voluit, velut quoddam summissionis velamen, ac servitutis insigne. Sicut itaque mulier, si abscissa caesarie, detectoque capite, viri symbolum contra naturae ordinem usurpaverit, se ipsam deturpat: ita vir, si neglecta potestatis suae dignitate, muliebrem comam assumpserit; se ipsum ignominia afficiet, servitutis insigne & effoeminati animi indicium gestans. Cum igitur naturae instinctu suadeantur viri omnes ad comae attonsionem: quanto magis consentaneum est sacerdotes, qui officii dignitate, & vitae exemplo caeteris praeesse debent, virilis praesidentiae insignia, attonso muliebri crine, circumferre?

QUOD autem comae, barbaeque attonsionem, & abrasionem saepenumero Deus praeceperit, docent nos sacrae literae; in quibus scriptum est, quod Nazaraei prius crine servato, demum post magnam vitae continentiam caput radebant, & capillos in ignem sacrificii ponere jubebantur: ut hoc visibili signo monerentur omnia superflua praesentis vitae bona, quae per capillos corporis humani superfluitates significantur, a se ipsis abscindere, & in obsequium Dei sacrificare. Hoc & Ezechieli Prophetae, ac sacerdoti mandatum legimus, dicente ad ipsum Deo: TU, fili hominis, sume tibi novaculam acutam, radentem pilos, & duces eam per caput, & per barbam tuam. Et in Actibus Apostolorum Lucas memoriae prodidit, Priscillam & Aquilam, suscepto Nazaraeorum voto, in Cenchris, Corinthiorum portu, caesariem abrasisse; idemque non multo post Hierosolymis fecisse Paulum hortatu Jacobi Apostoli una cum plerisque aliis Christi discipulis.

Num. 6. 18.
Ezec. 5. 1.
Actor. 18. e
Actor. 21. 24. & 26.

PORRO hoc ipsum ecclesiasticis sanctionibus jam inde ab initio nascentis ecclesiae statutum fuisse testis est Isidorus, Hispalensis episcopus, in secundo De officiis ecclesiasticis libro, cap. quarto sic scribens: TONSURAE ecclesiasticae usus a Nazaraeis, ni fallor, exortus, ab Apostolis in ecclesia introductus est, ut hi, qui in divinis cultibus mancipati, Domino consecrarentur quasi Nazaraei, id est sancti Dei, crine praeciso innovarentur. Quam Isidori sententiam veram esse comprobat Aniceti Pontificis epistola, non longe ab Apostolorum temporibus scripta ad episcopos Galliae: in qua etiam haec inter caetera habentur: PROHIBETE fratres per universas regionum vestrarum ecclesias, ut clerici, qui laïcis & simplicibus, virtutis, honestatis, pudicitiae, & gravitatis exemplar esse debent, ac se ipsos, tanquam signum purioris vitae, rudioribus ad imitationem prudenter exhibere, juxta Apostolum, comam non nutriant, sed desuper caput in modum sphaerae radant: quia sicut discreti debent esse in conversatione; ita & in tonsura, & in omni habitu discreti debent apparere. Extat etiam in concilio Carthaginensi quarto, quod anno salutis nostrae 416. collectum fuit, canon numero quadragesimus quartus his verbis: CLERICI neque comam nutriant, neque barbam. Habetur item in quarta synodo Toletana, annis ab hinc mille celebrata, alter canon ordine quadragesimus, formam figuramque ecclesiasticae tonsurae praescribens hunc in modum: OMNES clerici, vel lectores, sicut levitae, & sacerdotes, detonso superius capite toto, inferius solam circuli coronam relinquant: non sicut hucusque in Galliciae partibus facere lectores videntur; qui prolixis, ut laïci, comis in solo capitis apice modicum circulum tondent: ritus enim iste in Hispaniis hucusque haereticorum fuit: unde oportet, ut pro amputando ab ecclesiis scandalo hoc signum dedecoris auferatur, & sit una tonsura, vel habitus, sicut toti Hispaniae est usus. Qui autem hoc non custodierit, fidei catholicae reus erit.

ISIDORUS Hispalensis in libro, quem mox citavimus, ecclesiasticae tonsurae causas referens, ait in primis id instituisse ecclesiam, ut sicut clericos a laïcis vivendi ratione oportet esse distinctos, & inter eos vitae probitate conspicuos; ita quodam distincto capitis cultu oportuit eos caeteris saecularibus discerni: quod & Aniceti decretum aperte indicat, inquiens, ut sicut esse debent in conversatione ab aliis discreti; ita sint in tonsura & habitu discreti. Secundo ut clerici hoc externo attonsi capitis symbolo docerentur, quod intus in mente, cujus caput sedes esse dicitur, illis gerendum foret, hoc est superfluas carnis curas, quas capillorum

superfluitas

superfluitas adumbrat, una cum capillis resecare, & crimina cum crinibus abjicere, & carnalem ac muliebrem mentem simul cum carnali & muliebri caesarie deponere, & novam ac virilem mentem viriliter attonso capite imponere. Tertio ut in clericis utriusque dignitatis, regiae scilicet, ac sacerdotalis, insignia spectarentur: sicut enim in veteri lege sacerdotes tiaram, hoc est pileolum dimidiatae sphaerae figuram habens, capiti imponebant, reges vero aurea corona cingebant tempora: ita nunc superior capitis portio ad similitudinem hemisphaericae tiarae detonsa sacerdotalem praesefert dignitatem, capillorum vero sertum in coronae modum temporibus circunductum regiae majestatis similitudinem repraesentat: ut plane illa Petri sententia clericis conveniat: Vos estis genus electum, regale sacerdotium. Addunt & quartam hujusmodi ritus causam Germanus, Constantinopolitanus Episcopus, in explanatione divinae Liturgiae, & Beda presbyter in historia, quod cum Judaei in contumeliam Christiani nominis Petrum, Antiochiae praedicantem, in superiori parte capitis abrasissent; posteriores pontifices, & episcopi, illatam Petro ignominiam capitibus suis humilitatis gratia imponentes, eam in ornamentum & gloriam Christiani sacerdotii commutarunt. Atque has ferunt tondendi capitis fuisse causas. 1. Pet. 2. 9

RADENDI barbam rationem Beda in Esdrae commentariis institutam esse dicit ad humilitatis recordationem, scilicet ne Deo dicati homines magnitudine, aut multitudine virtutum suarum in superbiam extollantur. Nam cum barba, quae virilis sexus & aetatis est index, fortitudinem, prudentiam, aliasque virtutes significet, perfecto viro dignas; idcirco eam sancti viri abscindere, vel abradere jubentur; ut ex hoc intelligant, oportere eos omnem propriae virtutis confidentiam abjicere, & meminisse virtutes suas, quantumlibet magnas ac multas, vitiis esse permistas, & proinde paucas esse & parvas, aut fere nullas, si divinae aequitatis examine discutiantur, dicente Davide: NON intres in judicium cum servo tuo Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens: & Job, SI justificare me voluero, & innocentem ostendero, pravum Deus me comprobabit. Ex his igitur perspicuum est tonsuram & rasuram divinis & ecclesiasticis legibus non approbari solum, sed etiam ob multas & justas causas praecipi. Psal. 142. 2. Job 9. 20.

SED, ut his respondeamus, quae definitionem hanc labefactare videntur, sciendum est ea, quae Hortensius contra nos attulit, duplici ordine distingui. In primo collocantur Scripturae testimonia, quae rasuram, vel tonsuram non omnibus personis, & ubique, & semper interdicunt, sed certis personis, locis, ac temporibus, hoc est solis Nazaraeis, donec votum explerent; vel solis Levitis, donec in terra sancta morarentur, & quoad templum Hierosolymis extaret, in quo solo sacrificare, & caetera ad sacrificium pertinentia exercere poterant. Ibi enim & pro eo tempore, solisque sacerdotibus praecepit Deus, ne caput, barbamque raderent, ut quam longe abessent a superstitione vicinarum gentium, quarum sacerdotes, ut in epistola Jeremiae legitur, raso capite ac mento idolis immolabant. Baruc. 6. 30.
Nunc vero nec sacerdotes Judaeorum Palestina ejecti rasura abstinent, nec sacerdotes Christiani ab ea prohibentur, quos Christus morte sua ab antiqui sacerdotii legibus liberavit. Ad hunc igitur ordinem spectant, quae Deus Nazaraeis in libro Numerorum imposuit, & sacerdotibus sive per Mosem, sive per Ezechielem, sive per alios Prophetas de rasura mandavit. In secundo ordine sunt oracula scripturarum, & Patrum dicta, quae tonsuram & rasuram prohibere videntur; cum tamen neutram vetent, sed tantum inhibeant perversam intentionem, ac pravam consuetudinem tondentium & radentium: ex quibus alii, vana superstitione persuasi, se ipsos radebant ad imitationem gentilium sacerdotum; alii, muliebri quadam mollitie inducti, barbam radebant, ut se ipsos effoeminarent, sicut de quibusdam Romanis Imperatoribus prodit Suetonius Julium Caesarem ea diligentia ac morositate rasisse barbam, ut pilos etiam non sine calumnia velleret; Othonem vero quotidie faciem rasitasse, ac pane madido linisse, idque instituisse a prima lanugine, ne barbatus unquam esset. Talem igitur impium usum, & improbum radendi, tondendique morem damnant Hieronymus, Clemens, Epiphanius, & apostolica, immo divina lex, ab Epiphanio citata ex cap. 19. Levitici, NON attondebitis comam in rotundum, neque barbam radetis. Ita enim ipsam Num. 6. 5. Levit. 19. 27.

ipsam explicat Theodoretus, Cyri episcopus, quaest.28. in Leviticum, inquiens: QUIDAM, quod Septuaginta verterunt, Non facietis σισόην ex coma capitis vestri, neque corrumpetis faciem barbae vestrae, interpretati sunt Capillos de industria crispos factos: ego vero existimo per legem aliud interdici: nam moris est apud Graecos in pueris capillorum extremitates non attondere, sed sinere capillos promitti, & aliquanto post tempore eos daemonibus dedicare: consueverant etiam radere barbam, cum aliquem elugerent, & genas incidere in honorem defunctorum: nec non aliquas corporis partes acu perforabant, & nigro vestiebantur in reverentiam daemonum. Haec igitur divina lege sunt interdicta. Caeterum Thomas presbyrer Cardinalis nullam hìc de tonsura mentionem fieri existimat: sic enim in commentariis scribit: JUXTA Hebraeum habetur לא תקיפו פאת ראשכם Lo thakkiphu peath roschem, id est, Non facieris circumgyrare angulum capitis vestri: nihil dicitur de tonsione, sed de gyratione: & crediderim inhiberi superstitionem sertorum, quae gyrabant capita celebrantium sacra deorum: co-
II. Mac. 6. 7. ronati enim circulo hederae sacra Bacchi celebrabant, ut refert liber Maccabaeorum. Nec radetis barbam Hebraïce ולא תשחית את פאת זקנך Ve lo thaschith eth peath zechanecha, hoc est, Et non facies destruere angulum barbae tuae: inhibetur ad literam totalis rasio angulorum barbae: & appellantur anguli barbae, ut Hebraei testantur, supremae partes barbae, quae junguntur temporibus: & usque hodie Hebraei pilosos servant hos angulos, quamvis reliquum barbae radant. (a)

(a) Sapienter nimis N. Xystus ventilavit scommata Hortensii, aliorumque eaegregum a Romana communione criminantium nostram conversationem, & quidem in re merae disciplinae, atque coctam recoquentes Graecorum cramben, qui schismatis furore perciti id genus levia, esto commendanda, veluti enormia crimina Romanae Ecclesiae objicere non erubuerunt. Verum quia plura ibidem N. Author collegit, quae recto egent criterio, ad historicam cognitionem, ac veritatis notitiam eadem librare oportet.

In primis Epistola Aniceti Papae ad Episcopos Galliae data subdititiis id genus RR. PP. epistolis ad Syricium usque, ut alibi etiam adnotavimus, est adgreganda, neque ullam ea eo Xystus promeretur censuram, cum error non ejus, sed aevi fuerit, praesertim quia primitus in Pontificali Damaso tributo legebatur, & a Gratiano fuit relata C. *Prohibet* dist. XXIII. & postea universim a reliquis sequioris epochae Theologis fuit commendata. Idipsum quoque dicas de Canone Apostolico, quem Turrianus ceterique primores Canonum collectores in medium protulerunt, quum ex concordi eruditorum calculo Cannn ille fient, & ceteri, qui sub Apostolorum nomine quondam pervolarunt, ad longe posteriorem aetatem pertineant. Neque itidem Caoon XLI. val XLIV. Concilii Carthaginensis Anni CCCXCVIII. ad praesentem nostram disciplinam seculorum serie firmatam roborandam valet, quum in eo dumtaaat comae cultura probibeatur, esto ab eodem Gratiano ad eundem fortasse scopum cum ceteris suppostitiis monumentis referatur C. *Clericus* dist. XLII. Ita enim habet laudatus Carthaginensis Canon: *Clericus neque comam alat, neque barbam*. Quod propterea observantes emunctae naris, adcurarioris que criterii Theologi alio ex momento praesentem disciplinam vindicare ftndn runt.

Utque res haec distincte, ac sine ulla confusione, per synopsim potius indigitata, quam pertractata, clarescat, de Clericis primum, deinde de Monachis quid fuerit decretum, qualisve fuerit prior disciplina, quae vero sequiori tempore consuetudo, est observandum. Concors quidem est eruditorum omnium sententia in Occidente ad Seculum VI. usque Clericos omnes consuevisse capillos modeste attondere sine ulla circuli, seu coronae, aut sphere in occipitio, vel in medio capitis, sive superiori ejus parte, ut deinceps varia fuit disciplina; idque perspicuum est ex Ambrosio Epistola XXXIII. ad *Sabinum*, Optato Milevitano lib. II. *contr. Parmen.* Hieronymo loco a N. Xysto laudato, & Epistola II. *ad Nepotianum*, a Salviano lib. VIII. *de Gubernatione*, quibus incognita ne dum, verum (alio tamen ex momento) despicabilis fuit Clericorum tasura, sive capitis corona. Sexto autem adolescente Seculo praescriptum fuit, ut supra aurem tonso crine, & in medio capitis formato circulo, corona in capita Clericorum fieret, nec quidem perperam, ut hetaerodoxi criminantur, sed ad distinctionem ne dum, verum ad religionis tesseram, & commendabile mysterium, ut legere est apud Isidorum Hispalensem *de officiis Ecclesiae* lib. 1. cap. 1. & 2. Lib. II. Cap. 4. & alibi. Gregorium Turonensem *De gloria Martyrum* lib. 1. cap. 28. Bedam *Hist. Anglor.* Lib. IV. cap. 1. Amalarium *de divinis officiis* Cap. 15. & alios. Ex quidem laudata lex, quae primitus fuit indicta in Concilio Agathensi Ann. DVI. *Can.* 20. & Bracharensi DXL. *Can.* 76. ut ex collectione Martini Brachareosis Episcopi habetur, strictius inculcata fuit in Concilio Toletano IV. Anni DCXXXIII. *Can.* 40. pervolavitque ex Hispania in Angliam, Gallias, Italiam, aliasque Orbis partes strictint de corona in capite gestanda a Clericis lex, rigidiorque propterea disciplina fuit eo tempore servata. Esto VIII. & IX. Seculis eadem fuerit aliquantulum relaaata, quum eo tempore consuevisse Clericos radere barbam & capillos decurtare (non attondere) raso summo vertice tantum, tradat Ratramnus Monachus *Respons. ad object. Graecor.* lib. 4. cap. 5. Sed num ubique & semper postmodum eadem relaxatio viguerit? pro certo adseri nequit, quum plures legantur in Conciliis posterioris aetatis procusi Canones ad exactiorem disciplinam servandam variis editis Statutis pro varietate latioris aut strictioris in capite gestandae coronae a Clericis, Levitis, Presbyteris, & Episcopis, ut praeceteris consulere est apud Cl. Ludovicum Thomassinum *de Vet. & Nov. Eccles. Disciplin.* P.I. Lib. II. Cap. 36. & sequentibus. Circa barbae autem sive culturam sive rasuram certum est Occidentales Clericos locorum, & laicorum consuetudinem tenuisse, & quanta fuerit horumce varia pro temporum consuetudo nobis etiam ex more fortasse ad finem elapsi Seculi usque servata perspicuum est, nemine reluctante.

AN- In

ANNOTATIO CCXLV.

Anno tertio regni Joachim, &c. Dan.1. 1

HIERONYMUS, in praefatione translationis in Danielem de partibus libri Danielis sententiam ferens, ita scribit: HAEC idcirco refero, uti difficultatem vobis Danielis ostenderem; qui apud Hebraeos nec Susannae habet historiam, nec hymnum trium puerorum, nec belis draconis fabulas; quas nos, quia in toto orbe dispersae sunt, veru antepofito, easque jugulante, subjecimus, ne videremur apud imperitos magnam partem voluminis detruncasse. Audivi ergo quendam de praeceptoribus Judaeorum, cum Susannae derideret historiam, & a Graeco nescio quo eam diceret esse confictam, illud opponere, quod Origeni quoque Africanus opposuit, etymologias has ἀπὸ τοῦ σχίνου, σχίσαι, καὶ ἀπὸ τοῦ πρίνου, πρίσαι, de Graeco sermone descendere: cujus rei nos intelligentiam nostris hanc possumus dare: ut, verbi gratia, dicamus, de arbore ilice dixisse eum, Illico pereas, & a lentisco in lentem te comminuat angelus: vel, Non lente pereas, aut lentus, id est flexibilis ducaris ad mortem: sive aliud quid ad arboris nomen conveniens: deinde tantum fuisse ocii tribus pueris cavillabatur, ut in camino aestuantis incendii metro luderent, & per ordinem ad laudem Dei omnia elementa provocarent: aut quod miraculum, divinaeque aspirationis indicium, vel draconem interfectum offa picis, vel sacerdotum Belis machinas deprehensas: quae magis prudentia

De Appendice Danielis. Dan.13. 54. Dan.13. 55 & 59. Dan. 3. 24. Dan.14. 26.

In Oriente vero alia fuit primitus ab ea, quae nunc servatur, disciplina. Tunc enim Graeci, non secus ac Latini, caput attondere, seu capillitium decurtare in modestiae argumentum consueverunt; quinimmo consuevisse etiam tum attonso crine, nedum Sacerdotes, verum & Episcopos ministrare clarissime constat ex epistola LXX. Nicolai I. R. P. retundentis Graecorum in Latinos criminationes, & praesto sunt alia non levia, nec pauca monumenta ad id probandum confirmandumque. Legesis propterea laudatum Thomassinum *ibidem*.

Circa Monachos autem non dissimili modo est loquendum ex varia apud eos disciplina servata. Consuevisse quidam universim Monachos deponere capillos in signum renunciationis temporalium, & in tesseram adsumtae poenitentiae (Poenitentes quidem olim deposuisse crines compertum est ex innumeris, qui extant, Canonibus Poenitentialibus) pro comperto est apud omnes. At num omnes capillos resciderint, num attonsi semper, vel rasi capite cuncti religiosam exercuerint vitam? pro certo adstrui non potest, quum varia fuerit etiam in Monachis disciplina. Consuevisse aliquos Monachos, praesertim Anachoretas, incultam servare comam ex pluribus monumentis liquescit. De S. Antonio Abbate legitur in Regula Solitariorum *Cap. 67.* quod cum Monachum quendam ostentationis vitio cecidisse accepisset, *flere coepit, & capillos sibi trahere*. De Theodosio Antiocheno Abbate tradit Theodoretus *In Philoth. c.* 10. quod „ gestaret comam sordidam, „ & quae ad ipsos usque pedes pertingebat, & ulte„ rius etiam progrediebatur, & ideo erat lumbis ejus „ alligata. „ De S. Martino ad Turonensem Episcopatum adsumendo haec erat una vox reluctantium, eum nimirum esse *veste sordidum, & crine deformem*, ut memoriae prodidit Severus Sulpitius *lib.* 1. vitae S. Martini. Seculo etiam XI. Martinus alter Monachus & Eremita teste Petro Damiani *opusc. LI. cap.* 5. „ per tria ferme lustra non prodiit, sed neque ca„ pillos totondit, neque barbam rasit: hoc siqui„ dem & ipsi crines evidenter asserunt, qui jam jam „ forte proliniores illi talo tenus fluunt. „ Alii autem non ex proprii corporis despectu, sed potius ex vanitatis momento & fastus ambitione caesariem colebant, & criniti incedebant, quos propterea redarguunt Epiphanius loco ab Authore laudato, Augustinus *lib. de opere Monachorum*, Sexta Synodus, & Petrus Damiani. Universim igitur Monachi attonso capite Monasticam disciplinam custodiebant. Sed quomodo, aut qua forma? certe ex locorum consuetudine, & Praepositorum voluntate pendebat.

Alii enim novacula ad cutis planitiem usque capillos radebant, ut ex Socrate *lib. 3. Histor. cap.* 1. Alii forfice, sed inculte sibi capillorum superfluitates amputabant, qui propterea *semitonsi* adpellabantur, ut constat ex Epistola VII. Paulini Episcopi Nolani: & ex his etiam plura occurrunt exempla eorum, qui capillis propterea fuerunt detenti, & praecipue praesto est, quod S. Gregorius M. *Lib.* 1. *Dialog. c.* 7. refert de S. Mauro, qui jussu S. Benedicti S. Placidum puerum ad hauriendam aquam missum, & lacu delapsum, capillis apprehensum extraxit ex aquis. Alii vero ad cutem fere usque adtondebantur forfice. Aliis formabatur corona; eaque varia juxta Regularum diversitatem latior vel arctior ex circulo capillorum breviori, vel laxiori. Quinimo diversitas quam maxima fuit Graecos inter, & Latinos Monachos. Graeci namque in formam crucis tondebant signabantque Monachorum tepita, ut constat ex Euchologio Graecorum in Ordine attondendi novitios. Quamvis ex Canonibus Arabicis Concilii Nicaeni a Turriano vulgatis *Cap.* 76. (de quibus quid sentiant Critici observa, quum certo certius sit non illius Synodi, sed posterioris aetatis, etsi vetustae, esse monumenta) & ex Theoria S. Germani constet etiam per modum sphaerae fuisse peractam Orientalium Monachorum tonsuram, quo pacto erat consueta Latinis, & ne dum Clericis, sed etiam Conversis, seu qui ad Monasticen, & poenitentiam conversi, ad Altaris ministerium disponebantur; secus vero Laicis, quibus absque ullo signo circuli fuit caput attonsum. De qua re quum plures verbum habeant, praesertim tamen consulendi sunt duo Cll. Benedictini Johannes Mabillonius *Praefat. in III. Secul. Bened.* & Edmundus Martene de Antiquis Ritibus Monachorum *Lib. V. cap.* 7. Apud quos etiam est legere variam gestandi barbam Monachis praescriptam disciplinam circa varias locorum & temporum circumstantias.

prudentia solertis viri, quam prophetali essent spiritu perpetrata. Cum vero ad
Dan. 14. 35. Abacuch veniret, & de Judaea in Chaldaeam raptum discophorum lectitaret, quaerebat exemplum, ubi legissemus in toto veteri testamento, quenquam sanctorum gravi volasse corpore, & in puncto horae tanta terrarum spacia transisse. Cui cum quidam e nostris, satis ad loquendum promptulus, Ezechielem adduxisset in me-
Ezech. 8. 3. dium; & diceret eum de Chaldaea in Judaeam fuisse translatum: risit hominem: & ex ipso volumine demonstravit, Ezechielem in spiritu se vidisse transpositum.
1. Cor. 12. 2. Denique & Apostolum nostrum, videlicet ut eruditum virum, & qui legem ab Hebraeis didicisset, non fuisse ausum affirmare se raptum in corpore, sed dixisse, Sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit. His & talibus argumentis apocryphas in libro ecclesiae fabulas arguebat. Super qua re lectoris arbitrio judicium derelinquens, illud admoneo, non haberi Danielem apud Hebraeos inter Prophetas, sed inter eos, qui Agiographa conscripserunt. In tres siquidem partes omnis ab eis Scriptura dividitur, in Legem, in Prophetas, & in Agiographa, id est, in quinque, & octo, & in undecim libros: de quo non est hujus temporis disserere. Quae autem ex hoc Propheta, immo contra hunc librum Porphyrius objiciat; testes sunt Methodius, Eusebius, & Apollinarius, qui multis versuum millibus ejus vesaniae respondentes, nescio, an curioso lectori satisfecerint. Haec Hieronymus: quem Rufinus, Aquilejae presbyter, libro Invectivarum secundo ob tria potissimum criminatur: primum, quod hortatu Barabae Judaei, praeceptoris sui, Susannae historiam, quam per annos fere quadringentos ecclesia ad instructionem castitatis legisset, e Danielis volumine abjecerit; & quod astu quodam rhetorico sub aliena persona adversus eam argumenta induxerit: secundum, quod trium puerorum hymnum, quem maxime diebus solennibus ecclesia cantaret; loco suo dimoverit & absciderit: tertium, quod Danielem dixerit non esse habendum inter Prophetas.

HISCE criminationibus occurrens Hieronymus libro primo Invectivarum adversus Rufinum, eidem in hunc modum respondet: DE DANIELE autem breviter respondebo, me non negasse eum Prophetam, quem statim in fronte prologi Prophetam esse confessus sum; sed, quid Hebraei dicerent, & quibus argumentis suam niterentur probare sententiam, voluisse monstrare; & docuisse lectorem, ecclesias Christi hunc Prophetam juxta Theodotionem legere, & non juxta Septuaginta translatores: quorum si in isto libro editionem dixi multum a veritate distare, & recto ecclesiarum Christi judicio reprobatam: non est meae culpae, qui dixi; sed eorum, qui legunt. In promptu sunt quatuor editiones, Aquilae, Symmachi, Septuaginta, & Theodotionis. Ecclesiae juxta Theodotionem legunt Danielem: ego, quid peccavi, si ecclesiarum judicium secutus sum? Quod autem refero, quid adversum Susannae historiam, & hymnum trium puerorum, & belis draconis fabulas, quae in volumine Hebraïco non habentur, Hebraei soleant dicere: qui me criminatur stultum, se sycophantam probat: non enim quid ipse sentirem, sed quid illi contra nos dicere soleant, explicavi. Quorum opininni si non respondi in prologo, brevitati studens, ne non praefationem, sed librum viderer scribere: puto, quod statim subjecerim; dixi enim, de quo non est hujus temporis disserere: alioquin & ex eo, quod asserui Porphyrium contra hunc Prophetam multa dixisse, vocavique hujus rei testes Methodium, Eusebium, & Apollinarium, qui multis versuum millibus illius vesaniae responderunt, me accusare poterit, quare non in praefatiuncula contra libros Porphyrii scripserim: qui istiusmodi naenias consectatur, & scripturae Hebraïcae veritatem non vult recipere, audiat libere proclamantem, Nemo cogitur legere, quod non vult: ego petentibus scripsi, non fastidiosis; gratis, non invidis; studiosis, non oscitantibus; & tamen miror, quomodo Theodotionem haereticum & judaïzantem legit, & qualiscunque peccatoris Christiani translationem fastidit. Leges haec latius in libro octavo in confutatione haereseos sextae.

AN-

ANNOTATIO CCXLVI.

Et regnum quartum erit veluti ferrum, &c. Dan.2. f

De Regno Romanorum.

HIERONYMUS hanc clausulam in commentariis Danielis sic exponit: REGNUM quartum, quod perspicue pertinet ad Romanos, ferrum est, quod comminuit, & domat omnia: sed pedes ejus, & digiti ex parte ferrei, & ex parte sunt fictiles: quod hoc tempore manifestissime comprobatur: sicut enim in principio nihil Romano imperio fortius & durius fuit: ita in fine rerum nihil imbecillius; quando & in bellis civilibus, & adversum diversas nationes aliarum gentium barbararum indigemus auxilio. Non defuerunt olim, qui Hieronymum propter haec arguerent, quod majestatem Romani imperii, a Christianissimo tunc Imperatore defensam, parum honorificis verbis tractasset: quibus ille satisfaciens, in praefatione undecimi in Esaiam commentarii sic ait: SI in expositione statuae, pedumque ejus; & digitorum discrepantia ferrum & testam super Romano regno interpretatus sum, quod primum forte, dein imbecillum Scriptura portendit; non mihi imputent, sed Prophetae: neque enim sic adulandum est principibus, ut sanctarum Scripturarum veritas negligatur: nec generalis disputatio unius personae injuria est. Haec divus Hieronymus.

ANNOTATIO CCXLVII.

Deos tuos non colimus, & statuam, quam erexisti, non adoramus. Dan.3. e

Num faciendae imagines colendae sint.

HIERONYMUS ad elucidationem hujus clausulae his utitur verbis: CULTORES Dei imagines adorare non debent: ergo judices & principes saeculi, qui Imperatorum statuas adorant, & imagines, hoc se facere intelligant, quod tres pueri facere nolentes, placuerunt Deo. Et notanda proprietas: deos coli, imaginem adorari dicunt: quod utrunque servis Dei non convenit.

BALTHASAR Hiemairus, qui ob haereseos pertinaciam anno Domini M. D. XXVIII. Viennae exustus est, in libro, quem adversus imaginum cultores inscripsit, his Hieronymi verbis ad tutelam erroris sui abutitur, adjecto post ipsa testimonio ex epistola Epiphanii ad Joannem, Hierosolymae episcopum, ab ipso Hieronymo translata & approbata in haec verba: CUM venissem ad villam, quae Anablatha dicitur, vidissemque ibi praeteriens lucernam ardentem, & interrogassem, quis locus esset; didicissemque esse ecclesiam, & intrassem, ut orarem: inveni ibi velum pendens in foribus ejusdem ecclesiae tinctum atque depictum, & habens imaginem quasi Christi, vel sancti cujusdam: non enim satis memini, cujus imago fuerit: cum ergo hoc vidissem, in ecclesia Christi contra auctoritatem Scripturarum hominis pendere imaginem, scidi illud; & magis dedi consilium custodibus ejusdem loci, ut pauperem mortuum eo obvolverent, & efferrent: illique contra murmurantes dixerunt, Si scindere voluerat, justum erat, ut aliud daret velum, atque mutaret: quod cum audissem, me daturum esse pollicitus sum: nunc autem misi, quod potui reperire: & precor, ut jubeas, presbyteros ejusdem loci suscipere velum a latore, quod a nobis missum est; & deinceps praecipere in ecclesia Christi istiusmodi vela, quae contra religionem nostram veniunt, non appendi: decet enim honestatem tuam hanc magis habere sollicitudinem, ut scrupulositatem tollat, quae indigna est ecclesia Christi, & populis, qui tibi crediti sunt. Rursum in alia epistola, quae in actis septimae synodi citatur, idem auctor sic scribit: ESTOTE memores dilecti filii, ne in ecclesiam imagines inferatis, neque in sanctorum coemeteriis eas statuatis, sed perpetuo circumferte Deum in cordibus vestris: quin etiam neque in domo communi tolerentur: non enim fas est, Christianum per oculos suspensum teneri, sed per occupationem mentis. Haec Epiphanius; quibus libri auctor sententiam annectit Eusebii Caesariensis episcopi.

S.Epiphan. ep.ad Johan. Hierosol. inter Hieronymianas epistolas LX. aut CVI.

IS IN epistola ad Constantiam Augustam, petentem ab eo Christi imaginem, ita exaravit: QUONIAM de Christi imagine ad me scripsisti, ut tibi mitterem;

velim mihi significes, quamnam putes Christi imaginem, utrum illam veram & incommutabilem, natura illius characteres ferentem, aut hanc, quam propter nos assumpsit, servilem formam pro nobis induens: sed sane de divina forma non arbitror etiam ipse ego te esse sollicitam, cum fueris ab illo edocta, neminem patrem cognovisse, praeter filium; neque ipsum filium condigne quempiam cognovisse, nisi qui illum genuit patrem. Et post alia, SED omnino servi requiris imaginem formae, & carnem, quam propter nos induit: sed & hanc gloria deitatis suae commistam esse didicimus, & passam, mortuamque. Et post pauca, QUIS igitur gloriae ejusce modi & dignitatis splendores lucentes & fulgurantes effigiare mortuis & inanimatis coloribus, & umbratili pictura posset? cum neque divini illius discipuli in monte illum contemplari quiverint; qui cadentes in faciem suam, non posse se ejuscemodi spectaculum inspicere confessi sunt. Igitur si carnis illius figura tantam ab inhabitante in ea divinitate accepit potentiam: quid oportet dicere tunc, cum mortalitatem exuit,& corruptionem abluens, formam servi in Domini & Dei gloriam transtulit, post mortis scilicet victoriam, post ascensum in coelos, post cum patre regio in throno a dextris consessum, post requiem in ineffabilibus & innominandis finibus patris, in quam ascendentem & desidentem coelestes potestates illi benedictis vocibus acclamabant, dicentes: Psal.23. b Principes tollite portas vestras: aperiamini portae coelestes: introibit rex gloriae? Hucusque Eusebius.

CUI BALTHASAR Ambrosii auctoritatem subjungit ex oratione funebri in Theodosium, ubi sic legitur: INVENIT ergo Helena crucem Domini, regem adoravit, non lignum utique; quia hic gentilis est error & vanitas impiorum: sed adoravit illum, qui pependit in ligno, scriptum in titulo crucis.

DEMUM post multas harum sententiarum explanationes narrationem suam duobus decretis concludit. Ex his id, quod antiquius est, habetur canone 36. concilii Eliberini, anno Domini trecentesimo ac vigesimo celebrati: ejus verba haec sunt: PLACUIT picturas in ecclesia esse non debere, ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur. Alterum vero multo posterius editum est circa annum Domini DCC.XXX. sub Leone & Constantino filio Augustis in concilio Ephesino III. editum in haec verba: Si quis Dei verbi incarnati figuram, & sanctorum omnium ideas in imaginibus inanimatis & mutis, materialibus coloribus depingere studeat, cum nullum omnino usum afferant picturae; Anathema sit: vana enim est excogitatio, & diabolicae insidiationis inventio. Post cujus decreti promulgationem iidem Imperatores omnes imagines & statuas e templis auferri & incendi mandarunt.

HIS, atque aliis Patrum, ac divinae Scripturae testimoniis coacte pertractis, ac perperam expositis, impius Balthasar cultum sanctarum imaginum demoliri contendit. Cui breviter, & quantum praesentis instituti brevitas patitur, respondemus eum in primis ineptissime accommodare ad venerabiles sanctorum imagines, quae Hieronymus scripserat de statua regis Assyriorum, deque aliis imaginibus gentilium; quas illi non solum diis, hoc est, daemonibus suis, sed etiam regibus ac principibus suis vivis ac defunctis ponebant, & impie adorabant: has ipse dixit non esse adorandas, non autem illas, quas vero Deo, & beatis amicis ejus, ac servis nos Christiani sacramus. Nec minus insulse Ambrosium producit in medium: qui licet Helenam dicat non adorasse crucem, quia lignum adorare, gentilis sit error, & vanitas; non tamen inficiatur adorandam esse crucem, cujus adorationem paulo post proposita verba confirmat, inquiens: SAPIENTER Helena egit, quae crucem in capite regum levavit, & locavit, ut crux Christi in regibus adoretur: non insolentia ista, sed pietas est, quae defertur sacrae redemptioni. Et deinde, aliquibus interpositis verbis, de adoratione clavi, quo Servatoris nostri pedes fuerunt transfixi, ait: FERRO pedum Christi reges inclinantur, reges adorant, & Photiniani divinitatem ejus negant? clavum crucis ejus diademati suo praeferunt Imperatores, & Arriani potestatem ejus imminuunt? Quibus quidem dictis prudenter monet Ambrosius, ne crucem gentili superstitione colamus, hoc est, existimantes lignum illud esse Deum, aut aliquod deitatis numen; sed ut pio & Christiano cultu adoremus eam, tanquam humanae redemptionis

symbolum,

symbolum, & monumentum eorum, quae pro nobis in ea pertulit redemptor noster Christus, referentes in eum, quicquid honoris & reverentiae cruci ejus exhibemus. Hoc igitur ordine & scopo etiam alias factas veneramur imagines, juxta formulam in secunda Nicaena synodo traditam: quam, ut Sabellicus libro Enneadis octavo testis est, Latini Patres temporibus Caroli Magni his duobus versibus, ex Graeco translatis, concluserunt, sub tinnula rhythmi consonantia, qua aetas illa tum primum delectari coeperat:

Hoc Deus est, quod imago docet, sed non Deus ipsa:
Hanc videas: sed mente colas, quod cernis in ipsa.

AD ID vero, quod ex Epiphanii epistolis opponitur, Joannes Damascenus annis ab hinc pene octingentis respondit libro primo adversus Iconomastiges in hunc modum: QUOD si objicias eximium illum, & admirabilem Epiphanium palam interdixisse earum cultum: primum quidem responderim doctrinam illam, a marginaria annotatione forte relatam in contextum, atque ita esse commentitiam, non item profectam ex ejus lucubratione: alterius magis esse, qui eodem dictus sit nomine, id quod multi facere consueverunt. Tum secundo loco, si opponis, scimus beatum Athanasium vetuisse sanctorum reliquias imponi capsulis, sive loculis, verius praecepisse, ut eaedem terra conderentur, ob id, quod modis omnibus cuperet abrogare absurdam Aegyptiorum consuetudinem; qui suorum cadavera non terra tegebant, sed in lecticis & pheretris deponebant. Forsan & Epiphanius eximius tale aliquid ad rectitudinem revocare volens, lege cavit, ne depingerentur imagines, ut & donemus ipsius fuisse sententiam: nam quod hujus propositum non fuerit eas submovere, ecclesia istius beati Epiphanii testimonio est ad nostra usque tempora exornata omni ex parte imaginibus. Tertio responderim, non infrequens, aut rarum quid inventu est lex ecclesiae tradita: neque enim una hirundo facit ver, uti Gregorio Theologo, & ipsi veritati videtur; neque una sententia potest totius ecclesiae traditionem funditus demoliri, & a termino terrae ad extremum usque limitem convellere. Hucusque Damascenus. S. Greg. Nazian. Orat. XXXVIII.

EX CUJUS secundo responso facile reddi potest ratio, cur provinciale concilium Eliberinum, a decem & novem duntaxat episcopis in Hispania peractum, imagines in templis ejus provinciae pingi vetuerit, nempe ut idololatriam hoc remedio extingueret. Nam etsi Patres illius synodi scirent sacrarum imaginum cultum ecclesiae jam adultae utilitatem maximam conferre: tamen cum animadvertissent gentes illas, nuper ab idolorum superstitione ad Christum venientes, adhuc ad pristinam idololatriam inclinari, & divinos honores imaginibus in ecclesiis Christianorum depictis impendere, ac si illis aliquid inesset divinitatis, judicarunt praesenti morbo non posse aliter mederi, quam imaginum interdictione. Proinde cum nunc Christianus populus non sit, ut olim Hispani illi, ad idololatriam pronus; nulla apparet causa, cur imagines de ecclesia auferantur: nam etsi unus, aut alter, simplicitate quadam deceptus, in colendis imaginibus erret; non sunt istorum gratia imagines omnino abolendae; sed eorum simplicitas instruenda: leges enim non paucorum numero, sed majori gentium multitudini prospiciunt.

PORRO ad concilii Ephesini, & duorum Imperatorum edicta, adversus venerandas imagines pronunciata, nihil aliud respondere libet, quam quod idem Damascenus secundo ejusdem Operis volumine dixit: *In dogmatibus & dispositionibus ecclesiasticis, Imperatorum non esse, ut leges imponant, sed accipiant: pastoribus vero & doctoribus ecclesiae mandatum esse, ut ecclesiasticae rei ordinem, non ad Imperatorum arbitrium, sed ad rectae fidei normam praescribant*, dicente Apostolo, IN ecclesia quosdam posuit Deus, primum apostolos, secundo prophetas, tertio pastores & doctores, nullamque inter istos Imperatorum mentionem faciente: quapropter Imperatores illi, qui apostolicam & pastoralem functionem invaserunt, &, coacta violenter synodo in Blachernis apud Ephesum, impios canones pro sua libidine fieri ab episcopis jusserunt, merito, ut praedones & latrones, fuerunt a Catholicis damnati: & aliquot ex episcopis, qui detestabili concilio interfuerunt, postea resipiscentes, canonem illum, adversus beatas imagines editum, abjurarunt coram trecentis & quinquaginta Patribus in secunda Nicaena synodo; in 1. Cor. 12. 28.

in cujus actione prima adhuc legitur poenitentium episcoporum palinodia.

RESTAT Eusebii Caesariensis epistola, ad quam superfluum est respondere: constat enim ex sexta actione ejusdem synodi illam communi omnium Patrum consensu reprobatam, & inter impia scripta, ab auctore suo non retractata, rejectam. (a)

AN-

(a) Na dum Balthasar Hiemarius ab Authore N. relatus in eum descendit errorem da ablegando sacris immaginibus cultu, verum & quamplures ex eadem Confessione Augustana, praesertim Michaël Sirlcius *Ostensione abominationum Papatus circ. religios. cultum creaturarum*, Samuel-Benedictus Carproviua in *Antimasenio pag.697.* Joh.Andreas Quenstadius *Antiquit. Eccles. C. 6.* Joh. Albertus Fabricius *Bibliograph. Antiq.* aliique in eundem descenderunt errorem, & quidem longe a seotentia Lutheri, qui pluries oppositum docuit, cui propterea fideliores asseclaa subscripserunt, Flaccus Yllirïcus, aliique: de qua ra vide sis Cl. Jacobum-Banignum Bossuet *Hist. Variat. Eccl. Protest. T. II. Lib.XI.* Majori taman saevitia ac impietate contra sacras imagines, earumque cultum certarunt e Calvini schola universim fera, praesertim Edmundus Albertinus, & Johannes Dallaeus *lib. de Imaginibus*, &c. Petrus Molinaeus *Novitat. Papatus*, Jacobus Basnage *Hist. Eccles.* Daniel Chamierus *Tom. II. Panstrat. Cathol.* aliique, qui etiam dicteriis, ac sarcasmis Romanam Ecclesiam ob religiosum sacrarum imaginum cultum impetunt, & oppugnant. Haud tamen inficiandum, quod impraesentiarum, & paulo anta adhuc, doctiores ex omnibus Acatholicorum Scholis mitiua loquentes, melius quoque senserunt, qui & retinendaa etiam in Templis, imo & aliqui venerandas quoque sacras imagines adseruerunt, remque fore ad disciplinam spectantem adseruerunt, nimirum Hugo Grotius, Jacobus Ouzelius (qui postea ad Romanam communionem quoque venit) Stephanus Curcallaeus, Josephus Binghamus, Samuel Basnagius, Geverarthus Elmenhorstius, Petrus Poiret (Pietista) quorum omnium sensua legesis in nostra Exercit. XIV. Tom. III. in Theses proscriptas ab Alcaandro VIII. ubi etiam plura, eaque opportuna, ad rem hanc dilucidandam, reperies. Pro cultu autem sacrarum imaginum, ne dum Theologi, qui de schola dicuntur, sed etiam insignes Ecclasiae Patres steterunt, & catholicam veritatem verbo & calamo propugnarunt, Damascanus, Theodorus Studites, Dungalus Monachus, Jonas Aurelianensis, Agobardus, aliique. Ea Polemicis autem innumeri fara ea de re scripserunt, praesertim Fratres Walemburgici, Card. Baronius, Nicolaus Sanderus, Card. Bellarminus, Johannes Fronto, aliique plures: ex NN. Ambrosius Catharinus, Natalis Alcaander, Cardinalis Gotti, aliique, apud quos atiam reperies omnia, quae od rem hanc faciunt.

Verum etsi apud laudatos Thelogos innumere extent momenta probandi catholicum dogma, & dissolvendi etiam sophismata iconomachorum, ea tamen omnia silentio praeterita, solumque apud eos consulenda insinuare opportunum haud existimo, sed aliqua hic in medium proferre, vel strictim, ad pleniorem dogmatis firmitatem. Heinc esto sapienter aa Damasceno N. Xystus Hiemarii argutationes exsufflaverit, ab eoque laudata PP. monumenta expenderit, nihilosecius aliqua ultra adiicere alienum haud erit a nostro proposito, quinimo nimium proderit ad rei claritatem, & veritatis triumphum.

Et quidem quid ad fides laudatum Epiphanii opusculum, & factum, etsi utrumque ut genuinum, & indubium admittatur? Ex eodemmet Epiphanio imago illa depicta in velo ante fores Ecclesiae pendente ita deformis erat, ac pessuma delineata, ut num fuiet Christi, aut Sancti alicujus effigies, nec ipsa Epiphanius dignoscere potuerit: ideoque summo sanoque consilio lacarandum duait valum illud fidei & religionia zelator, ut utriusqua decori ac majestati consuleret; quod etiam impraesentiarum praesertim ex decreto Tridentini *Sess. XXV.* fidei quaesitores & Episcopi habentes zelum Dei secundum sciantiam facere consueverunt, lacerantes scindentes flammisque tradentes id genua imagines iconesque. II. Ex tam mala efformata pictura scandalum inferebant cunctis inibi videntibus depictum hominem, nec Christum quidem, nec Sanctum aliquem Ecclesiae Dypticis adsctiptum, ut ea aodem Epiphanio constat dum ait: „ cum argo vidissem in Ecclesia Christi contra auctoritatem scripturarum hominis pendera imaginem. „ Ut ergo scandalum illud evarteret velum scidit Epiphanius; idque vel ea eo firmatur, quia Anablatensia populus non de injuria Sancto irrogata conquestus murmuravit, sed de velo scisso; non de violata religione, sed de laasa justitia ex inlato damno: „ si scindere voluatat, justum erat ut aliud „ darat velum atque mutares: „ Alia argo fuit Epiphanii idea, alius ejus scopus in veli scissione, ac objiciunt adversarii. Et nonna ad Johannem Hierosolymitanum ejusdem Dioeceseos Episcopum, nulla necessitudine junctum Epiphanio confugientes de sacrile io eum accusassent, si res ita foret, ut instant oppositores? citra omnem dubietatis aleam: quandoquidem imaginum usum in propriis dioecesibus tunc temporis, etiam in Ecclesiis, servabant, ac vindicabant Basilius, Chrysostomus, & Nyssenus. Procul igitur ab Acatholicorum mente sensit Epiphanius, ut constat. III. Sed ad abundantiam dato, quod revera Epiphanius imaginem sancti alicujus in velo depictam lacerasset, quid pro adversariis, quum temporis ac loci circumstantiae aliud axpostularent? Io Anablatensi villa ax Judaeis & Gentibus ad fidem conversi, nec plene in dogmate firmati, poterant in scandalum induci aa nupera disciplina de imaginum usu in Ecclesia, existimantes fortasse non ablata, sed commutata idola in Christi Ecclesia coli, ut apud Minutium Felicem objiciebant ethnici, objecitque itidem Faustus Manichaeus apud Augustinum, & obmurmuravit Julianus Apostata. Ut ergo scandalum illud everteretur Epiphanius conscidit velum; quod etiam impraesentiarum a nobis fieri posse, & ad praxim actu reduci ex laudato Tridentini decreto perspicuum est. Idque firmat epistolae, & facti contextus: nam populua dum da velo scisso conquestus obmurmuravit, nec Epiphanius, qui a se factum confirmans ad Johannem Hierosolymitanum scripsit, eidemque insinnavit, ut ob eadem villa omnis id genus scandali occasio eliminaretur, ad alium quempiam ex convicinis Episcopis, in quorum Dioecesibus, aut saltem in primoribus Ecclesiis, aa vigebat consuetudo, scripsit de eliminandis ab Ecclesiis Sanctorum imaginibua, quod certo certiua egisset ax eo fidei zelo (quem objiciunt iconoclastae) si revera eo ex momento, ut opponunt, velum illud lacerasset. Quod vero imaginum usua sive in Ecclesiis, sive extra, ad disciplinam pertineat, ille solus ignorat, qui nec a limine salutavit Christianorum scholas, ut compertum est cunctis. Verum quid Hiemarius insuper ex facto Epiphanii colligere pertentat quum ex Lutheri doctrina piaculum sit lacerare Sanctorum imagines? quinimo ut Johannes Forbesius tradit. *Lib. 7. instruction. cap. 15.* quotquot legitimi Lutheri asseclae audiunt, una voce execrantur ut

scelus

ANNOTATIO CCLXVIII.

Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt. Dan. 9. f

JUDAM Syrum, in suis Commentariis capitulum hoc explicantem, Hieronymus in Catalogo Scriptorum ecclesiasticorum notat his verbis: JUDAS de septuaginta apud Danielem hebdomadibus plenissime disputavit; & ipsarum chronographiam per superiorum tempora usque ad decimum Severi produxit annum: in qua erroris arguitur, quod adventum Antichristi circa sua tempora, hoc est, anno post Christum ducentesimo, futurum esse dixerit: sed hoc ideo, quia magnitudo persecutionum praesentem mundi minabatur occasum. Haec ille. Eadem de causa in eundem errorem ducebantur longe antea fideles illi, quos Paulus in posteriore ad Thessalonicenses epistola admonens, inquit: ROGAMUS vos per adventum Domini nostri Jesu Christi, ut non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini, quasi instet dies Domini. Fuerunt & alii plerique non ignobiles auctores in eadem fere opinione; in quibus Lactantius Firmianus ab aetate sua usque ad orbis exitium ducentorum annorum spacium definivit. Regredere ad Annot. 187.

De tempore mundani interitus.

II. Thes. 2. 6

Lactantius circa Annum CCCXVIII devexa jam aetate fuit Magister Crispi Caesaris.

ANNOTATIO CCXLIX.

Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt. Dan. 9. f

HIERONYMO, Septuaginta hebdomades exponenti, vitio datum est ab aemulis, quod in recensendis Judaeorum & quorundam haereticorum opinionibus nimius fuerit; & quod auctores, in multis a puritate fidei recedentes, ecclesiae magistros appellaverit: quibus ipse respondens, in Praefatione undecima Commentarii in Esaiam sic scribit: IN COMMENTARIOLIS Danielis brevitati studui, praeter ultimam & penultimam visionem: in quibus me necesse fuit ob obscuritatis magnitudinem sermonem tendere, praecipueque in expositione septem & sexaginta duarum & unius hebdomadarum: in quibus disserendis, quid Africanus, temporum scriptor, quid Origenes, & Caesariensis Eusebius, Clemens quoque Alexandrinae ecclesiae presbyter, & Apollinarius Laodicenus, Hippolytusque, & Hebraei, & Tertullianus senserint, breviter comprehendi; Lectoris arbitrio derelinquens, quid de pluribus eligeret: itaque quod nos verecundia fecimus judicandi, & eorum honore, qui lecturi erant: quibusdam non placet, qui non antiquorum opiniones, sed nostram sententiam scire desiderant: quibus facilis responsio est: noluisse me sic unum recipere, ut viderer alios condemnare; & certe si tanti & tam eruditi viri fastidiosis Lectoribus displicent: quid de me facturi erant, qui pro tenuitate ingenioli iuvidorum morsibus pateo? sin autem supradictos viros magistros ecclesiae nominavi; illud intelligant me non omnium probare

De calumnia imposita D. Hieronymo.

scelus imaginum expulsionem, esto earum cultum execrentur: Arnoldus Polemburg Calvinianus Scriptor *Praest. Viror. epist.* 601. iisdem diris devovet eos, qui sacras imagines aut lacerant, aut contemnunt, ac detestatur tumultuarium suorum excessum in prima Calvinismi fundatione, dum eas insectando lacerarunt, conculcarunt, ac incenderont.

Eliberini Concilii canon XXXVI. ut adcuratius examinetur oportet: „ Placuit picturas in Ecclesia „ esse non debere, ne quod colitur, & adoratur, „ in parietibus depingatur. „ *Placuit*, inquiunt Patres laudatae Synodi; res igitur est merae disciplinae, non dogmatis, alioquin dixissent, *Statuimus, diffinimus* &c. ut notum est ex variis id genus Synodorum formulis in fidei articulis diffiniendis. Placuit igitur laudatis Patribus non universim quidem abstinendum fore ab imaginum usu; sed a pictis imaginibus, nec generatim etiam, verum dumtaxat a depictis *in parietibus*, ut ex eodem Canone constat & en ejus caussam. Obnoxia erat ea Beticae pars ethnicorum hostium, ac barbarorum incursibus, facillimeque illis invadentibus urbem, deserebantur Ecclesiae a Clericis, ceterisque sacris ministris, necnon a fidelibus cunctis alio confugientibus ad vitae tutelam; ne igitur ab eisdem barbaris aut scinderentur, aut conspurcarentur sacrae Immagines, vetitum fuit ne in parietibus, unde, persecutione saeviente, divelli nequibant, pingerentur. Ad venerationem ergo cultum & reverentiam earundem imaginum prudenter sanctèque Canon ille fuit procusus. Quod vero ita res se habuerit clarissime constat ex Lactantio Firmiano, qui avitum retinendi sacras Imagines usum firmat, & gentilium in easdem furorem in medium profert. *Lib. de mort. persecutor. cap. 12.* „ Devulsis foribus, simulacrum Dei quaeritur, Scripturae repertae incenduntur, datur omnibus praeda, rapitur, trepidatur, discurritur. „ Cetera a Xysto tradita bene confulas, et si quae ulterius optas, Amice Lector, apud laudatos Theologos consule, quum haec addidisse sufficiat.

bare fidem, qui certe inter se contrarii sunt; sed ad distinctionem Josephi, Porphyriique dixisse, qui de hac quaestione plurima disputarunt. Haec Hieronymus.

ANNOTATIO CCL.

Et erat vir, habitans in Babylone, & nomen ejus Joachim. Dan.13.a

Num historia Susannae recipienda sit.

JULIUS Africanus, cum de veritate historiae Susannae dubitaret, Origenem brevi consuluit epistola; qua octo conjecturas, sibi suspicionem falsitatis inferentes, strictissime complexus est. Exemplum epistolae sic habet.

Salve ab Africano domine mi, & fili, & omnium honoratissime Origenes.

SACRAM cum haberes disputationem cum amico illo tuo, fecetesque mentionem prophetiae, habitae a Daniele in juventute, sum id tum temporis, ut decebat, amplexus. 1. Admiror vero quonam te fugerit pacto partem hanc libri esse adulterinam: hoc enim libri segmentum aliter quidem est Opusculum gratum, sed tamen Opusculum, quod multis ostenditur, & convincitur modis neotericum esse, & Graece a Graeco auctore confictum. 2. Primum quidem, quia, ut mori jussa fuit Susanna, spiritu correptus Propheta clamavit injuste prolatam fuisse sententiam: & Daniel alio prophetat modo per omne tempus, nempe visionibus, & somniis, & angeli apparitione; non autem aspiratione prophetica. 3. Deinde postea, quam adeo admirabiliter esset locutus, eo utitur ad populum & senes confutationis genere, quod longe esset a communi expectatione remotissimum, & quo neque Philistion ille mimus usus fuisset: quippe qui non contentus objurgatione, per spiritum effecta, ab altero utrunque separatum interrogat seorsum, quonam in loco eam vidisset adulterium committentem. Ut autem alter sub Prino dixisset, respondit futurum, ut angelus ipsum secet: similiter scissionem minitans alteri, qui sub Schino eam se vidisse responderat. 4. In vocibus etenim Graecis talia eundem habent sonum, παρὰ τὸν πρῖνον πρίσαι, & παρὰ τὸν σχῖνον σχίσαι: in lingua vero Hebraïca diversum habent omnino sonum: porro ex Hebraeis translata sunt ad Graecos, quaecunque feruntur veteris Testamenti. 5. Praeterea quonam pacto cum apud Chaldaeos captivi essent in Babylone, & jugulati projicerentur in plateas insepulti, ut in prima captivitate Israëlis narrant historiae, ab ipsisque avellerentur filii, ut eunuchi, & filiae ut pellices fierent, ut Prophetae praedixerant, hi de morte ferunt judicium? 6. Et quod magis mitere adversus conjugem Joachim regis ipsorum, quem sibi assessorem fecerat rex Babyloniorum? sin vero non est hic Joachim, sed alter quispiam ex populo: unde hoc domicilium captivo aderat? unde illi hortus spaciosus? 7. Ante vero haec omnia haec libri hujus particula cum aliis duabus particulis, quae sunt in Danielis fine, Danieli, qui recipitur ab Hebraeis, non est similis: quin etiam locutionis character discrepat. 8. His vero omnibus adjiciatur, cum tot praecesserint Prophetae, nullum deinceps usum fuisse testimonio alterius: quippe cum sermo ipsorum verax non aliunde mendicaverit: hic autem alteri illorum minitans, Domini meminit dicentis, Innocentem & justum non interficies. Ex his omnibus arbitror ego additum fuisse hoc libri segmentum. Ego pulsavi: tu rescribens erudi. Dominos meos omnes saluta: te quoque docti salutant omnes: & ego te valere una cum tuo comitatu, idque ex animo precor.

IV. Reg. 25.

Beli, & Draconis historias intelligit

Exod. 23. 7.

AD HANC epistolam Origenes docta atque magnifica respondit epistola: quam cum propter ejus prolixitatem non deceat in hunc infulcire locum; solutiones duntaxat argumentorum Africani summatim ex ea collectas annotabo.

PRIMUM, quod ait Susannae Opusculum nec legitimum esse, nec Hebraïce scriptum, sed Graece, & a neoterico scriptore, incertum sane habetur: & magis credibile fuerit illud olim ab auctore suo vel Hebraïce, vel Syriace scriptum; & a studiosis veritatis amatoribus inter libros seorsum reconditos servatum, deinde a Graeco interprete versum. Quod etsi etiam concesserimus non Hebraïci, sed Graeci scriptoris esse opus: non tamen ea de causa repudiandum est tanquam adulterinum.

adulterinum & confictum; praesertim cum illi apud Hebraeos fides non abrogetur: ne eadem ratione cogamur abjicere multas ejusdem generis Scripturas ab ecclesia receptas, & Sacris voluminibus immistas; quales sunt Oratio Sidrach, Misach, & Abdenagn, Hymnus trium puerorum in libro Danielis, Oratin Esther, & Oratio Mardochaei, Epistola Aman, & Epistola Mardochaei in libro Esdrae, & alia his similia, quae ad ecclesiae aedificationem susceperunt Patres nostri, quorum terminos nobis constitutos minime transgredi debemus.

SECUNDO, cum ait Danielem nusquam prophetica inspiratione correptum prophetasse, sed somniis tantum, ac visionibus, & angelica apparitione; videtur parum observasse illud Pauli, Multifariam, multisque modis Deum fuisse olim Prophetis locutum: nihil enim obest, quin unus & idem Propheta una cum somniis, visionibus, & angelicis apparitionibus consequatur etiam propheticam aspirationem: sicut in veteri Scriptura innumera passim hujus rei exempla in Prophetis videri libet. Ad Heb. 1. 1.

TERTIO, parum graviter facit, dum Scriptorem hujus libri Philistioni mimo ob id confert, quia Danielem scripserit juxta humanae prudentiae consilium senes seorsum utrosque separatos interrogasse, ac si non sufficeret, quod eos adeo mirabiliter spiritus afflatu increpasset: nam & hoc pacto deridere licebit admirabile illud exemplum jurisdicendi huic assimile, quod Scriptura divina refert Salomonem servasse in judicanda causa duarum meretricum de infantulo superstite litigantium: proinde credendum est, quod sicut ad persuadendum populum non satis fuit, ut Salomon, quamvis divino afflatus spiritu, diceret, Date huic infantem vivum: haec enim mater ejus est; sed oportuit, ut is in duas partes dividi mandaret infantem, quo veram infantis matrem omnis populus experimento maternae charitatis agnosceret: ita satis non fuit Danieli presbyteros increpare, nisi insuper accepisset, unde eos ex ore ipsorum coram universa multitudine convinceret. III Reg. 3. 27.

QUARTO, quod inquit Graecam allusionem πρίνῳ ad πρίσειν, & σχίνῳ ad σχίσει apud Hebraeos non haberi, sed voces omnino diversas; tripliciter diluitur. Primum, quod incertum sit, an voces, quae apud Hebraeos idem significant, quod apud Graecos, πρῖνος & πρίσαι, & σχῖνος & σχίσαι inter se ita dissentiant, ut nullam habeant soni similitudinem: siquidem cum in sanctis Hebraeorum voluminibus nulla unquam fiat mentio plantarum, quae nominibus πρίνῳ & σχίνῳ significantur; nullus Hebraeorum constanter affirmare potest, quomodo haec Hebraïce alludant, quorum Hebraïca nomina ignorentur. Deinde credibile etiam est Danielem pro Hebraea lingua usum fuisse Syriacis dictionibus, quae talem habuerint denominationis consonantiam. Demum fortasse accidit, quod, cum Graecus interpres exprimere vellet, ut res poscebat, Hebraïcae allusionis vim, nec posset, juxta quandam dispensationem interpretibus concessam, invenerit nomina aliarum plantarum, quae apud Graecos assimilem haberent derivationem, & propositam Danielis sententiam lucidius explicarent.

Σχῖνος, latine Schinus, seu lentiscus, arbuscula est, unde mastix colligitur. Πρῖνος, latine Prinus, est Ilex coccifera, seu frutex producens baccas coccineas, ad purpuras, seu dibapha tingenda, seu perficienda.

QUINTO, cum dubitat, quonam pacto captivis jus esset judicium de morte ferendi: mirari non debet, si Judaei a rege Babylonis potestatem obtinuerint vivendi sub propriis legibus & judiciis, cum suo tempore videat eosdem a Romanis Imperatoribus, sub quorum captivitate degunt, jus vitae ac necis accepisse in suos.

SEXTO, eadem facilitate eluditur, quod quaerit, unde captivo Joachim, & privatae conditionis homini domus, & hortus esset magnificus? neque enim hoc mirandum est, cum in Sacris literis legamus, Mardochaeum, Nehemiam, & plerosque alios captivos fuisse divites, & in sua captivitate foelices. Esther. 8. II. Esdr. 2.

SEPTIMO, quod ait, hoc segmentum non habere similitudinem cum Danielis volumine, & utriusque characterem esse diversum, ex suo quidem judicio & gustu pronunciasse videtur: si quis enim ambo attente examinaverit, non magnam admodum dissimilitudinem in utrisque inveniet.

OCTAVO, cum asserit neminem Prophetarum alterius Prophetae dictis consuevisse uti, fallitur. Utuntur enim frequentissime alter alterius testimoniis eodem sensu, & iisdem fere verbis, sicut videre licet apud Michaeam, Et erit in Mich. 4. 1. Esa. 2. 2.

novissimis

novissimis diebus praeparatus mons Domini, &c. quae verba in Esaia scripta sunt.

HAEC breviter perstrinximus ex Origenica epistola; in cujus calce Origenes ipse sic intulit: HAEC ego dixerim pro defendenda Susannae historia: atque utinam Scripturae Susannae ego encomium, praecipue post accusationes, celebrare possem, tum in singulis illius dictionibus immorando, tum sensa eximia ostendendo, id quod privatim aliquis, qui studiose & abunde meditatus fuerit in divinis, componere poterit.

ANNOTATIO CCLI.

Virgo Israël cecidit, & non adjiciet, ut resurgat. Amos 5. a

Num lapsi post poenitentiam ad pristinam dignitatem restituendi sint

STRABUS in glossematis loci hujus videtur esse in sententia eorum, qui putant peccatores post poenitentiam non posse in pristinam dignitatem restitui. Sic enim ait: NON negat Propheta, Israël posse resurgere: sed non resurget, inquit, virgo Israël: quia semel aberrans etsi reportetur humeris pastoris, non habet tantam gloriam, quantam quae nunquam erravit. Comprobare videtur hanc sententiam canon Concilii Hilerdensis, qui a Gratiano quintadecima decretorum distinctione citatur in haec verba: HI, qui sancto altari deserviunt, si subito in flenda carnis fragilitate corruerint, & , Domino respiciente, digne poenituerint, officiorum suorum sic loca recipiant, ut non possint ad altiora officia ulterius promoveri. D.Thomas in tertio Theologicae summae volumine horum dicta explicans, ait, geminam dignitatem a peccatoribus amitti: alteram coram ecclesia, alteram coram Deo: & hanc duplicem esse; unam praecipuam ac primariam, qua justi ex divinae gratiae munere inter filios Dei computantur. Hanc autem poenitentibus restitui, argumento est prodigus ille filius, cui resipiscenti pater amissae dignitatis stolam reddi jussit. Alteram vero esse ait coram Deo secundariam dignitatem, hoc est, innocentiam; quam nemo, quantumlibet poenitens, recuperare potest, tametsi longe majores honores interdum consequi valeat; quemadmodum Gregorius in homilia de centum ovibus ostendit exemplo militis; qui post fugam fortiter reversus ad pugnam, majorem laudem, ac potiora praemia a duce suo promeruit, quam ille, qui nec unquam terga praebuit, nec aliquid unquam audenter fecit. De hujus igitur posterioris dignitatis gloria interpretanda sunt Strabi verba. Est & alia post has duas ecclesiastica dignitas, de qua Thomas intelligendum censet praedicti Concilii canonem, quo sublimiores honorum gradus non omnibus simpliciter poenitentibus deneganrur, sed iis duntaxat, qui publicam egerunt poenitentiam: nam & Petro, ut Arnobius in Psal. 38. inquit, post trinam negationem poenitenti major gradus redditur, quam sublatus fuerat deneganti: datumque ei est a Christo, ut episcoporum omnium esset episcopus.

S Tho. III P. Q. LXXXIX Ar.3. in corp.

Luc.15. 22.

S Gregor. M. Hom.34. in Evangel.

Concil. Ilerde n. celebr. An. DXXIV. Can. I. ubi agitur de Clericis, qui aliquos, etiam in bello hostes, occidunt.

ANNOTATIO CCLII.

Si descenderint usque ad infernum, inde manus mea educet eos. Amos 9. a

Num duo tantum loca sint post hanc vitam.

HIERONYMUS libro tertio Commentariorum in Amos inter caetera, quae ad expositionem hujus periodi congessit, haec habet: QUANDO anima, vinculis laxata corporeis, volandi quo velit, sive quo ire compellitur, habuerit libertatem: aut ad inferna ducetur, de quibus scriptum est, Convertantur peccatores in infernum omnes gentes, quae obliviscuntur Deum; &, In inferno quis confitebitur tibi? &, Descendet in infernum gloria tua; aut certe ad coelestia sublevabitur. Petrus, Cretae archiepiscopus, libro quarto Sententiarum, distin.21. quaest.prima, ubi de purgatorio differit, hoc dictum disputandi gratia proponit sub persona eorum, qui afferunt post hanc vitam duo tantum loca esse, ad quae animae corporibus solutae feranrur, coelum scilicet, & infernum: mox vero dicti hujus ambiguitatem aperiens, ait Hieronymum non loqui de solutione animae, quae fit per naturam, adveniente morte corporali, sed de solutione voluntaria & spirituali animae a corpore per speculationem & contemplationem; in qua anima

Psalm. 9. 18.

Psalm. 6. 6.

anima ita separatur a corpore, ut corpus non separetur ab anima: & hunc sensum aperte ostendunt sequentia verba Hieronymi, cum inquit: AUT certe ad coelestia sublevabitur, ubi sunt spiritualia nequitiae in coelestibus, &c.

ANNOTATIO CCLIII.

Tollite me, & mittite in mare. Jonae 1. d

HIERONYMUS in Commentariis super Jonam hanc Prophetae vocem, ultro se offerentis ad mortem, sic exponit, ut sentire videatur, licere in persecutionibus, castitatis servandae causa, mortem sibi ipsi propria manu inferre. Ejus verba haec sunt: NON est nostrum mortem arripere; sed illatam ab aliis libenter excipere: unde & in persecutionibus non licet propria perire manu, absque eo, ubi castitas periclitatur; sed percutienti colla submittere. Ejusdem mentis putatur fuisse Ambrosius. Is etenim in 3. De virginibus libro respondens Marcellinae, sorori suae, de hac re percontanti, arbitratur neces earum foeminarum, quae, ut pudicitiae consulerent, manus sibi ipsis consciverunt, fuisse martyria: idque demonstrat exemplo Pelagiae, Antiochenae virginis, & duarum sororum, ac matris ejus: quarum illa, subversis prius idolorum aris, se ferro peremit; illae vero sese una cum matre in fluvium demerserunt. Sed praestat Ambrosii mentem, quamvis narratione aliquantulum prolixiore expressam, huc apponere, cum ob concinnam sententiarum gravitatem, tum ob argutas persuasiunculas, quibus assertionem suam sub alterius persona suadere videtur. Num servandae pudicitiae causa liceat propria manu interire.

JAM ad finem orationis vela pandenti suggeris soror sancta, quid super eorum meritis existimandum sit, qui se praecipitaverunt ex alto, vel in fluvium demerserunt, ne persecutorum inciderent manus, cum divina Scriptura vim sibi Christianum prohibeat inferre: & quidem de virginibus, in necessitate custodiae constitutis, eandem habemus assertionem, cum martyrii extet exemplum. Sancta Pelagia apud Antiochiam quondam fuit annorum fere quindecim soror virginum, & ipsa virgo: haec primo classico persecutionis domi inclusa, cum se a praedonibus fidei, vel pudoris circunsederi videret, absente matre & sororibus, vacua praesidio, sed Deo plenior, Quid agimus, inquit, nisi prospicias captiva virginitas? & votum est, & metus est mori: quia mors non excipitur, sed asciscitur: moriamur si licet, vel si nolunt licere, moriamur. Deus remedio non offenditur, & facinus fides ablevat. Certe si vim ipsam nominis cogitemus, quae vis voluntaria? illa magis est vis, mori velle, nec posse: nec difficultatem veremur: quis enim est, qui vult mori, & non possit, cum sint ad mortem tam proclives viae? jam enim sacrilegas aras praecipitata subvertam, & accensos focos cruore restinguam: non timeo, ne dextera deficiens non peragat ictum, nec pectus se dolore subducat: nullum peccatum carni relinquam: non vereor, ne desit gladius: possumus mori nostris armis, possumus mori sine carnificis beneficio. Matris in gremio fertur ornasse caput, nuptialem induisse vestem, ut non ad mortem ire diceres, sed ad sponsum. Ast ubi detestandi persecutores ereptam sibi viderunt praedam pudoris, matrem & sorores coeperunt quaerere: verum illae spirituali volatu jam campum castitatis tenebant, cum subito hinc persecutoribus imminentibus, inde torrente fluvio exclusae a fuga, inclusae ad coronam, Quid veremur? inquiunt: ecce aqua, quis nos baptizari prohibet? & hoc baptisma est, quo peccata donantur, regna quaeruntur: & hoc baptisma est, post quod nemo delinquit: excipiat nos aqua, quae regenerare consuevit: excipiat nos aqua, quae virgines facit: excipiat nos aqua, quae coelum aperit, infirmos tegit, mortem abscondit, martyres reddit: te, rerum conditor precamur Deus, ne exanimata spiritu corpora vel unda dispergat, ne mors separet funera; quarum vitam non separavit affectus: sed sit una constantia, una mors, una etiam sepultura. Haec effatae, & suspensae paululum, incincto sinu, quo pudorem tegerent, nec gressum impedirent, consertis manibus tanquam choros ducerent, in medium progrediuntur alveum: ubi unda torrentior, ubi profundum abruptius, illuc vestigia dirigentes: nulla pedem retulit, nulla suspendit incessum, nulla tentavit, Actor. 8. f

ubi gressum figeret, anxiae cum terra occurreret, offensae vado, laetae profundo. Videres piam matrem stringentem nodo manus, gaudere de pignore, timere de casu, ne sibi filias vel fluctus auferret. Has tibi, inquit, hostias Christe immolo, praesules virginitatis, duces castitatis, comites passionis. Sed quis jure miretur tantam viventibus fuisse constantiam, cum etiam defunctae immobilem stationem corporis vindicaverint? non cadavera unda nudavit, non rapidi cursus fluminis volutarunt: quin etiam sancta mater, licet sensu carens, pietatis tamen adhuc servabat amplexum; & religiosum, quem strinxerat, nodum nec morte laxabat: ut quae religioni debitum solverat, pietate haerede mereretur: nam quas ad martyrium junxerat, usque ad tumulum vindicabat.

Euseb. Lib. VIII. Histor. Eccl. ca. XII.

HAEC AMBROSIUS: ante quem ejusdem sententiae se fuisse ostendit Eusebius Caesariensis episcopus; qui inter multa sanctarum virginum martyria, octavo Ecclesiasticae historiae libro descripta, aut eodem, aut non dissimili Antiochenae matris & filiarum exemplo idem persuasit his verbis: ADMIRABILIS quaedam foemina fuit genere nobilis, pulchritudine pariter & pudicitia formosa; cui erant duae filiae virgines, ad maternae pudicitiae regulam nutritae, pulchritudine simul & moribus aemula sibi probitate certantes: has declinandae persecutionis gratia absentes, missi in hoc ipsum milites Antiochiam venire cogunt: sed cum perurgentibus militibus vehiculo impositae iter agerent, talibus religiosa & pudica mater ad filias utitur verbis: Scitis dulcissimae mihi filiae, quomodo vos in disciplina Dei educaverim: scitis, quod a parvulis Deus vobis pater, Deus nutritor, Deus institutor extiterit; & quod pudicitiae, & castitatis bonum ita mecum pariter dilexistis, ut ne oculus quidem vester unquam, sicut vobis conscia sum, lascivinre fuerit maculatus aspectu. Quid igitur nunc agimus? videtis, quod ista omnis vis aut a Deo nos studet, aut a pudicitia separare: prostituentur ergo publicis lupanaribus membra, quae aër pene ipse publicus habuit incognita? ne, quaeso, filiae: quia nec tam parva nobis in Deo fides est, ut mortem pertimescamus: nec tam despecta pudicitia, ut vivere etiam cum turpitudine cupiamus: quin potius, si placet, quod in omnibus tenetis, etiam in hoc sequimini matris exemplum: praeveniamus impuras carnificum manus, & impudicorum praeripiamus incursus, mundumque hunc, qui nos ad impuram & impudicam compellet, ac pertrahet vitam, pura & pudica morte damnemus. Cumque talibus adhortationibus filias ad simile propositum videret accensas, ad fluvium quendam, in itinere positum, venerunt: ubi cum se humanae necessitatis causa descendisse simulassent, & paululum custodes, cogente naturali reverentia, secessissent, adductis diligentius hinc inde vestibus, minacis se fluvii rapidis injecerunt fluentis. Sed & aliae duae virgines, per omnia insignes sorores, genere nobiles, vita mirabiles, primae adhuc aetatis specie pulchrae satis, sed anima pulchriores, ornatae moribus magis, quam monilibus, studiis apprime probabiles, non ferentes violari publicis edictis ac legibus castitatem, marinis se fluctibus demersere.

Euseb. ibid. cap. 14. edit. Valesianae, quam consulas.

ET RURSUS capite 17. ejusdem voluminis in eadem narratione & opinione persistens, haec addit: SILERE aequum non puto nobilissimae foeminae in urbe Roma mirabile factum Sophroniae; cujus vir praefectus urbis Romae sub Maxentio tyranno degebat: qui cum de supradictae foeminae pulchritudine cognovisset; ut ei mos erat, missis stuprorum ministris, deduci ad se foeminam jubet: illa rem ad maritum detulit: qui cum comperisset, multa secum volvens, ad ultimum altius ingemiscens, Et quid, inquit, faciemus, quibus haec aut toleranda sunt, aut anima ponenda? Tum illa, ut maritum vidit, metu mortis perterritum, prodidisse pudicitiam suam, Paululum, ait, his, qui missi fuerant, expectate, donec composita, ut decet, & adornata procedam: dehinc ingressa cubiculum, cum prius defixis genibus orasset, tanquam pudicitiam suam Deo immolatura, pectus ac viscera correpto mucrone transverberat, extremos hujusmodi nuncios ad tyrannum per assistentes famulas mittens: Tales, ait, magis placeant Christianae foeminae tyranno. Hucusque Eusebius: cujus placitum omnis Christianorum ecclesia libenter videtur amplecti; quae in testimonium preciosae mortis perpetuos martyrii honores praedictis virginibus decrevit.

CAETERUM Augustinus libro primo De civitate Dei longo sermone argumentum

mentum istud pertractans, statuit nulla prorsus causa fas esse sibi manus inferre; sed tanto nocentiorem fieri, qui se ipsum occidit, quanto ipse in ea causa innocentior fuit, qua se occidendum putavit. Quod si dixeris id licere, ne virginitatis & pudicitiae integritas amittatur: respondet, corporis castitatem, animi castitate manente, non amitti: quia cum castitas animi virtus sit, quae inter bona corporis, ceu sanitas & pulchritudo, non numeretur; consequens est etiam, oppresso & violato corpore foeminae, cujus mens incorrupta permanet, pudicitiam non perire. Proinde quae se interficit, ut alienae libidinis violentiam evitet, majus flagitium eligit, ut minus peccatum evitet. Demum illis occurrens, qui ei praedicta sanctarum mulierum exempla opponebant, sic in vigesimo sexto ejusdem libri capite loquitur: SED quaedam, inquiunt, sanctae foeminae tempore persecutionis, ut insectatores suae pudicitiae devitarent, in rapturum, atque necaturum se flumen projecerunt: eoque modo defunctae sunt: earumque martyria Catholica ecclesia veneratione celeberrima frequentantur: de his nihil temere audeo judicare: utrum enim ecclesiae aliquibus fide dignis testificationibus, ut earum memoriam sic honoret, divina persuaserit auctoritas, nescio: & fieri potuit, ut ita sit. Quid, si enim hoc fecerunt non humanitus deceptae, sed divinitus jussae, nec errantes, sed obedientes, sicut de Samsone aliud nobis fas non est credere? Judic. 16. 30. cum autem Deus jubet, seque jubere sine ullis ambagibus intimat: quis obedientiam in crimen vocet? quis obsequium pietatis accuset? Hactenus Augustinus, ex his inferens voluntarias caedes harum virginum fuisse peculiares divinae voluntatis oeconomias, non omnibus imitandas, sed his tantum, quibus id certa & indubitata Spiritus Sancti jussione singulariter mandatum sit. Vide, quae de Razia, se ipsum occidente, scripsimus libro octavo, in confutatione haereseos duodecimae, argumento 6.

ANNOTATIO CCLIIII.

Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur. Jonae 3. a

SEPTUAGINTA Interpretes pro eo, quod Hebraïce legitur ארבעים ימים Arbaim jamim, hoc est, Quadraginta dies, transtulerunt τρεῖς ἡμέρας, id est, Tres dies: quod Hieronymus satis miratur, cur ita verterint, cum in Hebraeo nec syllabarum, nec accentuum, nec verbi sit ulla communitas; & ternarius numerus non conveniat poenitentiae, cui quadragenarius numerus magis juxta sacras literas accommodatur. Hinc accidit, ut Chrysostomus, & plerique Graecorum expositorum, qui Septuaginta editionem secuti sunt, varia super hoc trino dierum numero dixerint, nihil ad Hebraïcae scripturae veritatem pertinentia. Theophylactus in Commentariis super Jonam errorem Septuaginta interpretum civiliter excusat, his verbis: OBSERVANDUM hic, quod reliqui interpretes, quadraginta dies pro tribus dixerunt, ac quosdam, ceu convenientem numerum, hunc recepisse: siquidem in tribus diebus ille primum totam urbem circumivit, deinde laboriosam illam poenitentiam Ninivitae Deo obtulerunt, postea ante portas urbis sedens Propheta prophetiae suae finem expectavit: hinc & quadraginta dierum spacium verius esse dicunt. Atqui verisimile est, Septuaginta primum quadraginta posuisse dies; ac eos, qui principio descripserunt, errasse; postea & in cuncta exemplaria errorem esse transfusum: attamen vide, quod neque tres dies accipientibus aliquid absurdi obveniat: neque enim totam urbem circumire Prophetam necessum erat: verum simul unius diei iter profectus est praedicans, ut ista praedicatio ad omnes perferretur, atque ad ipsum usque regem perveniret: atque ut gravius ista & anxia Ninivitarum poenitentia demonstraretur, & a Deo susciperetur, sufficiebant post praedicationem diei, sive tres illas statuamus, sive duas: quandoquidem una dies satis fuisset ostendere homines germane resipuisse, & meliorem induisse mentem. Hucusque Theophylactus. (a)

Locus a LXX male versus.

(a) Fortasse LXX. Interpretes scripserunt τεσσαράκοντα, idest Quadraginta, & librarii per abbreviationem exararunt τρεῖς Tres. Vel potius adhibuerunt veteres notas (quae exoleverunt) designantes XL. & ex affinitate fuit deinde scriptum, sed per errorem, τρεῖς. Vide expositores.

ANNOTATIO CCLV.

Et praeparavit Dominus Deus hederam. Jon. 4. a

De hedera Jonae.

HIERONYMUS in hujus periodi translatione a plerisque veterum notatus est, quod pro eo, quod LXX. Interpretes transtulerunt κολοκύνθην, id est cucurbitam, verterit hederam. Rufinus libro Invectivarum secundo ipsum irridens, POSTQUAM, inquit, senuit mundus, & omnia perurgentur ad finem; scribamus etiam in sepulchris veterum, ut sciant & ipsi, qui hic aliter legerunt, quod Jonas non habuit umbram cucurbitae, sed hederae; & iterum, cum voluerit legislator, nec hederae, sed virgulti. Augustinus in tertia ad Hieronymum epistola, adducta in eum fabella, jocatur. Utrique Hieronymus, par pari referens, ad Rufinum, ejus immutato nomine, sic in Jonae commentariis respondet: CANTHELIUS, id est, praegrandis asinus, tardus, & hebes, de antiquissimo genere Corneliorum, sive, ut ipse jactat, de stirpe Asinii Pollionis, dudum Romae dicitur me accusasse sacrilegii, quod pro cucurbita hederam transtulerim: timuit videlicet, ne, si pro cucurbitis hederae nascerentur, unde occulte & tenebrose biberet, non haberet: & re vera in ipsis cucurbitis vasculorum, quas vulgo saucomarias vocant, solent Apostolorum imagines adumbrare: e quibus & ille non suum sibi nomen assumpsit. Quod si tam facile vocabula commutantur, ut pro Corneliis, seditiosis tribunis, Aemilii consules appellentur: miror, cur mihi non liceat hederam transferre pro cucurbita. Sed veniamus ad seria. Pro cucurbita, sive hedera in Hebraeo legimus קיקיון kikaion, quae etiam lingua Syra & Punica elkeroa dicitur. Est autem genus virgulti, vel arbusculae, lata habens folia in modum pampini, & umbram densissimam, suo trunco se sustinens: quae in Palaestina creberrime nascitur, & maxime in arenosis locis: mirumque in modum, si sementem in terram jeceris, cito confota consurgit in arborem: & intra paucos dies, quam herbam videras, arbusculam suscipis: unde & nos eodem tempore, quo interpretabamur Prophetas, voluimus id ipsum Hebraeae linguae nomen exprimere; quia sermo Latinus hanc speciem arboris non habebat: sed timuimus grammaticos, ne invenirent licentiam commentandi; & vel bestias Indiae, vel montes Boeotiae, aut istiusmodi quaedam portenta confingerent: secutique sumus veteres translatores, qui & ipsi haederam interpretati sunt; quae Graece appellatur κισσός: aliud enim quod dicerent, non habebant.

S. Hieronymus Epistol. LXXXVIII.

HAEC HIERONYMUS ad Canthelium: ad Augustinum vero in epistolia hunc in modum rescribit: HUJUSCEMODI in epistola tua texis fabulam. Quidam frater noster coëpiscopus, eum lectitare instituisset in ecclesia, cui praeest, interpretationem tuam, movit quiddam longe aliter a te positum, apud Jonam Prophetam, quam erat omnium sensibus memoriaeque inveteratum, & tot aetatum successionibus decantatum: factusque est tantus tumultus in plebe, maxime Graecis arguentibus & inclamantibus calumniam falsitatis, ut cogeretur episcopus (ea quippe civitas erat) Judaeorum testimonium flagitare. Utrum autem illi imperitia, an malitia, hoc esse in Hebraeis codicibus, responderunt: quod & Graeci & Latini habebant, * atque dicebant, incertum est: * quid plura? coactus est homo, velut mendacium, corrigere, volens post magnum periculum non remanere sine plebe: unde etiam nobis videtur aliquando in nonnullis te quoque falli potuisse. ✻ Dicis me in Jonam Prophetam male quiddam interpretatum, & seditione populi conclamante, propter unius verbi dissonantiam episcopum pene sacerdotium perdidisse: & quid sit illud, quod male interpretatus sim, subtrahis, auferens mihi occasionem defensionis meae, ne, quicquid dixeris, me respondente solvatur; nisi forte, ut ante annos plurimos cucurbita venit in medium, asserente illis temporibus Cornelio & Asinio Pollione, me hederam pro cucurbita transtulisse: super qua re in commentario Jonae Prophetae plenius respondimus. Peto in fine epistolae, ut quiescentem senem, olimque veteranum militare non cogas, & rursum de vita periclitari. Tu, qui juvenis es, & in pontificali culmine constitutus, doceto populos, & novis Africae frugibus Romana

* * Desunt haec verba in edit. Marii Victorii.

✻ Haec habet Hieronymus Epistol. LXXXIX. Lege utranque epistolam in fonte ad majorem eruditionem.

tecta

recta locupletato: mihi sufficit cum auditore & lectore pauperculo in angulo monasterii susurrare. (a)

ANNOTATIO CCLVI.

Surge, & contende judicio adversum montes, &c. Mich. 6. 1

HIERONYMUS, hujus clausulae intelligentiam aperiens, imitari videtur Origenem, asserentem angelos, hominum curae praepositos, in administratione sua posse errare, proindeque eos in die judicii Judici sistendos, ut secundum peractae curae meritum poenas, vel praemia recipiant: ejus verba in secundo Michaeae commentario sic habent: SURGE, & contende judicio adversum montes: quos non alios significari puto, quam angelos, quibus rebus humanarum commissa est procuratio, Deuteronomii cantico in id ipsum congruente. Cum divideret excelsus gentes, cum disseminaret filios Adam; constituit terminos terrae secundum numerum angelorum Dei: hi sunt administratorii Spiritus, missi in ministerium propter eos, qui haereditatem salutis possessuri sunt. Et contende judicio, ut sive montes, sive colles reperti fuerint, non digne populos procurasse; vel meum videarur esse, qui tales praeposui; vel culpa tollatur a populo, & referatur ad principes. Legamus Apocalypsim Joannis Apostoli: in qua laudantur, accusanturque angeli ecclesiarum pro virtutibus, vitiisque eorum, quibus praeesse dicuntur. Sicut enim interdum episcopi culpa est, interdum plebis; & saepe magister peccat, saepe discipulus; & nonnunquam patris vitium est, nonnunquam filii, ut vel bene, vel male erudiantur: ita in judicio Dei vel ad angelos crimen referetur, si non egerint cuncta, quae ad suum officium pertinebant; vel ad populum, si illis, universa facientibus, ipsi audire contempserint. Hactenus Hieronymus: qui cum multis saepe locis hunc errorem oppugnet, impraesentiarum haec ex Origenis mente scripsit, suppresso ob modestiam, ut sui moris est, Origenico

Angeli in die judicii non judicandi.

Deut. 32. 8

Hebr. 1. 14

Apoc 2. 1

(a) Quae, & qualis fuerit Hieronymi mens circa קיקיון *Kikajon*, ex ejusdem Doctoris Maximi verbis a Xysto relatis clarissime constat. Secutus namque Bethleemiticus Doctor ea in re versionem Symmachi, Theodotionis, & Aquilae reddidit fruticem, seu virgultum densissimis undique circumseptum onustumque foliis ad umbraculum efformandum aptissimum, non secus ac hedera, quae nedum serpit, verum & in virgultum arboremque crescit, ut notum est cunctis, & ad umbraculum efformandum ramusculos suos extendit; quapropter ex eodem Hieronymo fas est nobis ulterius indagare quid revapse sit, quod ille veluti in genere adumbravit potius, quum expressit. Est enim Hebraeis קיקיון *Kikajon*, quod Graecis κρότων *Croton*, Arbor, seu frutex, sive (ut Rajo, & Tournefortio placet) herba in Asia frequens, parvae ficus altitudine, folio platani majora, leviore, tamen, ac nigriore: ramis, caudicibus cavis in arundinis morem: semine in uvis, vel baccis asperis; quodque corticibus exutum ricinum animal repraesentat: qua de caussa Eruditi Critici, iique Hebraice, Chaldaice, Graece, & Arabice docti, idem tradunt esse *Kikajon* ac Ricinum, seu quae officinis dicitur *Palma Christi*: quum idem prorsus esse luculenter colligatur ex iis, quae de Ricino tradunt Dioscorides *lib. 1. cap. 16.* Plinius *lib. XV. cap. 7.* aliique Veteres, Herodotus, nimirum, (qui illud vocat σιλλικύπριον, idest σησαμόκυπρον) Euterpes, &c. Ex recentioribus autem praecipue de eo agunt Rauvolfius in *Itinerario pag. 52.* Theodorus Tabernaemontanus *lib. 2. de Herbis fol. 481.* aliique plures. Cornelius a Lapide praefatam Ricini versionem ventilans, Rabbinizantes adpellat Ariam-Montanum, aliosque ita sentientes, fortasse quia isti secuti sunt R. Kimchium, aliosque ita vertentes. Sed vel ex eo haud fas erat Cornelio carpere Viros Illustres ita legentes, quum Rabbinis recta sentientibus adhaerere liceat etiam insignioribus Christianis, nec semel ita egisse Hieronymum pro comperto est apud omnes.

Alio itidem ex momento *Ricini* versionem exsibilat Cornelius, nimirum, quia „ Ricinum est herba venenata, consequenter & umbra ejus. Quis „ credat Deum Prophetae suo praeparasse ad umbram herbam venenatam, cum ei ad manum essent tot aliae salutiferae? „ Verum ea in re fuisse Cl. V. crasso praepeditum errore, nemo inficias ibit, qui vel leviter de re herbaria fuerit instructus. Ricinum namque non in foliis, & consequenter nec in umbra, venenum praesefert; sed in granis, seu baccis, sive uvis asperis, quae manducata vomitum excitant, ut Dioscorides prae ceteris tradit, eique a vomitione nomen indiderunt Hebraei, quum compositum sit ex duobus collectaneis vocabulis. קיא & קיי vomitum denotantibus: dicitur etiam venenosum *Ricinum* ex baccis, quia moleste nimium purgat, stomachum subvertens, bilem, & aquam inter cutem, tenacemque pituitam ejiciens, quae autem noxa tollitur dum Ricini grana igne torrefacta sint prius, eisque admisceantur foeniculi & anisi semina: de qua re diserte scribunt Lobelus, & Tabernaemontanus *Lib. II. de Herbis*, Valentinus *Hist. Simpl. cap. 25.* Quis autem vel barba tenus Philosophus ex eo audet letiferam adserere herbam, ejusque umbram? Ex Ricino itidem extrahi oleum nomine *ricinum*, cibis foedum, lucernis emplastrisque utile, bene adnotarunt de re herbaria scriptores; nimium ergo hallucinatus est Cornelius, vir alioquin doctissimus, dum ita de Ricino scripsit. De *Kikajo* autem ad planiorem intelligentiam legesis Lexicon Hebraicum N. Xantis Pagnini novissimum v. קיק, Samuelem Bochartum *Tom. III.* nov. edit. Batav. *p. 919.* Matthaeum Hillerum *Hierophytici P. I. c. 55.* Calmetum, aliosque Interpretes in Jonam, quum haec adnotasse sufficiat.

Origenico nomine: quod etiam ex his deprehendi potest, quae non multo infra adjecit. Origenis de hac re sententiam invenies supra Annotatione 126.

ANNOTATIO CCLII.

Mundi sunt oculi tui, ne videat malum. Abacuch 1. b

Num Deus scientiam habeat, & providentiam minimorum rerum.

HIERONYMUS in primum Abacuch Prophetae capitulum affirmare videtur, Deum non habere singularem irrationabilium providentiam, & peculiarem ac certam cujusque particularis animalculi notitiam, sed in generali tantum, & in specie curam illorum gerere. Ita enim loquitur: IN CAETERIS animalibus generalem quidem Dei dispositionem, & ordinem, cursumque rerum intelligere possumus; verbi gratia, quomodo nascatur piscium multitudo, & vivat in aquis: quomodo reptilia, & quadrupedia oriantur in terra, & quibus alantur cibis: caeterum absurdum est ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotve moriantur; quae cimicum, & pulicum, & muscarum sit in terra multitudo; quanti pisces in aqua natent, & qui de minoribus majorum praedae cedere debeant: non simus tam fatui adulatores Dei, ut, dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eandem rationabilium, quam irrationabilium providentiam esse dicentes.

Matth. 10. 29. SED HANC non fuisse Hieronymo mentem ostendit ejusdem explanatio in Matthaei cap. 10. ubi edisserens illud, Nonne duo passeres asse veneunt, & unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? ait: SENSUS est, Si parva animalia & vilia absque Deo auctore non decidunt, & in omnibus semper est providentia, & quae in his peritura sunt, sine Dei voluntate non pereunt: vos, qui aeterni estis, non debetis timere, quod absque Dei vivatis providentia. Et paulo post, CUM dicitur, Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos: manifestius expositionis nostrae sensus expressus est, quod timere non debeamus: quoniam si sine Dei scientia parva animalia non decidunt, quanto magis homo? Quod autem ait, Vestri capilli capitis omnes numerati sunt, immensam Dei erga homines ostendit providentiam, & ineffabilem signat affectum; quod nihil nostrum latet Deum, etiam parva, & ociose dicta ejus scientiam non fugiunt.

PETRUS, Parisiensis episcopus, libro primo Sententiarum distinct. 39. demonstrat Hieronymi dicta duplici modo interpretanda. Primo, ut intelligat Deum non sic alternatim, particulatim & per diversa temporum momenta, minima quaeque prospicere, sicut per varia momenta, quaedam illarum deficiunt, quaedam incipiunt; sed unico indivisibili, ac sempiterno intuitu cuncta simul ac singula, quantumvis minima, cognoscere culicum, pulicum, muscarumque tam nascentium, quam intereuntium singula quoque momento numerum. Secundo, ut intelligi velit, Deum non ita, & eodem modo penitus scientiam, & providentiam habere hominum & brutorum: hominibus enim & praecepta dedit, & angelos ad custodiam; brutis vero ea tantum, quae corporis sunt, administrat.

ANNOTATIO CCLVIII.

Sacerdotes ejus polluerunt sanctum. Soph. 3. a

Num improbi Sacerdotes possint sacramenta conficere.

HIERONYMUS huic sententiae talem adhibet expositionem: SACERDOTES, qui eucharistiae serviunt, & sanguinem Domini populis ejus dividunt, impie agunt in legem Christi, putantes eucharistiam, imprecantis facere verba, non vitam; & necessariam esse tantum solennem orationem, & non

Levit. 21. 17. sacerdotum merita; de quibus dicitur, Et sacerdos, in quo fuerit macula, non accedet offerre oblationem Domino. Et paulo post idem exponens, ait: SACERDOTES, qui dant baptismum, & ad eucharistiam Domini imprecantur adventum, faciunt oleum chrysmatis, manus imponunt, cathecuminos erudiunt, Levitas, & alios constituunt sacerdotes, non indignentur nobis sic exponentibus, sed studiose agant, ne de sacerdotibus, qui violant sancta Domini, esse mereantur.

EX

EX HIS Hieronymi verbis scholastici & canonistae tria ex persona opponentis deduxere: quorum primum est, Sacramentum dominici corporis non posse ab improbo sacerdote consecrari; Secundum autem, Cuique sacerdoti fas esse sanctum confirmationis chrysma conficere, & manus his, qui confirmantur, imponere; Tertium vero, Esse in potestate cujuscunque sacerdotis, ut sacros ordines conferat, Quartum quoque praeter hos errorem colligit Calvinus haereticus Institutionis suae capite decimo octavo nempe Eucharistiam sub utraque specie laicis exhibendam, ex eo quod Hieronymus dixerit, Sacerdotes sanguinem Domini populis dividunt. Calvinus Libr IV. Instit. capit XVII. num.48.

GRATIANUS in decretorum Collectaneis causa prima, quaestione prima, ait Hieronymum in prima propositione significare voluisse vitam sacerdotis & merita esse necessaria, non quidem consectationi, sed consecrationis effectui: nam licet impurus & indignus sacerdos virtute divini verbi sacramenti consecrationem perfectissime compleat: consecrationis tamen gratiam & virtutem non consequitur, sed potius judicium sibi parat & condemnationem: & ad hunc quoque modum admonet esse intelligendum, quod Romanus Pontifex Gelasius de hac re ad Elpidium scripsit, inquiens: NON enim ad divini mysterii consecrationem coelestis spiritus invocatus adveniet, si sacerdos, qui eum adesse deprecatur, criminosis plenus actionibus comprobetur. Divus Thomas in 3.parte Summae theologicae, quaest.82. ait his verbis improbari errorem quorundam sacerdotum, qui ex hac tantum causa, quod sacerdotes sint, putant se rite ac digne eucharistiae consecrationem peragere, tametsi peccatorum sordibus immundi sint. Atque juxta hunc sensum interpretatur non dissimilem sententiam Dionysii Areopagitae, ad Demophilum monachum scribentis, in haec verba: PERFECTE cecidit a sacerdotali ordine, qui non est illuminatus: & audax nimium mihi videtur talis sacerdotalibus manum apponens: & audet immundas infamias (non enim dicam orationes) super divina symbola christiformiter enunciare. Petrus, Cretae episcopus, libro in Sententias quarto, dist.13. autumat Hieronymum in secunda & tertia propositione, per sacerdotes, qui oleum chrysmatis sacrant, manus imponunt, & sacerdotes, ac Levitas constituunt, intellexisse episcopos, quod ordinis sacramento a sacerdotibus non differant, licet jurisdictione & dignitate longe distent. De quarta propositione vide Annot.268. libri sexti. Gratianus causa 1.Qu.1. cap Sa.erdotes.

ANNOTATIO CCLIX.

Quid sunt duae olivae istae ad dexteram candelabri, & ad sinistram ejus? Zach. 4. a

ORIGENES in Zachariae commentariis duas olivas interpretatur filium, & Spiritum Sanctum & lampadem, sive candelabrum, quod in medio ipsarum est, Deum patrem. Hieronymus libro in Zachariam primo fatetur se nescire, quomodo sine blasphemia Filius, & Spiritus Sanctus, alter a dextris, alter a sinistris dicantur. Origenis error.

ANNOTATIO CCLX.

Juramentum mendax non diligatis. Zach.8.b

HIERONYMUS libro in Zachariam secundo occasione hujus praecepti affirmare videtur, omne prorsus juramentum Christianis interdictum esse: loquitur enim ad hunc modum: JURAMENTUM, ait, mendax ne diligatis, praecipiente Domino in Evangelio, Ego autem dico vobis, ut non juretis penitus: sed sit vester sermo, est, est; non, non: qui enim non juraverit, nunquam poterit pejerare. In praeceptis, quae ad vitam pertinent, & sunt perspicua, non debemus quaerere allegoriam; ne juxta comicum, nodum quaeramus in scirpo. Annotavit hunc locum Joannes Arboreus in Theosophia. Vide infra Annot. vigesimam sextam libri sequentis. Num Christianis jurare liceat. Matt.5.34. & 37.

AN-

ANNOTATIO CCLXVI.

Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua. Zach.9.b

Num sinus Abrahae, & infernus damnatorum, idem sit.

HIERONYMUS secundo in Zachariam commentario existimatur collocasse Abrahae sinum in inferno damnatorum, atque idem utrunque putasse. Ibi enim haec verba posuit: TU quoque in sanguine, &c. quod ita intelligitur. In sanguine passionis tuae eos, qui vincti in carcere tenebantur, in quo non est ulla misericordia, tua clementia liberasti. Et paulo post, IN hujus praefigurationem lacus, qui non habebat aquas, & Joseph a fratribus missus est in lacum, & Jeremias a Chaldaeis, non in aquam laci, sed in lutum, coenumque laci demergitur, quod posset suffocare magis, quam refrigerare: unde in Psalmo scribitur, Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. In hoc lacu inferni morabatur dives ille quondam purpuratus, cujus lingua magniloqua poenarum exuberatur incendiis: & in tantum nulla habebat poenarum refrigeria, ut extremi digiti pauperis tincti in aqua refrigerium postularet.

Psal. 68. 3. Luc. 16. 24.

DIVUS AUGUSTINUS epistola 57. ad Dardanum, epistola 99. ad Evodium, & libro De Genesi ad literam 12. refellere videtur hanc sententiam duplici de causa: Primum, quod in Evangelio dicatur vastum chaos, profundumque, & intransibilem hiatum esse positum inter sinum Abrahae, ubi Lazarus solatio fruebatur, & infernum, ubi dives in tormentis ardebat: Deinde, quod, cum in sacris literis nusquam inveniatur inferorum nomen in bonam partem accipi, credibile non sit, requiem illam, in qua Lazarus cum caeteris sanctorum Patrum animis laetabatur, esse apud inferos. Scholares theologi docent sinum Abrahae & infernum esse idem situ, qualitate differre: eodem enim subterranei loci claustro, ut recte sentit Hieronymus, uterque concluditur, sic tamen ut in supremam & infimam regionem aliquo interstitio distinguantur. Qualitas autem utriusque regionis ita diversa est, ut illic olim fuerint piarum animarum refrigeria, hic vero sint perpetua impiorum supplicia: illud vero χάσμα, hoc est ingens hiatus, utrique regioni interjacens, sive ipsum corporaliter intellexerit Augustinus, sive spiritualiter pro firmissima Dei lege, veluti quadam impermeabili voragine horum & illorum commistionem prohibente, nihil prohibet, quin sinus Abrahae, & infernus eodem terrenae concavitatis ambitu comprehendantur. Ad id autem, quod Augustinus ait nusquam infernum appellari in bonum, Thomas in quarto Sententiarum volumine, dist.45. quaest.1. respondet his plane verbis: LOCUS status sanctorum Patrum, quantum ad id, quod habebat de bono, sinus Abrahae dicebatur; sed quantum ad id, quod habebat de defectu, dicebatur infernus: & sic nec sinus Abrahae in malum accipitur, nec infernus in bonum, quamvis quodammodo sint unum.

ANNOTATIO CCLXII.

Onus verbi Domini ad Israël in manu Malachi, &c. Malac. cap.1.a

Num Angelus fuerit author libri Malachiae.

ORIGENES, secutus editionem Septuaginta, qui pro eo, quod Hebraïce ponitur ביד מלאכי Be jad Malachi, verterunt, ἐν χειρὶ ἀγγέλου, id est, In manu Angeli, asseruit auctorem libri hujus fuisse angelum incarnatum: quod Hieronymus, qui voluminis auctorem putat fuisse Esdram, in Praefatione Malachiae indicavit his verbis: SCRIPSIT in huc librum Origenes tria volumina, sed historiam omnino non tetigit: & more suo totus in allegoriae interpretatione versatus est, nullam Esdrae faciens mentionem, sed angelum putans fuisse, qui scripsit, secundum illud, quod de Joanne legimus, Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam: quod nos omnino non recipimus, ne animarum de coelo ruinas suscipere compellamur. Et in Commentariis Aggaei capite primo idem fusius repetens, ait: QUIDAM putant, & Joannem Baptistam, & Malachiam, qui interpretatur Angelus Domini, & Aggaeum fuisse angelos, & ob dispensationem & jussionem

Malach. 3. 1. Matt. 11. 10.

jussionem Dei assumpsisse humana corpora, & inter homines conversatos: nec mirum hoc de angelis creditum, cum pro salute nostra etiam Dei filius humanum corpus assumpserit; & ob hanc causam etiam de apocryphis praebent testimonium: ubi dicitur, quod Jacob, qui postea vocatus est Israël, angelus fuerit, & propterea supplantaverit fratrem in ventre matris suae; Joannem quoque ad vocem matris Domini exultasse in utero Helisabeth, & omnium rationabilium unam esse naturam; & ob hanc causam homines, qui placuerunt Deo, aequales angelis fieri. Hoc illi sentiant? caeterum nos aliter. Habetur locus hic apud Origenem Tomo secundo in Joannis Evangelium, & libro Periarchon tertio.

ANNOTATIO CCLXIII.

Dilexi Jacob: Esau autem odio habui. Mal.1.a

HIERONYMUS, in Commentario Malachiae hoc explicans, non longe abesse videtur a sententia Pelagianorum, dicentium, electionem & reprobationem oriri ex praescientia meritorum: siquidem hoc modo scribit. PORRO dilectio & odium Dei, vel ex praescientia nascitur futurorum, vel ex operibus: alioquin novimus, quod omnia Deus diligat, nec quicquam eorum oderit, quae creavit; sed proprie eos suae vendicet charitati, qui vitiorum hostes sunt & rebelles: & e contrario illos odit, qui a Deo destructa cupiunt rursus extruere. Vide infra Annot.251. libri sexti.

Num electio, & reprobatio sint ex praescientia meritorum.

ANNOTATIO CCLXIIII.

Novissime vero post filios & mater consumpta est, &c. 2.Maccab.7.g

MARIUS Victorinus, divi Hieronymi praeceptor, in libro de Maccabaeis, quem heroïco versu composuit, sensum exprimens verbi illius, Consumpta est, pro quo in Graeco habetnt ἐτελεύτη, indicare videtur matrem Maccabaeorum non periisse carnificum manibus interemptam, sed post caedem postremi ac junioris filii, exanimatam amplitudine gaudii ac laetitiae; quam ob septem adeptos de morte filiorum triumphos conceperat: quam sententiam non ineleganter his carminibus expressit:

Num Machabaeorum mater gaudio perierit.

Dum puer ista gerit, solverunt gaudia matrem.
Jamque, ut erat laxata malis, jam voce negata
Suspirans, interque manus collapsa suorum,
Concidit exanimis, resolutaque membra quierunt.
Sic ipsa, & nati sanctorum in parte recepta est.

Hunc sensum quanquam historica fides non respuat (nam & Livius memoriae prodidit post nobilem ad Thrasymenum pugnam, duas matres receptis insperato filiis gaudio nimio extinctas) omnes tamen ecclesiastici Scriptores tradunt eam variis cruciatibus ac tormentis a lictoribus occisam: inter alios vero Josephus in libro de Maccabaeis ad Polybium Megalopolitam haec de illa scribit: NOVISSIME filiis singulis consumptis, admirabilis tantorum athletarum parens incruenta poenarum carnificina, flexis repente genibus, corporis a Deo dissolutionem efflagitabat: non enim vivendi cupiditate, sed filiorum causa tantum tempus protraxisse. Antiochus ergo faucibus stridens, matrem generosam affligere jubet: tyrannice rapitur, teneris nudatur artubus, in altum manus alligantur, saevis illiditur flagellis, laesis moeret uberibus; ac flammivomae addicta sartagini, ambustos ultro filios concomitatur in poenas; ac oratione protensis, surrectisque manibus pro gravidis matribus fusa, coelibem effudit spiritum. Hanc Josephi sententiam omnes Christiani Patres obviis, ut dicitur, ulnis excipiunt.

Quinti Libri finis.

FR. SIXTI SENENSIS
E X
ORDINE PRAEDICATORUM,
DE ANNOTATIONIBUS ET CENSURIS IN INTERPRETES ET EXPOSITORES DIVINORUM NOVI TESTAMENTI VOLUMINUM.

BIBLIOTHECAE SANCTAE
LIBER SEXTUS.

ETSI in Praefatione praecedentis libri pollicitus essem, annotamenta in expositores utriusque Testamenti, omnia simul unico volumine comprehendere, ne res, ejusdem generis affinitate conjunctas, dissociarem: & librorum numerum temere multiplicarem: tamen cum animadverterem, coeptum annotandi laborem, in magnitudinem longe majorem opinione mea succrescere, & mensuram aliorum voluminum superare, visum est Opus in duos libros dividere; & Annotationes, ac Censuras, quae ad novi Testamenti expositores attinent, sexto hujus Bibliothecae libro complecti: ut ex hujusmodi partitione, & voluminum, quoad fieri posset, aequalitatem servarem; & ab assiduo legendi, scribendique taedio dies aliquot respirarem.

ANNOTATIO I.

Liber generationis JESU CHRISTI. Matth. 1. a

De Sacra lectione.

CHRYSOSTOMUS homilia secunda in Matthaeum, qua principium hujus Evangelii enarrat, non longe a fine asserit lectionem ac studium divinae Scripturae magis pertinere ad saeculares, quam ad monachos, magisque illis, quam istis esse necessariam. Vide quod super hoc annotavimus infra Annotatione 152.

ANNOTATIO II.

Judas autem genuit Pharet, & Zaram de Thamar. Matth. 1. a

Thamar nō fornicaria.

CHRYSOSTOMUS homilia tertia in Matthaeum, Thamar, ut fornicariam, accusat; quam alias a fornicationis crimine defendit. Memineris eorum, quae superiori volumine dicta sunt, Annotatione 113. libri quinti.

ANNOTATIO III.

Jacob genuit Joseph, virum Mariae. Matth. 1. c

De Mariae & Josephi conjugio.

HIERONYMUS libro primo Commentariorum, in hunc Matthaei locum inquit: CUM virum audieris, suspicio tibi non subeat nuptiarum; sed recordare

cordare consuetudinis Scripturarum, quod sponsi, viri, & sponsae vocentur uxores. Idem ad hunc sensum alludens in libro adversus Elvidium, ait, Joseph Mariae potius custodem fuisse, quam maritum. Theologi scholares hoc loco utuntur, cum disceptandi gratia demonstrant, inter Mariam & Josephum non fuisse verum matrimonii sacramentum. Quibus occurrens divus Thomas in tertio Summae volumine, quaest.29.art.2. ait, Hieronymum viri ac mariti vocabulo significasse eum, qui conjugem suam jam inierit; per nuptias vero nuptialem sponsi, ac sponsae concubitum: cujus Maria & Joseph omnino fuerunt expertes, sola & indivisibili animorum conjunctione contenti; quae prima, ac praecipua est veri ac sancti matrimonii dignitas, & potissima forma.

ANNOTATIO IIII.

Cum esset desponsata mater ejus Maria. Matth.1.

AUCTOR Operis imperfecti in Matthaeum, homilia prima, hunc edisserens locum, delabi videtur in errorem Marcionis, Tatiani, & Montani, damnantium nuptias: ait enim, matrimonium suapte natura esse peccatum, sed a Deo necessitatis causa permissum; proinde nec Deo placere, nec ullum habere praemium: hanc vero sententiam declarat his verbis: CONJUNCTIO maritalis quantum ad naturam rei ipsius peccatum est, concessione autem Dei facta est licentia: licentia, dico, facta est, non justitia: nam etsi propter necessitatem rei, peccatum esse desiit: tamen justitia esse non meruit: ideo utentibus se, etsi poenam non infert, mercedem tamen non praestat: etsi non occidit, tamen non salvat: unde Propheta, non ad indulgentiam Dei respiciens, sed ad spurcitiam ipsius Operis, dicebat, Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea: id est, quid mirum, si peccavi, qui de peccato sum natus? secuta est enim generationem suam natura peccati: nam si matrimonium ipsum placitum esset Deo: nunquam abstinentibus se ab illo gloriosa promitteretur corona; nec sic amarentur a Deo, qui odiunt illud: non enim ille remuneratur, qui bonum fugit, sed qui malum. Vis autem scire, quomodo licitum est matrimonium? quomodo aliquando licuit & sorores habere uxores? quomodo habuerunt Cain & Abel? Haec nomina filiarum Adam, quas in initio habuit post Cain & Abel, Risam & Edoclam, & non peccaverunt: quia peccatum illud raritas hominum, & necessitas excusabat: postea crescente numero hominum, ipsum malum reversum est in naturam suam, & coepit esse peccatum: remansit autem in usu, ut uni viro liceat habere plures uxores: amplificato postea mundo, etiam hoc malum recepit naturam suam, & coepit esse peccatum: remansit autem in usu, ut unus unam haberet uxorem: nunc autem, postquam venit plenitudo temporis, & senuit mundus, scimus, quale est consilium Dei, & quid vult, & quid est placitum coram illo: sed ausi non sumus dicere propter homines incontinentes; in quorum corpore anima nihil agit, sed in toto illos possidet sanguis, & sordidissimus ille vapor, de illo insano igne procedens. Denique cum mandaret angelus Tobiae in nuptiis ejus, ut ante, quam convenirent ad illam consuetudinem humanam, surgerent prius, & orarent, & sic dicerent, Domine tu scis, quia non propter libidinem accepi uxorem, sed propter liberos procreandos: quia si aliter orasset; oratio ejus Deo non fuerat placitura. Vide ergo, quia turpissimum opus illud carnis, filiorum causa excusat. Nunc autem multiplicato saeculo, creandorum hominum occasio est extincta. Jam Deum non multitudo hominum, sed charitas sanctorum delectat: ecce una est libido, quae fornicationem generat, & quae maritalem usum ministrat: sed sicut posuit mari terminos litora, dicens, Usque huc venies, & hic te constringes: sic libidini carnali terminum posuit conjugium, ut usque illuc veniens, illic se constringat: sicut ergo mare, si litora sua supergressum fuerit, peccat: ita & homo, si transgressus fuerit licentiam maritalem. Si ergo una est libido in maritis, & in adulteris: quomodo potest fieri, ut una eademque res pro dimidia quidem parte sit justitia, pro dimidia autem sit peccatum? aut enim tota est peccatum, aut tota justitia; quia una est res: verum est autem, quia

De matrimonio male sentit Author operis imperfecti: aut potius corruptum est hoc opus ab haereticis.

Psalm. 50. 7.

Tob. 6. 7. 8.

Job 38. 11.

quia libido justitia non est: ergo tota peccatum est. Sed peccati illius poena non imputatur, donec iste odibilis & corruptibilis transeat mundus. Hactenus in prima homilia.

RURSUM homilia 82. super illud in Matthaeum 19. Moses propter duritiam, &c. loquens de secundis nuptiis, ait: ET Apostoli praeceperunt secundas adire nuptias, propter incontinentiam hominum: nam secundam quidem accipere, secundum praeceptum Apostoli est: secundum autem veritatis rationem, vere fornicatio est: sed dum permittente Deo publice, & licenter committitur, fit honesta fornicatio. (a)

ANNOTATIO V.

Noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Matth. 1. d

S. Joseph an fuerit bigamus.

HILARIUS canone primo in Matthaeum, VERUM, inquit, homines pravissimi hinc praesumunt, quod plures Dominum nostrum fratres habuisse sit traditum:

(a) Marcionis, & Manichaeorum (quibus Encratitae, Tatiano Duce, sicut & Priscillianistae sunt copulandi) error palmaris fuit nuptias damnabiles esse, quos tamen Paulus *I. Ad Timoth. IV.* prophetico spiritu praevidens confodit, dicens: „ Spiritus „ autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus „ discedent quidam a fide, attendentes spiritibus „ erroris, & doctrinis daemoniorum, in hypocrisi „ loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere „. Adversus horumce nebulonum delirium ac commentum praesto est authoritas Christi Jesu Servatoris, qui nedum sua praesentia nuptias decoravit, sacravitque; verum & divinum praeceptum *Geneseos I.* expressum „ Crescite, & multiplicamini „ insinuans, nuptias honorabiles dixit, & quale fuerit divinum mandatum adversus Hebraeos sacrosanctam legem pessumdantes expendit, *Matth. XIX.* „ Non legistis, quia qui fecit hominem, ab initio, masculum & feminam fecit eos? & dixit, propter hoc „ dimittet homo patrem, & matrem, & adhaerebit „ uxori suae, & erunt duo in carne una. Itaque „ jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus „ conjunxit homo non separet „ Gentium Doctor itidem 1. *Cor. VII.* inquit: „ Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. „ *Ad Hebraeos XIII.* Honorabile connubium in omnibus, „ & thorus immaculatus; „ Idem habetur 1. *Petri III.* quinimo & in omnibus Divini eloquii libris: quapropter damnabilis nimium, foeda, & execrabilis est horumce tenebrionum haeresis adversus quos universim Patres calamum acuerunt, praesertim tamen Hieronymus, Augustinus, & Thomas Aquinas.

Verum circa successivam polygamiam varia fuit opinio, variisque delirantium sensus. Tertullianus enim (ut videre est *Lib. de Monogamia*) Montanistis adhaerens, secundas nuptias diris devovit, quod pariter egerunt Novatiani, asserentes eas jure divino prohibitas, damnatasque, sed perperam quidem, & falso, quum in Mosaica Lege praecipiatur etiam fratribus defuncti viri in uxores accipere viduas cognatas, quae nullam ex mortuo susceperant prolem, ad suscitandum, nimirum, semen fratris sui. Apostolus itidem in Evangelica lege eisdem indulget iis, qui se continere non valent 1. *Cor. VII.* „ Dico autem non nuptis, & viduis: bonum est illis si sic „ permaneant, sicut & ego. Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam „ uri. „ & infra. „ Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormivit vir „ ejus liberata est: cui vult nubat: tantum in Domino. „ Apud quasdam autem Orientales Ecclesias IV. ineunte seculo, etsi Montanisticus error haud fuerit receptus, quinimo ventilatus, ejus tamen, seu severior invaluit disciplina abstinendi a secundis nuptiis ex peculiari praecepto ad continentiam servandam, ut constat ex Concilio Neocaesariensi *Can. VII.* ubi sic decernitur. „ Presbyterum convivio secundarum nuptiarum interesse non debere, „ maxime cum praecipiatur secundis nuptiis poenitentiam tribuere. Quis ergo erit Presbyter, qui „ propter convivium illis consentiat nuptiis? „ (de qua re vide Cardinales Bellarminum *Lib. I. de Sacram. Matrim. cap. 9.* & Baronium *de Ann. 314. n. 91.*) Hinc S. Basilius M. *Epist. ad Amphilochium Can. IV.* ita decrevit „ Definimus annum poenitentiae in digamis. „ quod etiam tradidit S. Gregorius Nanzianzenus Orat. VII.

At severior communiorque in Oriente disciplina viguit erga trigamos, quos veluti magis incontinentes Graeci acrius puniebant, ut videre est praesertim apud laudatos Basilium, & Gregorium Nazianzenum; quamvis VIII. Seculo haec lex locum amplius non habuerit. Vigebat tamen tunc adhuc lex ista positiva ibidem circa quartas nuptias, quas nimium execrabantur Orientales, ut constat ex edicto Basilii Macedonis *lib. 1. Juris Orientalis*: quare Nicolaus Patriarcha C. P. cognomine *Mysticus* Leonem Sapientem Macedonis filium, qui ad quartas transierat nuptias, a communione segregavit, & Presbyterum, qui Imperatoris nuptias cum Zoe benedixerat, deposuit, ex quo fuit ipse depositus, & in Monasterium ab eodem Caesare nedihentum fuit detrusus, aliaeque excitatae sunt turbae, quas postea sedavit Johannes X. Rom. Pontifex indulta Imperatori dispensatione super hoc Canonico apud Orientales impedimento: composueruntque pariter litem Episcopi Orientales ad Concilium vocati a Constantino Caesare filio Leonis Sapientis; ut patet ex eorum decreto, cui titulus: *Tomus unionis*. In Ecclesia Latina autem numquam ulla viguit prohibitio, nullaque severa disciplina circa successivam polygamiam, qualiscumque illa foret: quare S. Hieronymus *Epistola L.* seu potius *Apologia adversus Jovinianum cap. 7.* ait: „ Non damno digamos, imo nec trigamos, & si dici potest, octigamos. „ Et S. P. Augustinus *lib. de bono viduitatis cap. XI.* „ Ne arbitreris vel secundas nuptias crimen esse, vel qualescumque nuptias, cum sint nuptiae, malum esse. „ Et *Cap. XII.* „ Ait enim (Apostolus 1. *Cor. 7.*) „ *Mulier alligata est quandiu vir ejus vivit*. Non „ dixit primus, aut secundus, aut tertius, aut „ quartus „ (aliqui codices habent *aut quotuslibet*) „ Quapropter nec contra humanae verecundiae sensum audeo dicere, ut quoties voluerit, viris mortuis, nubat foemina: nec ex meo corde praeter „ Scripturae auctoritatem quotaslibet (seu *quantaslibet*) nuptias audeo condemnare. Quod autem „ dico univirae viduae, hoc dico omni viduae: „ Beatior eris, si sic permanseris. „

traditum: qui si Mariae fuissent, & non potius Joseph ex priore conjugio suscepri; nunquam in tempore passionis Joanni Apostolo transcripta esset in matrem. Vide, quae infra super his animadvertimus, Annot.64.

ANNOTATIO VI.

Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Matth.1.d

AUCTOR Operis imperfecti in Matthaeum, homilia prima, hunc explicans locum, videtur asserere, Spiritum Sanctum in conceptione Christi fuisse pro semine, sic inquiens: UNIGENITO Deo, virginem ingressuro, Spiritus Sanctus praecessit, ut, praecedente Spiritu Sancto, in sanctificatione nascatur Christus secundum corpus, divinitate ingrediente pro semine. Hanc opinionem Augustinus sermone 191. De tempore insectari videtur his verbis: NON, ut quidam scelaratissimi opinantur, Spiritum Sanctum dicimus fuisse pro semine, sed potentia & virtute Creatoris operatum. D.Thomas in tertia Summae theologicae parte, quaestion.32. articulo 2. priorem sententiam sub titulo Chrysostomi, posteriorem vero Hieronymi nomine citans, ita utranque conciliat, ut dicat, Chrysostomum appellatione seminis non intellexisse substantiam seminis, quae in conceptione foetus transmutari solet, & quam in Christi conceptione merito exhorret Hieronymus; sed significare voluisse virtutem activem Dominicae incarnationis, quae fuit ipse Spiritus Sanctus, dicente angelo ad Mariam, Virtus altissimi obumbrabit tibi.

De Spiritu S. an fuerit pro semine in conceptione Christi Domini.

Ser.191 nunc in Appendic. 232 non est S. Augustini. Est autem confessio fidei a Pelagio ad Apostolicam Sedem missa, quae extat inter opera S.Hieronymi.

Luc.1.35.

ANNOTATIO VII.

Magi ab Oriente veniunt. Matth.2.a

GREGORIUS homil.10. in Evangelia in principio inquirens, cur angelus pastoribus, Magis vero stella apparuit, respondet, quia Judaeis, tanquam ratione utentibus, rationale animal, id est, angelus, praedicare debuit. D.Thomas parte prima Summae theologicae, quaest.51. indicat hunc locum usurpati ab his, qui sentiunt angelos esse animalia ex anima & corpore composita. Regreditor supra ad Annot.8. libri quinti.

An Angeli sint animalia

ANNOTATIO VIII.

Videntes stellam Magi, &c. Matth.2.a

ORIGENES tractatu quinto in Matthaeum, exponens Magorum historiam, ut refert Polychronius in Ezechielem, Magicam artem summopere commendavit: quam rem Theophilus, Alexandrinus episcopus, Origenici nominis perpetuus hostis, acrius, quam par esset, vituperans, in secundo libro Paschali adversus Origenem ita invehitur: CONFUNDATUR Origenes, qui inter caetera flagitiorum genera, quae confingit, magicis quoque artibus patrocinium tribuens, in tractatibus suis, his locutus est verbis: Ars magica non mihi videtur alicujus rei subsistentis vocabulum; sed, etsi sit, non est operis mali, nec quod haberi possit contemptui. Haec dicens utique fautorem se esse demonstrat Elymae Magi; qui Apostolis repugnavit; & Jannae, atque Mambrae, qui Mosi magicis artibus restiterunt, &c. Verum, cum toties Origenes in scriptis suis magorum maleficia detestetur, ac praecipue in vigesima tertia homilia super Numeris, ubi longo ex divinis testimoniis sermone magos, maleficos, & omne incantatorum genus prosternit; nulla est occasio, cur talia de Origene suspicemur.

Magica artium mala sit

Act.13.8.

2.Timot.3.8.

ET, NE quem moveant praemissa Polychronii, & Theophili testimonia, sciendum est, duplicem esse Magiam, alteram ubique ab Origene damnatam, quae per foedera, cum daemonibus inita, aut vere, aut apparenter operatur; alteram ab Origene laudatam, quae ad practicen naturalis philosophiae pertinet, docens

docens admirabiles res operari ex applicatione mutua naturalium virtutum adinvicem agentium ac patientium. Quam partitionem Hieronymus amplectitur, primo libro Commentariorum in Danielem super illis verbis secundi capitis, Praecepit rex, ut convocarentur harioli, & magi, & malefici, & Chaldaei: ubi annotans, cur Daniel magos a maleficis, hariolis, & Chaldaeis distinxerit, ita scribit: QUOS nos hariolos, caeteri ἐπαοιδούς, id est, incantatores, interpretati sunt, videntur mihi esse, qui verbis rem peragunt: magi, qui de singulis philosophantur; malefici, qui sanguine utuntur & victimis, & saepe contingunt corpora mortuorum: porro in Chaldaeis genethliacos significari puto, quos vulgo mathematicos vocat: consuetudo autem communis, magos pro maleficis accipit, qui aliter habentur apud gentem suam, eo quod sint philosophi Chaldaeorum: & ad artis hujus scientiam reges quoque, & principes ejusdem gentis omnia faciunt: unde & in nativitate Domini Salvatoris ipsi primum ortum ejus intellexerunt; &

Num. 24. 7. venientes in sanctam Bethlehem, adoraverunt puerum, stella desuper ostendente. Idem in secundo adversum Jovinianum libro, EUBULUS, inquit, qui historiam Mithrae multis voluminibus conscripsit, narrat apud Persas tria genera magorum: quorum primi, qui sunt doctissimi & eloquentissimi, excepta farina & olere, nihil amplius in cibo sumunt.

HAEC HIERONYMUS: ante quem Justinus philosophus & martyr eandem approbaverat distinctionem, in libro Quaestionum, a gentibus positarum, qu. 24. & 26. in quibus discutiens, quid intersit inter miracula magorum Aegyptiorum & Mosis, & inter miracula Christi & Apollonii Tyanaei philosophi, sive magi, sic loquitur: EA QUIDEM miracula, quae a Mose edita sunt, divina opera edita sunt, videlicet per mutationem naturae aquae, quae proponebatur in naturam ejus, quod efficiebatur: ea autem, quae magi ediderunt, daemonum opera edita sunt; qui faciebant, ut oculi eorum, qui cernebant serpentem, sanguinem & ranas, quae non erant, videre viderentur: & Apollonius quidem, vir scientia naturalium facultatum praeditus, consensionumque, & contrariarum affectionum, quae in eis insunt, ex ea arte operationes edebat, non divina auctoritate: itaque in omnibus perfectionibus ei necessaria erat materiae accommodatae assumptio; qua adjutrice, id, quod absolvebatur, explebat. Salvator autem noster Christus, pro divina sua auctoritate ac jure mira inusitataque opera perficiens, nusquam materiam requirebat, sed imperium.

(Seu potius Justinus Siculus V. Seculo clarus Quaest & Resp. ad Orthodoxos XXIV. & XXVI. De hoc Justino pluries supra)

ANNOTATIO IX.

Vidimus stellam ejus. Matth. 2. a

(Sententia C. Cajetani circa vaticiniū Balaami.)

THOMAM Cajetanum, Ambrosius, Compsae episcopus, libro Annotationum secundo redarguit, quod hunc locum excutiens, negaverit vaticinium illud Balaamicum Numerorum vigesimo quarto, Orietur stella ex Jacob, &c. significare ortum stellae, quae indicavit ortum Christi, contra auctoritatem omnium sanctorum Patrum; in quibus Hieronymus in primo Matthaei Commentario, AD confusionem, inquit, Judaeorum, ut nativitatem Christi a gentibus discerent; oritur in Oriente stella, quam futuram Balaam, cujus successores erant, vaticinio noverant. Lege de hoc Numerorum librum. Haec Hieronymus.

ANNOTATIO X.


Vidimus stellam ejus. Matth. 2. a

(Num Christi nativitas ex genethliacis divinationibus praenosci potuerit.)

PETRUS Aliacus, presbyter cardinalis, quaestione in Genesim 30. & in libro De legibus & sectis super stella Magis in Oriente conspecta, disputans, ostendit magos illos, sideralis scientiae peritissimos, potuisse ex astrologicis contemplationibus praenoscere futuram Christi nativitatem & vitam, non tamen ea certitudine, qua postea ortum Christi nova stella praemonstrante cognoverunt: nam etsi Christi conceptio & nativitas omnes coelorum vires, atque omnes naturae facultates

facultates in plerisque excedant: in aliquibus tamen naturae coelorum & astrorum virtutes, tanquam ancillae Domino suo famulantes, amica lumina, & benignos influxus, quos a Christo acceperant, nascenti Christo largissime suppeditarunt: ea propter possibile fuit, magos praeter hanc recentis astri apparitionem etiam duobus aliis indiciis praescisse nasciturum insignem religione, imperio, & gloria, virum, primo ex magna quadam conjunctione Jovis & Saturni; qui anno ante Servatoris nostri ortum sexto in signo Cancri coïerunt, praedicentibus cunctis illorum temporum astronomis portendi magnam religionum mutationem. Secundo ex observatione constitutionis coeli, quam habuit ipsa Christi nativitas: ea incipit in annum Octavii Augusti XLII. VIII. Calendas Januarii, ante noctis dimidium: fuitque in ea horoscopus pars Virginis octava, quae religionis immutationes significat; & in culmine coeli Saturnus; imum coeli tenente Sole, caeterisque planetis eo cordine dispositis, quem tibi repraesentat sequens astronomicum schema, delineatum ad latitudinem Hierosolymitanae urbis, distantis ab Aequatore partibus sex & triginta.

Constitutio planetarum, nativitati Servatoris nostri Jesu Christi affulgentium.



HAEC Aliaci sententia est; quam longe antea professus fuerat Albertus suo saeculo magnus; qui in libro, cui SPECULI titulum imposuit, referens descriptionem signi Virginis, ab Albumasare astronomo traditam, ita scriptum reliquit: ALBUMASAR in suo majori introductorio, tractatu 6. Ascendit, inquit, in prima facie illius signi Virgo pulchra & honesta, habens in manu sua duas spicas, & nutrit puerum, & vocat ipsum puerum quaedam gens JESUM: & ascendit cum ea stella Virginis. Haec ille. Nos autem scimus, quod sub ascendente ejusdem Virginis natus fuit Dominus noster Jesus Christus, cum hoc, quod aequatio motus octavae sphaerae in tempore ejusdem fuit octo graduum, & triginta minutorum, secundum calculationem certissimam; & quod ipsa erat tunc minuenda de

de locis planetarum inventis per canones; non quia subjaceat stellarum motui, aut earum judicio natorum desideratissimus, qui creaverat ipsas stellas: sed quia, cum extenderet coelum, sicut pellem, formans librum universitatis, noluit literis ejusdem deesse ex his, quae secundum providentiam suam in libro aeternitatis sunt scripta, etiam illud elegantissimum a natura, quod de virgine nasceretur, ut profecto per hoc inveneretur homo carnalis & verus, qui non naturaliter nascebatur; non quod coeli figura causa esset, quare nasceretur, sed potius significatio; imo & vero verius ipse erat causa, quare modus admirandae suae nativitatis significaretur per coelum. Hactenus Albertus, sive alius quispiam ejus nomine: nam is liber ab eruditis Alberti esse negatur.

IMPROBAT hanc opinionem Divus Augustinus libro quinto De civitate Dei, capite 1. ubi postquam confutavit eos, qui dicunt, stellas in genituris infantium effectrices causas esse, & suas cuique nascenti sortes, fataque distribuere; demum eos quoque refellit, qui docent, positiones astrorum in nativitatibus infantium non esse causas, sed signa tantum, quae futuram nascentis vitam, mores, fortunamque significent, ita scribens: SI DICUNTUR stellae significare potius ista, quam facere, ut quasi locutio quaedam sit illarum positio, praedicens futura, non agens (non enim mediocriter Doctorum hominum fuit ista sententia) ut, verbi gratia, Mars ita positus homicidam significat, sed homicidam non facit: qui fit, ut nihil unquam dicere potuerunt mathematici, cur in vita geminorum, in actionibus, in eventibus, in professionibus, artibus, honoribus, caeterisque rebus, ad humanam vitam pertinentibus, atque in ipsa morte sit plerunque tanta diversitas, ut similiores eis sint, quantum ad haec attinet, multi extranei, quam ipsi inter se gemini, per exiguum temporis intervallum in nascendo separati, in conceptu autem, per unum concubitum, uno etiam momento seminati. Et infra capite tertio ejusdem libri coarguit eos, qui ex responso Nigidii Figuli referebant disparitatem illam geminorum ad vertiginem coelestis rotationis, quae sua pernicitate utriusque infantis horoscopum exigui temporis momento mutaret. Sic autem loquitur: FRUSTRA affertur nobile illud commentum de figuli rota, quod respondisse ferunt Nigidium hac quaestione turbatum, unde & Figulus appellatus est: dum enim rotam figuli vi quanta potuit intorsisset, currente illa, bis numero de atramento, tanquam uno ejus loco summa celeritate percussit: deinde inventa sunt signa, quae fixerat desistente motu, non parvo intervallo in rotae illius extremitate distantia. Sic, inquit, in tanta coeli rapacitate, etiam si alter post alterum tanta celeritate nascatur, quanta rotam bis ipse percussi, in coeli spacio plurimum interest: hinc sunt, inquit, quaecunque dissimillima perhibentur in moribus, casibusque geminorum. Hoc figmentum fragilius est, quam vasa, quae illa rotatione finguntur: nam si tam multum in coelo interest, quod constellationibus comprehendi non potest, ut alteri geminorum haereditas obveniat, alteri non obveniat: cur audent de caeteris, qui gemini non sunt, cum inspexerint, eorum constellationes, talia pronunciare, quae ad illud secretum pertinent, quod nemo potest comprehendere, & momentis annotare nascentium? &c.

Scribit Suetonius Nigidium comperta hora genituræ Octavii, pronunciasse, dominum terrarum Orbi genitum.

EX HIS Augustini verbis liquet falsam & inanem esse divinationem eorum, qui ex significationibus siderum horoscopantium pronunciant futuros genituarum successus; tum quod astris nullae sint hujusmodi contingentium rerum significationes, tum quod etiam si inesse concedantur, nullo tamen humano ingenio deprehendi possint. Patet item frigidas & invalidas esse excusationes recentium genethliacorum: ex quibus alii superstitionem suam ita defendunt, ut dicant, se non tribuere astris vim ullam effectricem, quae efficiendo cogat, ac necessitatem inducat, sed quae duntaxat inclinet: alii vero honestiore, ut putant, effugio sibi consulentes, ajunt, se ipsam quoque inclinandi facultatem constellationibus denegare, solamque in iis significandi ac praemonendi certitudinem fateri.

PROINDE sancta synodus Tridentina, cupiens quascunque horum defensiones omnino evertere, connumeravit omnia genethliacae artis, imo imposturae judicia inter caeteras sacrilegae divinationis impietates; nulloque posito discrimine inter astromantas, qui vel ex efficientia, vel ex significatione siderum divinant, omnia

omnia eorum ftudia, & fcripta, quaecuoque illa fiot, indifcriminatim damnavit, his verbis: LIBRI omnes, & fcripta geomantiae, hydromaotiae, aëromantiae, pyromantiae, onomantiae, chyromantiae, necromantiae, five in quibus continentur fortilegia, veneficia, auguria, aufpicia, incantationes artis magicae, prorfus rejiciuntur: epifcopi vero diligenter provideant, ne aftrologiae judiciariae libri, tractatus, indices legantur, vel habeantur, qui de futuris contiogentibus fucceffibus, fortuitifve cafibus, aut iis actionibus, quae ab humana voluntate pendent, certo aliquid eventurum affirmare audent.

HABES, quae ad hoc argumentum pertineant, libro quinto, Annotatione 15. & 81. & libro fecuodo fub dictione Curiofarum artium.

DUM haec adornarem, Saravallius quidam, theologus non ineruditus, fed vanitati judiciariae mirum in modum addictus, incidit in venalem fcriptorem, cui hoc Opus tradideram exfcribendum: cumque illo confentiente, & me infcio magnam partem voluminis apud eum evolviffet, & hanc inter caetera annotationem legiffet, paulo poft profcidit nomen meum in corona Doctorum, ac nobilium virorum, clamitans me hoftem effe bonarum artium, qui aftrologiam affirmem non effe artem, fed fallaciam & impofturam deteftabilem; contra vero Divum Thomam, cujus ipfe doctrinam profiteor, aftrologicas divinationes multis in locis comprobare, atque omnes eruditos fateri, aftrologiae fcientiam effe veriffimam, & optimam; illamque, fi recte intelligatur, & ab his, qui illam probe norint, tractetur, utiliffimas, admirabilefque futurorum praedictiones exhibere. Adjecit quoque ex probatiffimis hiftoricis ad fententiae fuae comprobationem longum catalogum mathematicorum, qui certiffima de nativitatibus, vita, morte, imperiis, bellis, victoriis, caeterifque, tam fauftis, quam infauftis, Regum & Imperatorum eventibus certiffima praenunciarunt. Demum poft prolixam exemplorum enumerationem intulit, me, occulta quadam oppugnatae veritatis vi coactum, in fententiam aftrologorum conceffiffe, dum in quarto hujus Operis libro fcriberem: poëtas quofdam ad illuftrandam Chriftianorum poëfim, & cantanda facra poëmata foeliciffimo fidere natos.

HAEC cum ad me detuliffent amici quidam, monuiffentque non negligendas accufatoris querimonias, quibus etiam nonnulli ex nobilibus illis viderentur commoti: decrevi, quampaucis verbis & adverfarii accufationibus occurrere, & amicorum defiderio fatisfacere.

PRIMUM itaque, cum dolet aftrologiam a me non appellari artem, fed impofturam & fraudem, fateor, & libere pronuncio id ita fe habere, fi tamen aftrologiae vocabulum aftromantiam, five genefiologiam, five genethliomantiam fignificet, hoc eft, nataliciae divinationis profeffionem, quae ex natalibus mortalium totius vitae decurfum colligit. Quis enim, nifi prorfus amens, aufit hanc infanam deceptiooem vocare artem, aut fcientiam exiftimare, quae nulla folida ratiooe firmetur, nullo certo experimento infiftat, nulla fapientum actoritate probetur; fed quam philofophi, ceu ludibrium, e fcholis explodant, Caefarea jura damnent, Pontificum decreta, Synodicaeque fanctiones interdicant, divinae fcripturae teftentur & omnium theologorum judicia reprobent? Sed inquit, Si hujufmodi aftrologorum ftudium vanitas eft, & inane figmentum: qua ratione fit, ut ii ex conftitutione fiderum, nativitatibus affulgentium, multa vera praedicant? Equidem haec eft illa fingularis, ac praecipua divinatorum demonftratio; cui, ceu immobili fundamento, univerfum divinationis fuae aedificium imponunt: ea vero, quam labilis & infirma fit, palam detexere Bafilius, Chryfoftomus, Auguftinus, atque alii prifci Doctores, variis adverfus mathematicos difputationibus editis: in quibus egregie demonftrarunt veritatem illarum praedictionum non effe referendam ad obfervationes conftellationum, quae mera funt fomnia, fed ad alias quatuor potiores ac evidentiores caufas, nimirum ad fortem, ad pacta, ad prudentiam confultorum, & ftultitiam confulentium.

Quaenam Aftrologia non fit fciantia.

Divinatoria in facris literis reprobatur Levit 19. 31. & 20. 6. Deuteron. 18. 11. Ifai. 8. 9. & 44. 25. I. Reg 28. 3 & In Dec. Cauf. XXVI Qu I. In Conc Trident. Regul. IX Indic. prohibit. voluminum. Item in Codice Juftiniani Tit. de Mathematicis L. Nemo.

PRIMUM quidem Planetarii pleraque vera edicunt non ex arte infpectorum fiderum, fed forte; forte, inquam, juxta piam theologorum definitionem intellecta, hoc eft, ex occulta divinae providentiae difpofitione; quae, ut Auguftious in quarto & feptimo Confeffionum inquit, caecas & improbas mentes confulto-

I. Caufa cur Aftrologi judiciarii aliquando vera praedicant.

rum aliquoties occulto quodam instinctu sic agitat, ut nescientes proferant, quae consulentes vel ex eorum meritis, vel ex abysso justi judicii oporteat audire: sic olim apud ethnicos accidit, ut dum aliqui ex poëmatibus poëtae cujuspiam, longe aliud canentis & intendentis, sortes consulerent, carmina eis obtigerint, vel praesentibus, vel futuris negociis mirifice consona; ceu Alexandro Severo, cui adhuc adolescenti, nec imperium speranti, dum Virgilianas sortes scrutaretur, versus ex sexto Aeneidos exiere, qui futurum illi imperium portenderent his verbis:

Tu regere imperio populos Romane memento.
(Hae tibi erunt artes) pacisque imponere morem,
Parcere subjectis, & debellare superbos.

Quod si divinae sortis nutu ex hujusmodi carminibus aliquando responsa prodiere tanto a cogitationibus auctorum suorum diversa, quanto fuerunt eventibus consulentium congrua: quid mirum, si a genethliaco, nihil eorum, quae dicit, sciente, vera interdum prognostica excidant? ita ejus linguam moderante eo, qui non solum ex ore Balaami harioli, ac falsi vatis, sed etiam ex ore asinae, cui divinator ille insidebat, verissima futurorum oracula eduxit?

II. Causa cur Astrologi aliquando vera praedicant.

SECUNDO multa a mathematicis dicta, &, ut praedicta sunt, eveniunt non ex astromantica disciplina, quae nulla est, sed ex societate, & foederibus inter eos, & daemones constitutis; de quibus Augustinus libro quinto De civitate Dei, capite septimo, sic loquitur: HIS omnibus consideratis, non immerito creditur, cum astrologi mirabiliter multa vera respondent, occulto instinctu fieri spirituum non bonorum, quorum cura est has falsas ac noxias opiniones de astralibus fatis inserere humanis mentibus, atque firmare; non horoscopi notati, & inspecti aliqua arte, quae nulla est. Et libro secundo De Genesi ad literam cap.17. id ipsum latius explicans, FATENDUM est, inquit, quando ab istis vera dicuntur, instinctu quodam occultissimo dici, quem nescientes humanae mentes patiantur: quod cum ad decipiendos homines fit, spirituum seductorum operatio est: quibus quaedam vera de temporalibus rebus nosse permittitur, partim quia subtilioris sensus acumine, partim quia subtilioribus corporibus vigent, partim experientia callidiore, propter magnam longitudinem vitae, partim sanctis angelis, quod ipsi ab omnipotente Deo discunt, etiam jussu ejus sibi revelantibus, qui merita humana occultissimae justitiae sinceritate distribuit: aliquando autem iidem nefandi spiritus, etiam, quae ipsi facturi sunt, veluti divinando praedicunt; quapropter bono Christiano, sive mathematici, sive quilibet impie divinantium, maxime dicentes vera, cavendi sunt, ne consortio daemoniorum animam deceptam, pacto quodam societatis irretiant.

III. Causa veritatis praedictionis Astrologorum.

TERTIO implentur saepenumero etiam absque ulla stellarum consideratione astromantium prognostica ex sola moralis prudentiae providentia, ad quam attinet non solum praeterita reminisci, & praesentia conrueri, sed etiam futura prospicere, &, quae ventura sunt, longe antea praevidere. Sunt autem homines quidam, tam natura, quam exercitatione ita prudentes, ut ex hominum temperaturis, inclinationibus, virtutibus, ac vitiis, tum amicitiis, & inimicitiis, tum facultatibus, negociis, studiis, & occasionibus, multa eis eventura praevideant, eaque asseverationis constantia proferant, ut raro fallantur. Sic Hannibal, prudentissimus dux, perspecta temeritate ac imperitia Terentii Varronis, Romani consulis, Afris victoriam, Romanis cladem ingenti fiducia praedicit, praedictionem paulo post comprobante certaminis exitu, Romanis ad Thrasymenum dimicantibus infoelicissimo. Et ne externa exempla petam, ita proximis annis, cum Respublica nostra Senensis implacabili civium discordia, & seditionibus, ac bellis intestinis arderet, non defuere plerique optimi cives, qui omni siderum cognitione destituti, praenunciarent praesentem amissae Reipublicae & urbis calamitatem: idque non ex mathematicis apotelesmatis, sed ex civilis prudentiae judicio, cujus certissimus canon hic est, SEDITIOSORUM CIVIUM DISCORDIAS RUINAM CIVITATIBUS INEVITABILEM PORTENDERE. Hac igitur ratione usuvenit, ut interdum Planetarii, politicarum actionum gnari, etiam contra astrologicos canones multa verissima praedicant: exempli causa principem, in cives tyranni-

ce

te debacchantem, a suis occisum iri; hominem, assiduo furto & raptu viventem, furcae suspendio interiturum; religionis contemptorem, & divorum irrisorem, ignibus exurendum: quia ex prudentia, plurimis experimentis comprobata, noverunt, talia scelera tales sibi poenas parare.

QUARTA ac postrema causa, ob quam divinationes hujusmodi attingant praevisas metas, est consulentium stultitia, sive stulta credulitas, qua interrogantes consultoribus suis facile de his credunt, quae ipsi vel maxime prosequuntur, vel fugiunt. Solet enim ea credulitas immittere credulis consulentium animis, aut spem foelicitatis a divinatore promissae, aut metum calamitatis ab eo denunciatae: hi autem duo affectus crebro efficiunt, ut humana negotia praenunciatos fines sortiantur: nam quemadmodum spes & fiducia ardua quaeque opera audeorer aggrediuntur, & foeliciter magnificeque absolvunt: ita pavor ac metus res pavide incipiunt, inceptas vero turpiter & infoeliciter deserunt: atque hinc aliquando fit, ut avarus quispiam, aut ambitiosus percontator, credens ac sperans facile se potiturum, vel divitiis, vel honoribus, ab astromante pollicitis, applicet animum ingenti fiducia obfirmatum, viresque omnes, ac studia omnia ad consequenda illius promissa. Quoniam vero accidit id interdum inveniri, quod assiduo labore, & summa quaeritur diligentia: sequitur etiam, ut aliquoties divitiarum & honorum sectatores ad eas opes ac dignitates Deo permittente perveniant, quae ei praenonciarat astrologus, responso quidem fortuito, & absque ulla consultoris arte edito, sed a consulente sic recepto, & in animum reposito, ac si esset oraculum certissimae auctoritatis, & indubitatae fidei. Habemus hujus rei exemplum in exercitibus Romanis: quibus, ut scribit Livius, cum auguria & auspicia, secreto ab eorum curatoribus inspecta, infaustam & luctuosam expeditionem minarentur; auspices, ne militem, in bellum proficiscentem, funesto nuncio consternarent, versis in contrariam partem auspiciis, mentiri sunt omnia, fausta ac triumphalia a diis ostendi: quo mendacio utiliter decepti milites, ea animi alacritate, & fortitudine pugnarunt, ut eos hostes funderent, quibus Romana auguria victoriam contra Romanos ipsos pollicebantur. Contra vero cum Lunae deliquium ea nocte incidisset, qua Atheniensium classis e portu Syracusano fugam moliebatur, praefectus ejus Nicias, ignorans id accidere ex ingressu lunaris globi in umbram terrae, suspicatus est eo luminis defectu significari classis naufragium, & militum demersionem, si inde ea nocte abnavigaret: ex hac igitur falsa suspicione in vanam trepidationem lapsus, cum a destinata navigatione, in qua certissima salus erat, abstinuisset; paulo post in potestatem hostium devenit. Ex iis itaque causis contingit non pauca a judiciariis praedici, quae saepe absque ulla astrosum notatione videmus, aut casu, aut pacto, aut prudentia, aut stultitia impleri.

IV. Causa cur nonnunquam Astrologi vera praedicant.

CAETERUM ad id, quod ait, me contra D. Thomae instituta, quibus ex scholastica professione devincior, astrologica improbare prognostica, respondeo, duplex esse astrologiae divinatricis genus, physicum, & ficticium: quae quidem triplici inter se discrimine distinguuntur, scilicet, observatione, applicatione, ac praenotione. Primum observatione, quod Physica divinatio physicas tantum stellarum influxiones, impressionesque observet; quae non sola imaginationis excogitatione, sed re ipsa vere inter opera naturae subsistant, & sensu & ratione physica demonstrentur: ceu sunt lumen, motusque errantium siderum, ac praecipue solaris astri; ex cujus ad nos accessu ac recessu generationes & corruptiones rerum proveniunt. Contra vero Ficticia divinatio, neglectis physicis influentiis, observat defluxiones quasdam constellationum imaginarias & commenticias, hoc est, afflatus aliquos sidereos, qui nec usquam sint, nec ulla demonstratione, aut certo experimento deprehendi queant, sed sola sint astromantium vanitate introducti, & stultorum hominum credulitate recepti: ex iis sunt peculiares illae & occultae proprietates, quas olim delirantes hujus inventores pro sui cerebri stoliditate, &, ut cuique eorum visum fuit, variis astris adscripsere: veluti Veneri afflatum libidinis; Marti defluxionem irae ac furoris; Lunae influxum insaniae; Capricorno vim, quae nascentes sub eo reges efficiat; Andromedae illustrationes infaustas, quae exilia, captivitatem & carceres adducat; Orioni irradiationes, quae

Astrologiae divinatricis duplex genus

quae venatorem producant; Canopo radios, qui piscatores gignant; sideri Meduseo virulentam aspirationem, quae inopinatum & repentinum interitum inferat; caeteraque his similia, e poëtarum figmentis iterum ficta & reficta.

SECUNDO inter se hoc potissimum distant, quod physici divinatores actiones sideralium impressionum ita corporibus applicant, ut asserant astrorum energiam ac vim primo, per se, directim, ac necessario solis corporibus imprimi, animis vero nequaquam, nisi per accidens, atque admodum indirecte, & contingenter, hoc est, quatenus humanae voluntates corporeis passionibus, physica siderum effluxione commotis, sponte sua consentiunt: veluti cum viatoris corpus, solaribus radiis exhaustum, animum nec reluctantem, nec contradicentem ad bibacitatis & ebrietatis vitium pertrahit: at ficticii divinatores vires siderum primo, per se, ac necessario animo non minus, quam corpori applicant, totumque simul hominem ficticiis afflatibus agunt: eique ex horum vi decernunt itinera, navigationes, bella, carceres, caedem, atque alia hujusmodi eventa, quae illum, etiam invitum, ac repugnantem, pati necesse sit.

TERTIO discrepant, quia physicae divinationis disciplina abstinet a certa, ac determinata praedictione singularium, & praecipue contingentium cujusque hominis eventuum; sed generatim, & in universali, nullaque fixa rei praedictae determinatione de humanis actionibus pronunciat. Exempli gratia, quod exoriente Arietis astro alacriores erunt homines, quia tunc redeunte ad nos Sole, secumque veris amoenitatem redducente, cuncta hilariora reddantur: oriente vero sidere Virgiliarum homines tristiores erunt, quia Sol a nostris regionibus recedens hyberna frigora, dies pluviales, & tristes longiorum noctium tenebras post se relinquat. Planetarii autem e diverso suos cuique particulares actus, eventus, & successus faustos & infaustos certa & determinata asseveratione praenunciant.

HIS igitur divinationibus hoc pacto discretis, si quis ex me quaerat, quid nam de utrisque senserit D.Thomas: unico verbo respondeo, physicas praenotiones ab eo recipi, ac probari; ficticias vero, quales querulus ille astrotheologus ineptis homunculis venditat, prorsus rejici, & in multis theologiae suae scriptis refelli. Legat prudens lector primam ejus Theologicae summae partem, qu.115. art.4. & secundam secundae quaest 95. art.1. & opusculum De judiciis astrorum; & comperiet verum esse quod dico. Hactenus pro sententia D.Thomae, cujus & sanctitatem adoro, & doctrinam toto pectore amplector.

SUPEREST, ut in fine Annotationis hujus ad id respondeam, quod astrotheologus ille ultimo loco subjecit, me quoque genethliacis placitis consensisse, cum scriberem, poëtas aliquos sub felicibus astris genitos: fateor sane id a me dictum & scriptum, non tamen eo animo, quo ipse nugatur; sed ut vulgata locutionis forma perfectos & absolutos poëtas designarem: solet enim vulgus hominum dicere eas res, vel faustis auspiciis, vel propitiis astris fieri, quae undequaque feliciter perficiuntur, nec puto mihi vitio dandum, si quae vulgus ex astrologorum vanitate in communem loquendi usum desumpsit, ego ad Christianos poëtas accommodaverim, cum etiam divinae scripturae ad stellas coeli transtulerint Orionis, Arcturi, Hyadum, & Plejadum nomina, ex poëticis & astrologicis ethnicorum fabulis mutuata. Atque haec ad astrotheologi querelas dicta sint satis.

Job 9. 9. & 37. 9. Amos 5. 8.

ANNOTATIO XI.

Venit Joannes Baptista praedicans, & dicens, Poenitentiam agite, &c. Matth. 3. a

Num baptismus Johannis contulerit gratiam.

CHRYSOSTOMUM homilia in Matthaeum decima, verba haec explicantem, Joannes Calvinus Institutionum suarum capite decimo septimo [a] accusat, quod de baptismo Joannis tractans, affirmaverit illud non contulisse remissionem peccatorum, contra auctoritatem Lucae, scribentis Joannem praedicasse baptismum

(a) Johannes Calvinus id habet *Lib. IV Institutionum Cap. IV. Sect. 7. & 8.* editionis Theodori Bezae, (ex qua semper retuli ejus loca a Xysto citata,) ubi etiam carpit S. Augustinum, ut mentiatur ejusdem virtutis & efficaciae fuisse Johannis Praecursoris, ac Christi Servatoris baptismum. Adversus quem consulas Polemicos, praesertim S. Thomam *3. p. q. 38. art. 3.*

mum poenitentiae in remissionem peccatorum. Sed mirum sane, cur temeratius hic ejusdem criminis non insimulet etiam Paulum apostolum, atque ipsum Joannem Baptistam, eadem plane praedicantes, quae Chrysostomus ex eorum sententia, & ecclesiae catholicae sanctionibus docuit. Paulus enim cum apud Ephesum rebaptizari jussit eos, qui Joannis baptisma susceperant, ostendit lavacrum illud non artulisse Spiritus Sancti gratiam, sed praeparatorium fuisse ad consequendam gratiam in Christi baptismate: & ob id occurrens iis, qui sibi Joannis baptisma jam suscepturn sufficere putabant, dixit: In quo ergo baptizati estis? Joannes baptizavit baptismo poenitentiae populum, dicens, In eum qui venturus est; ac si dixisset, Joannis baptismus nihil aliud fuit, quam praeparatio quaedam, poenitentes ad Christi baptisma deducens: & ob id vos iterum in Christi nomine baptizari necesse est. Hoc & ipse Baptista agnoscens clamabat: EGO quidem baptizo in aqua in poenitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est: ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni: hoc est, Ego non in spiritu vivificante, & sanitatem, ac remissionem peccatorum exhibente baptizo, sed in aqua; nimirum ut hoc ablutionis symbolo admoneam vos, ut, arrepto poenitentiae itinere, properetis ad baptismum Christi, qui vos, aqua gratiae suae emundatos, & igne Spiritus sui purificatos, evehet ad aeternam felicitatem. Igitur quemadmodum nefas est arbitrari Paulum & Joannem a Lucae sententia dissentire: ita summae impudentiae est affirmare, eidem Evangelistae adversari Chrysostomum; qui in eo ipso loco, quem damnat Calvinus, demonstrans, quo sensu Lucas pronunciaverit Joannem praedicasse baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum, ait id intelligendum esse non de remissione criminum, quae praesens esset, quaeque in Joannis baptismate donaretur, sed de futura delictorum condonatione in Christi baptismo consequenda. Quibus quidem verbis palam ostendit Chrysostomus, nec Lucam a Paulo & Joanne discrepare, neque se, ut improbe mentitur Calvinus, cum Luca pugnare, sed utrique consona sentire, ac docere.

Luc. 3. 3.

Actor. 19. 34.

Matth. 3. 11.

ANNOTATIO XII.

Ego quidem vos baptizo in aqua, ille autem vos baptizabit in spiritu. Matth. 3. 6

AUCTOR operis imperfecti homilia tertia, enumerans quatuor genera baptismatum, hoc est Verbi, Aquae, Spiritus, & Tentationis, asserit in baptismo aquae peccata praeterita poenitentibus ablui ac remitti, ipsorum vero animam nec sanctificari, nec Spiritum Sanctum recipere: verba ejus sic habent: BAPTISMUS aquae proficit, quia peccata quidem, quae jam processerunt in opus, abluit; & hoc si poenituit: animam autem non sanctificat, nec concupiscentias cordis, aut cogitationes malas praecidit; nec repellit eas, sed nec carnales concupiscentias reprimit. Qui ergo non fuerit sic baptizatus, ut mereatur accipere Spiritum Sanctum; in corpore quidem baptizatus est, & peccata ejus indulta sunt, sed in animo catechumenus est: sic enim scriptum est, Quia qui spiritum Christi non habet, hic non est ejus: propter quod caro ejus postea pejora ei germinabit peccata; quia non habet in se Spiritum Sanctum conservantem se; sed vacua est domus corporis ejus: propterea Spiritus ille, inveniens vacuam domum, & mundatam doctrinis fidei, quasi scopis, intrans septempliciter habitat in ea. Haec homilia quarta: de quibus etiam homilia quinta non longe ab initio sermonem facit. (a)

Num in baptismo conferatur Spiritus Sanctus.

ANNOTATIO XIII.

Vidit Spiritum Sanctum descendentem, sicut columbam. Matth. 3. d

CHRYSOSTOMUS homilia 12. in Matthaeum, confutans Arrianos, torquentes hunc locum ad inaequalitatem Filii & Spiritus Sancti, videtur asserere columbam,

Num columba Christo insidens fuerit verum animal.

(a) Legesis S. Thomam III. P. Qu. LXIX. art. 4.

columbam, in qua visus est Spiritus Sanctus, non habuisse columbae naturam, sed ejus duntaxat figuram & speciem, his verbis: AUDIO aliquos dicentes, Quantum inter hominem, columbamque discrimen est, tantam Christi & Sancti Spiritus esse distantiam: quia ille quidem in nostra utique natura, hic vero in specie sit visus columbae. Quid igitur ad talia responderi potest? nisi quod filius quidem Dei naturam hominis susceperit, Spiritus vero Sanctus non assumpserit naturam columbae: idcirco Evangelista non in natura, sed in specie columbae dixit: tunc enim solum in hac visus est figura. Huic Ambrosius consentiens libro primo De sacramentis capite quinto, ait: ET ECCE, quasi columba, Spiritus Sanctus, non columba descendit, sed quasi columba: memento, quid dixerim. Christus carnem suscepit, non sicut carnem, sed carnis istius veritatem: Spiritus autem Sanctus non in veritate columbae, sed in specie columbae descendit de coelo. Utrique assentitur Procopius Gazaeus in commentariis Geneseos cap. 18. inquiens: DEUS in veteri Testamento conspectus est in forma corporis, nec tamen illud corpus mortalis corporis habuit proprietatem: non enim vel carne, vel sanguine constitit: ad eum modum Spiritus Sanctus in nostrum conspectum venit in specie columbae; nec tamen erat columba: quia non eam, quam columba, habebat proprietatem. Sensit hoc idem Thomas Cajetanus in explanatione hujus capituli. Caeterum huic sententiae reclamat Augustinus in libro De agone Christiano, capit. 22. sic scribens: NEQUE hoc ita dicimus, ut Dominum Jesum Christum dicamus solum verum corpus habuisse, Spiritum autem Sanctum fallaciter apparuisse oculis hominum: sed ambo illa corpora vere esse credimus. Sequuntur Augustini placitum omnes fere scholares theologi, praesertim D. Thomas in tertio Theologicae summae volumine, quaestione 39. attic. 7.

Optatus Milevitanus lib. adv. Parmenion alt. Descendit in imagine columbae.

Lege integrum Articulum S. Thomae cum notis Nicolai.

ANNOTATIO XIIII.

Vidit Spiritum Dei, sicut columbam. Matth. 3. d

THOMAS Cajetanus quid in hanc scripserit sententiam, vide Annotatione praecedenti.

ANNOTATIO XV.

Vidit Spiritum Sanctum, sicut columbam. Matth. 3. d

De Trinitate

AUCTOR operis imperfecti caute legendus est homilia quarta prope finem, ubi Arriano more tradit, tres divinas personas inter se esse omnino inaequales, his verbis: IN QUO mysterio natus est Christus, in hoc mysterio & Spiritum Sanctum accepit: etenim filio Dei baptismum recipiente, & Spiritu descendente, unus in forma stabat humana, alter in specie descendebat columbae; tertius autem nec in forma stabat humana, nec in specie descendebat columbae, sed in voce tantum audiebatur desursum descendere; sed haec confessio est insipientium haereticorum: prudentiores autem haeretici non dicunt tres unum esse Deum, sed tres eandem habere substantiam: quod magis Macedonius, quam *ὁμοίωσιν* confitetur: videamus ergo, cui sit aequalis. Non dixit, Hic est filius noster dilectus, ut ne quemadmodum Deus, ita & Spiritus Sanctus pater Christi fuisse videatur: nam si aequales sunt per omnia, quemadmodum ille paternitate est honoratus: sic & Spiritus Sanctus: si autem Deus quidem Pater est, quia Filium habet; Spiritus autem Sanctus non est Pater; quia Filium non habet: non est per omnia aequalis? Nec dictum est, Filii nostri dilecti hi sunt, ne cum Christo etiam Spiritus Sanctus filius putaretur: nam si per omnia aequalis est Christo: etiam filius est quemadmodum Christus: si autem non filius, quemadmodum Christus, sed minister fidelis Christi: non est aequalis Christo.

Matth. 17.

ANNOTATIO XVI.

Ductus est Jesus in desertum a spiritu, &c. *Matth. 4. a*

AUCTOR operis imperfecti in initio homiliae quintae scribit Jesum ductum esse in desertum a Spiritu Sancto, non quasi minorem majoris praecepto, sed quasi majorem minoris hortatu. Quod Arrianum est dogma. Ibidem paulo post videtur favere haereticis Lutheranis, affirmantibus peccatum originale non recedere a baptizatis, nisi in morte. Ait enim: QUALE autem peccatum in morte remittatur, scit, qui intelligit, pro quali peccato introducta est mors: nam si propter peccatum moritur homo; sine dubio solvitur, propter quod moritur. De Trinitate

ANNOTATIO XVII.

Et tunc coepit Jesus praedicare. *Matth. 4. c*

AUCTOR operis imperfecti homilia sexta non longe a fine, arbitratur eos, qui ab haereticis, vel a non baptizatis baptizati sunt, non assecutos esse baptismi sacramentum, & ob id secundo baptismate indigere: scribit autem hoc modo: EX TUNC coepit Jesus praedicare, ex quo in aqua quidem baptizatus est a Joanne, in spiritu autem a patre, ut possit de se ipso alios baptizare, secundum hominem dico: quia si non fuisset baptizatus, alios baptizare non poterat: quomodo autem nudus vestiat nudum, aut quomodo mendicus faciat alterum divitem? sic & ipse, qui baptizatus non est, quomodo alteri potest baptismum dare? secundum hoc & de haereticis dicimus: quia ubi est fides, illic est ecclesia: ubi ecclesia, ibi sacerdos: ubi sacerdos, ibi baptismum: ubi baptismum, ibi Christianus: ubi autem fides non est, ibi nec ecclesia est: ubi ecclesia non est, nec sacerdos: ubi sacerdos non est, nec baptismum: ubi baptismum non est, nec Christianus: quid ergo reprehendit, quasi secundum baptismum, qui non intelligit, quod est primum? Hactenus auctoris verba recensui: quae quidem pie interpretari possumus, dicentes, ea tunc locum habere, cum non servatur catholica baptizandi formula: hos enim canon Apostolorum quadragesimus septimus [a] statuit An ab haereticis baptizati rebaptizandi sint.

(a) Canones, vulgo *Apostolici* dicti, jubentes ab haereticis baptizatum Catholico ritu fore ab Orthodoxis rebaptizandum, (seu potius baptizandum, quum haereticorum baptismus nullus ac invitus censeatur) tres sunt, nimirum XLV. XLVI. (non LXVII. ut Xystus indicat, alio fortasse usus elencho) & LXVIII. Verum hosce Canones subdititios esse ac spurios nemo, qui sapiens audit, infitiatur. Quale enim munimen non suppeditassent Agrippino, Cypriano, Firmiliano, Dionysio Alexandrino, ceterisque Graecis, & Africanis contendentibus ab haeresi venientes fore in Catholica Ecclesia catholico ritu lavandos, dum ipsi ad avitam Ecclesiae disciplinam adpellabant? Verum numquam legimus ab eis laudatos adversus Stephanum Rom. Pontificem urgentem Apostolicam doctrinam, ac traditionem; nec unquam in eorum Conciliis legimus vel digito monstratos, sed dumtaxat eam Apostolicam authoritatem legimus in medium productam, quae ex sacris libris hauritur, quale est illud Pauli effatum saepissime ab ipsis repetitum: Unus Deus, una fi„ des, unum baptisma.„ His adde Augustinum, qui in VII. Libris, quos adversus Donatistas scripsit, diffusissime de hac re agens, nec verbum unum de hisce Apostolicis Canonibus habuit. Adde Optatum Milevitanum, qui toto suo prolixo adversus Donatistam Parmenionem opere altum retinet de hisce Canonibus silentium; quinimo M. P. apertissime Canones hosce, longe post sui obitum jactatos, praedamnavit, adserens contentam in eis doctrinam longe ab Apostolorum magisterio ire. Sic enim docet *Lib. V. de Baptismo Cap. XX.* „ Apostoli nihil exinde prae„ ceperant, sed consuetudo illa, quae opponeba„ tur Cypriano, ab eorum traditione exordium „ sumpsisse credenda est, sicut multa, quae univer„ sa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis recte „ praecepta creduntur, quamquam scripta non re„ periantur.„ Quae omnia si recte librassent Veteres quidam Theologi, docti quidem, sed simplicioris indolis, haud universim LXXXIV. Canones Ab Apostolis editos, & per Clementem R. Pontificem primum editos extentis ulnis, sicut eis obtulerat Isidorus Mercator, excepissent; sed recto adhibito Criterio separassent pretiosum a vili, prudens de iis effermassent judicium, & quomodo aliqui dicendi reapse sunt Apostolici observassent ac docuissent. Non enim, ut mentitur Johannes Dallaeus, Calvinianae sectae Minister, omnes universim praefati Canones iratis diis sunt devovendi, veluti ab impostore haeretico primum efformati; sed retinendi sunt plures ex iis, veluti Apostolici, quia ex Apostolorum doctrina profluentes, ab Apostolicis viris primum, deinde ab aliis Catholicis, doctisque viris fuerunt scripto mandati: quapropter ab Athanasio, Basilio, Synodis Nicaena I. Antiochena, Gangrensi, aliisque laudantur ut Apostolici quamplures ex eisdem, qui nunc in Albo laudatorum Canonum continentur, ut optime observavit Guilielmus Beveregius, etsi ex coetu Protestantium, doctissimus tamen, & qui valido brachio Dallaeanum commentum retudit confregit contrivitque, quem propterea summo jure cum laude commemorandum censeo, ut

tuit iterum baptizandos: idemque decernit canon 19. Nicaenae Synodi de his, qui a Paulianistis fuerant baptizati: hi enim, a Paulo Samosatheno profecti, divinitatem Christi labefactabant: quam impietatem postea magis pervulgarunt Arrius, & praesertim Aërius; qui, ut refert Epiphanius, baptizabat sub hac verborum forma, In nomine Dei increati, & in nomine Filii creati, & in nomine Spiritus sanctificantis, & a creato filio creari. Cum igitur his verbis tota fides everteretur; necessarium fuit sic baptizatos iterum baptizari tanquam non baptizatos.

S. Epiphanius Haeres. LXXV.

ANNOTATIO XVIII.

Beati pauperes spiritu. Matth.5.a

Num Christus, & Apostoli mendicaverint.

THOMAS, cardinalis Cajetanus, dum haec in commentariis explicaret, quaestionem proposuit in haec verba: CUR JESUS mendicos spiritu dicat beatos, cum ipse, totius perfectionis exemplar, non fuerit mendicus secundum rei veritatem, sed potius dans eleemosynam mendicis, ut patet Joannis 13. quando putatum est, quod Jesus jussisset Judae habenti loculos, ut egenis aliquid daret? hinc enim clare habetur, quod se & suos non connumerabat inter mendicos: & idem patet, quando discipuli ierant in civitatem, non ut mendicarent, sed ut emerent cibos: & in pluribus aliis Evangelii locis idem habetur. Respondeo, quod Jesus non fuit mendicus, quia nunquam legitur petiisse nisi a Samaritana potum aquae: quod constat non proprie esse mendicantium, cum hoc cuilibet majori possit accidere: quamvis alibi sequendo alios, aliter scripserimus: sed fuit in paupertate mendicorum, quia nihil omnino habuit proprium, nisi vestes, ex quo coepit praedicare: vivebat autem non ex mendicatis rebus, sed ex oblatis a devotis personis, juxta illud Joannis 13. Judas loculos habebat; & ea, quae mittebantur, portabat: & clare dicit Lucae 8. quod mulieres ministrabant Christo, discurrenti praedicando de facultatibus suis. Hactenus Cajetanus.

Joan.13. 29. Joan.4. 8.

QUEM Ambrosius, Compsae episcopus, libro secundo Annotationum, acri & prolixa digressione incessit, astruens haec mendicantium religionibus summam inferre injuriam, & sanctorum doctrinae & ecclesiasticis decretis ex diametro adversari: ostenditque ex nonnullis divinae scripturae testimoniis, & Patrum sententiis Apostolos vere fuisse mendicos, & Christum, de quo in Psalmo dicitur, Ego autem mendicus sum, se ad statum mendicitatis ob duas causas ultro demisisse: Primum ut satisfaceret abunde pro superbia ac petulantia nostra: nos enim rapuimus arroganter cibum non nostrum, sed prohibitum: (quod & assidue facimus) ipse vero, quod suum erat, summisse & humiliter, quasi alienum, petiit ex gratia. Deinde ut nobis humilitatis praeberet exemplum, & edomaret superbiam nostram; mendicavit locum, ubi pascha cum discipulis celebraret: mendicavit asellum, quo in urbem sanctam invectus est: mendicavit a Zachaeo hospitium, itemque a mulieribus victum, quae ei de facultatibus suis ministrasse leguntur.

Psal. 39. 18. Luc.22.10.11. & 12. 19 30. & 19. 5. 6.

AD EA vero, quae Cajetanus ad sententiae suae comprobationem attulit, hunc in modum respondet: PRIMO arguit Cajetanus, Discipuli ibant in civitatem, ut cibos emerent: ergo non mendicabant. Bone Deus, quî valet hoc? quasi vero nos, qui assidue mendicamus, non etiam cibos emamus ex mendicatis. Secundo arguit, Judas portabat loculos, &, quae ibi mittebantur, a devotis recipiebat: ergo discipuli non mendicabant. Quis non miretur argumentum? unde magis debuit colligi, Ergo mendicabant: sic enim & nos mendicamus, mittentes aliquem e nostris cum loculis, ut sic petat, & recipiat, quod ibi mittitur, & afferat. Tertio arguit, quod Christus dabat egenis. At hoc exigebat status mendicitatis,

ut vel ex ipsis doctioribus Protestantibus temeritas aliorum confundatur. At num omnes, qui nunc prostant Canones Apostolici, eodem tempore sint procusi? dubium est inter eruditos, etsi nemo dubitet quamplures fuisse ab Heterodoxis, aliisque impostoribus intrusos, ut vel ex hic ventilatis constat. Similiter quotnam sint retinendi tanquam genuini, etsi non ab Apostolis compacti, ab Apostolicis tamen viris concinnati? neque una est Criticorum sententia. Videsis ad plenariam rei notitiam Dupinium, Beveregium, Cabassutium, N. Natalem, aliosque plures ea de re agentes: quum nobis sufficiat haec adnotasse, praecipue quia in nostris Exercitationibus bis de hac re sermonem fecimus in notis, ubi variam DD. opinionem indigitavimus.

dicitatis, ut quod superesset, erogaretur in pauperes: sic enim faciebant beati viri Dominicus, & Franciscus: & sic fieri mandabant. Quarto, quod addit de mulieribus, quae ministrabant ei, recte contra ipsum retorquetur, vel ipsomet auctore, qui alibi rectius cogitans dixit, quod Christus, utpote mendicus, ad hoc illas induxerat. Demum infert Ambrosius hanc Cajetani sententiam fuisse olim ab ecclesia damnatam in Guillelmo de Sancto amore; qui primus in odium mendicantium monachorum docuit, neque Christum, neque Apostolos unquam mendicasse; & eos, qui ex electione mendicant, indignos esse Christianorum consortio. *Guillelmi de S amore error.*

ANNOTATIO XIX.

Beati, qui lugent, &c. Matth. 5. a

AUCTOR operis imperfecti homilia nona, hoc explicans, subindicare videtur esse quosdam, qui diabolo cogente compellenteque peccant: quod certe humani arbitrii libertatem evertit: quippe sic apud eum legimus: SANCTI quandiu sunt in mundo, nescientes providentiam Dei, nec intelligentes ad plenum, qui diabolo compellente delinquunt, & qui non ex proposito malo diligunt mala, omnes peccantes lugent, omnes a diabolo circumveniri, & cogi putantes. Arbitror eum verbo cogendi & compellendi hyperbolice usum non ad labefactandam arbitrii libertatem, quam alibi etiam plus aequo extollit, sed ad exprimendum vehementem diaboli tentationem, cui vix & aegre resisti queat. (a) *An diabolo cogente mali peccent.*

ANNOTATIO XX.

Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Matth. 5. a

AUGUSTINUS libro primo De sermone Domini in monte cap. 9. ita hunc locum exposuit, ut eum postea retractarit libro primo Retractationum cap. 19. his verbis: IN PRIMO volumine propter id, quod scriptum est, Beati pacifici, &c. dixi: Sapientia congruit pacificis, in quibus jam ordinata sunt omnia, nullusque motus adversus rationem rebellis est; sed cuncta obtemperant spiritui hominis, cum & ipse obtemperet Deo. Quod merito movet, quomodo dixerim: non enim cuiquam provenire in hac vita potest, ut lex, repugnans legi mentis, omnino non sit in membris: quandoquidem etiam si ei sic resisteret Spiritus hominis, ut in nullum ejus laberetur assensum: non ideo tamen illa non repugnaret. Hoc ergo, quod dictum est, nullum esse motum adversus rationem rebellem; recte accipi potest id nunc a gentibus pacificis domando concupiscentias carnis, ut ad istam pacem plenissimam quandoque veniatur. Proinde quod alio loco, cum eandem sententiam Evangelicam reperens; dixissem, Beati pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur, adjunxi, dicens, Et ista quidem in hac vita compleri possunt, sicut completa esse in Apostolis credimus, sic accipiendum est, non ut in Apostolis hic viventibus nullum carnis motum arbitremur spiritui repugnasse, sed hactenus hic ista posse compleri, quatenus in Apostolis credimus esse completa, ea mensura scilicet perfectionis humanae, quanta in hac vita potest esse perfectio: non enim dictum est, Ista in hac vita compleri possunt: nam completa esse in Apostolis credimus; sed ita dictum est, sicut completa esse in Apostolis credimus; ut ita compleantur, sicut in illis completa sunt, id est, quadam perfectione, cujus capax est ista vita, non sicut complenda sunt illa, quae speramus pace plenissima, quando dicetur, Ubi est mors contentio tua? *An homo ad perfectionem impeccabilitatis pervenire possit.* *1. Cor. 15. 55.*

(a) Benigne quidem & sapienter Xystus Graeci authoris mentem expendit. Diabolum porro nimio impetu insurgere in homines, ut eos ad crimina inducat, fidei dogma est, dicente Apostolorum Principe. *I. Canonica Cap. V.* „ Fratres sobrii estote & vigilate: „ quia adversarius vester diabolus tanquam leo ru„giens circuit quaerens quem devoret, cui resistite „ fortes in fide. „ Quomodo autem diabolus interius inducat hominem ad peccandum, esto nullimode eum cogere possit ad culpam, angelice quidem S. Thomas expendit *I. P. Qu. CXIV. Art. 2. 3. & 4.*

ANNOTATIO XXI.

Qui dixerit, fatue, reus erit gehennae ignis. Matth. 5. e

De Eucharistia. AUCTOR operis imperfecti homilia XI. alludere videtur ad haeresim eorum qui negant verum Christi corpus esse in sacramento altaris, dum ait: VASA sanctificata ad privatos usus transferre, peccatum est, & periculum; sicut docet
Daniel. 5. 18. nos Balthasar: qui bibens in calicibus sacratis, de regno depositus est, & de vita: si ergo haec vasa sanctificata ad privatos usus transferre sic periculosum est, in quibus non est verum corpus Christi, sed mysterium corporis Christi continetur: quanto magis vasa corporis nostri, quae sibi Deus ad habitaculum praeparavit. Neque ab hac sententia abludit, cum homilia 17. non multo ante finem eucharistiam appellat panem benedictum; & homilia 19. fere in principio vocat sacrificium panis & vini.

ANNOTATIO XXII.

Quicunque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii. Matth. 5. e

De gradibus consanguinitatis. AUGUSTINUS expositionem, quam libro primo De sermone Domini in monte cap. 25. ad hunc locum attulerat, castigavit libro primo Retractationum cap. 19. hoc modo: ITEM quod dixit, Hoc & de patre, & de matre, & de caeteris vinculis sanguinis intelligendum est, ut in eis oderimus, quod genus humanum nascendo & moriendo sortitum est, ita sonat, quasi non essent futurae istae necessitates, si nullo naturae humanae praecedente peccato nemo moreretur: quem sensum jam superius improbavi: essent enim profecto cognationes & affinitates, etiam si, originali nullo existente peccato, sine morte cresceret, & multiplicaretur genus humanum: ac per hoc aliter solvenda est quaestio, cur Dominus praeceperit diligendos inimicos, cum alio loco praecipiat odio habendos & parentes, & filios, non sicut hic soluta est, sed sicut eam posterius saepe solvimus, id est, ut diligamus inimicos lucrandos regno Dei, & oderimus in propinquis, si impediunt a regno Dei.

ANNOTATIO XXIII.

Qui dimiserit uxorem, excepta fornicationis causa, & alteram duxerit, adulterat. Matth. 5. e

Num adulterium separet matrimonii sacramentū. HILARIUS canone quarto in Matthaeum, haec elucidans, creditur esse in opinione eorum, qui docent, licere uxorem adulterii ream abjicere, & aliam ducere. Legas infra Annot. 81.

CHRYSOSTOMUS idem, quod Hilarius, tradere putatur homilia 17. in quintum Matthaei caput. Vide infra ibidem.

THEOPHYLACTUS in Commentariis quinti capitis super Matthaeum id ipsum scribere videtur. Vide infra ibidem.

EUTHYMIUS in Commentariis ejusdem loci idem praesefert. Vide infra ibidem.

CHROMATIUS in Commentario quinti capitis in Matthaeum idem. Quaere infra eodem loco.

ANNOTATIO XXIIII.

Omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari. Matth. 5. e

De divortio. AUGUSTINUS libro primo De sermone Domini in monte cap. 26. perquirens, quatenus hoc loco intelligenda sit fornicatio, videtur esse in hac sententia,

ut

ut putet licere ob qualecunque peccatum vel mariti, vel uxoris fieri divortium: sic enim scribit: EX QUO intelligitur, quod propter illicitas concupiscentias non tantum, quae in stupris cum alienis viris, aut foeminis committuntur, sed omnino quaslibet, quae animam corpore male utentem a lege Dei aberrare faciunt, & perniciose turpiterque corrumpunt, possit sine crimine & vir uxorem dimittere, & uxor virum: quia exemplum facit Dominus causam fornicationis, quam fornicationem, sicut supra memoratum est, generalem & universalem intelligere cogimur, hoc est illam, de qua dicitur, Perdidisti omnes, qui fornicantur abs te. Quae verba Augustinus libro primo Retractationum cap. 19. reprobat, remittens lectorem ad ea, quae de hac quaestione posterius scripsit, praesertim in duobus libris De adulterinis conjugiis; in quibus determinat non licere divortium, nisi propter carnalem fornicationem, quae in stupris est. Psalm. 72. 27.

ITEM in eodem libro, & loco affirmat divortium a toro in stupris carnalibus permissum esse, non jussum, quod dictum in eodem libro & capite Retractationum damnat, tanquam contrarium sententiae Salomonis, dicentis, Qui tenet adulteram, stultus est & impius. Vide infra Annot. 81. Prov. 18. 22.

ANNOTATIO XXV.

Ego autem dico vobis, non jurare omnino. Matth. 5. f

AUCTOR operis imperfecti homilia 12. hoc praeceptum interpretans, tria docet a communi theologorum consensu diversa, primum, quod bene jurare per Deum, peccatum sit; secundum, quod bene jurare per creaturas, peccatum sit; tertium, quod per creaturas bene jurare, execrabilius peccatum sit, quam per Deum bene jurare: haec autem his verbis complectitur: ECCE quartum mandatum, quod minimum putant avari; qui bene jurare non putant esse peccatum, sine quo non potest stare legis mandatum, &c. Et postquam de juramenti peccato multa disseruit, demum intulit: HAEC de illis dicta sunt, qui jurant per Deum: eorum autem, qui jurant per elementa, execrabilior iniquitas est, coelum enim, & terram, & caetera Deus ad ministerium sibi creavit, non hominibus ad juramentum, &c. Ex his propositionibus quomodo prima & secunda exponi queant, vide sequentem Annotationem. Tertia vero propositio intelligenda est de his, qui ob id per creaturas jurant, quia credunt eas aut deos esse, aut iis aliquid inesse divinitatis: hi enim gravissime peccant, quia latriae cultum, qui soli Deo convenit, creaturis exhibent: at qui per creaturas jurant, non quod eas Deos credant, sed quia in his divinam veritatem refulgere videant, recte jurant exemplo Joseph; qui per salutem Pharaonis juravit, nihil aliud, ut inquit Augustinus, in Pharaone veneratus, quam Deum, a quo potestas Pharaonis erat. An juramentum semper sit peccatum. Genes. 42. 16.

HILARIUS canone 4. in Matthaeum omne prorsus juramentum videtur Christianis interdicere. Vide Annotationem sequentem.

HIERONYMUS in Commen. idem habet. Vide Annot. sequen.

CHROMATIUS in Commen. idem. Lege Annot. sequen.

THEOPHYLACTUS in Comment. idem. Consule Annot. sequen.

EUTHYMIUS in Commen. idem. Legito Annot. sequen.

ANNOTATIO XXVI.

Ego autem dico vobis, nolite jurare omnino. Matth. 5. f

CHRYSOSTOMUS non solum in praesenti loco, sed aliis quoque pene innumeris locis sentire videtur juramentum rem esse pessimam, atque ita Christianis interdictam, ut nusquam eis neque etiam in causa justa jurare liceat: hanc sententiam aperte pronunciat homil. 15. in Genesim his verbis: CHRISTIANUS juramenta modis omnibus fugiat, audiens sententiam Christi, quae dicit. Dictum est antiquis, Non pejerabis: ego autem dico vobis, Non jurandum omnino: ne igitur dicat aliquis, In re justa juro: neque enim in re justa, neque injusta jurare licet. Num omne juramentum, etiam in causa vera & justa, peccatum sit.

licet. Et homilia nona in Actus Apostolorum, decernit esse impios, & dignos, ut ab ecclesia arceantur, qui in forensibus actionibus, & contractibus, & fidejussionibus aut jurant, aut ab aliis juramentum exigunt. Rursum assignans causas, ob quas jurare non liceat, inter alias hanc recenset, quod juramentum scelus sit prorsus diabolicum. Sic enim loquitur homilia in Psalmum quintum: JURARE ex diabolo est, dicente Christo, Quod enim est his amplius, a malo est. Et homilia decima nona ad populum Antiochenum, AUDISTI, inquit, Christi sapientiam dicentem, quod non pejerare tantum, verum etiam quomodocunque ju-
Matth. 5. 37. rare diabolicum est, & tota maligni machinatio. Et libro primo adversus vituperantes vitam monasticam, SI JURARE, ait, diabolicum esse comperitur: qua animadversione plectendi sunt, qui perjurant? Et libro primo De compunctione cordis: SI VERE jurare crimen est, & praevaricatio mandati: perjurium ubi ponemus? Neque his solum contentus Chrysostomus, refellit etiam rationes theologorum, sententiae suae reclamantes.

EX QUIBUS PRIMA est, quod si juramentum esset ex se malum; Deus, qui
Genes. 22. 16. male agere nequit, non jurasset, inquiens ad Abraham: Per memetipsum juravi, dicit Dominus: & in Psalmo 109. Juravit Dominus, & non poenitebit eum.

Jerem. 4. 2. SECUNDA est, si jurare scelus esset; non praecepisset nobis Deus apud Prophetam Jeremiam, Jurate per Deum verum.

TERTIA est, quod cum maxime necessarium sit juramentum ad componendas civiles, & ecclesiasticas controversias; non est a bono viro detrectandum, sed, quotiescunque justa necessitas incumbet, promptissime praestandum.

QUIBUS occurrens Chrysostomus, ad primam ratiocinationem respondet, Deum nullo modo jurare: quod si divinae Scripturae aliquando testentur Deum jurasse; inquit, juramentum non proprie & secundum humanum jurandi morem, sed improprie & metaphorice Deo adscribi, quatenus juramentum, pollicitationem, certamque promissionem significat. Ita enim scribit homilia in Psalmum centesimum nonum, exponens illud, Juravit Dominus, &c. JUSJURANDUM autem, quando audies, ne putes esse jusjurandum; quemadmodum enim ira in Deo, ira non est, sed est jus puniendi, & non perturbatio animi: ita etiam jusjurandum. Deus enim non jurat, sed dicit, quod omnino futurum est. Et hom. 47. in Genesim, & in epistolam ad Hebraeos undecima, explicans jusjurandum Dei ad Abraham, asserit verba, quibus Deus jurare videtur, non esse juramenta, sed promissiones: quas tamen Deus humano more juramenta appellat, condescendens ad humanam infirmitatem; cui ut se attemperet, non attendit dignitatem suam; sed, ut hominibus persuadeat indigna sibi verba assumens, vocat pollicitationes suas juramenta more hominum, qui ea, quae sine ulla dubitatione credi volunt, se esse facturos adhibito juramento promittunt.

DEINCEPS secundae argumentationi satisfacit homil. 17. in Matthaeum: ubi
Matth. 5. 37. explicans illud, Sit sermo vester, est, est; non, non: quod enim ultra est, a malo est: hunc in modum se ipsum percontatur: SI juramentum ex malo est; quomodo ergo jubebatur in lege? & paulo post ita respondet: JURAMENTUM in lege veteri non fuit praeceptum, sed duntaxat permissum; sicut etiam repudium propter infirmitatem eorum, qui legem acceperunt, ne aut simulacra colerent, aut per simulacra jurarent: quare quemadmodum repudium olim concessum, nunc adulterium judicatur: ita juramentum quondam in lege permissum, nunc in lege Evangelica post tanta scilicet argumenta virtutis ex malo esse creditur, & plurimum sine dubio mali in se habet.

DEMUM & tertiam rationem rejiciens, homil. 8. ad populum Antiochenum. QUID igitur, inquit, si jurandi necessitas adsit? Respondeo. Ubi est praevaricatio, non est necessitas: possibile est enim penitus non jurare. Et homil. 17. in Matthaeum idem repetens, QUID igitur, ait, si aliquis exigat juramentum, & necessitatem jurationis imponat? Respondeo. Sit tibi timor Dei omni necessitate violentior: si enim velis hujusmodi occasiones semper afferre; nihil de his, quae sunt imperata, custodies. Hactenus Chrysostomus. Reliquum est, ut ad evitandum superfluam hujus argumenti repetitionem, apponam hoc loco sententias Patrum, qui Chrysostomo concordes esse putantur, adjectis ipsarum antidotis, ut sine ulla offensione legi queant.

ORI-

ORIGENES tractatu 35. in Matthaeum, NON oportet, ut vir, qui vult secundum Evangelium vivere, adjuret alterum: simile est enim, quod dicit in Evangelio Dominus ipse, Ego autem dico, non jurare omnino, & non adjurare omnino: si enim jurare non licet, quantum ad evangelicum Christi mandatum, verum est, quia nec adjurare alterum licet.

ATHANASIUS in sermone De passione & cruce Domini, SI IGITUR juranti fides est veritas: quis usus jurisjurandi? sin autem fides ei non est: cur tantum impietatis suscipimus, ut propter homunciones, eosque mortales Deum, qui supra homines est, testem invocemus? quid igitur faciendum? nihil amplius, nisi ut sit nostrum ita, ita; & nostrum non, non; & in summa non mentiamur: sic enim Deum imitari videbimur. Sed forsitan aliquis ita contradicat: Si jusjurandum vetitum hominibus est, & non jurando quis imitatur Deum: qui fit, ut ipse Deus in sacris Scripturis jurare referatur? nam & ipsi Abrahae juravit; & in Genes. 22. 16. Psalmis scriptum est, Juravit Dominus, & non poenitebit eum: videntur enim Psal. 109. 4. ista aut cum superioribus pugnare, aut istinc hominibus jurandi facultatem concedi. Verum hoc ita non est; neque quisquam hoc putet. Deus enim per neminem jurat, sed hominibus loquens jurare dicitur; & hoc ipsum humano more: ut enim hominum sermonem confirmat jusjurandum: ita quoque ea, quae loquitur Deus, ob firmitudinem & immutabilitatem voluntatis ejus pro juramentis reputanda sunt: non igitur Deus hominum more jurat; neque nos ex ista re ad juramenta facienda induci oportet.

EPIPHANIUS libro primo Panarii, contra Ossenos disputans, haec ait: PRIMUM igitur non oportet jurare, neque per ipsum Dominum, neque aliud quoddam jusjurandum: nam maligni illius, scilicet diaboli, est jurare.

HILARIUS canone 4. in Matthaeum, LEX poenam posuerat perjurio, ut fraudulentiam mentium sacramenti religio contineret: fides vero, sacramenti consuetudinem removet, vitae nostrae negocia in veritate constituens. ergo in fidei simplicitate viventibus jurandi religione opus non est, cum quibus semper quod est, est; quod non, non: & per hoc eorum opus, & sermo omnis in vero est. Neque per coelum jurabis, &c. non solum reddere nos Deo sacramenta non patitur; quia omnis Dei veritas dicti, factique nostri simplicitate retinenda est: sed superstitionem contumaciae veteris condemnat: his enim elementorum nominibus judaeis erat religio jurare coeli & terrae Hierusalem, & capitis sui: quibus in contumeliam Dei sacramento venerationem deferebant.

AMBROSIUS in expositione Psalmi 118, SUPER juravi, & statui: ideo Dominus, qui venit docere parvulos, imbuere novos, formare perfectos, ait in Evangelio: Non jurandum omnino, quia infirmis loquebatur: denique non ad solos Apostolos loquebatur, sed ad turbas: voluit enim te non jurare, ne perjures: & addidit, Non jurare neque per coelum, neque per terram, neque per Hierosolyma, neque per caput tuum, per ea videlicet, quae subjecta non sunt potestati tuae. Juravit Dominus, nec poenitebit eum. Juret ergo ille, quem sacramenti sui poenitere non poterit: & quid, Juravit Dominus? quia Christus in aeternum sacerdos est: nunquid incertum, nunquid impossibile, quod juravit Dominus? nunquid poterat esse mutabile? noli ergo usurpare exemplum sacramenti, qui implendi sacramenti non habes potestatem.

CHROMATIUS, Aquileiae episcopus, quinto capite Commentariorum in Matthaeum, EGO autem dico vobis, non jurare omnino, per gratiam doctrinae Evangelicae, lex per Mosen data perfectum accepit: in lege praeceptum est Exod. 20. 7. non esse pejerandum, in Evangelio vero nec jurandum: quod ipsum per Salomonem praecipere spiritus sanctus praemeditabatur, dicendo, Jurationi non assuescas: & iterum, Sicut servus, flagellatus assidue, e livore non minuitur: sic Eccli. 23. 9. Ibid. 11. omnis jurans a peccato non purgabitur: unde jurare nos prorsus non convenit: quid enim unicuique nostrum jurare necesse est, cum nobis mentiri omnino non liceat? quorum verba ita vera semper, ita debent esse fidelissima, ut pro juramento habeantur & idcirco Dominus non solum pejerare, sed etiam jurare nos prohibet.

HIERONYMUS capite quinto Commentariorum in Matthaeum, NOLITE

jurare omnino; &c. Judaei jurare permittebantur in Deum, non quod recte hoc facerent, sed quod melius esset id Deo exhibere, quam daemonibus. Evangelica autem veritas non recipit juramentum, cum omnis sermo fidelis pro jurejurando
Jerem. 4. 2. sit. Et in cap. 4. Comment. in Jeremiam exponens illud, Jurabis in veritate, dicit Dominus, &c. sic inquit: SI DOMINUS dicit, Jurate in veritate: quomodo Evangelium jurare nos prohibet? Respondeo, hic, Jurabis, pro confessione dicitur, & ad condemnationem idolorum, per quae jurabat Israël. Item in Commentariis super octavo Zachariae capite, JURAMENTUM, ait, ne diligatis,
Matth. 5. 34. praecipiente Domino in Evangelio, Ego autem dico vobis, ut non juretis penitus. In praeceptis, quae ad vitam pertinent, & sunt perspicua, non debemus quaerere allegoriam; ne juxta Comicum, Nodum quaeramus in scirpo.

Hoc proverbium extat apud Plautum in Men. & Terentium in Andr.

AUTOR Operis imperfecti in Matthaeum, quod Chrysostomo tribuitur, AUDITE clerici, qui jurantibus Evangelia sancta porrigitis; quomodo potestis ab illo juramento esse securi, qui occasionem perjurii datis? si erat bene jurare justum: juste dicebatis, Quia dedimus illis Evangelium, ut jurent, non ut perjurent: nunc autem, cum sciatis, quia & bene jurare peccatum est: quomodo potestis esse liberi, qui occasionem datis peccandi in Deum? Haec de illis dicta sunt, qui jurant per Deum: eorum autem, qui jurant per elementa, execrabilior iniquitas est.

THEOPHYLACTUS capite quinto Comment. in Matthaeum, JURARE, inquit, & adjicere amplius ad etiam vel non, a diabolo est: potro si dixeris, quod & lex Mosi mala erit, quia jurare jubet: disce, quod tunc non erat malum jurare: post Christum autem malum est, sicut & circuncidi; & in summa, quicquid est Judaïcum: fugere enim puero convenit, viro vero minime.

Jacob. 5. 12. OECUMENIUS 5. cap. Comment. in epistolam Jacobi super illud, Ante omnia fratres mei, ne jureris, &c. sic ait: SED dicet aliquis, Si quis jurare cogatur, quid faciendum est? Dicimus, quod timor Dei fortior erit necessitate vim inferente. Dubitare autem posset aliquis, cum vetus lex eum, qui per nomen Domini jurat, laude dignum ducat: quomodo gratia hoc facere vetetur? Dicimus, quod lex vetus, abducens Judaeos, ne per idola jurarent, praecipiebat jurare per Deum, quemadmodum etiam Deo sacrificare praecipiebat abstrahens eos, ne idolis sacrificarent: ubi autem Dei sufficienter cultum docuit, tunc & sacrificia tanquam inutilia repulit.

EUTHYMIUS quinto cap. Comment. in Matthaeum, SI JURAMENTUM a diabolo est: quomodo ipsum lex vetus permittebat? quia & sacrificia a malo quidem erant, & deceptione idolorum, ea tamen permisit lex propter Hebraeorum infirmitatem: cum enim glutones essent ac lurcones, idolothyta amabant: & ita cum essent increduli, juramentum quoque diligebant: ut autem neque idolis sacrificarent, neque per idola jurarent, permisit quidem lex sacrificare & jurare, & si quid aliud est simile, omnia vero ad Deum transtulit: futurum autem erat, ut successu temporis etiam haec sublimiori legislatione amputaret: & lactare infantibus utile, viris autem admodum ineptum; ideoque infantium more viventibus hoc concedimus. Quid igitur agendum, si quis juramentum expetat, imo jurare cogat? sit tibi timor Dei violentior, quam haec necessitas; omniaque eligas pati potius, quam praeceptum transgredi.

HIS atque hujusmodi sanctorum auctoritatibus usi sunt haeretici, qui Christianis omne prorsus jurisjurandi genus interdixerunt, ceu Valdenses, Albanenses, Viclefitae, Pseudoapostoli, ac nuper Lutherani, & Anabaptistae: quorum improbo dogmati reclamant omnes Theologorum scholae, & Pontificum sanctiones, statuentes juramentum rem esse venerandam, sacrosanctam & optimam, tum ex origine, tum ex fine. Ex origine quidem, quia juramentum ortum habet ex reverentia, quam Deo exhibemus, ostendentes, qualem existimationem de ipso habeamus; nempe quod ea cognoscat, de quibus apud nos controversia est; & quod verax sit, neque mentiri possit; & ob id jurantes invocamus Deum testem eorum, quae dicimus: quapropter juramentum recte collocatur inter primas partes illius supremi cultus, qui Graeca voce λατρία appellatur,
Deut. 6. 13. dicente Deo in quinto libro legis, DOMINUM Deum tuum adorabis, & illi so-

li servies; & per nomen illius jurabis. Ex fine vero optimum dicunt esse juramentum, quia necessarium sit ad justificandas hominum actiones, & ad finiendas inexplicabiles controversias, quae humano judicio dissolvi non possunt: unde cum in Oecumenica synodo Ephesina quarta decrevissent Patres, ut Nestorius palinodiam suae haereseos caneret, neque verbis ejus satis fiderent, exegerunt ab eo juramentum his verbis: CONSEQUENS est etiam jurejurando fateri te, quod anathematizes tua polluta ac prophana dogmata: sentias autem, & doceas, quae nos credimus & sentimus. Et in eadem synodo Victor quidam Cyrilli amicus, falso accusatus, non prius purgari potuit, quam sublatis in coelum manibus per sacrosanctum baptisma, & veneranda Christi mysteria se innocentem jurasset. Et in Concilio Constantiensi, postquam inter caeteras Viclefi haereses etiam articulus, tollens omnia juramenta, damnatus esset, decretum est a Patribus, ut ad confirmationem foederis, quod pro eversione schismatis inierant Romanorum & Aragonum reges, juramentum ab omnibus, qui tum in concilio adetant, flagitaretur: quod & illico jurantibus omnibus expletum est.

CAETERUM quo ad praedictas sententias attinet, si aequo animo expendamus mentem & scopum autorum, qui eas protulerunt; cognoscemus illos noluisse adimere Christianis jurandi religionem, sed tria potissimum circa juramenti ritum prohibere voluisse.

PRIMO, ne quis ullo modo blaspheme, & impie juraret per creaturas, quasi in eis existimans aliquid divinitatis latere, & cultum Creatori debitum eis impendens, sed per Creatorem duntaxat: quia hoc praesertim vetuit Christus, cum diceret: NOLITE jurare omnino, neque per coelum, neque per terram, &c. quo sane sensu Epiphanius & Hieronymus interpretandi sunt: ambo enim testantur Christum his verbis pravam consuetudinem jurandi per elementa tollere voluisse. Matth. 5. 37.

SECUNDO, ne quis faciliter, & absque necessitate Deum juraret; ne ex facilitate ad consuetudinem, & ex consuetudine ad juramenti contemptum, & perjurii usurpationem descenderent: ad hoc enim prospiciens Christus, dixit: SIT sermo vester, est est, non non: quod autem ultra est, a malo est: hoc est vel a mala consuetudine ejus, qui etiam non requisitus absque ulla necessitate Deum jurat; vel a malo ejus, cui juratur, qui fidem dictis sine juramento praestare non vult. Ad hunc finem praecipue referenda sunt, quae Chrysostomus per excessum orationis, & ex reprehensionis ardore adversus juramenta protulit, cupiens radicitus evellere inveteratam Graecorum licentiam: qui, ut ipse in variis homiliis conqueritur, in officinis, in compitis, & in foro pro decem obolis, pro calceis, & vilissimis quibuscunque rebus juramenta intempestiva exigere, & praestare non verebantur. Huc etiam spectasse Athanasium, Chromatium, & Oecumenium liquido ostendunt verba, quae paulo post allatas sententias adjiciunt, damnantes eos, qui incessanter, & sine ullo delectu sponte sua ad juramenta currunt. Athanasius autem tantum abest a justi juramenti prohibitione, ut ipse in apologia ad Constantium Imperatorem juramentum ex divinis oraculis praestet, ac exigat in haec verba: TUAE pietati magna & clara voce, manuque extenta, quod ab Apostolo didici, Deum in meam ipsius animam testor, &, ut scribitur in libris Regum, jusjurandum concipio: testis sit Dominus, & testis Christus ejus, quod nunquam in malum tui mentionem feci apud fratrem tuum Constantem Augustum, neque illum adversum te irritavi. Et paulo infra, VELLEM hunc hominem, quisquis is est, hic in praesentia adesset, ut delato juramento sub attestatione veritatis haec ab eo sciscitarer: quae enim ita dici, audirique volumus, quasi Deo praesente, ea sub hac formula jurisjurandi nos Christiani homines concipere solemus. Matth. 5. 34. 1. Timot. 5. 21. 1. Reg. 12. 5.

TERTIO admonere voluerunt gravissimi illi viri, ne quispiam ex his, qui summum Christianae perfectionis statum profitentur, ulla de causa, vel etiam justa, Deum in controversiis inter ipsos perfectos incidentibus juraret, quia Christus inter caetera eximiae perfectionis consilia hoc quoque consuluit, ut perfecti in propriis causis, & inter ipsos perfectos versantibus ab omni prorsus juramento abstinerent: quod & olim servatum fuerat ab Essaeis, perfectissimam vitam apud

Hebraeos profitentibus: hi enim, ut Josephus & Philo scribunt, jusjurandum, quasi perjurium, vitabant, existimantes inter perfectos viros nec exigenda, nec praestanda esse juramenta, tum quod oporteret, quicquid a perfectis viris pronunciatur, jurisjurandi vim habere; tum quod is mendacii argui videretur, cui sine Deo teste non crederetur. Igitur juxta hunc sensum locutos constat Hilarium, Ambrosium, Theophylactum, & praesertim Euthymium, dum inquit, lactare infantibus utile, viris autem ineptum: ideo infantium more viventibus hoc (videlicet juramentum) concedimus: cui non admodum abludens Theophylactus, SUGERE, inquit, puero convenit, viris vero minime: innuens hac metaphora, juramentum incipientibus, & adhuc imperfectis convenire, perfectis vero nequaquam. (a)

ANNOTATIO XXVII.

Ego autem dico vobis, nolite resistere malo. Matth. 5. f

Num injuriae vindictā in judicio petere liceat.

CHRYSOSTOMUS homilia 18. hanc sententiam exponens, ait, QUID igitur non oportet nos resistere malo? oportet quidem, sed non eo modo scilicet, quo lex jubebat, verum eo, quo ipse praecepit: ut scilicet ad patiendas injurias nos praebeamus, nec enim aliquando ignis igne, sed aqua utique ignis extinguitur &c. Hunc locum Bodius in Collectaneis refert inter eos, quibus Lutherani persuadent, non licere Christianis ullo pacto illatae injuriae vindictam, nec damni retaliationem in judicio reposcere: quem errorem secuti sunt Jacobus Faber, & Erasmus, hanc ipsam legem enodantes. Sed mirum est, hos viros, in multis oculatissimos, non vidisse & Christum & Chrysostomum id consulere, tanquam evangelicum consilium, quod solos attingat perfectos, non quod omnes praecepti obligatione astringat.

ANNOTATIO XXVIII.

Diligite inimicos vestros. Matth. 5. g

De peccato irremissibili.

AUGUSTINUS libro primo De sermone Domini in monte cap. 43. quaedam de peccato ad mortem disseruit, quae in primo Retractationum capite 19. emendavit his dictis: LOCO alio peccatum fratris ad mortem puto esse, cum post agnitionem Dei per gratiam Domini nostri Jesu Christi quisque oppugnat fraternitatem, & adversus ipsam gratiam, qua reconciliatus est Deo, invidentiae facibus agitatur: quod quidem non confirmavi, quoniam hoc putare me dixi; sed tamen addendum fuit, si in hac tam scelerata mentis perversitate finierit

hanc

(a) Quamvis sapientissime N. Xystus catholicum dogma de juramento ex caussa permisso, ac quandoque praecepto Christianis, adversus acatholicos variam delirantes firmarit; & concludenter erudite nimis, ac proprie loca Patrum ex adverso laudata expenderit: non taedet tamen ad majorem dogmatis firmitatem aliqua hic addere Xysti vestigia terendo. PP. Benedictini namque locum Hilarii ab heterodoxis objectum ita sapienter expendunt, illorumque arma retundunt. „ Jurandi necessitatem „ hic, superius consuetudinem, infra superstitio- „ nem, nusquam licentiam Christianis auferri do- „ cet Hilarius. Immo lib. 5. de Trinitate n. 26. & „ 29. hanc Esaiae prophetiam, *Et qui jurant super* „ *terram, jurabunt in Deum verum*, evangelicis „ temporibus convenire demonstrans, juramentum „ etiam Christianis aliquando pium ac laudandum „ probat: quod amplius liquet ex his Tract. Psalm. „ 62. n. 12. *Quisquis in eo jurabit, sacramenti hu-* „ *jus religione laudabitur*: Hic ubi subjicit, *nos* „ *reddere Deo Sacramenta non patitur*, intelligere „ est *citra necessitatem*. Frustra igitur Sculterus „ hoc uno in Matthaeum loco fretus inter singula- „ res Hilarii opiniones recensct, *juramentum omni-* „ *no Christianis esse interdictum*. „ Athanasius vero, ut ex locis, quae protulit Xystus, directe Novatores refellit; & quae sub ejusdem Alexandrini Episcopi laudatur Homilia de Passione, & Cruce Domini, universim ab eruditis emunctae naris magno Athanasio ablegatur, & restituitur inepto cuidam scriptori longe posterioris aetatis; quapropter nullum ex ea possunt sibi patrocinium vindicare tenebriones. Ceteri autem Patres, qui ex adverso laudantur, optime ab Authore nostro expenduntur. Adde ad dogmatis firmitatem M. P. Augustinum, qui innumeris pene in locis licitum Christianis adstruit juramentum, &, quae ex Evangelio opponuntur, luculenter expendit, ostendens ex utroque divino foedere licitum jusjurandum, nimirum id habet Epist. CLIV. Lib. XIX. *contra Faustum* cap. 23. Serm. XXVIII. alias *de verbis Apostoli* cap. 4. & 5. Adde etiam S. Thomam 2. 2. Qu. LXXXIX. Art. 2. ubi rem totam sapientissime dilucidat. Idem pariter habetur in Decretis causa 22. Qu. 1. cap. *Omne* ex Concilio Toletano VIII. & in Decretalibus Tit. de Jurejurando Cap. *Nimis* ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. &c. Consule Polemicos ad ulteriora si quae optas, quum haec adnotasse, ac addidisse sufficiat.

hanc vitam, quoniam de quocunque pessimo, in hac vita constituto, non est utique desperandum; nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur.

RURSUS capite 44. ejusdem libri De sermone Domini, videtur asserere peccatum oppugnantis fraternitatem esse usque adeo perniciosum, ut nullus ab eo queat resurgere: ait enim: ILLIUS peccati tanta labes est, ut deprecandi humilitatem subire non possit, etiam si peccatum suum mala conscientia & agnoscere, & annunciare cogatur. Divus Thomas parte Summae tertia quaest. 86. art. 1. hoc dictum mitigans, ait ipsum intelligendum esse eo modo, quo dicere solemus, illum non posse sanari, qui non facile potest sanari: licet enim peccatum hoc suapte natura sit curatu difficillimum; potest tamen facile curari ope divinae gratiae, quae juxta Davidis sententiam etiam interdum profundum maris convertit. (a) Psal.67.23.

ANNOTATIO XXIX.

Tu autem cum oraveris intra cubiculum tuum, &c. Matth. 6. a

CHRYSOSTOMUS homilia 19. in Matthaeum quaedam ad expositionem loci hujus attulit de vocali oratione, quibus haeretici nostrorum temporum abutuntur adversus orationes ac preces, quae publice in templis Christianorum a sacerdotibus vel legi, vel decantari solent: verum ipse verborum Chrysostomi decursus palam arguit eum non damnare vocales ac publicas ecclesiae precationes, ad quas omnibus pene sermonibus populum hortatur; sed ipsum loqui adversus quosdam vanos & ineptos oratores, qui orationem vocalem spirituali praeponebant; & ob id incompositis gestibus, & immoderatis, atque indecoris vociferationibus in templo orabant, quo clarius a caeteris internoscerentur, non sine spectantium admiratione. Hos Chrysostomus ab ostentatione & immodestia ad modestiam & humilitatem revocans, NON igitur, inquit, gestibus corporis, neque clamoribus vocis, sed intentione optimae voluntatis orationum vota reddamus, non cum strepitu oris ac strepitu, non ad tam importunam ostentationem, atque jactantiam, sed cum omni modestia, &c. De oratione vocali.

ANNOTATIO XXX.

Adveniat regnum tuum, &c. Matth. 6. b

AUGUSTINUS libro 2. de sermone Domini in monte scripsit Christum esse hominem Dominicum, dicens unigenitum Dei filium in homine Dominico venturum de coelo ad judicium. Hoc ipsum retractavit secundo libro Retractationum cap. 19. inquiens: UBICUNQUE hoc dixi, dixisse me nollem: cum enim Christus Jesus sit natura Dominus, Dominicus homo dici non potest. Cujus rei D. Thomas in 16. quaestione tertiae partis art. 3. hanc affert rationem, quod cum vox haec Dominus dicatur de filio Dei secundum essentiam, non debet de eo secundum denominationem, ac veluti quidpiam accessorium, enunciari. (b) An Christus dicendus sit homo Dominicus.

(a) Locus Augustini in modernis editionibus *Lib. III. de Serm. Domini in Monte Cap.* 22. (in antiquis autem *cap.* 34.) longe varius est a primaevis exemplaribus, quibus usi sunt S. Thomas, & Xystus. Sic enim impraesentiarum legitur: „ Tanta labes „ illius peccati „ (scilicet) „ cum post agnitionem „ Dei per gratiam Christi, oppugnat aliquis frater- „ nitatem, & adversus ipsam gratiam invidiae faci- „ bus agitatur, ut deprecandi humilitatem subi- „ te non possit, etiamsi peccatum suum mala „ conscientia agnoscere, & annuntiare coga- „ tur. „ Quam bene autem S. Thomas hunc Augustini locum interpretetur, ex iis, quae habet ex eodem Augustino, & ex his, quae idem Angelicus addit, plene conspicitur. Legesis eundem S. Thomam cum notis Nicolai.

(b) S. P. Augustinus ne dum laudato loco *de Serm. Dom. in Monte*, verum & lib. *LXXXIII. Quaest. qu.* 36. Christum dixerat hominem Dominicum: id ipsum autem sapientissime retractavit, ne forte vel nomine conveniret cum Apollinaristis, qui, ut adnotavit S. Gregorius Nanzianzenus *Oratione LI.* Christum hominem κυριακόν, idest *Dominicum* adpellabant. Sed recte idem M. P. ubi hanc sententiam retractat, subjungit „ quamvis nonnulla „ possit ratione defendi „ praesertim quia id dictum legerat „ apud quosdam tractatores Catholicos elo- „ quiorum divinorum „ nimirum apud Athanasium in *expositione fidei*, Chrysostomum *Homil. de Cruce*, & Didymum *lib. 3. de Spirit. Sanct.* ab Hieronymo Latine versum. Quare Angelicus ibidem *Art. III. ad I.* recte expendit quomodo ex Augustino id possit *nonnulla ratione defendi* „ quia scilicet posset aliquis di- „ cere, quod dicitur *homo Dominicus* ratione hu- „ manae naturae, quam significat hoc nomen homo, „ non autem ratione suppositi. „ Cetera, quae huc faciunt, legesis apud eundem Angelicum Doctorem.

ANNOTATIO XXXI.

Panem nostrum supersubstantialem. *Matth. 6. b*

Num panis, quem in oratione Dominica postulamus, corporeus sit.

HIERONYMUS libro primo Commentariorum in Matthaeum eos, qui putant panem hac petitione postulandum esse corporeum, improbare videtur hoc modo: QUOD nos supersubstantialem expressimus, in Graeco habetur ἐπιούσιον: quod verbum LXX. interpretes περιούσιον frequentissime transferunt: consideravimus ergo in Hebraeo, & ubicunque illi περιούσιον expresserunt, nos invenimus סגלה Segula; quod Symmachus ἐξαίρετον, id est, Praecipuum vel egregium, transtulit: licet in quodam loco Peculiare interpretatus sit. Quando ergo petimus, ut peculiarem, vel praecipuum nobis Deus tribuat panem; illum petimus,
Joan. 6. 51. qui dicit, Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi. In Evangelio, quod appellatur Secundum Hebraeos, pro supersubstantiali pane reperi מחר Machar, quod dicitur Crastinum: ut sit sensus, Panem nostrum crastinum, id est, futurum, da nobis hodie. Possumus supersubstantialem panem & aliter intelligere, qui super omnes substantias sit, & universas superet creaturas. Hoc ipsum clarius explicans in Commentario secundi capitis epistolae ad Titum, ait: ILLUD, quod in Evangelio secundum Latinos interpretes scriptum est, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, melius in Graeco habetur, Panem nostrum ἐπιούσιον; id est, praecipuum, egregium, peculiarem; eum videlicet, qui de coelo descendens ait: Ego
Joan. 6. 51. sum panis vivus, qui de coelo descendi. Absit quippe, ut nos, qui in crastinum cogitare prohibemur, de pane isto, qui post paululum concoquendus & abjiciendus est in secessum, in prece Dominica rogare jubeamur.

NEC secus sentit Joannes Cassianus collatione nona, ubi decernit eos graviter offendere Deum, qui tam in hac, quam in caeteris postulationibus orationis Dominicae aliquid corporeum ac temporale a Deo flagitant. Ejus verba sic habent: PANEM nostrum ἐπιούσιον, id est, supersubstantialem, da nobis hodie: quod
Luc. 11. 13. alius Evangelista dixit, quotidianum, illud nobilitatis ac substantiae ejus significat qualitatem, qua scilicet super omnes substantias sit, atque omnes creaturas sublimitas magnificentiae ejus, ac sanctificationis excedat. Et post haec aliquibus interjectis, quasi vellet explanationis hujusmodi reddere rationem, intulit: VIDETIS ergo, qualis nobis ab ipso, qui per illam orandus est, judice orationis sit forma proposita: in qua nulla corporeae, seu temporalis vitae mentio continetur: nihil enim caducum vult a te, nihil temporale aeternitatum conditor implorari: itaque magnificentiae, ac munificentiae maximam irrogabit injuriam, quisquis, his sempiternis petitionibus praetermissis, transitorium aliquid & caducum ab eo maluerit postulare, offensam potius, quam propiciationem judicis sui vilitate orationis incurret. Haec Cassianus.

DISSIDET ab hac sententia Joannes Chrysostomus homil. 20. in Matthaeum: ubi petitionem istam corporaliter intelligendam esse demonstrat his verbis: QUID est, panem nostrum ἐπιούσιον, id est, quotidianum? quoniam dixerat, Fiat voluntas tua, sicut in coelo & in terra: id autem loquebatur hominibus carnis fragilitate circumdatis, ac necessitati naturae interim subjectis, nec eandem habentibus impassibilitatem, qua angeli perfruuntur: praecepta quidem sic Dei a nobis fieri jubet, ut etiam ab illis dicit impleri: condescendit vero naturae fragilitati, ac si diceret: Conversationis quidem diligentiam eandem a vobis efflagito, non tamen impassibilitatem requiro: neque enim concedit istud fragilitas ipsa naturae, quae necessario cibo indiget substentari. Tu vero considera, quemadmodum etiam carnalibus rebus plurimum spirituale societur: non enim propter divitias ac delicias, sed pro pane duntaxat quotidiano jussit orationem fundere, & pro pane quidem quotidiano, ne pro crastino die simus solliciti. Augustinus quoque in epistola ad Probam statuit omne id posse a Deo peti, quod licet desiderari; temporalia vero, quatenus ad virtutem conducunt, desiderare licet, ergo etiam orare.

CREDIDERIM Hieronymum & Cassianum, talia scribentes, admonere voluisse,

voluisse, ne temporalia & caduca propter se ipsa peteremus, sed tantum ut per ipsa corpus hoc nostrum servemus in obsequium spiritus ad aeternam foelicitatem aspirantis, (b)

ANNOTATIO XXXII.

Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, &c. Matth.6. b

THOMAS Cajetanus in Commentariis ait, quod si quis ex corde remiserit injurias propter Deum, etiam si in fornicatione perseveret; Deus tandem ipsum ad poenitentiam convertet, & condonabit ei omnia delicta. Damnat hanc sententiam Ambrosius, Compsae episcopus, libro Annotationum secundo, quia occasionem praebeat fornicandi, & in fornicatione persistendi. De injuriarum remissione.

(b) Quae hic strictim N. Xystus, & catholice quidem, dixit, fusius latiusque, etsi breviter, sunt a nobis expendenda ad duplex catholicum dogma firmandum. In laudata quidem Dominica Oratione nomine panis *quotidiani*, optime legi & verti posse *supersubstantialem panem*, eumque allegorice, nimirum ad justitiam & virtutem pertinentem, clarissimum est, ne dum ex Hieronymo, & Cassiano, quos N. Xystus laudat, verum ex innumeris aliis, & ex iis praesertim, qui Graecum textum τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον, verterunt *panem nostrum supersubstantialem*: Et quidem ne dum Graeci, verum & Latini PP. ita legerunt, ac interpretati sunt, praecipue S. Cyprianus *Lib. de Orat. Dominica*, Tertullianus *Lib. de Oratione*, Marius Victorinus *Lib. advers. Arium*, Vulgatus Ambrosius *Lib. V. de Sacram.* S. Gregorius Nyssenus *Tract. de Oratione*, S. Cyrillus Hierosolymitanus *Catechef. Mystagog. V.* Quare foede nimium mentitus est Joh. Calvinus, dum *Lib. III. Instit. Cap. XXII. Sect.* 44. ut suggillaret Theologos nostrae Communionis ita vertentes atque legentes, inquit: „ Quod „ porro de pane supersubstantiali quidam philoso„ phantur, mihi videntur Christi sententiae perpe„ ram convenire; imo nisi in hac etiam caduca vi„ ta tribueremus Deo nutritii partes, mutila esset „ precatio, &c. „ Et erronee etiam insipienterque locutus est Philippus Melancthon *in loc. commun. Tit. de invocation. & precat.* in eandem sententiam manibus pedibusque descendens. Nonne enim ita scribentes criminati sunt primores Ecclesiae Patres apprime Graece doctos, principesque Theosophiae, quibus morem gerere ex debito Religionis debebant? Parum itidem se versatos demonstrarunt in Graecae linguae notione, quum vel ipsa Graecorum Lexica id clarissime insinuant, eisque impraesentiarum ad brevitatem servandam ceteros super objicimus binos a Romana communione exegreges doctissimosque viros, Nicolaum Rigaltium, & Johannem Fellum *not. in S. Cyprian. de Orat. Dominic.*

Verum, quia ut optime adnotarunt viri Graece doctissimi, praesertim Fronto Ducaeus *not. ad S. Basil. loc. citand.* ἐπιούσιος *Epiusios* ne dum *supersubstantialem*, verum & *quotidianum* significat, factus est quod ἄρτος ἐπιούσιος usurpatus sit pro pane *supersubstantiali* (ut ex jam laudatis PP. & ex versione Benedicti-Ariae Montani, aliisque Cll. Interpretibus constat) verum etiam pro pane *quotidiano*: hinc in Evangelio Lucae Cap. XI. in eadem Dominica oratione clarius idem panis dicitur *quotidianus* τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δίδου ἡμῖν τὸ καθ' ἡμέραν. Vetus interpres autem optime retinuit *quotidianum* in Evangelio Matthaei, sicut & noster vulgatus habet. Habent etiam Suidas, Georgius Pasor, & alii. Et, quod est hic adnotandum, ne dum Latini Patres, qui Hieronymum antecesserunt praesertim Cyprianus *loc. cit.* sed etiam Graeci plures ita senserunt explanaruntque. S. Basilius namque *in Regulis brevioribus interrogat.* CCLII. dum quaerit „ Quis est „ panis ὁ ἐπιούσιος, qui, ut detur nobis, quotidie „ precari instituti sumus?„ respondet: „ Quotiescum„ que is, qui laborat, memoria teneat Dominum „ dicere: *Ne solliciti sitis animae vestrae quid man„ ducetis, aut quid bibatis*; itemque Apostolum „ praecipere laborandum esse, ut habeamus unde „ tribuamus necessitatem patienti; non propter „ propriam utilitatem, sed propter mandatum Dei „ laborat (*dignus est enim operarius cibo suo*) tunc „ ille panem τὸν ἐπιούσιον, hoc est ad quotidianam „ vitam, substantiae nostrae utilem, non sui juris „ facit, sed a Deo suppliciter petit. Et aperta ipsi „ necessitate indigentiae suae, tum demum mando„ cat, quod sibi datur ab eo, cui de communi ce„ terorum judicio delatum illud munus est, ut quo„ tidie illud faciat: *Dividebatur singulis prout cui„ que opus erat.* „ Eandem explicationem retinuerunt Chrysostomus *Homil. XX. in Matth.* aliique Graeci PP. quin & posteriores Latini omnes, praecipue Augustinus Epistola *ad Probam* olim CXXI. nunc CXXX. Eandem versionem quoque retinuerunt alii Interpretes. Arabicus namque vertit *panem sufficientem*; & ita pariter Aegyptius, Aethiopicus, & Persicus. Ex quibus patet etiam ratio cur in Graeco textu ἐπιούσιος adsumatur ad quotidianum, seu necessarium alimentum denotandum, ut nimirum usurpetur περιούσιος ad excludendum *superfluum* & excedens: quare Hebraicum Matthaei Evangelium nuper editum habet תמידי *Tamidi*, hoc est *jugem*, seu quotidianum, quo nimirum semper egemus, a verbo תמיד *Tamid*, hoc est semper, quod alii dicunt דבר יום *Debar jom*, hoc est *verbum*, seu *rem diei*, ad insinuandam rem jugiter ad nostram substentationem necessariam. Et hinc facile est occludere os nebulonum quorumdam effutientium nefas esse a Deo temporalia petere, esto ad finem honestum: eosdem etiam plene confundit S. Thomas 2. 2. *Qu. LXXXIII. Art. VI.* ubi hanc veritatem dilucide manifestat, & adversa sophismata dissolvit.

Ut autem quae hucusque diximus ex varia lectione, varioque interpretandi modo, clarius edisserantur, atque eliminetur quaelibet vel apparens antilogia, seu sentiendi diversitas, breviter addere lubet ex S. Cypriano supra laudato, utrumque ex Divino praecepto in Dominica oratione a Domino peti, & panem Coelestem, seu spiritualem, Eucharistiam nimirum, & victum necessarium: primum tamen ac potissimum, secundario autem quotidianum vitae alimentum. Videsis etiam N. Natalem, Maldonatum, Cornelium a Lapide, Calmetum, aliosque.

ANNOTATIO XXXIII.

Nolite fieri, sicut hypocritae tristes. Matth. 6. b

De Monachorum vestitu. AUGUSTINUS libro secundo De sermone Domini in monte, capite 19. nonnulla scribit, quae D.Thomas in secunda secundae, quaest. 187. art. 6. refert ex persona eorum, qui vilem & abjectum monasticae professionis vestitum vituperant: sunt autem haec: IN HOC capitulo maxime advertendum est, non in solo rerum corporearum nitore, atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus luctuosis esse posse jactantiam, & eo periculosiorem, quo sub nomine servitutis Dei decipit. His Augustini verbis apponit Hieronymi ac Strabi testimonia; quorum ille ad Nepotianum scribens: VESTES ait, pullas aeque vita ut candidas, ornatus & sordes pari modo fugiendae sunt, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. Strabus vero in illud ex sexto Apocalypseos capite, Ecce equus pallidus, &c. Apoc. 6. 8. VIDENS, inquit, diabolus, nec per apertas tribulationes, nec per apertas haereses se posse proficere, praemittit fallos fratres, qui sub habitu religionis obtinent naturam nigri & rufi equi pervertendo fidem. D.Thomas ait, ab his auctoribus non improbari inopem cultum, & demissum vestiendi institutum monachorum, & aliorum piorum hominum, qui ad humilitatis & poenitentiae exercitium, & ob contemptum mundanae gloriae, & quo caeteros exemplo suo avertant a saeculi vanitate, abjecto utuntur amictu; sed hypocrisim, fastum, & iniquitatem eorum damnari, qui sordibus & squallore vestium delectantur, vel ut in se oculos, atque omnium ora convertant, vel ut sub vestimentis ovium lupinam mentem operiant in perniciem eorum, quos decipere desiderant.

ANNOTATIO XXXIIII.

Nemo potest duobus dominis servire. Matth. 6. c

Num Deum quis odire possit. AUGUSTINUS lib. 2. De sermone Domini in monte capite 22. hoc exponens, NULLIUS, inquit, fere conscientia Deum odisse potest. Id ipsum retractavit eodem libro & capite Retractationum ceu contrarium divinae Scripturae; Psal. 73. 23. quae de multis dicit: superbia eorum, qui oderunt te.

ANNOTATIO XXXV.

Nonne anima pluris est, quam esca: & corpus plus, quam vestimentum? Matth. 6. c

Utrum nulla creatura sit incorporea. HILARIUS canone quinto in expositione hujus periodi scribit, nullam creaturam esse incorpoream, his verbis: NIHIL est, quod non in substantia, & creatione corporeum sit; & omnium sive in coelo, sive in terra, sive visibilium, sive invisibilium elementa formata sunt: nam & animarum species, sive obtinentium corpora, sive corporibus exulantium, corpoream tamen naturae suae substantiam sortiuntur: quia omne, quod creatum est, in aliquo sit, necesse est.

REPROBAT hanc sententiam Claudianus, Viennensis episcopus, libro De statu animae secundo, inquiens: PICTAVUS Hilarius inter complura praecelsarum disputationum suarum, quiddam secius sentiens, duo haec veris adversa disseruit: unum, quod nihil incorporeum creatum dixit; aliud, quod nihil doloris Christum in passione sensisse: cujus si vera passio non fuit, redemptio quoque nostra vera esse non potuit. Sed quoniam beatus Hilarius opinionis hujusce vitium virtute confessionis abolevit; sic sustinet reprehensionis stylum, quod non patitur detrimenta meritorum: quapropter divinarum tractatoribus Scripturarum fidem adhiberi par est, quoad usque eidem tenore veritatis astipulantur.

CAETERUM quod Claudianus in Hilario damnat, comperio sic veteribus placuisse,

placuisse, ut inter Catholicas regulas, & synodicas sanctiones receptum fuerit.

INTER Opera Augustini in libro De ecclesiasticis dogmatibus, capite undecimo, legitur canon Ecclesiasticus in haec verba: NIHIL incorporeum & invisibile natura credendum, nisi solum Deum, id est, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: creatura omnis corporea est, angeli & omnes coelestes virtutes corporeae sunt, licet non carne subsistant.

JOANNES CASSIANUS, hac de re scribens, capite decimo tertio Collationis septimae ait: QUANQUAM pronunciemus nonnullas esse spirituales naturas, ut sunt angeli, archangeli, caeteraeque virtutes, ipsa quoque anima nostra, vel certe aër ille subtilis: tamen incorporeae nullatenus existimandae sunt: habent enim secundum se corpus, quo subsistunt, licet mulro tenuius, quam nostra sunt corpora, secundum Apostoli sententiam, ita dicentis: Et corpora coelestia & corpora terrestria. Et iterum, Seminatur corpus animale, exurgit spirituale. Quibus manifeste colligitur nihil esse incorporeum, nisi solum Deum. Hieronymus ad hanc sententiam videtur interdum alludere: cum enim in caput Matthaei decimum dixerit, animam esse incorpoream protinus addidit,secundum crassiorem dico nostri corporis substantiam,nimirum ea locutionis forma, indicans animam non simpliciter, sed juxta corporis nostri compatationem esse incorpoream. 1. Cor. 15. 40. & 44.

TERTULLIANUS in libro De anima, capite secundo,sic loquitur: CORPORALITAS animae in Evangelio relucet: dolet enim apud inferos anima cujusdam, & punitur in flamma, & cruciatur in lingua, & de digito animae foelicioris implorat solatium roris: imaginem existimans exitum illum pauperis laetantis, & divitis moerentis: & quid illic Lazari nomen, si non in veritate res est? sed & si imago credenda est, testimonium erit veritatis: si enim non haberet anima corpus; non caperet imago animae imaginem corporis: nec mentiretur de corporalibus membris Scriptura, si non erant. Igitur si quid tormenti, sive solatii anima percepit in igne, vel in sinu Abrahae, probata erit corporalitas animae: incorporalitas enim nihil patitur, non habens per quod pati possit: aut si habet, hoc erit corpus: inquantum enim omne corporale passibile est, intantum omne, quod passibile est, corporale est. Luc. 16. 44

CAETERUM cum D.Augustinus lib. de Genesi ad literam decimo hanc in Tertulliano sententiam improbet, omnesque scholares theologi eandem rejiciant; credi potest veteres illos theologos, cum animam pronunciarent corpoream, non existimasse eam suapte natura, & in se ipsa corpus esse, sed ratione habita ad Deum; cujus comparatione nihil est, quod omnino incorporeum dici queat, sicut Deus: quippe qui nec indiget corpore, nec loco circumscribitur, nec terminis clauditur, sed ubique est, & omnia implet: creaturae vero, quantumlibet spirituales sint, certis applicantur corporibus, ubi animant, vel corporeis locis, in quibus existunt. Lege Annot. libri praecedentis 142. [a]

AN-

(a) Plura hic Author habet, quae majori egent criterio, maturiorique discussione ad veritatem edisserendam. In primis namque *Opus de Ecclesiasticis dogmatibus* Augustino adjudicatum olim a pluribus, quibus Xystus adhaesit, a S.P. eliminandum est, & restituendum Gennadio Massiliensi, ut universim Critici eruditissimi tradunt.

II. Hilarii Pictaviensis locus omnem subverteret dubitandi occasionem si *τὸ corpoream* legeremus *vongruam*, ut optime adnotarunt Cll. PP. San-Mauraei *hic*; verum quia Claudianus Mamertus legit *corpoream*, eaque lectio erat suo aevo recepta, illam immutare piaculum existimamus, ne videamur mendacio dogma firmare; solumque fas est Hilarii mentem expendere, praesertim quum laudatus Pictavorum Episcopus Tract. in Psalm. *LII. n. 7. in Psalm. CXVIII. n. 8.* nec non *in Psalm. CXXIX. num. 4. 5. & 6.* disertissime adstruat animam spiritualem. Hic ergo S. Praesul, quum totus sit in everrenda stultitia nebulonum inficiantium resurrectionem mortuorum, *corpoream* idcirco adseruit animae substantiam, ut subsistentiam illius naturae comprobaret, quapropter *vitalem* animae substantiam *corpoream* dixit juxta veterum loquendi morem, quibus solemne erat corporeum effari quod subsistens erat; qua etiam ex caussa ne dum animam, verum & Deum ipsum O. M. corporeum non semel dixerunt, ut praesertim constat ex Phaebadio Hilario coetaneo, eratque formula ista ex Philosophis depromta, ut constat ex illo Tullii *Lib. IV. de finibus*: „ Alii quasi nullum „ corpus sit hominis, ita praeter animum nihil cu„ rant: cum praesertim ipse quoque animus non „ INANE nescio quid sit (neque id possum intel„ ligere) sed in quodam genere corporis. „ Ubi, ut constat, corporeum pro subsistente sumitur, & ad discrimen *inanis*; eoque ex momento primi nominis Theologi vindicant Tertullianum ab impacto ei errore de corporeitate Dei, quia nimirum corporis nomine Q. Septimius id usurpavit, quod subsistens est,& adversum, seu oppositum inani, ac non existenti: quo pacto etiam Hilarius aliquando de Deo locutus est, quem tamen summum spiritum, ac plane incorporeum, & omnimode immaterialem saepissime praedicavit. Nisi forsan dicas, nec abs re, Hilarium dixisse animam *corpoream* per solam habitudinem ad corpus, quomodo etiam locutus est.

Evo-

ANNOTATIO XXXVI.

Quaerite primum regnum Dei. Matth. 6. d

Num Praedicatoribus liceat evangelizare victus gratia.

AUGUSTINUS libro secundo De sermone Domini in monte, capite 24. & 25. prolixa expositione hunc locum prosequitur: ex qua Magister Sententiarum ansam disputationis apprehendens, astruit, non licere praedicatoribus Evangelicis duos sibi praedicationis fines constituere, unum primarium propter regnum Dei, alterum secundarium pro victu corporeo. Habetur Centonis hujus coacervatio libro Sententiarum secundo, distinctione 38. ad hunc modum: NON debemus ideo evangelizare, ut manducemus; sed ideo manducare ut evangelizemus: ut cibus non sit bonum, quod appetitur; sed necessarium, quod adjicitur: ut illud impleatur, Quaerite primum regnum Dei, & haec omnia adjicientur vobis.
Matth. 6. 33. Non dixit, Primum quaerite regnum Dei; & deinde quaerite ista, quamvis sint & necessaria: sed ait, Haec omnia adjicientur vobis, id est, haec consequentur, si illa quaeratis, ne, cum ista quaeritis, illinc avertamini: aut ne duos fines constituatis, ut & regnum Dei propter se appetatis, & ista necessaria propter illud. Ergo propter regnum Dei tantum debemus operari omnia, non solum vel cum regno Dei mercedem corporalem meditari. Hactenus Augustini verba: quibus Magister ostendit non omnino prohiberi praedicantibus, ne duos sibi fines praefigant, sed fines duos in diversa tendentes, quorum alter ad alterum non referatur. At si regnum Dei primum appetant, & propter se ipsum appetant; deinde vero secundo loco victum, vestitum, & habitationem expetant ipsius regni gratia: nihil prorsus ab Evangelico scopo aberrant; quia omnes fines unico tantum fine concludunt, qui Deus est.

ANNOTATIO XXXVII.

Sufficit diei malitia sua. Matth. 6. d

De cibo & potu humano.

AUGUSTINUS libro secundo De sermone Domini in monte hoc edifferens, arbitratus est Christum, nomine malitiae, significare voluisse cibum & potum, quo indigent homines; quia poenales nobis sunt pertinentes ad hanc fragilitatem & mortalitatem, quam peccando meruimus. Eandem sententiam revocat libro primo Retractationum, capite decimo nono, tanquam incaute dictam, cum non attenderet etiam primis hominibus data fuisse in paradiso alimenta ante, quam istam mortis poenam peccando meruissent.

ANNOTATIO XXXVIII.

Hypocrita ejice prius trabem, &c. Matth. 7. a

An peccatum sit in Ecclesia.

AUGUSTINUS libro secundo De sermone Domini in monte, videtur consentire haereticis Lutheranis, qui docent in ecclesia Dei nullum esse peccatum,
dum

Evodius apud S. Augustinum *Epistola CLVIII. n. 19.* „ Animam ergo omni corpore carere penitus non „ posse, illa res puto ostendit, quod Deus solus „ omni corpore semper caret. „ Videsis novam editionem S. Hilarii PP. BB. cum *in praefat.* tum *in notis* ad hunc locum.

III. Hoc etiam modo expendi posse Tertullianum luculenter ostendit Cl. Jacobus Pamelius, praesertim quia Tertullianus *Lib. de Poenit.* c. 3. n. 12. dixit „ animam spiritum Dei adflatu consummatum. „ Verum quia idem Tertullianus deinceps „ animam „ aërei, ac lucidi coloris „ dixit, certe de eo est adfirmandum, quod in eo notavit sphalma M. P. Augustinus; sed cum laudato Pamelio *Paradox. Tertullian. c. 7.* observandum est, quod tunc miserrimus in eum incidit errorem, quum fuit deceptus per quasdam revelationes alicujus Montanistae mulierculae, „ non quidem Priscillae, aut Maximillae, (uti aliquando existimavimus) quae jamdudum ante su„ spendio perierant, sed cujusdam earum discipulae; „ sicut patet ex dicto libro *de Anima cap. 9. n. 111.* „ subdit ibidem Pamelius.

IV. De Johanne Cassiano idem esto judicium, ac de aliis PP. quos novimus patronos opinionis de corporeitate Angelorum, & potiori quidem jure animae rationalis, quae humani corporis est forma, ut ex pluribus laudati Cassiani operibus constat, nec diffitetur Cl. Alardus Gazaeus *in notis* ad eundem. Sapienter autem N. Xystus eum, sicut & reliquos, mitius exponit de corporeitate animae non absolute, sed relative ad Deum: itaut quamvis ex sui natura sit incorporea & incomposita, respectu tamen D.O.M. qui est purissimus spiritus, omnisque compositionis, etiam metaphysicae, expers, composita, & corporea dicatur, idque expresse contestatus est Abbas Serenus apud eundem Cassianum, ut idem Gazaeus adnotavit.

dum inquit: DEUS elegit sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam. Sed hoc idem declarat in primo Retractationum capit. 19. ostendens eam sententiam intelligendam esse non de ecclesia hac militante, bonis & malis permista, sed de ecclesia gloriosa & triumphante.

ANNOTATIO XXXIX.

Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Matth.7. c

AUCTOR Operis imperfecti homilia 19. haereticos eos censet, qui sanctissimam Trinitatem fatentur: ita enim hunc locum exponit: ET verum est quidem, quia spinas & tribulos omnes iniquos haereticos appellavit: tamen forsitan sciens Dominus hanc haeresim praevalituram prae omnibus, tribulos eos appellavit, quasi Trinitatis professores, & triangulam sapientiam in sua perfidia bajulantes. De Trinitate

ANNOTATIO XL.

Omnis arbor bona bonos fructus facit: mala autem arbor malos fructus facit. Matth.7. c

JOANNES Ferus lib.1. Commentariorum in Matthaeum, hanc enarrans periodum, utitur his verbis: EX HOC consequitur, quod nullum bonum & Deo gratum opus est extra fidem: imo soli fideles bona opera faciunt. Ratio hujus est, quia sine fide & gratia homo nihil aliud est, quam infructuosa & mala arbor: non igitur potest bonos fructus ferre. Virtutes igitur philosophorum bonae non sunt, quia etsi speciem habeant boni, non tamen e bona arbore prodeunt: aut enim ex amore, vel spe laudis, aut timore vituperii hae processerunt. Nec solum bonos fructus ferre non potest natura nostra citra gratiam, sed & malos producit, juxta illud, Sensus & cogitatio hominis prona est ad malum. Item, Omnes hypocritae sunt, & omne os locutum est mendacium. Item, Vani sunt omnes, vana opera eorum, vanaque omnia consilia eorum. Item, Omnes erravimus: unusquisque in viam suam, &c. Vides igitur nedum non bonum, sed malum esse quicquid extra fidem fit. Num omnia opera extra gratiam sint peccata. Genel. 8 21. Ifa 9 17.& 41. 29. & 53. 6.

SUNT haec Feri verba similia & affinia verbis, ab eodem auctore crebro repetitis in commentario super Joannem, & in libro Annotationum, quas Dominicus Sotho adversus Ferum edidit annotatis ac damnatis; quae quidem in subjectis locis habentur.

In explanatione illius sententiae Joannis ex cap.1. Vita erat lux hominum, haec ait: RATIO, lumen quidem est a Deo datum, quo scimus bona esse facienda, & mala fugienda: plerunque tamen, immo nunquam non in electione fallitur, nisi adsit lumen divinum: monemur igitur hoc verbo, ut non rationi nostrae, sed Dei verbo, quae vera lux est, obtemperemus. Joan.1. 4.

Item in illud ejusdem capitis, Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, &c. Hoc igitur, inquit, verbo damnat in totum veterem nativitatem, atque adeo & omnes vires naturae, quae naturali propagatione transfunduntur in sobolem. Joan.1. 13.

Rursum in illud, De cujus plenitudine omnes accepimus, haec scripta leguntur: MALEDICTA sunt non solum, quae nos agimus, sed & quae in nos aguntur: maledicta est cordis nostri cogitatio, ratio, os, manus, pedes: maledicta sunt nobis omnia contingentia, sive laeta, sive tristia. Hinc est, quod in laetis intumescimus, in tristibus frangimur, & desperamus. Joan.1. 16.

Et inferius, super illis verbis, Lex per Mosen data est, ita scribitur: QUAMVIS ipsa lex in se bona sit: tamen si non adsit gratia, nihil facit, nisi hypocritas. Joan 1. 17.

Iterum Joannis tertio in illud, Lux venit in mundum, &c. CHRISTUS, ait, primo manifestat omnia nostra esse meras tenebras, & peccata. Joan 3. 19.

HOS, ATQUE hujusmodi auctoris hujus locos Dominicus Sotho ideirco vitandos censet, quod ii favere videantur Lutheranis haereticis, docentibus, naturam

turam humanam sine peculiari justificantis gratiae auxilio non posse nisi malum eligere & facere; & ob id omnes infidelium actiones, atque etiam ipsas virtutes esse peccata; & omnia Christianorum opera, quantumlibet bona, si absque speciali gratificantis gratiae dono fiant, esse mala & hypocritica. Hunc autem errorem detestatur sancta synodus Tridentina, sessione sexta, canone septimo his verbis: SI QUIS dixerit, opera omnia, quae ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto gravius peccare, Anathema sit.

MICHAEL Medina in Apologia, quam pro Fero scripsit, has sententias a Sothi reprehensionibus defendens, primo, inquit, auctorem, cum diceret opera, quae sine gratia fiunt, esse mala & peccata, non respexisse ad Lutheranorum dogma, sed ad phrasim & loquendi morem vetustis patribus usitatum; qui universa opera, quae, seclusa divinae gratiae ope, fiebant, nedum bona dicebant; sed frequentissime & mala, & vitia, & peccata, & tenebras appellabant, non quod ea vere ac simpliciter mala, ac peccata esse crederent; sed quia scirent ipsa nec ad acquirendam Christianam justitiam prodesse, neque ad comparandam aeternae felicitatis bonum proficere; & ob id ea in bonorum numerum referre non dignarentur. Similiter ait, quod a Fero dictum est, maledicta & damnata esse omnia, quae a nobis aguntur, & in nobis aguntur, non ita esse intelligendum, ac si ille existimaverit, omnia, quae a rectae rationis judicio naturaliter fiunt, flagitia, damnatione & maledictione digna; sed interpretandum esse de affectibus, passionibus & propensionibus ad mala, ex impetu naturae nostrae corruptae nascentibus: qua quidem forma loquendi dicebat Apostolus, Scio, quod non habitat in me, id est in carne mea, bonum, sed habitat in me peccatum. *Rom. 7. 18.* Consimili modo, quod auctor ait, sine divino auxilio nec intellectum humanum cognoscere bonum, nec voluntatem eligere posse bonum, exponi vult non de morali & humano bono, quod cognitioni & electioni nostrae subjectum est, sed de summo & sempiterno bono, quod sine divini luminis revelatione agnosci & eligi nequit, sub ea ratione, qua est terminus sperandae beatitudinis, & via spiritualis vitae ad aeternam felicitatem perducens. Vide Annotationem 255. libri hujus.

ANNOTATIO XLI.

Omnis arbor, quae non facit fructum, excindetur, & in ignem mittetur. Matth. 7. c

Num privatio divinae gloriae gehennis gravior sit

CHRYSOSTOMUS homilia 24. in Matthaeum, hujus dicti occasione de gehenna disserens, inquit, carentiam divinae visionis majus esse supplicium, quam omnia gehennae tormenta. Exprimit autem hanc sententiam his verbis: NOVI, quod plurimi pertimescant tantum gehennam: ego tamen illius gloriae amissionem multo amarius, quam ipsius gehennae dico esse supplicium. Et infra, INTOLERABILIS quidem res est, & supplicium illud horribile: tamen si mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est a beatae illius gloriae honore repelli. Et in priore ad Theodorum lapsum paraenesi, SUNT, ait, quidam absurdi judicii; ii duntaxat amant effugisse gehennam: contra ego multo durius esse tormentum quoddam assero, quam gehenna est; hoc est non esse assecurum tantam gloriam, & illinc elapsum esse: nec opinor equidem tanto dolore lugendum de malis gehennae, quanto necesse est casum deplorare, quod de coelis excidimus, qui est nimirum cruciatus omnium durissimus. D. Bonaventura libro Sententiarum secundo distinct. 33. quaest. 3. & Richardus Mediavillanus distinctione 50. quarti Sententiarum, quaestione ultima, observarunt hanc sententiam videri diversam ab universali theologorum definitione; qui statuunt poenam infantium, sola divina visione carentium, esse omnium poenarum mitissimam, sicut Augustinus docuit capite 55. Enchiridii ad Laurentium. D. Thomas in quaestionibus disputatis, quaestione de poena peccati originalis, articulo primo, atque iidem D. Bonaventura & Richardus ajunt Chrysostomi assertionem in adultis quidem esse verissimam, in infantibus vero nequaquam; diversitatisque hu-

jus

jus causam esse, quod illi propriae se voluntaris nequitia videant ab aeterna felicitate expulsos: ii vero cognoscant se non sua, sed primi parentis culpa coelesti gloria carere. (a)

AT PRUDENTIUS quanquam adultus, & jam senio confectus esset, visus tamen est existimasse magis graves, magisque sibi formidandas inferni poenas, quam aeternae felicitatis amissionem, cum in fine Amartigeniae suae eligens potius coelo extrudi, quam in gehennam detrudi, Christum his carminibus precaretur.

Multa in thesauris patris est habitatio Christe
Disparibus discreta locis, non posco beata
In regione domum, sint illic sancta piorum
Agmina,
At mihi tartarei satis est si nulla ministri
Occurrat facies, avidae nec flamma gehennae
Devoret hanc animam, mersam fornacibus imis.

ANNOTATIO XLII.

AEdificavit domum suam supra petram. Matth. 7. d

AUCTOR operis imperfecti homilia 20. ECCLESIA, inquit, quam Christus super petram aedificavit, perire non potest: nec est contrarium, quod quidam de ecclesia cadunt: illi enim nunquam Christiani fuerunt. Henricus Andernacus in primum Sententiarum distinct. 40. quaest. 2. haec verba sub nomine Chrysostomi citans, ait his significari, illos, qui de ecclesia finaliter ceciderunt, non fuisse Christianos, secundum gratiam sempiternae justitiae, sed tantummodo secundum gratiam praesentis instituti. De Ecclesia.

ANNOTATIO XLIII.

Dic tantum verbo, & sanabitur puer meus. Matth. 8. a

JOANNES FERUS libro in Matthaeum secundo, hanc exponens clausulam alludere videtur ad errorem eorum, qui docent Fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinae misericordiae peccata remittentem propter Christum; Fidem vero informem nihil aliud esse, quam historicam, & vanam opinionem. Sic enim loquitur: NON semper fides est, quod nos fidem dicimus: fidem nos dicimus assentire iis, quae divinis historiis produntur, & quae ecclesia credenda proponit. Hanc scholastici informem, Jacobus mortuam appellat fidem. Jacob. 2. 26. Qualis autem est, quae mortua est, formaque sua substantiali caret? profecto non fides, sed opinio vana est. Longe aliter de fide loquitur Scriptura: secundum Scripturam enim fides non est aliud, nisi fiducia misericordiae divinae promissae in Christo. Et infra, De hac fide, ait, in Evangelio mentio fit. Qui credit, inquit Christus, in filium Dei, non judicatur: non hic loquitur de historica, aut informi fide, sed de fiducia misericordiae per Christum praestandae: summa enim fides, quam Scriptura commendat, non aliud est, quam fidere gratuitae Dei misericordiae: haec vera fides est, qua justus vivit: hanc unam a nobis Deus requirit, &c. Hujus fidei exemplum habes in hoc Centurione: neque enim legis, eum fidei articulos recitasse; id autem legis, quod magna fiducia ad Deum accesserit: unde & dictum est, Non inveni tantam fidem in Israël: itemque, Vade, &; sicut credidisti, fiat tibi. De fide justificante, & de fide informi. Joan. 3. 18.

DOMINICUS Sotho in Annotatione contra Ferum scribit hanc ipsam fidei definitionem ab eodem auctore etiam in commentariis super Joannem inculcari, praecipue vero in illud ex capite Joannis quarto, Credidit homo sermoni, quem dixit Jesus, & ibat: quo loco hujusmodi verba leguntur: DOCEMUR, quae sit fidei natura, nempe fiduciam de Deo concipere, quod servaturus nos sit: quo- Joan. 4. 50.

(a) Qualis fuerit S. P. Augustini sententia circa poenam puerorum sine baptismo decedentium, & quaenam sit ex M. P. levissima illa poena, quam hujuscemodi parvuli patiuntur? si scire exoptas, legesis prae ceteris Cl. Card. Norisium *in Vindiciis Augustinis*.

modo autem, quando, & per quas afflictiones, nihil ad nos pertinet. Hanc sententiam excutiens Soto, Ferum improbat, quod juxta catholicam theologorum definitionem non dicat, fidem esse totum assensum eorum, quae Deus revelavit, aut articulorum fidei, sed fiduciam promissionum, quam Lutherani ajunt sufficere ad justificationem, & quam sacra synodus Tridentina damnavit sessione sexta, canone duodecimo his verbis: SI QUIS dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinae misericordiae, peccata remittentis per Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur, Anathema sit.

ANNOTATIO XLIIII.

Nam & ego homo sum sub potestate constitutus. Matth. 8. a

De Trinitate AUCTOR operis imperfecti homilia 22. expositionem huc apponit omnino Arianam, qua filii & patris aequalitatem destruit, his verbis: VIDE, quomodo mysterium Patris & Filii in se ipso, Spiritu suggerente, depinxit? numquid non sufficiebat ad confessionem potestatis Christi hoc solum dicere, Et ego homo sum, habens sub me milites: & dico huic, Vade; & vadit; & alteri, Veni; & venit? quoniam & Christus habet sub se angelos, quibus eundi & redeundi ponit praeceptum. Quid ergo necessarium fuit addere, Et ego homo sum sub potestate, nisi ut plenissime Christi dignitatem ostenderet in se ipso? id est, Ego sum sub potestate alterius: tamen habeo potestatem jubendi eis, qui sub me sunt: nec enim impedior jubere minores, propter quod ipse sub majoribus, sed ab illis quidem jubeor, sub quibus sum: illis autem jubeo, qui sub me sunt: sic & tu quamvis sub potestate patris sis; habes tamen potestatem jubendi angelis tuis; nec impediris jubere inferioribus, propter quod ipse habes superiorem: nam & juberis a Patre quasi minor; tamen angelis jubes quasi major. Sed forte dicit haereticus, volens ostendere Patrem & Filium, unum vel aequalem: Non est ita intelligendus hic locus, sed sic. Si ego sub potestate constitutus, possum jubere eis, qui sub mea sunt potestate: quanto magis tu, qui in nullius es potestate, potes jubere eis, quos habes in potestate? Sed hanc interpretationem perversam non recipit textus: non enim dixit, Si ego homo in potestate: sed ita, Nam & ego homo sum sub potestate: non comparationis inter se, & Christum differentiam fecit, sed rationem similitudinis introduxit. (a)

ANNOTATIO XLV.

Videntes autem turbae timuerunt, & glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Matth. 9. a

Num Sacerdotes absolvant, vel absolutos tantū pronuncient. JOANNES FERUS libro secundo commentariorum in Matthaeum, haec interpretans, ita de sacramentali peccatorum absolutione loquitur, ut nonnulli suspicati sint eum asserere, potestatem remittendi peccata, sacerdotibus traditam, non esse potestatem vere ac proprie remittendi peccata, sed facultatem duntaxat pronunciandi, declarandi, testificandi, ac certificandi peccata poenitentium esse a Deo remissa & soluta: qui error in decima quarta sessione concilii Tridentini canone nono reprobatur his verbis: SI QUIS dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti, Anathema sit. Feri autem dicta haec sunt: QUIS non Deum laudet, quod talem potestatem nunc dederit hominibus, & confratri nostro Christo? nec solum Christo, sed & aliis per
Joan. 20. 23. Christum? Quorum, inquit, remiseritis peccata, remittuntur eis, &c. non quod homo proprie remittat peccatum, sed quod ostendat, ac certificet a Deo remissum: neque enim aliud est absolutio, quam ab homine accipis, quam si dicat: En fili,

(a) Nullum fere negotium facesse Authoris *Operis imperfecti* sententia, quum hic vel fuerit haereticus, vel si Catholicus, certe ejus opus postea variis erroribus fuit ab Heterodoxis conspurcatum, ut advertit Card. Bellarminus: legesis pariter de eodem Judicium Dupinii, aliorumque Criticorum.

fili, certifico te, tibi remissa esse peccata: annuncio tibi te habere propitium Deum; & quaecunque Christus in baptismo & Evangelio suo nobis promisit, tibi nunc per me annunciat & promittit, hujus me testem habebis: vade in pace, & quiete conscientiae. Rursus in eodem commentariorum volumine super ea sententia undecimi capitis, Venite ad me omnes, qui laboratis, &c. hoc ipsum dogma confirmare videtur, sic loquens: QUID aliud sacerdos agit absolvens, quam quod Evangelium praedicat? an non Evangelium est: & bonum nuncium, cum dicit, Virtute passionis Christi te absolvo, & liberum judico a peccatis tuis: in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti? quid enim aliud his, vel consimilibus verbis vult, quam ac si diceret, En fili trepidas propter peccata tua: sed noli timere. Deus jam tibi benignus pater affectus est, & remisit peccata tua:& quicquid Christus in baptismo vel Evangelio virtute clavium ligandi obstinatos, solvendique poenitentes promisit, id nunc occulte in corde tuo implevit, & hoc tibi per me veraciter annunciat: hujus testem me accipe; vade igitur in pace & tranquillitate conscientiae, & noli amplius peccare. Matth. 11. 28.

HAEC FERUS; quem alibi de hoc articulo pie sancteque sensisse ac docuisse palam ostendunt ea, quae ab eo perscripta sunt in tertio horum commentariorum libro: ubi super illo Servatoris dicto ad Petrum, Tibi dabo claves regni coelorum, habetur certa & indubitata hujus auctoris sententia de clavium potestate, & absolvendi facultate in haec verba: EX JAM dictis facile solvitur quaestio, quae nonnullos torquet, quomodo scilicet sacerdotes possint remittere peccata, cum solius Dei illud sit, juxta illud, Ego sum qui deleo iniquitates tuas; itemque quod solus Christus habet claves mortis & inferni. Ad quod ita responderi solet, quod solus Deus remittit peccata, quia Apostoli, eorumque successores ea adhibent, per quae Deus remittit peccata, & gratiam dat, ut sunt verbum Dei & sacramenta: ideo & ipsi dicuntur remittere peccata, & aperire coelum, non ob aliud, quam quod media adhibent: sic Paulus ait, Dei agricultura estis & aedificatio, nos autem Dei adjutores sumus. Summa, claves ecclesiae nihil aliud sunt, quam potestas ligandi & solvendi, remittendi peccata, & retinendi, &c. Ex his Feri verbis facile suspicari possumus verba praemissa, quae his adversantur, a Lutheranis depravatoribus post mortem auctoris fuisse corrupta, vel aliunde ex commentariis haereticorum huc intrusa. Habes ad hunc articulum pertinentia Annotatione 62. libri quinti, & Annotatione 71. & 202. libri hujus. Matth. 16. 19. Esai. 43. 25. Apoc. 1. 18. 1. Cor. 3. 9.

ANNOTATIO XLVI.

Vidit hominem sedentem in teloneo, Matthaeum nomine. Matth. 9. a

CHRYSOSTOMUS in initio homil. 31. in Matthaeum differens de Matthaei vocatione, indicare videtur vocationem hujus, & aliorum Apostolorum occasionem habuisse ex praenotione ipsius bonae voluntatis & fidei in divina praescientia. Sic enim ibi legimus: CUJUS rei gratia non cum Petro simul & Joanne & aliis discipulis ipsum vocavit? certe quemadmodum tunc ad illos accessit, vocavitque, quando obtemperaturos sciebat: sic Matthaeum quoque nunc vocavit, quando miraculorum fama perdomitum, minime reluctaturum videbat: qua de causa etiam Paulum post resurrectionem piscatus est: nam qui corda scrutatur, & occulta mentium perspicit; is etiam, quando unusquisque ad obediendum paratus erat, non ignoravit: propterea non continuo incipiens, quando durior fuit; sed post mille miracula, & insignem, atque provulgatam famam, aptiorem jam ad obtemperandum vocavit. Vide infra Annotatione 87. & 251. Num vocatio sit ex meritis in divina praescientia praevisis.

ANNOTATIO XLVII.

Non est mortua puella, sed dormit. Matth. 9. c

CHRYSOSTOMUS homilia in Matthaeum 33. cum, hunc locum enarrans, de cura pro mortuis agenda tractaret, decidit quodammodo in sententiam eorum, Num suffragia, quae hunt pro defunctis, prosint & beatis & damnatis.

eorum, qui putant suffragia & orationes, quae hic in ecclesia aguntur, prodesse tam his, qui apud inferos damnati sunt, quam his, qui aeterna gloria fruuntur. Ibi enim talia refert: NAM si multae barbarae gentes una cum defunctis res eorum cremare solent: quanto aequius tu, defuncto filio, sua tradere potes, non ut in cinerem redigantur, sed ut gloriosum magis illum reddant: putas eum maculis inquinatum abiisse: da ipsi sua, ut illis se a maculis detergat: putas in injustitia ipsum decessisse: praebe ipsi tua ad mercedis, & retributionis adjectionem. Et in liturgia divini sacrificii, ab eo edita, & in variis homiliis ab eodem approbata, conscripsit formulam precandi & offerendi pro omnibus fidelibus defunctis, & praecipue pro animabus beatorum in haec verba: OFFERIMUS tibi rationalem hunc cultum pro in fide requiescentibus, Patribus, Patriarchis, Prophetis, & Apostolis, Praeconibus, & Evangelistis, Martyribus, Confessoribus, & omni anima in fide initiata.

NEQUE ab hac opinione videtur abesse Gregorius Romanus Pontifex in libro Sacramentorum: ubi in sacris Missae mysteriis orandum instituit his verbis: SUMPSIMUS, Domine, divina mysteria; quae sicut sanctis tuis prosunt ad gloriam, ita nobis quaesumus proficiant ad medelam.

RURSUS quod orationes & oblationes aliquid refrigerii praestent his, qui sine poenitentia decesserunt, idem Chrysostomus indicare videtur homilia tertia in epistolam ad Philippenses: ubi eos, qui praeter decorum mortuos lugent, sic alloquitur: DEPLORATO eos, qui in divitiis mortui sunt, & nihil consolationis suis ipsorum animabus ex divitiis suis procurarunt; qui cum potestatem diluendi peccata sua accepissent, noluerunt: hos defleamus, sed cum modestiae decoro; defleamus istos, juvemus eos pro viribus, procuremus illis aliquid auxilii, modici quidem: attamen juvemus eos: quomodo, quave ratione? precantes adhortemur & alios, ut pro illis orent; pauperibusque indesinenter pro illis eleemosynas demus. Habet res ista nonnihil consolationis: non enim frustra ab Apostolis sancitum est, ut in celebratione venerandorum mysteriorum memoria fiat eorum, qui hinc decesserunt: noverunt illis multum hinc emolumenti fieri, multum utilitatis. Verum istud quidem de illis dicimus, qui in fide abscesserunt: catechumeni vero nec hac digni consolatione censentur, sed omni hujusmodi sunt auxilio destituti, praeter unum solum. Quod autem illud? Pauperibus eorum nomine dare licet, unde eis nonnihil refrigerii accedit.

JOANNES DAMASCENUS in sermone De mortuis adjuvandis verba ista Chrysostomi confirmat, allatis aliquot exemplis, quae aperte ostendant suffragia fidelium etiam infidelibus & impiis, aeterno supplicio damnatis, aliqua ex parte prodesse. In primis vero Falconillam inducit foeminam, quoad vixit, idolorum cultricem, & a Christi religione alienam; quam Tecla protomartyr, ad huc inter nos vivens, prece sua eripuit ab inferis. Profert item ex sacra Palladii ad Lausum historia Macharium Magnum, assidue pro mortuis deprecantem: cui anxie perquirenti, an orationes suae defunctis prodessent, cranium quoddam aridum hominis idololatrae, quod forte in via jacebat, divino jussu prorumpens in vocem, Quando, inquit, o Machari pro mortuis offers preces, nos interim aliquid lenimenti sentimus. Addit etiam inter alia exempla Gregorii Romani Pontificis factum: qui cum enixe Deum precaretur pro salute Trajani Augusti, annis ante sua tempora pene quingentis defuncti, audivit vocem divinitus allatam, dicentem, Preces tuas audivi: & veniam Trajano do: tu vero deinceps pro impio hostiam mihi ne offeras. Ab hac opinione Augustinus non omnino abhorruisse videtur, praesertim in Enchiridio ad Laurentium cap. 110. ubi haec posuit: CUM sacrificia sive altaris, sive quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propitiationes sunt: pro valde malis etsi nulla sint adjumenta mortuorum, qualescunque vivorum consolationes sunt: quibus autem aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe, ut tolerabilior fiat ipsa damnatio. Et infra, mitigationem damnationis credi permittens, ait: POENAS damnatorum certis temporum intervallis existiment, si hoc eis placet aliquatenus mitigari, dummodo intelligatur in illis manere ira Dei, hoc est ipsa damnatio, in qua Deus, manente ira sua, non tamen contineat miserationes

tiones suas; non aeterna supplicia finiendo, sed levamen adhibendo, vel interponendo cruciatibus. Haec ille.

SED & Aurelius Prudentius in hymno De novo lumine paschalis Sabbati refert perditas noxiorum animas in pervigilio paschae, quod olim totum Christiani precibus & sacrificiis traducere solebant, a tormentis quiescere. Canit autem hunc in modum:

Sunt & spiritibus saepe nocentibus
Poenarum celebres sub Styge feriae
Illa nocte, sacer qua rediit Deus
Stagnis ad superos ex Acheronticis.
Marcent suppliciis tortora mitibus;
Exultatque sui carceris otio
Umbrarum populus, liber ab ignibus,
Nec fervent solito flumina sulphure.

IN ISTIS, atque aliis hujusmodi illustrium Patrum dictis scholares theologi varie desudarunt, praecipue in his, quae de leniendis damnatorum suppliciis loquuntur: Sicut enim non audebant fauctorum damnare sententiam; ita nec rutum existimabant illam amplecti, ne ex ea assertione paulatim impellerentur in Origenis errorem de suppliciis inferorum aliquando finiendis. Prospiciebant quippe cruciatus illos, multiplicatis piorum precibus & eleemosynis, posse usque adeo mitigari & imminui, ut aliquando tandem cruciatus esse desinerent: proinde ne huic illiderentur scopulo, varias indagarunt elabendi semitas.

PRAEPOSITIVUS, Leodiensis ecclesiae presbyter, in compendio suae theologiae scripsit tantam posse cumulari super damnatos suffragiorum multitudinem, ut progressu temporis omnibus exuerentur poenis, non tamen in perpetuum, ut senserat Origenes, sed usque ad resurrectionem, in qua resumptis corporibus, iterum in aeterna supplicia detruderentur, abjecta omni prorsus refrigerii, ac solatii spe.

GILBERTUS, Pictavorum episcopus, in libro Theologicarum quaestionum existimavit fidelium precationibus & oblationibus adimi reproborum poenas, sine earum absumptione, eo modo, quo infinitae proportionales partes demi solent a linea: a qua licet ipsa infinita non sit, infinitae tamen partes, absque ulla ejus consumptione subtrahi possunt.

GUILLELMUS, Antisiodorensis episcopus, in fine summae theologicae censet viventium auxilia suffragari damnatis, non ad imminutionem, aut interpolationem tormenti, sed ad confortationem, & corroborationem patientis: ceu si quis hominem ingenti ponderis onere praegravatum cibo recreet, vel frigida perfundat, illum sane reddet sustinendo oneri fortiorem; de pondere tamen, ne tantillum quidem imminuet.

RUPERTUS, Linconiensis episcopus, non longe a fine theologicae summae tradidit, nec auferri, nec interrumpi, nec diminui damnatorum supplicia, subtrahi tamen illis aliquam gravioris miseriae occasionem, dum sentiunt se ab his, qui suffragia porrigunt, non omnino abjectos, sed aliquam apud eos praesentium malorum commiserationem invenire.

D.THOMAS in quarto sententiarum distinct.45. quaest. 2. confutatis istorum sententiis, decernit suffragia nostra nec beatis, nec damnatis quicquam prodesse: illis quidem, quod omni bonorum copia affluentibus, nihil conferre possint nostra subsidia; istis vero, quod in summa omnium malorum profunditate demersis, nullum, quamvis minimum redemptionis effectum sperare liceat. Caeterum ad ea, quae in primis Chrysostomus, & Gregorius admonent de precibus ad Beatos pertinentibus ait utriusque dicta non ita esse intelligenda, ut putemus ex orationibus, & oblationibus nostris gloriam beatorum in ipsis beatis proficere, & accessionem accipere, sed ut credamus eorum gloriam in nobis orantibus, & offerentibus crescere; multaque ac magna virtutum incrementa nobis ad eandem ipsorum gloriam consequendam afferre: sicuti cum Deum laudamus, nullam hisce laudibus divinati ejus gloriae auctionem acquirimus; sed ipsius Majestatis gloria magis ac magis in nobis conspicua redditur.

AD

AD EA vero, quae ex Chrysostomo, & aliis Patribus in causa damnatorum producta sunt, D. Thomas primo loco notat damnationis nomen etiam ad purgatorii poenas extendi; & juxta hanc significationem dixisse Augustinum, damnationem aliquorum, scilicet in purgatorio existentium, auxiliis fidelium fieri tolerabiliorem.

SECUNDO loco animadvertit, illud consolationis, & refrigerii genus, quod aliquando ex precibus sanctorum ad animas damnatorum pervenisse narratur, non attulisse eis ullam tormenti imminutionem, sed inanem quandam fallacis gaudii speciem, gratamque moerentis animi illusionem: qualem esse ferunt in daemonibus, qui ubi homines ad peccandum pertraxere, ita falsa quadam, & imaginaria laetitia afficiuntur, ut nihil eorum suppliciis decrescat.

POSTREMO ad id, quod Damascenus refert Falconillae, & Trajani animas, Tecla, & Gregorio deprecantibus adjutas: respondet hujusmodi adminicula fuisse peculiares oeconomias, utrique ex singulari privilegio concessas; & ea quae aliquibus extra legem communem ex gratia conceduntur, trahenda non esse caeteris in exemplum.

CONSULE, quae de catechumenis vita functis super Chrysostomi sententia ex Epistola ad Philippenses huc inducta perstrinximus infra Annot. 311. (a)

AN-

(a) Recte sapienterque N. Xystus ventilavit errorem aliquorum de Schola Theologorum, quos de misericordia Dei erga damnatos, non bene ex Scripturis ac PP. librata, falsa opinio decepit. Verum quia omnia, quae hic refert, ad exactam libram perducere nequivit vir alioquin Cl. sed qui obscuriori secudo scripsit, alia addere non taedet, & quidem juxta ejusdem Authoris votum, quod in sua praefatione expressit.

Verba quidem Chrysostomi ab eo relata, etsi quoad substantiam omnia fere eadem, in pluribus tamen ab originali Latino differunt, sed nullum facessit negotium levis immutatio, quae ad rem non facit; insuper commendabilis expositio eorum ab eodem Xysto adjecta, nimirum, quod nomine damnationis, piacularis etiam purgantium poena usurpetur, quum ea fuerit Chrysostomi aetate communis PP. loquendi phrasis, & ita clare Augustinus eam expenderit loco ab Authore laudato, ut nec levis suboriri possit scrupulus de illius recta intelligentia. Quandoquidem quum M. P. luculenter adferat valde malis non prodesse Ecclesiae suffragia, & fidelium oblationes, quae dumtaxat erunt consolationes vivorum, certo certius eadem orationum, eleemosynarum, aliorumque piorum operum exercitia, praesertim incruentum sacrificium, esse adjumenta mortuorum, eorumque solum, qui non sunt valde mali, idem Aquilinus Doctor ostendit: ideoque quum adstruit ad hoc ea prodesse, vel, ut sit plena remissio, vel, ut tolerabilior fiat ipsa damnatio, non de gehennali aeterna poena loquitur, sed de temporanea, qua in igne velut aurum purgantur Electi. Quid quod impraesentiarum damnatos communi vocabulo reprobos usurpemus; & damnationis nomine universim aeternam damnatorum poenam intelligamus? Vulgaris loquendi modus est, secus autem rectus exactusque Theologorum dicendi explicandique stylus: & damnationem sapientissime dicimus addictionem ad poenam temporaneam, praecipue quum haec aut plene remitti, aut levior reddi possit fidelium precibus & Ecclesiae suffragiis, ut Patres adseverarunt.

Quae itidem ex Sacramentario Gregorii M. obiiciuntur, recte etiam ab Authore explicantur. At, quae ex Damasceno in medium proferuntur, ad incudem sunt revocanda, sed primitus in Xysti vindiciam aliqua adjicere lubet. Mirum quidem non est, quod Cl. Scriptor historiolas in commentitio Damasceni opere venditatas exceperit: quum ea omnia tradita fuerint a Graecis XI. Seculi, iisque non ignobilibus, nimirum a Philippo Solitario *in Dioptra*, Glycea passim *in epistolis*, Theodoro Balsamone *in Can. IV. Apostol.* aliisque illius & posterioris aetatis: ex quibus ut indubium Damasceni foetum excipientes laudatam orationem *de defunctis* Latini Theologi Historicique XIII. & sequentium Seculorum, praesertim N. Vincentius Bellovacensis, aliique innumeri, nec infimae notae scriptores, saepius eandem ediderunt in vulgus. Quinimo ita haec opinio invaluit, ut nonnulli adserere ausi fuerint a S. Thoma etiam fuisse easdem historiolas calculo suo probatas in Supplem. ad 3. p. qu. 73. art. 5. ad 5. ubi de liberatione Trajani precibus S. Gregorii M. agens non eam refellit ut fabulosam, sed quomodo ea accidere potuerit expendit: quapropter etiam S. Doctoris authoritate muniti facilius eadem commenta venditarunt. Verum hallucinatos nimium fuisse praefatos simpliciores Theologos, vel ex eo constat, quia ibidem Angelicus non absolute, sed hypothetice loquitur, & non Criticum, sed Theologum agens, rem bene expendit: nimirum supposito, quod ita res acciderit, ut ferebatur ex spurio Damasceni foetu, optime salvaretur catholicum dogma de aeterna duratione poenarum infernalium, quibus ad tempus fuerat Trajanus addictus & loco depositi in inferno adstrictus. Quod vero stuporem ingerit, id unum est, quod Petrus Arcudius recentior Theologus, nec obesae quidem naris, haud fuerit subodoratus maleolentem naeniam, & dubius haeserit *lib. de Purgat. adv. Barlaamum* de venditato commento.

Verum recentiores Critici, praesertim Cardinales Baronius, & Bellarminus, Leo Allatius, Jacobus Pontanus, PP. Benedictini *in nova editione Operum S. Gregorii*, NN. Card. Gotti, Natalis Alexander, Johannes Nicolai, Hyacinthus Amat de Graveson, Michaël Lequieu, aliique omnes, qui crassiori adhuc non redundant saliva, S. Johanni Damasceno abjudicant laudatam Orationem *de defunctis*, seu *de iis, qui in fide obierunt*, & nugis adgregant, quae ibi narrantur, historias. Quomodo enim unquam Damascenus relatas ab inferis damnatorum liberationes poterat admittere, quando *Lib. IV. de fid. Orthodoxa cap.* 4. docuerat „ Quod hominibus „ mors, hoc Angelis est lapsus. Post lapsum enim „ non est illis poenitentiae locus, uti neque post „ mortem hominibus. „ Et *Dialogo contra Manichaeos* „ Post mortem nec conversionis, nec poenitentiae locus est „ &c. Obstant itidem aliae circumstantiae, ex quibus notha & supposititia dignoscitur praefata Oratio *de defunctis*: Quandoquidem non poterat VIII. Seculo Graecus scriptor tradere quod IX. Seculo Johannes Diaconus Romanus primum

ANNOTATIO XLVIII.

Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Matth. 10. *c*

AUCTOR operis imperfecti homilia 25. videtur innuere animam solam esse hominem, corpus vero esse indumentum ejus, eo fine a Deo creatum, ut perpetuo, & naturali odio cum anima pugnet. Ejus verba haec sunt; Nolite timere eos, qui occidunt corpus: substantia enim hominis non est corpus, sed anima; corpus autem vestimentum est animae. Et infra, Dicam autem, quod sentio verius: non solum ad vestimentum animae caro creata est, sed magis ad tentationem ejus, quasi domestica, & naturalis inimica, copulata est &c. Priorem hujus erroris partem secutus est superioribus annis Franciscus Georgius, quem annotatione 26. libri quinti confutavimus: posteriorem vero partem, sub nomine Chrysostomi allegatam, annotavit Joannes Mechlinius in secundum sententiarum distin.32. inquiens eam intelligendam in statu naturae destitutae. Lege annotationem 26. libri quinti. Num sola anima sit homo.

ANNOTATIO XLIX.

Nonne duo passeres asse veneunt? Matth. 10. *a*

AUCTOR operis imperfecti homilia vigesima quinta, duram, & incommodam huc profert propositionem, inquiens: Pilatus volebat dimittere Christum, sed non poterat, quia Deus eum tradebat. De Pilato.

ANNOTATIO L.

Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Matth. 11. *a*

GREGORIUS libro 40. Homiliarum homilia 6. imponere videtur Joanni Baptistae, quod de duobus Christianae fidei articulis dubitaret, videlicet, num Christus moriturus esset, & si ad inferos descensurus esset. Vide infra Annot. 144. De dubitatione Joannis Baptistae.

ANNOTATIO LI.

Ite, & renunciate Joanni, Coeci vident, &c. Matth. 11. *a*

CHRYSOSTOMUS homil.37. in Matthaeum, super his disputans, videtur opinari, quod Gentilibus, & Judaeis, ante Christi adventum bene viventibus, nulla in Christum fides, nulla Christi cognitio necessaria fuerit ad salutem. Ibi enim talia refert: Homines, qui ante Christi adventum obierunt, poterant tunc etiam An ante Christi adventum fides Christi necessaria fuerit ad salutem.

mum primusque vulgavit de liberatione ab inferis Trajani & Falconillae; nec quidem id ex Romanis Archivis depromsit, sed ut ab Anglis sibi concreditum retulit, edidique in vulgus. Neque ulla potest, vel umbratilis conjectura, obtrudi de praefata Oratione S. Gregorii M. pro Gentilibus, quos noverat sine fide obiisse, & bene nullam credebat in Inferno esse redemtionem: hancque doctrinam uti fidei dogma d cuerat expresse *Lib. IV. Dialog. Cap.* 44. & *lib. XXXIV. Moral. Cap.* 16. praecipue quum Trajanus fuerit flagitiosus homo, Ethnicus, Christianorum persecutor infensissimus, ac pessimus paedicator, ut Dio, Xiphilinus, Aelius Spartianus, & Aurelius Victor, & ipsi Ethnici scriptores, aperte testantur.

Monumentum tandem Aurelii Prudentii nullum facessit negotium, si Poëtae carmina fundentis phrasim attendamus, & synonyma Poëtarum. Stygiam ergo Paludem, Acheronta, & Tartara pro loco poenarum usurpavit, sed non alium certe denotavit, quam illum, ubi piacularibus flammis, qui pie obierunt, nec plene purgati sunt, cruciantur: sicut & Patrum lymbum, in quo electi detinebantur ante Christi descensum ad inferos. Quid si forte fortuna aliquis contendere velit Prudentium adseruisse poenarum ferias etiam doemonibus, aliisve damnatis hominibus, *spiritibus saepenocentibus*, concedi, non refragabimur libenterque hunc naevum in Prudentio notabimus, non secus ac in libro Pastoris ab Herma edito, & in Clemente Alexandrino. Aliquando enim bonus dormitat Homerus. Videsis ad majorem eruditionem Dissertationem V. Damascenicam N. Lequien, Editionem Operum S. Gregorii M. novissime a PP. San-Mauraeis vulgatam, Acta fincera Martyrum Theodorici Ruinart *pag.* 90. Differt. XX. N. Gravesonii *de Myster. & An. Christ.* §. 4. & notas marginales N. Johannis Nicolai ad S. Thom. *loc. cit.*

etiam ipsum non confessi salvati: non enim Christi, qui nondum venerat, ab illis cultus petebatur, sed ut idolorum cultu spreto, unum solum Deum conditorem omnium noscerent. Dominus enim inquit, Deus tuus, dominus unus est: idcirco Maccabaei admirationi sunt, qui ne legem traderent, mori maluerunt. Valde admiramur pueros quoque illos, aliosque complures apud Judaeos, qui bene, & optime vixerunt,& hanc cognitionis mensuram inviolatam conservarunt,a quibus nihil amplius petitum est; tunc enim, ut diximus, sufficiebat unum solum Deum nosse: nunc autem non ita est; sed necessaria est ad salutem Christi cognitio. Et infra, Quod autem, qui ante Christum obierunt, ac ideo ipsum non cognoverunt; si ab idolorum cultu recesserunt, ac Deum solum adorarunt; si praeterea honeste vitam peregerunt, aeterna bona, & beatitudinem adipiscentur. Audi quid dicat Paulus: Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum, Judaeo primum, & Gentili. Rursus in concione prima de LAZARO indicat justos, qui Evangelicae praedicationis tempus praecesserunt nullam habuisse fidem futurae resurrectionis, ita de Mendico Lazaro scribens: Lazarus ne de resurrectione quidem quicquam potuit philosophari, sed hujus vitae res, credebat hujus vitae fine terminari: erat enim ex eorum numero, qui gratiam evangelii praecesserunt, &c. Hucusque Chrysostomus: cujus sententiam multis ante eum annis professi fuerant pervetusti quidam Scriptores, ex quibus Justinus Martyr in libro Quaestionum a gentibus positarum, quaestione octava, Qui cum ratione, inquit, vixerunt, Christiani sunt, etiam si non novisse Deum existimati sunt: quales apud Graecos, Socrates, Heraclitus, atque alii similes, &c. Clemens vero Alexandrinus libro quinto, & sexto Stromaton, eos, ait, qui ante Christum fuerunt, honesteque vixerunt, esse justos factos, vel per legem, vel per philosophiam, sed defuisse eis tantum fidem in Christum: quare in inferno expectasse Christi, & Apostolorum adventum, eorumque ibi praedicatione esse conversos, ut in Christum crederent; & sic demum servatos esse.

Deut. 6. 4.

Rom. 2. 10.

Id habet S. Justinus M. Apologia II. pro Christianis, ubi in nova editione legitur: Quicunque cum Ratione, et Verbo vixere, Christiani sunt, quamvis athei & nullius numinis cultores habiti sunt. Quales inter Graecos fuere Socrates, & Heraclitus, atque hie similes: inter Barbaros autem Abrahã, & Ananias, & Azarias,& Misael,& Helias, & alii complures.

HUIC assertioni videntur reclamare caeteri theologi, prae aliis vero Augustinus, qui in epistola 157. ad Optatum Episcopum sic scribit: Illa fides in nobis salva sit, qua credimus nullum hominum, sive majoris, sive parvulae quamlibet, & recentis aetatis liberari a contagione mortis antiquae, & obligatione peccati, quod prima nativitate contraxit, nisi per unum mediatorem Dei, & hominum, hominem Christum Jesum, cujus hominis ejusdemque Dei salubertima fide, etiam illi justi salvi facti sunt, qui prius, quam veniret in carne, crediderunt in carne venturum: eadem namque fides est, & nostra, & illorum: quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum. Et infra. Proinde cum omnes justi, sive ante incarnationem, sive post incarnationem Christi, nec vixerint, nec vivant, nisi ex fide incarnationis Christi, in quo est gratiae plenitudo: profecto quod scriptum est, non esse aliud nomen sub Coelo, in quo oporteat salvos fieri nos, ex illo tempore valet ad salvandum genus humanum, ex quo in Adam viriatum est genus humanum. Haec Augustinus.

Actor. 4. 12.

CREDIDERIM ego Chrysostomum suis verbis voluisse alludere ad illam cognitionem; & fidem, quam Scholastici vocant explicitam, hoc est apertam, ac distinctam singularium Mysteriorum Christi notitiam, quam non omnes justi ante Servatoris adventum consecuti sunt. Sufficiebat enim Judaeis simplicioribus, ac minoribus, redemptionis humanae cognitionem habere, velaminibus sacrificiorum, & caeremoniarum involucris implicitam. Gentilibus vero, si qui absque Mediatoris notitia salutem sunt assecuti, sat fuit eandem habere fidem in unius Dei credulitatem inclusam, hoc est, ut Deum esse crederent humani generis servatorem, juxta ordinem in sua admirabili providentia occultum, & aliquibus ipsorum vatibus, ac sybillis peculiari privilegio revelatum. Vide infra locum huc spectantem Annot.151. (a)

AN-

(a) Extra omnem dubietatis aleam est fidem supernaturalem divinitus a Deo infusam necessariam esse nedum ad secundum salutem, sed etiam ad primam, nimirum justificationis gratiam, dicente Apostolo *ad Hebraeos XI.* „ Sine fide impossibile est placere Deo,„ Et, quod Apostolus loquatur de fide supernaturali, quae est ex gratia Servatoris, constat ex innumeris utriusque divini Foederis monumentis, praesertim ex illo Apostoli *ad Ephesios II.*„ Gratia enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est;„

ANNOTATIO LII.

Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Matth. 11. *d*

THOMAE Cajetani commentarius sic habet: Rationem in his verbis reddit absconsionis a prudentibus, & revelationis factae parvulis, primam, & in resolutione ultimam, divinam voluntatem: noli ergo disputare de causa electionis & reprobationis, cur scilicet Deus istos elegerit, & non illos: hinc enim habes primam, supremam, & ultimam causam. Quoniam sic placitum est Deo. Ambrosius, Compsae episcopus, huic loco talem apposuit censuram: Quod hic ait, respectu reprobationis falsum est, atque impium: quoniam non ex puro beneplacito Deus reprobat ullum, sed ex meritis. Quoniam reprobatio, & rejectio praesupponit culpam reprobati, atque rejecti. Deus enim vult omnes homines salvos fieri, & neminem adigit ad peccatum. Legito infra Annot. 248.

Reprobatio an sit ex mero Dei beneplacito.

ANNOTATIO LIII.

Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Matth. 11. *d*

ATHANASIUS Alexandrinus in sermone super hunc locum edito, innuit quodammodo Angelos non videre Deum, inquiens: Homines profecto audaces, & superbi, qui non tremunt eam gloriam, in quam cupiunt Angeli proni, inclinatique aspicere; cum prae illis longe sint natura, & ordine sublimiores. Quid

Angeli an Deum videant.

„ est: „ & perspicuum est ex concordi PP. traditione, necnon ex omnibus Conciliis, praecipue quae adversus Pelagianos ac Semi-Pelagianos coacta sunt, & tandem ex Tridentino *Sess. VI. Can.* 13. & ibid. *Cap.* 7. Quapropter qui extra Synagogam Philosophi, Socrates, &c. asseruntur salvati (de qua re fides sit penes assertores) certe ex fide in Deum supremum Dominum ac Provisorem supernaturalem fuerunt salvati, dicente Apostolo *ad Hebraeos XI.* „ Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quod „ inquirentibus se remunerator sit. „ secus autem ex Philosophia, aut alia ex naturali cognitione: hoc enim asserere est aperte contradicere Verbo divino scripto, tradito, & definito: hinc Innocentius XI. nigro theta signavit hanc thesim ordine XXIII. „ Fides lata ex testimonio creaturarum similive mo„ tivo ad justificationem sufficit. „ De qua re vide Exercitationem nostram *XII. Tom. II.*

Fuisse itidem eosdem salvatos per fidem in Mediatorem indubium pariter est ex concordi PP. ac Theologorum calculo, praesertim ex S. Augustino *lib. de Correptione & gratia cap.* 7. „ Nemo liberatur „ a damnatione, quae facta est per Adam, nisi per „ fidem Jesu Christi. „ qui itidem ne dum loco a N. Xysto laudato, sed alibi pluries, nempe, *Tract. XXII. in Joh. In Enchiridio cap.* 108. &c. id ipsum adjicit, & constat ex illo *Actorum IV.* „ Non est „ aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat „ nos salvos fieri „ quod propterea & praeceteris laudat S. Thomas 2. 2. *Qu. II. Art.* 7. *in P.* Verum num fides explicita in Jesum Servatorem, seu unicum Mediatorem, quem nobis divinae scripturae adstruunt; & quem omnes, qui Christiana professione censentur, Deum verum & hominem credunt & confitentur, fuerit omnibus necessaria ad salutem, etiam ante Messiae adventum? absolute asseri non potest. Aliquos extra Synagogam divina revelatione instructos hanc explicitam tenuisse fidem pro comperto est in Jobo, qui diserte ea de re testimonium insuper perhibuit *Cap. XIX.* „ Scio, quod Redemtor meus vivit. „ Primores itidem ex Synagoga, eosque omnes ab Abraham descendentes, ad quos factae sunt promissiones; & quibus divina oracula perspicua fuerunt, hac eadem explicita fide fuisse salvatos pro comperto est apud omnes. Rudiores vero, etsi non habuerint hanc explicitam fidem, claramque cognitionem, quia tamen eis innotescebant divina Oracula, & per Sabbatum eis divinae Scripturae lectio explanabatur, saltem credere tenebantur, & explicite quidem, venturum Messiam, qui remedium afferret, omnesque filios Adae suo adventu salvaret: etsi in quidditate divini Mediatoris, ex ruditate errarent, non percipientes quis qualisve foret, quem tamen aperte doctiores in lege distinguebant Deum verum in carne de virgine matre nasciturum &c. Sed num hanc ipsissimam fidem habuerint ceteri, seu num hanc implicitam fidem divini Mediatoris omnes aut habuerint, vel habere debuerint? hic punctus hic labor est, quum varia sit Theologorum ea de re opinio. Aliqui hanc fidem implicitam statuunt in explicita fide Dei Provisoris supernaturalis. Alii vero hanc nec fucilem, stramineam, & umbratenus dumtaxat implicitam fidem respuentes, adstruunt ultra hanc explicitam Dei supernaturalis Provisoris fidem, aliam ad salutem necessariam fidem implicitam Redemtoris esse statuendam, nimirum eam, qua explicite crederent Deum utpote supernaturalem Provisorem modo aliquo sibi noto, ab eoque decreto, provisurum hominibus de medio ad eorum salutem opportuno, in quo certe implicite continebatur adventus Messiae Jesu a Nazareth, Dei nimirum in carne omnium Servatoris. Vide S. Thomam ubi supra, & Thomistas, ceterosque Theologos in Tractatibus de Fide, & de Incarnatione. Quae autem de Sibyllis Xystus tradit, supra tunc plenissime expensa. Credibile porro haud est Hebraeos, etiam rudiores, caruisse fide resurrectionis, quum dogma istud traditum aperte legatur in Sacris Bibliis, & ita notum hoc Mysterium legimus, ut Martha de Lazaro quatriduano dixerit Christo *Johannes XI.* 2. „ Scio quia resurget in resurrectione in novissimo „ die „ Haeresim quoque Sadducaeorum negantium corporum resurrectionem longe ante Christum exortam Judaeos fuisse detestatos ex Evangelio, Apostolorum Actis, Josepho Hebraeo, aliisque monumentis perspicuum est: quare nemini ambigere licet de explicita hujusce mysterii fide in Synagoga.

enim propinquius Seraphinis, & Cherubinis? Illi non obtuentur hanc Majestatem, aut in pedibus erectos se tenent, immo ne faciem quidem nudam relinquunt, sed, ea obvelata, gloriam, Majestatemque Dei labiis nunquam cessantibus extollunt. Vide infra Annotat. 182.

ANNOTATIO LIIII.

Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis: & ego reficiam vos. Matth. 11. d

De lege Mosis, an fuerit injusta, & crudelis.

AUCTOR operis imperfecti homil. 28. appellat legem Mosis injustam, crudelem, & superbam, inquiens: VIDES, quia injusta lex est, & onerosa? ideo Christus homines de sub pondere Judaicae legis hortatur exire, & ad delectabilem gratiam pervenire, dicens. Venite ad me omnes. Et infra, ERGO lex immitis fuit: quia quicquid mandavit, in ira sua mandavit, non ut salvet, sed ut puniat. Item lex superba est: vetat enim omnem hominem accedere ad Sancta, praeter Pontificem: luscum, vel alio membro debilem vetat sacerdotio fungi. Vides quomodo superba est lex. Sunt haec verba non simpliciter, ut scripta sunt intelligenda; sed referenda sunt ad dignitatem evangelicae legis, & gratiae, cujus ea est justitia, mansuetudo, & humilitas, ut ipsius comparatione lex Mosaica, quamvis justa, mitis, & humilis, videatur esse injusta, superba, & immitis. Quo quidem sensu etiam Deus in Ezechiele Propheta loquens de legibus, quas per Mosem dederat Judaeis, inquit: Dedi eis praecepta non bona, in quibus nequeant ambulare, hoc est praecepta minus bona, quam sint ipsa evangelica praecepta. (a)

Levit. 21. c

Ezech. 20. b

ANNOTATIO LV.

Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, &c. Matth. 11. d

Sacerdotes in absolutione Sacramentali an peccata remittant.

JOANNES Ferus libro secundo Commentariorum in Matthaeum hanc sententiam expositione illustrans, visus est affirmare, quod Sacerdotes in absolutione Sacramentali non remittant peccata; sed solum pronuncient, ac testentur ea fuisse a Deo poenitenti remissa. Vide supra Annot. libri hujus quadragesimam quintam. (b)

ANNOTATIO LVI.

Qui dixerit verbum in Filium, remittetur ei: qui autem dixerit in Spiritum Sanctum, non remittetur ei. Matth. 12. d

De peccato in Spiritum Sanctum.

ORIGENES in Tomis super Matthaeum, hoc edisserens, ita scriptum reliquit: Pater in omnia penetrat, & omnia continet, animata, inanimata, rationalia, irrationalia. Filii autem potestas in sola rationalia sese extendit, quatenus sunt, inter quae rationalia ethnici sunt, qui blasphemant, nondum recepta fide. Spiritus autem Sanctus in solos eos se explicat, qui sui participes facti sunt baptismatis gratia. Cum igitur blasphemia ethnici peccant, in Filium peccant: quoniam ille in illis est: possunt tamen veniam consequi: cum vero baptizati, in quos

(a) Authoris imperfecti conditio pluries inspecta nullum facessit negotium ex duritia sermonis, quo veterem legem criminatur. Satisque est ad errorem eliminandum lustrare quod Ezechiel ibidem ait: „ Et dedi eis praecepta mea, quae faciens homo, „ vivet in eis. „ Et Apostolus *ad Romanos VII.* inquit: „ lex sancta & mandatum sanctum. „ Quia autem multifariam ab expositoribus laudata Ezechielis verba ab Authore relata expenduntur, consule insigniores divini verbi expositores.

(b) Quamvis non pauci, nec ignobiles Theologi, iique Veteres, olim senserint absolutionis formam esse puram declarationem remissi criminis, eam tamen sententiam alii, iique nobilioris notae Theologi, aperte impugnarunt, praesertim Angelicus *III. P. Qu. LXXXIV. Art. 3.* & *Opusculo XXII. cap. 1.* Prae ceteris autem adtendenda est definitio Tridentini *Sess. XIV. cap. 6.* „ Quamvis autem absolutio sacerdotalis alieni beneficii sit dispensatio; tamen „ non est solum nudum ministerium, vel anunciandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata: „ sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso, velut „ a judice, sententia pronunciatur. „ Et *Canone IX.* „ Si quis dixerit absolutionem Sacramentalem non „ esse actum judicialem, sed nudum ministerium „ pronunciandi, & declarandi remissa esse peccata „ confitenti . . . . . anathema sit. Legesis praecipue Petrum Arcudium *de Sacramentis Lib. IV. Cap. 3.*

quos collatum est donum regenerationis, peccant, istiusmodi iniquitas in Spiritum Sanctum sese extendit: quoniam cum Spiritu Sancto continerentur, delictum faciunt, ac proinde incondonabilis est illorum culpa. Athanasius in libro, quem in hunc scripsit locum, dupliciter hacc improbat, tum quod opera Trinitatis externa usque adeo sint indivisa, ut ubicunque sit Pater, ibi sint Filius, & Spiritus Sanctus; tum quod haec ad inhumanum dogma Novati declinent.

THEOGNOSTUS in libro super iisdem evangelii verbis, a se edito, Origenem secutus, & ipse docuit eos, qui peccant in Filium, esse eos, qui ante baptismum delinquunt, & ideo venia dignos; quia nondum receperunt gratiam Spiritus Sancti; eos vero, qui peccant post baptisma, nullam expiationem recipere; quia cum donum Spiritus Sancti receperint, nulla eis ad veniam relinquitur excusatio, aut deprecatio. Athanasius in eodem Volumine hanc sententiam, utpote Novarianis faventem, a Catholicis assertionibus explodit. (a)

A N N O T A T I O LVII.

Qui dixerit verbum in Spiritum Sanctum, &c. Matth. 12. d

THOMAS Cajetanus in commentariis loci hujus sic habet: Quid significetur per Spiritum Sanctum, non est clarum: materia tamen subjecta insinuat appellatione Spiritus Sancti significari Deum secundum quod exercet officium Spiritus Sancti, hoc est secundum quod spirituales, ac sanctos efficit animos hominum: ita quod dicere verbum contra Spiritum Sanctum, est verbis impugnare Deum sanctificantem homines: hoc est enim directe ex intentione dicere contra Spiritum Sanctum, ut Spiritus Sanctus est nomen Dei essentiale, non curando, quantum ad hunc spectat textum, de hoc nomine, ut est proprium tertiae in Trinitate personae. Ambrosius Compsae episcopus, libro 4. annotationum, Cajetanum redarguit, quod hunc locum ad personam Spiritus Sancti pertinere negaverit. De peccato in Spiritum Sanctum.

A N N O T A T I O LVIII.

Ecce Mater tua, & Fratres tui, &c. Matth. 12. g

CHRYSOSTOMUS homilia 45. in Matthaeum hanc exponens clausulam, videtur tribuere Mariae Virgini nonnihil ambitionis, & inanis gloriae his verbis: Ex facto Matris nonnihil importunitatis accessit: considera tam Matris, quam fratrum importunitatem: nam cum debuissent intrare, atque cum turbis simul audire, aut saltem expectare foris sermonis finem, ac demum accedere; ambitione quadam ac ostentatione commoti, foris eum in praesentia omnium evocaverunt, ut viderentur facile ac magna cum potestate Christo imperare: unde pater inani quadam gloria illos commotos fuisse, nihil adhuc magni de ipso cogitantes, & caetera quae sequuntur. Et rursum homilia in Matt. 46. laudans discipulorum Christi prudentiam, qui temporis opportunitatem expectarunt ad interrogandum Magistrum; inquit: SIC Matrem quoque, ac fratrem fecisse docuisset, non autem palam ostentationis causa foras evocasse. Idem enarrans miraculum aquae, in vinum conversae, homilia in Joannem 20. clarius etiam ascribit ei effectum aliquem superbiae, inquiens: Optabat enim hoc, ideft miraculum fieri, ut ipse hominum gratiam sibi conciliaret, & ipsa clarior Filii gratia efficeretur: & fortasse aliquo humano afficiebatur affectu, quemadmodum, & fratres ejus, cum dixerunt, ostende te ipsum mundo, cupidi ejus miraculis sibi famam comparare. Ac paulo post idem agens, (siquidem non adhuc debitam de ipso opinionem habebat) sed more matrum Maria jure omnia se Filio praecepturam censebat, eum tanquam dominum colere, ac revereri fas esset. Maria Virgo an inani gloria laboraverit. Joan. 7. a

(a) De peccato in Spiritum sanctum, quod in Divino eloquio dicitur irremissibile, variae sunt Patrum & interpretum expositiones. Vide praesertim S. P. Augustinum *Serm. LXXI.* inter Sermones I. Classis novae editionis PP.BB. *Tom.V.Epist.* olim L. nunc *CCLXXXV. Enchirid.* 83. & alibi S. Thomam 2. 2. *Qu. XI. Art. 3.* & *III.P. Qu. LXXXVI. Art.* 3. & Guillelmum Estium *II. Sent. Dist. XLIII.* Interim solum adnota, excepta impoenitentia finali, nullum esse reapse peccatum irremissibile, & plura ita dicit moraliter tantum, ut Theologi de schola loquuntur, quia eis deligati difficulter remissionem consequuntur.

ANIMADVERTIT hunc locum apud graecos Euthymius in commentariis, nec ausus est improbare; apud Latinos vero Thomas in tertio Summae Theologicae volumine, quaest.27. art.4. Ubi Chrysostomum civiliter excusans, ait eum ex impetu dicendi, sicut oratoribus, & concionatoribus interdum usu venit, excessisse: posseque etiam, inquit, ejus verba sic exponi, ut intelligamus Christum cohibuisse in Matre affectum, non qui ei revera inesset, sed quem alii forsitan existimare potuissent eidem inesse. Quam excusationem libentissime suscipimus, ne Deiparam Virginem insigni illo suo integritatis privilegio fraudemus, quod ei Tridentinae Synodi canon subjectus attribuit: Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur, & peccat, nunquam vere fuisse justificatum, aut contra posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet ecclesia, Anathema sit.

Concil. Trident. Sess. 6. Can.23.

THEOPHILACTUS in interpretatione hujus sententiae, Chrysostomi secutus dicta, caute legendus est in haec verba: HUMANUM quid volebat ostendere Mater, videlicet quod in Filium potestatem haberet. Nihil enim magnum adhuc de eo intelligebat: propter hoc ipso adhuc loquente, volebat ad se illum attrahere, quasi ambitiosula tanto sibi filio subdito. Quid igitur Christus? Quoniam intentionem ejus sciebat; audi, quid dicat: Quae est Mater mea? non injuria afficiens Matrem, hoc dixit, sed corrigens mentem ejus, gloriae avidam, & humanam. Consule super his Annotationes 103. & 151. libri quinti, & Aonotat. 138. 139. 140. & 186. libri hujus. (a)

Matth.12.48.

ANNOTATIO LIX.

Qui sunt Fratres mei? Matth. 12.g

S. Joseph an habuerit prolem.

EUTHIMIUS in Commentariis tradit Josephum, Mariae Virum, Filios, & Filias habuisse, & hos Fratres Christi appellatos. Vide infra Aonot.64.

ANNOTATIO LX.

Sinite utraque simul crescere usque ad messem. Matth.13. d

Haeretici nolentes resipiscere an de vita tollendi sint.

CHRYSOSTOMUS homil.47. in Matthaeum, huoc locum examinans, verba quaedam habet, quae Hermannus Bodius in Collectaneis suis, in titulo de haereticis inducit, ut astruat haereticos, quamvis in haeresi pertinaces fuerint, non esse poena mortis puniendos, sunt autem haec: Non prohibet Christus concilia haereticorum dissipare, ora obstruere, libertatem loquendi concidere, sed prohibet interficere, & trucidare, & vide quam mitis sit. Non enim solum prohibet; sed, cur prohibet rationem exponit, dicens parcendum esse zizanus, quousque una cum frumento in agro sunt: quia possunt in frumenti statum commutari. Haec quidem Chrysostomi sententia: in qua cum aliquando fuisset Augustinus, postea se eam mutasse testatur in epistola quadragesima octava ad Vincentium, Rogatianae haereseos assertorem, sic scribens: *Mea primitus sententia erat,*

oeminem

(a) Deiparam Virginem nulli, vel levissimo famini obnoxiam fuisse, sed speciali privilegio a Deo donatam inlibatam sanctissimamque duxisse vitam, ubertim ex constanti PP. traditione ostendi *Tom. III. Exercit. XVI.* ubi ejus integerrimam sanctitatem ab criminationibus Calvini, ejusque asseclarum, praesertim novissime Samuelis Basnagii, vindicavi: quapropter hic eundem revolvere lapidem superfluum est, sed tantummodo ad inlustrandum Authoris Nostri doctrinam aliqua addere non taedet. Et quidem esto Angelicus Doctor ex consueta sibi modestia Chrysostomi dicta mitius expenderit, ad veritatis tamen triumphum excessum laudati Patris notare non destitit: quare loco a Xysto laudato inquit „ quod „ in verbis illis Chrysostomus excessit „ &c. Theophylactus autem non absolute & assertive vanitatis culpam in Sanctissima Dei genitrice admisit, sed dubitanter solum, quare adposuit particulam *fortassis*, quinimo *Commentar. in Luc.* oppositum directe docuit, asserens eam omnium virtutum paludamento ornatam, & , ubi Chrysostomus excessit, errorem silentio correxit. De Euthymio tandem nec verbum facere lubet, quum nullum nobis negotium facessat opinio Graeci schismaticique XII. Seculi scriptoris adversus quem Graeci omnes simul ac Latini Patres, Theologique decertant. Videsis laudatam nostram Exercitationem, ubi innumera monumenta reperies, ad exsibilandam temeritatem audentium obloqui de Virgine Matre Sanctorum omnium Regina ac virtutum exemplari perfecto.

neminem ad unitatem Christi esse cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos catholicos haberemus, quos apertos haereticos noveramus. Sed haec opinio mea non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis: nam primo mihi opponebatur civitas mea, quae cum tota esset in parte Donatistarum, ad unitatem Catholicam timore legum imperialium conversa est, quam nunc videmus ita hujus perniciem detestari, ut in ea nunquam fuisse credatur: ita & aliae multae, quae mihi nominatim commemorabantur, ut ipsis rebus agnoscerem, etiam in hac causa recte posse intelligi, quod scriptum est, Da sapienti occasionem, & sapientior erit. Hactenus Augustinus, qui in libro contra epistolam Parmeniani explicans mentem Christi, dicentis, Sinite utraque simul crescere usque ad messem, ait haec verba in eo tantum casu servanda esse, quando zizania sine extirpatione tritici extirpari non possunt, id est, quando haeretici occidi & extingui nequeunt, nisi etiam cum eis Catholici trucidentur: sed cum metus iste non subest, & crimen eorum notum est & execrabile, nec tales habent defensores, per quos possit schisma contingere: tunc adversus eos severitas exercenda est: nam si Imperatores puniunt furta & homicidia: cur non punient haereses & sacrilegia? Neque ab hac Augustini sententia discrepat Chrysostomus, sicut aperte ostendunt ejusdem verba, praedictis verbis praemissa, in hunc modum: DOMINUS prohibet evelli zizania, ne forte simul cum zizaniis herbam etiam tritici evellant: decebat enim, ut bella & effusionem sanguinis prohiberet: nam, si tunc trucidarentur haeretici, atrox & irreconciliabile bellum orbi inferretur.

Prov. 9. 9.

Matth. 13. 30.

EUTHYMIUS in expositione hujus sententiae, Chrysostomi explanationem sequens, ita scribit: SINITE utraque crescere usque ad messem. Messem dicit mundi consummationem: jubet ergo, ut utriusque generis homines, hoc est, haereticos, sinant vivere crescentes, auctosque numero in mundo usque ad consummationem. Verisimile siquidem est ante id tempus multos convertendos haereticos, nec tamen ob hoc illis commisceri oportere: spaciosus est enim hic mundus: & illos per se vivere oportet, non ablatos quidem, sed separatos, ne docendo corrumpant, quod seminatum est triticum. Hic locus ad defensionem haereticorum adjectus est a Lutheranis in opere Bodii jam citato. Caeterum ex verbis, quae statim hanc periodum antecedunt, apparet Euthymium idem sensisse, quod Chrysostomum. Ait enim: PROHIBUIT auferri haereticos, ne etiam pariter orthodoxi auferrentur: futurum enim erat, ut bella & caedes orirentur. (a)

ANNOTATIO LXI.

Aperiam in parabolis os meum. *Matth. 13. c*

THOMAS Cajetanus, hoc Psalmi vaticinium in Commentariis super Matthaeum elucidans, ad hunc modum fatur: TRANSUMPTIVE Matthaeus traxit verbum propheticum ex Psalm. 77. nam ad literam textus ille loquitur de similitudine gestorum: sed Evangelista, mystico utens sensu, applicat ad similitudines metaphoricas: utraeque enim conveniunt in communi ratione parabolae, seu similitudinarii sermonis. Adversus hanc explanationem Ambrosius, Compsae episcopus, libro secundo Annotationum his invehitur dictis: HAEC falsa sunt & periculosa: falsa inquam, quia supponunt verba illa verificari ad literam de illo Asaph: sed quid erat ille, ut ei secundum literam conveniret dicere, Attendite popule meus legem meam? quem ipse populus sub se habebat? aut quam legem poterat cuiquam praecipere? & qua fronte ait trahi locum istum transumptive ad Christum, cum Evangelista referatur impleri in illo, quod secundum veritatem intelligi debet, de parabolis iis, quas Dominus proferebat, quae non erant quid vere gestum? Quod vero ait, similitudines vere gestorum convenire in ratione parabolae cum similitudinibus metaphoricis & confictis, non nisi valde aequivoce verum est. Item inconvenienter alterum praecise dictum ad alterum trahetur, etiam si in ratione generica convenirent. Sermo enim, praecise de asino loquens, inepte traheretur ad hominem, ob istam gratiam, quia homo & asinus

Non vaticinium Psalm. LXXVII a Matthaeo citatum de Christo ad literam intelligatur.

(a) Vide nostram Exerc. V. Tom. I. in V. Propos. damnat. ab Alexandro VII. ubi de hac re ubertim.

nus in ratione animalis conveniant. In Christo ergo ad literam verificatur locus ille, ut omnes Catholici receperunt: quia id Evangelista testatur, & verba ipsa: ipse enim est verus Asaph, qui venit, ut dispersa colligeret: ipsi datus est populus ad instruendum: ipse denique propriam legem ore proprio tulit, & docuit. Cave ergo, si sapis, pie Lector, ab hac doctrina, quae tam manifeste pugnat cum sensu Doctorum, & compertissima veritate. Haec Ambrosius.

ANNOTATIO LXII.

Nonne hic est fabri filius? Matth. 13. g

Quodnam genus fabrilis artis & Joseph exercuerit.

HILARIUS canone in Matthaeum 14. scribit Joseph, patrem Christi, ferrarium fabrum fuisse, his verbis: PLANE hic fabri erat filius, ferrum igne vincentis, omnem saeculi virtutem judicio decoquentis, massamque formantis in omne opus utilitatis humanae, &c. Nec secus existimare videtur Beda libro in Marcum secundo, inquiens: NAM etsi humana non sunt comparanda divinis, typus tamen integer est, qua pater Christi igni operatur, & spiritu: unde & de ipso, tanquam de fabri filio, praecursor suus ait: Ipse vos baptizabit in Spiritu
Luc. 3. 16. Sancto & igni: quia vasa irae, sui spiritus igne molliendo, in misericordiae vasa commutat. Haec Beda, alludens ad illa tria, quibus potissimum fabri ferrarii utuntur ad ferrum edomandum, nempe ad ignem, spiritum, & aquam. Divus Thomas in Commentariis super Matthaeum singulariter annotavit Josephum non exercuisse artem ferrariam, sed lignariam: atque huic subscribunt, Petrus Equilinus episcopus libro De vitis sanctorum tertio, Jacobus Genuensis episcopus in libro Fastorum, Nicolaus Lyranus, & omnis pene scholasticorum consessus. Neque ab hac opinione discrepat vetustissima ecclesiasticae picturae consuetudo, repraesentans Josephum senem, una cum adolescentulo Jesu ligneas tabulas tractantem. Thomas Cajetanus ait incertum esse, quod genus fabricae exercuerit Joseph; quoniam fabri nomen genericum sit, complectens fabros aurarios, argentarios, ferrarios, lignarios, & lapidarios: cujus judicio favet Graecum Matthaei verbum ὁ τοῦ τέκτονος υἱὸς, id est, fabri filius: τέκτων quippe, ut Suidas indicat, lapidariis, ferrariis, ac lignariis est commune. In libro De infantia Salvatoris, quamvis apocrypho, miraculum refertur pueri Jesu, in officina patris lignaria editum. (a)

ANNOTATIO LXIII.

Vobis datum est nosse mysterium regni coelorum. Matth. 13. b

Fides numdetur ex mysteriis praecedentibus

AUCTOR operis imperfecti homilia 31. indicat notitiam mysteriorum fidei & regni coelorum dari his, qui lumine naturali bene utuntur pro remuneratione

(a) Graeca vox ΤΕΚΤΩΝ, cui respondet Hebraica חרש CHARASH, quae ab Latino Interprete reddita fuit FABER, quaeque universim omnem Artificem denotat, occasionem praebuit eruditis, ac Interpretibus Divini eloquii ambigendi, variamque sentiendi de opinione S. Josephi, ac Christi Servatoris in eadem officina cum Nutritio fabrilem artem exercentis. Et quum plures, iique Celebres Viri, improbum subjerint laborem in ea expendenda voce, ac diluc dando S. Josephi ac Christi opificio, praesertim Vatablus, Brugensis, Serry, Sandious, Tillemontius, Calmetus, aliique pene innumeri eruditi; tamen ad incudem, & limam plene perducendi hanc controversiam nuperrime sibi spartam adsumsit Cl. V. in Regia Neapolitana Studiorum Universitate Sacrarum Litterarum Primarius Professor, & in Cathedrali Ecclesia Canonicus infulatus Alexius-Symmachus Masocchi, & re vera, sed citra aliorum invidiam, sit dictum, perfecte absolvit in *Mantissa ad lib. de dedicatione sub Ascia*. Ex pluribus namque, ac selectissimis monumentis cum Graecis, tum Hebraicis, tum etiam Latinis, iisque purioribus, fabrilem signat iam S. Josephi, ac Christi artem, eosq; Lignarios Artifices fuisse, Graecosque Patres Justinum in *Dialog. cum Tryphone* Vetustum Christianum apud Sozomenum, & Theodoritum, Basilium M. *Hom. 2. in Hexaemer.* Origenem *lib. VI. contr. Celsum*; quin & Celsum ipsum, Clementem Alexandrinum in *προτρεπτ.* (edit. Porterii in fin. Pag. 51.) Chrysostomum *Hom. XV. in Johann.* & alibi pluries, Theodoretum in *Hist. Eccl. Lib. 3.* aliosque in eam unam ivisse sententiam clarissime probat. Luculenter itidem ostendit Hilarium Pictaviensem, Petrum Chrysologum, ac Bedam haud stetisse pro ferraria fabrili arte Christi, ejusque nutritii Josephi; quum laudati Patres ad allegoriam vertant fabrilem Christi artem, & ita etiam Fabrum eum vertant, ostendentes nimirum omnipotentem esse Dominum, qui fabricatus est mundum, qui in spiritu ignis, & spiritu ardoris judicabit orbem, colabitque filios Levi sicut aurum, & argentum: quare ex ea allegorica loquendi formula nullum potest adsumi momentum ad probandam ferrariam, aerariam, argentariam, aut aurariam Christi fabrilem artem, ne dicamus omnem fabrilem artem fuisse à Christo, & Josepho exercitam: & re vera ita esse actu retigi eorum monumentis bene librariis. Legesis ergo ad eruditionem, & notitiam praelaudatam mantissam, quum ex ea haec adnotasse sufficiat. Quae autem in lib. de infantia Salvatoris referuntur, ad fabulas sunt amandanda.

ne bonae voluntatis: quam sententiam Augustinus ante episcopatum secutus, postea factus episcopus retractavit. Auctoris verba sic habet: DOMINUS generalem gratiam, id est, intellectum boni & mali, omnibus dat pro necessitate naturae; quia nec videmur esse homines ad imaginem Dei creari, nisi habuerimus divinum intellectum: dignioribus autem dat specialem gratiam, ut puta cognoscendi mysteria, non pro necessitate naturae, sed pro remuneratione bonae voluntatis, aut bonorum operum. Vide ergo, quomodo dicit, Vobis datum est nosse mysterium regni coelorum: non dixit, Vobis datum est, alicui, qui habeat scientiam boni & mali. Si ergo est aliquis, qui non habet gratiam scientiae boni & mali: non culpa hominis est non habentis, sed Dei non dantis: si autem omnes homines intelligunt bonum & malum; non tamen omnes habent gratiam cognoscendi mysterium regni: non est culpa Dei non dantis, sed hominis non quaerentis, nec festinantis, nec laborantis, ut mereatur accipere. Si enim illam generalem scientiam boni & mali transegisses, id est, si bene usus fuisses: juste merebaris hanc specialem cognoscendi mysterii scientiam.

JOANNES DRIEDO in libro De concordia liberi arbitrii & praedestinationis divinae cap. 3. hunc locum sub nomine & auctoritate Chrysostomi recipiens, his eum verbis elucidat: CHRYSOSTOMUS, cum dicit generalem illam mandatorum scientiam, quam quisque, cum crearetur, accepit, esse gratiam, qua si bene uteretur, specialem mereretur scientiam, qua cognosceret mysterium regni coelestis, de quo Salvator, Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, &c. verissime quidem dicit; sed non vult generalem illam scientiam mandatorum esse gratiam Dei, ut redimentis, sed Dei, ut conditoris. Donis naturae si quispiam bene utatur, proculdubio meretur; sed his nemo sine Dei miserentis gratia, & sine initiis quibusdam fidei valet bene uti. Exemplum patet in Cornelio Centurione, & in Apostolis; quibus pro bonis ipsorum voluntatibus, jam quadam gratia praeventis & humiliatis, dignatus est Deus exponere, & revelare Christi redimentis mysteria.

ANNOTATIO LXIIII.

Nonne mater ejus dicitur Maria? & fratres ejus Jacobus, & Joseph, & Simon, & Judas? & sorores ejus nonne apud nos sunt? Matth. 13. g

THEOPHYLACTUS in Commentario in Matthaeum huic textui expositionem apposuit hujusmodi: FRATRES habuit Dominus, & sorores, Joseph filios; quos genuit ex uxore fratris sui Cleopae: mortuo enim absque liberis Cleopa, Joseph juxta legem uxorem ejus accepit, & pueros procreavit sex, quatuor mares, & duas foeminas, Mariam, quae dicebatur Cleopae filia secundum legem, & Salomen. Hoc ipsum repetit capite vigesimo septimo in Matthaeum, ubi etiam scribit, matrem Christi filiorum Joseph fuisse novercam. Consentiunt huic opinioni plerique ex Graecis Patribus, in primis Eusebius, Caesariensis episcopus, libro secundo Ecclesiasticae historiae, capite primo: ubi scribit, Jacobum Justum, Hierosolymitanum episcopum, appellatum fratrem Domini, filium fuisse Joseph, ex alia conjuge ante, quam desponsaretur Mariae. Euthymius capite in Matthaeum duodecimo, Josephum ait filios habuisse & filias. Oecumenius in Commentariis epistolae ad Galatas capite 2. & in Actus Apostolorum cap. 2. refert filios Joseph dubitasse de Christo, de quo nunquam pater ipse Joseph dubitaverat. Epiphanius libro tertio Panarii, adversus Antidicomarianitas disputans, narrat Joseph habuisse primam uxorem de tribu Juda, suscepisseque ex ea liberos sex: in quibus primogenitus fuerit Jacobus, cognomento Justus, circa annum paternae aetatis quadragesimum natus; deinde mortua uxore hac, cum annum ageret octogesimum, duxisse Mariam Christi matrem. Origenes cum in Tomis super Matthaeum hunc locum dissereret, indicavit hanc opinionem ex Evangelio, cui titulus est, JUXTA PETRUM, aut ex Evangelio, quod JACOBI dicitur, profectam, sibique mirum in modum placere; quia & rationi consentaneum sit virilis virginitatis primitias fuisse Jesum, mulierbris vero Mariam: nec plausibile sit aliis praeter quam istis virginitatis primitias adscribere. Hoc ipsum apud Latinos

S. Josephus an bigamus fuerit.

Origenes T. X in Matth. dicit opinionem de bigamia S. Josephi traditam in Pseudo-Evangeliis Jacobi, & Petri, a qua ipse recedit. Vide novissimam editionem Operum Origenis PP. BB.

nos profirentur, Hilarius canone in Matthaeum primo, Ambrosius in Commentariis epistolae ad Galatas capite secundo, Thomas Cajetanus in ejusdem epistolae & capituli explanationibus. Dissidet a sententia istorum Hieronymus libro secundo in Matthaeum, sic scribens: QUIDAM fratres Domini de alia uxore Joseph filios suspicantur, sequentes deliramenta apocryphorum, & a quadam Escha muliercula confingentes: nos autem, sicut in libro, quem contra Helvidium scripsimus, continetur, fratres Domini, non filios Joseph, sed consobrinos Salvatoris, Mariae liberos intelligimus materterae Domini, quae esse dicitur mater Jacobi minoris, & Joseph, & Judae, quos in Evangelio fratres Domini legimus appellatos: fratres autem consobrinos dici omnis Scriptura demonstrat. Augustinus sermone in nativitatem Christi quartodecimo Josepho privilegium virginitatis adscribit his verbis: HABE ergo o Joseph cum Maria conjuge tua communem virginitatem membrorum, quia de virgineis membris virtus nascitur angelorum. Sit Maria sponsa Christi, in carne sua virginitate servata: his autem & tu pater Christi, cura castitatis, & honorificentia virginitatis. Gaude itaque Joseph, quia per meritum virginitatis ita separatus es a concubitu uxoris, ut pater dicaris Salvatoris. (a)

ANNOTATIO LXV.

Herodes tenuit Joannem, & decollavit in carcere. Matth. 14. a

Angeli num ob amorem mulierum de Coelo ceciderint.

CHRYSOSTOMUS in homilia habita in decollationem Joannis Baptistae, quae extra homilias Commentariorum Matthaei extat, indicare videtur, angelos Dei, foeminarum amore illectos, de coelesti gloria corruisse: quippe sic loquitur: O MALUM summum, & acutissimum diaboli telum, mulier: per mulierem Adam in paradiso prostravit; per mulierem castissimum Joseph detrusit in carcerem; per mulierem illum totius mundi lucernam Joannem capite truncavit:

(a) An S. Joseph aliam ante Mariam habuerit conjugem, antiqua est quaestio, ut optime adnotavit Cl. Annalium Parens *Apparat. ad Annal. Eccl.* §. 61. „ quae utriusque partis gravissimos habuit assertores. Invaluit enim olim nonnullorum Patrum opinio, illos, qui in Evangelio fratres Domini dicti inveniuntur, Judam Thadaeum, Simonem, Joseph, & Jacobum, Minorem nominatum, ex Joseph, & uxore, quam longe ante sponsalia Virginis duxerat, esse susceptos. „ Laudatque ibidem Eminentissimus Purpuratus Graecos Patres, qui in eam descenderunt opinionem (ex horumce tamen elencho eradendus est Ambrosius *Comm. in epist. ad Galat.* quum personatus hic Ambrosius sit Hilarius Sardus, de quo saepe factum est verbum) Et quod magis magisque in aliquibus ex laudatis Graecis Patribus est observandum, id praecipue est, quia aliqui ex eis non advertentes recentiorum fraudes, plures ex eisdem, velut ex probatis testibus, depromentes fabulas, in medium protulerunt ad S. Josephi bigamiam conciliandam. Quis, enim ignorat Evangelia aut Petri, aut Jacobi fuisse a Leucio, sive Seleucio pessumo nebulone ad fucum veritati faciendum fraudulenter conficta? Innocentius I. R. P. *epist. 3. ad Exuperium* aperte testatur, & Gelasius Papa in Concilio Romano *Tit. de scrips. apocr.* de his loquens ita decernit: „ Evangelium nomine Petri apocryphum: Evangelium nomine Jacobi Minoris apocryphum. „ Quare universim eruditi Pseudo-Evangelia ista diris devovent, in eisque naenias, fabulas, quisquiliasque plures execrantur. Nec quidem universim Orientalis Ecclesia Patres in eam ivere sententiam, quum praesertim Origenes, Chrysostomus, & Theodoretus ex adverso steterint, ut adcurate Baronius *ibidem*, & Valesius *not. ad Euseb. lib. II. Hist. Eccles. Cap. V.* In Ecclesia Latina vero invaluit sententia de Coelibatu S. Josephi, ut Hieronymus viriliter illum Helvidio objecerit, ac S. Patriarchae perpetuam virginitatem pluribus aliis in locis vindicaverit. Vindicarunt eam pariter Author *Serm. XIV. de Nativitate*, olim *de Sanctis* 25. a Xysto ceterisque M. P. Augustino adjudicari, sed ex recto eruditorum criterio, restituendi vetusto Authori, alteri certe ab Ambrosio, & Augustino, quare a PP. BB. rejectus est *in Appendic. T. V. Op. S. P. Serm.* 195. Quinimo ita strenue pro hac sententia pugnavit S. Petrus Damiani *Epist. XI. cap. 4. ad Nicol. Rom. Pont. & opusc. 17. de Coelibat. Sacerdot.* ut Ecclesiae fidem adseveraverit esse; quapropter nemine discrepante (si unum dumtaxat excipias Hilarium aliorum sententiam mere narrantem) Latini omnes pro virginitate S. Josephi steterunt. V. Beda, Alcuinus, Bernardus, Anselmus, Thomas Aquinas, & Rupertus, quibus adde Theologos omnes posterioris aetatis Gersonem, N. Isidorum de Insulanis, Franciscum Suarez, Card. Tolerum, Estium, NN. Card. Gotti, Natalem Alexandrum, Hyacinthum Serry, ceterosque universim Interpretes, qui Domini Fratres in Evangelio descriptos consobrinos ejusdem fuisse adserunt. Adde itidem ad majorem veritatis triumphum Hugonem Grotium *Com. in Evangel. Matth. cap.* 13. ubi hanc rem mire ex divino eloquio confirmat. Ex eisdem etiam Theologis habes quam putida sit, ac male olens fabella de Josepho capulari sene, ac octogenario Virgini desponsato, quae certe Evangelii veritatem evertit, divinam providentiam in deligendo Virgini Sponso, coadjutore ac Nutritio Christi pessume carpit. Quod si pictoribus indulgeamus, ut S. Josephum senem in tabulis efforment, eo dumtaxat ex momento permittimus, ut sic depingendo in Sene virginitatem ejusdem patefaciant penicillo coloribusque, quam calamo vindicant eruditi Theologi omnes. Videsis etiam ad majorem eruditionem Bollandistas ad diem 19. Martii, & Hadrianum Baillet ad eandem diem 19. Martii pag. 14.

cavit: & quid dicam de hominibus? mulier non solum homines, sed etiam angelos de coelo prostravit. Correxit nescio quis hanc postremam clausulam, verbis immutatis & expositis in hunc modum: Per mulierem angelos de coelo deposuit, id est, homines sanctos, qui ad coelum pergebant. Albinus in Homiliario annuarum festivitatum hanc homiliam caeteris sermonibus, a se collectis, inserens, priorem lectionem, ut germanam, agnoscit: & fieri potest, ut primum castigatio haec a studioso quopiam in margine fuerit apposita; ac deinde, ut plerunque accidit, a scriptoribus in contextum translata, Videto quae supra annotavimus Annotat. 73, libri quinti.

ANNOTATIO LXVI.

Non quod intrat in os, coinquinat hominem. Matth. 15. b

ORIGENES in Tomis super Matthaeum in explanatione praesentis capituli, De Eucharistia.
mentionem faciens sacramenti corporis & sanguinis Domini, ipsum appellat typicum ac symbolicum corpus, itemque panem Domini; qui in os comedentium ingrediens, in ventrem abeat, & in secessum ejiciatur. Verba ejus in hunc modum habent: DIXERIT autem quispiam in hunc locum incidens, quod sicut quod ingreditur in os, non polluit hominem, etiam si putetur a Judaeis pollutum, ita quod ingreditur in os, non sanctificat hominem, etiam si a simplicioribus credatur sanctificare, nimirum is, qui vocatur panis Domini: & est, ni fallor, oratio non contemnenda, eoque desiderans dilucidam expositionem, quae mihi quidem talis esse videtur: Quemadmodum non cibus, sed conscientia cum haesitatione vescentis polluit edentem, eo quod qui haesitat, si vescatur, judicatus est, Rom. 14. 23.
quia non ex fide; & quemadmodum nihil est impurum per se, polluto & incredulo, sed propter ipsius immunditiam & incredulitatem: ita quod sanctificatur per verbum Dei, & propter obsecrationem, non suapte natura sanctificat utentem. 1. Tim. 4. 5.
Nam id si esset: sanctificaret etiam illum, qui comedit indigne; neque quisquam ob hunc esum infirmus, aut aegrotus fuisset, aut obdormisset: nam tale quiddam Paulus demonstrat, cum ait: Propter hoc inter vos infirmi, & male 1. Cor. 11. 30.
habentes, & dormiunt multi. Proinde etiam in pane Domini tum utilitas est vescendi, cum impolluta mente, puraque conscientia particeps est panis illius: sic quod ad esum per se attinet, nec ex hoc, quia non edimus de pane verbo Dei, & per obsecrationem sanctificato, fraudamur aliquo bono, nec ex edendo abundamus aliquo bono: siquidem causa defectus est malitia, peccataque; & abundantiae causa est justitia, ac recte facta: ut tale sit, quod dicitur apud Paulum his verbis: Neque si comederimus, abundabimus; neque si non comederimus, minus 1. Cor. 8. 8.
habebimus. Quod si quicquid ingreditur in os., in ventrem abit, & in secessum ejicitur; & ille cibus, qui sanctificatur per verbum Dei, perque obsecrationem, juxta id, quod habet materiale, in ventrem abit, & in secessum ejicitur: caeterum juxta precationem, quae illi accessit, proportione fidei fit utilis, efficiens, ut perspicax fiat animus, spectans ad id, quod utile est: nec materia panis, sed super illum dictus sermo est, qui prodest non indigne Domino comedenti illum. Et haec quidem de typico, symbolicoque corpore. Multa porro & de ipso Verbo dici possent, quod factum est caro, verusque cibus; quem qui comederit, omnino vivet in aeternum; quem nullus malus potest edere: etenim si fieri posset, ut qui Joan. 1. 14.
malus adhuc perseveret, edat Verbum factum carnem, cum sit verbum & panis vivus: nequaquam scriptum fuisset, Quisquis ederit panem hunc, vivet in aeter- Joan. 6. 52.
num. Erasmus Roterodamus hunc locum primus omnium animadvertit, & in scholiis Origenici fragmenti, a se translati, Lectorum judicio expendendum protulit. Ego, ut libere pronunciem sententiam meam, suspicor locum fuisse ab haereticis depravatum. (a)

(a) Ne Acatholici transubstantiationem, & realem Christi praesentiam in Eucharistia denegantes audeant, aut nos accusare de declinata vi argumenti, seu monumenti Origeniani, aut N. Xystum criminari de objecta suspicione, ad plenius vindicandum catholicum dogma, & ventilandum adversariorum commentum, lubet hic addere, quod etiam si genuinum adstruamus Origenis monumentum, nullum

ANNOTATIO LXVII.

Cum transisset inde Jesus, venit secus mare Galilaeae. Matth.15. f

An restitutio rapinam superare debeat.

CHRYSOSTOMUS homilia 53. in Matthaeum circa finem, de restitutione verba faciens, aperte asseverat, raptoribus non satis esse ad criminis expiationem, ut tantundem restituant, quantum rapuerunt; sed opus esse, ut plus, quam decuplum, reddant. Quam sententiam astruit etiam duobus argumentis, nimirum ratione contumeliae, quam praeter damnum intulit; & ratione Evangelicae legis, quae plura in hac parte a suis exigat, quam Mosaica lex, quadrupla restitutione contenta. Verba ejus huc sensum ita exprimunt: NOLITO mihi dicere, quoniam si abstuli ab alio, huic tantum contuli: hoc enim certe pessimum est: non credas esse possibile eadem dando mensura, qua rapuisti, vulnus illud curare, quod per avaritiam abs te illatum est: nam qui minam rapuit, non erit sibi satis ad remedium hujus ulceris, si poenitentia pulsus, minam misericorditer dederit; sed talento indigebit: propterea furti condemnatus quadruplum reddit. Cum igitur fure multo pejor rapax sit, cumque ille quadruplum reddat, decuplum, imo vero multo plus, restituere iste debet; atque utinam etiam sic rapinae sordes omnino detergamus. Non enim puto, hanc illam esse misericordiam, cui magnus meritorum cumulus reservetur: quocirca Zachaeus dicebat: SI quid calumniatus

Luc.19. 8

sum, quadruplum dabo, & mediam mearum rerum partem inopibus offeram. Quod si quadruplum tempore legis redditur: quanto magis sub gratia? & si furem tantum restituere oportet, quantum rapacem? nam praeter damnum contumeliosa res rapacitas est: quare si centuplum etiam dabis, vix totum reddidisti: non temere igitur diximus talentum esse offerendum, si mina tibi rapta sit.

RECLAMARE videntur huic sententiae omnes Theologorum scholae; in quibus decernitur, neminem esse cogendum, ut ratione rei ablatae plus restituat, quam abstulerit; propterea quod restitutionis scopus sit ad aequalitatem revocare, quod inaequaliter sublatum est. Opinor horum verborum interpretationem sumendam esse non ex natura sublatae rei, sed ex modo abripiendi: nam, si rem sublatam spectemus; recte definiunt theologi, restitutionis justitiam nihil ultra raptore reposcere, nisi quod rapuit, & quantum rapuit. At, si contumeliam & injuriam intueamur, quam quis ei intulit, quem diripuit: non satis est tantundem reddere; sed, ubi condemnatus fuerit, tantum reddere debet, quantum aequus judex ratione injustae ablationis pronunciaverit reddendum, sive illud decuplum, sive plus, quam decuplum, sit. Et hunc sensum, ni fallor, verba Chrysostomi praeseferunt.

Vide S.Thomam 2.2.Qu. LXII. Art. 3.

ANNOTATIO LXVIII.

Tu es Petrus; & super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Matth.16. e

Num Ecclesia aedificata sit super Petram.

AUGUSTINUS sermone De verbis Domini secundum Matthaeum sermone 13. ita hunc locum exponit, ut dicat, ecclesiam non esse fundatam super petram,

nullum nobis facessit negotium, quod de typico Corpore Christi habet (sicut idipsum dicimus de ceteris PP. Tertulliano, Ambrosio, aliisque, dum Eucharistiam Typum Christi corporis dicunt) Origines namque directe ventilans delirium Capharnaitarum non intelligentium mysterium Corporis, & Sanguinis Christi, ac proinde existimantium eodem fermo modo fore Christi Corpus manducandum, ejusque Sanguinem bibendum, sicut ceteros cibos, aliosque materiales potus comedendi, & bibendi mos est, spiritualem dixit manducationem veri Corporis Christi, quod etiam sub typo dixit in stomachum trajici, quia sacra symbola, quae typus sunt, & figura veri Corporis ac Sanguinis Redemptoris, dentibus teruntur, degluttiuntur, &c. Verum, quod Origenes perperam, & nonnisi per fraudem in patrocinium Calvinianae, ac Zuinglianae haereseon laudetur, apertissime constat ex eodem Origene, qui *Homil. VII. in Numeros*, ita de Eucharistia loquitur: „ In aenigmate erat manna cibus. Nunc autem in specie caro Verbi Dei est verus cibus. „ *Homil. V. in divers.* „ Quando sanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum, quando vere pane, & poculo frueris, manducas, & bibis Corpus, & Sanguinem Domini. „ Et *Lib. VIII. contr. Celsum*: „ Oblatis panibus vescimur, qui utique per precem efficiuntur corpus sanctum. „ Ad pleniorem autem notitiam veritatis legesis NN. Natalem Alexandrum Hist. Eccles. *Panopl. Haeret.* & *De Script. Eccles.* pluries, & *Theol. Dogmat. Moral. Lib. II. de Eucharist.* & Card. Gotti *Ver. Eccles. Christ. Tom. II. P.II. Art.12.* apud quos reperies alia id genus PP. loca ab Heterodoxis objecta, nec non Paschasii, Ratherii, Guismundi, & Algeri doctrinam, qua durities omnis evertitur, & catholica veritas plene firmatur. Consule etiam novissimam editionem Opp. Origenis PP. BB.

tram, id est, Petrum, sed super Petram, quae Christus est, sic loquens: TU ES ergo, inquit, Petrus; & super hanc petram, quam cognovisti, dicens, TU ES CHRISTUS FILIUS DEI VIVI, aedificabo ecclesiam meam: super me aedificabo te, non me super te. Idem quoque habet tractatu in Joannem 124. in haec verba: SUPER hanc, inquit, petram, aedificabo ecclesiam meam: petra enim erat Christus, super quod fundamentum etiam ipse aedificatus est Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, Christus JESUS. I. Cor. 3. 11.

HAERETICI nostrorum temporum irrident nos, quod exponentes propositam Christi sententiam, Tu es Petrus, dicamus Petrum esse petram, super quam fundata sit ecclesia, contra Augustini explanationem, & Pauli vocem, nullum ponentis fundamentum praeter Christum. Quibus respondemus, nos praesentem Augustini expositionem toto pectore amplecti, & nostram quoque interpretationem, ut ab eodem Augustino acceptam, firmiter retinere. Is enim in primo Retractationum, capite 21. utranque approbans, nec alteram alteri praeferens, his verbis utitur: DIXI in quodam loco de Apostolo Petro, quod in eo, tanquam in petra, fundata sit ecclesia: qui sensus etiam cantatur ore multorum in verbis beatissimi Ambrosii: ubi de gallo gallinaceo ait:

Hoc, ipsa petra ecclesiae
Canente, culpam diluit.

sed scio, me postea saepissime sic exposuisse, quod a Domino dictum est, Tu es Petrus; & super hanc petram, aedificabo ecclesiam meam: ur, super hanc, intelligeretur, quem confessus est Petrus, dicens: TU ES CHRISTUS FILIUS DEI VIVI. Harum autem duarum sententiarum, quae sit probabilior, eligat Lector. Haec Augustinus: cui sicuti non contradicimus, ita nec aliud ponimus fundamentum primarium praeter Christum. Credimus enim, & certa fide fatemur, Christum esse primum ac potissimum totius ecclesiastici aedificii fundamentum; sed super hoc etiam fundamentum asserimus alias petras superimpositas, nempe Petrum, & caeteros Apostolos, quos Joannes in Apocalypsi nominat duodecim fundamenta coelestis Hierusalem: quibus reliquas ecclesiasticae structurae partes superaedificatas esse non dubitamus. Apoc. 21. 19. Nec desunt inter veteres Patres, qui hanc Christi responsionem ad Petrum interpretentur de Petro: ex quibus Clemens Romanus in epistola ad Jacob. 1. SIMON PETRUS, ait, verae fidei merito, & integrae praedicationis obtentu fundamentum esse ecclesiae a Christo definitus est. Origenes libro quinto in epistolam ad Romanos inquit: PETRO cum summa rerum de pascendis ovibus traderetur, & super ipsum, velut super terram, fundaretur ecclesia; nullius virtutis alterius ab eo nisi charitas exigetur. Et in Matthaeum capite 16. CHRISTUS de veritate dicebat Petro, Tu es Christus filii Dei vivi: in quo & beatificatus est, & per promissionem fieri meruit ecclesiae fundamentum. Basilius libro adversus Eunomium secundo, PETRUS, quoniam fide praestabat, in se ipso ecclesiae adificationem suscepit. Theophylactus in explanatione loci hujus, REMUNERAT Petrum Dominus, mercedem illi dans magnam, quod supra eum aedificavir ecclesiam. Eodem modo interpretantur Hieronymus libro in Matthaeum tertio, & Chrysostomus capite 16. in Matthaeum.

HILARIUS canone in Matthaeum 16. haec verba ad eundem modum exponit: quanquam hujus verba Erasmus contendat pertrahere in alium sensum, adjiciens in margine scholium hujusmodi, Ecclesiae fundamentum est fides: quibus verbis interpretari voluit Hilarium, quasi sentiret fidem esse fundamentum, & petram, non autem Petrum. Hilarius tamen apertissime de Petro loquitur, ut legenti ejus verba manifestum est. Sed, ut etiam Erasmo donemus Hilarii mentem hoc loco non facile deprehendi, quid ad ea dicturus est, quae idem hac de re in expositione Psalmi 103. his verbis, meridiana luce clarioribus, scribit? CUM JESUS quaedam de passione sua locutus ad discipulos fuisset, & Petrus tanquam indignum hoc de filio detestatus esset, Petrus, cui superius claves coelorum dederat, super quem ecclesiam aedificaturus erat, adversus quem portae inferi nihil valerent, quique in terris vel solvisset, vel ligasset, ea in coelis vel soluta persisterent, vel ligata. Hunc itaque, tali convicio detestantem hoc sacramentum passionis; tali responso excepit: Vade post me Satana, scandalum mihi es: tanta enim ei religio Matth. 16. 23.

Vide Adnotationem PP BB in S. Hilarium Cap. XVI. Matth. num. 4

religio fuit pro humani generis salute pariendi, ut Petrum, primum filii Dei confessorem, ecclesiae fundamentum, coelestis regni janitorem, & in terreno judicio judicem coeli, Satanae convicio nuncuparet. Vide infra Annot.206.

ANNOTATIO LXIX.

Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Matth.16. e

Num Ecclesia aedificata sit super singulos quosque fideles.

ORIGENES in Tomis super Matthaeum in tractatu ex his, quem nunc habemus, primo haec habet: PETRA est omnis, qui imitator est Christi; & super omnes hujusmodi aedificatur ecclesia Dei; si autem super unum illum Petrum arbitraris universam ecclesiam aedificari: quid dicis de Jacobo, & Joanne, filiis tonitrui, vel de singulis Apostolis? Joannes Bonderius in Concertationibus adversus hujus saeculi haereses titulo 31.articulo 4. refert hunc locum inter eos, quos Lutherani inducunt contra primatum Petri, dicentes ecclesiam non esse in primis fundatam super Petrum, sed super singulos quosque fideles: & ad haec addit, expositionem Origenis typicam esse, & secundum allegoriam, quae ad confirmanda dogmata afferri non solet; idque ex ea liquere, quod Origenes portas inferi peccata, claves regni coelorum virtutes interpretetur.

ANNOTATIO LXX.

Portae inferi non praevalebunt adversus eam. Matth.16. e

Pontificia potestas an ex quolibet peccato amittatur.

ORIGENES tractatu ex his, qui nunc in Matthaeum supersunt, primo alludere videtur ad errorem Hussitarum, dicentium, potestatem Summi Pontificis & episcoporum ita pendere ex imitatione sanctitatis Petri, ut quoties sanctitatem peccando amittant, etiam Petri potestatem amittant. Verba ipsa hunc in modum scripta sunt: QUONIAM qui episcoporum locum sibi vendicant, utuntur eo dicto, sicut Petrus, & claves regni coelorum a Servatore acceperunt, docentque ea, quae ab illis ligata fuerint, hoc est condemnata, eadem & in coelis ligata; rursus ea, quae soluta fuerint ab ipsis, eadem & in coelis esse soluta; dicendum est illos recte loqui, si pariter & facta habuerint, ob quae dictum est illi, qui erat Petrus, Tu es Petrus; sique tales fuerint, ut a Christo super eos aedificetur ecclesia, & ad eos illud jure referri possit. Portae autem infetorum non debent praevalere adversus eum, qui ligare vult, ac solvere: quod si funibus suorum peccatorum constringitur; frustra vel ligat, vel solvit. Si quis ergo, cum non sit Petrus, nec habeat, quae hic dicta sunt, sicut habuit Petrus, credit se ligaturum in terra, ut, quae ligaverit, ligata sint & in coelis, ac se soluturum super terram, ut, quae solverit, soluta sint in coelis: hic inflatus est, non intelligeos, quid sibi velint scripturae, & tumefactus incidit in diaboli ruinam. Damnatur hic error auctoritate concilii Tridentini: in cujus sessione quartadecima habetur canon numero decimus in haec verba: SI QUIS dixerit, sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi & solvendi non habere, Anathema sit. Inspice Annotationem libri hujus 101.

Vide novissimam editionem Operum Origenis PP. BB To XII. in Matthaeū.

ANNOTATIO LXXI.

Tibi dabo claves regni coelorum. Matth. 16. e

Num Sacerdotibus insit ligandi, & solvendi potestas.

HIERONYMUS Commentariorum in Matthaeum libro tertio, hoc exponens, tradere videtur, sacerdotes nullam habere solvendi ac ligandi potestatem, neque iis aliud a Christo concessum, nisi ut ostendant, ac pronuncient peccatores ligatos, vel solutos. Quam sententiam his verbis complectitur: ISTUM locum episcopi & presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de pharisaeorum sumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxis arbitrentur, cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quaeratur. Legimus in Leviti-

co

eo de leprosis: ubi jubentur, ut ostendant se sacerdotibus; & si lepram habuerint, Levit.14. 4.
tunc a sacerdote immundi fiant: non quo sacerdotes leprosos faciant & immundos, sed quo habeant notitiam leprosi, & non leprosi; & possint discernere, qui immundus, qnive mundus sit. Quo modo ergo ibi leprosum sacerdos mundum vel immundum facit: sic & hic alligat, vel solvit episcopus, vel presbyter: non eos, qui insontes, vel noxii, sed pro officio suo, eum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive solvendus.

PETRUS, Parisiorum episcopus, Hieronymi verba clarius explicans, lib.4. Sententiarum, distin.18. sic fatur: VARIA a doctoribus traduntur super his; & in hac tanta varietate hoc sane dicere, ac sentire possumus, quod solus Deus dimittit peccata, & retinet: & tamen ecclesiae contulit potestatem ligandi & solvendi: sed aliter ipse solvit, vel ligat, aliter ecclesia. Ipse enim per se tantum dimittit peccatum, qui & animam mundat ab interiori macula, & a debito aeternae mortis solvit: non autem hoc sacerdotibus concessit, quibus tamen tribuit potestatem solvendi, & ligandi, id est ostendendi homines ligatos & solutos: unde Dominus leprosum sanitati prius per se restituit, deinde ad sacerdotes misit, quorum judicio ostenderetur mundatus: ita etiam Lazarum jam vivificatum discipulis obtulit solvendum: quia etsi aliquis apud Deum sit solutus; non tamen in facie ecclesiae solutus habetur, nisi per judicium sacerdotis. In solvendis ergo culpis, vel retinendis ita operatur sacerdos Evangelicus, & judicat, sicut olim legalis in illis, qui contaminati erant lepra, quae peccatum significat. Et hunc modum ligandi & solvendi Hieronymus supra notavit. Hucusque Petrus. Luc.5. 14. Joan.11. 44.

EMERSERUNT ex hac Hieronymi explanatione duo errores. Prior & vetustior est quorundam scholasticorum, asserentium excommunicationem, injuste latam, nullius esse momenti, proindeque nec esse timendam: cujus assertionis ansam acceperunt ex eo, quod Hieronymus dixit, episcopos, qui arbitrantur se damnare innocentes, & solvere noxios, sumere de pharisaeorum supercilio, ac superbia Christi testimonio damnata. His occurrens D.Thomas in 4.Sententiarum distinct. 18. quaest.4. ait Hieronymum locutum esse, quatenus ad culpam attinet, non ad poenam: nullus enim innocens potest a sacerdotibus in peccatis ligari, nec ullus in peccatis de industria perseverans a peccatis absolvi. In poenis vero ecclesiasticis possunt peccatores & ab injustis pastoribus, ex ira etiam & odio excommunicantibus, ligari. An excommunicatio injuste lata sit alicujus momenti.

POSTERIOR ac recentior error est, quem Martinus Lutherus hic inique detorsit, docens nullo modo a sacerdotibus peccata retineri posse, vel solvi: cujus insaniam refellens Alphonsus Castrensis libro primo adversus haereses, praesentem Hieronymi locum hunc in modum elucidat: QUOD vero Lutherus Hieronymum pro sua sententia adducit, ex prava intelligentia procedit: quamobrem verba haec bene discutere oportet, ut eorum clarior sensus apparet. Primum ergo admonere oportet, quod Hieronymus dixit, videlicet, quod sacerdos pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit, qui ligandus sit, quive solvendus: non autem dixit, Scit, qui ligatus sit, quive solutus; sicut prius de sacerdote veteris legis dixerat, eum discernere, qui mundus, quive immundus sit. Ex quibus verbis apertissime convincitur, beatum Hieronymum aliquod discrimen posuisse inter sacerdotem discernentem de lepra, & sacerdotem Evangelicum absolventem a peccato: quoniam sacerdos veteris legis non mundabat leprosum, sed solum judicabat eum fuisse mundatum: sacerdos autem Evangelicus poenitentem, qui sua peccata coram eo confitetur, per clavem scientiae & discretionis judicat, an talis sit dignus absolutione, vel non: non tamen adhuc est absolutus ante, quam sacerdos verba absolutionis proferat; sicut leprosus post munditiam assecutam verè est mundus ante, quam sacerdos judicaret eum mundum. Quapropter beatus Hieronymus, de sacerdote novae legis loquens, non dixit, Scit, qui ligatus sit, quive solutus: sed dixit, Scit, quis ligandus sit, quisve solvendus: quoniam ex cognitione peccatorum, & dispositione ipsius poenitentis agnoscit, utrum absolvere, vel ligare debeat: nam si cognoverit peccatorem obstinatum in malo, taliter ut suspicetur illum esse in proposito redeundi ad vomitum; judicat illum indignum, qui absolutionem recipiat. Cum ergo Hieronymus dixit de sacerdote, quod scit

qui

qui ligandus sit, quive solvendus; satis aperte innuit, post inspectionem sacerdotis, id est post audientiam peccatorum, aliquid adhuc restare, quod operandum sit a sacerdote circa ipsum poenitentem, nempe ligare, vel solvere. Quod autem Hieronymus dixit, quod apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quaeritur, intelligendum est, non quod sola quaeratur reorum vita, sed quod principalius quaeratur, tanquam fundamentum totius structurae, cui quodammodo innitatur quicquid a sacerdote postea operatum fuerit: nam si peccator fuerit in voto peccandi, quantumlibet sacerdos verba absolutionis proferat, nunquam peccator erit absolutus. Aliquid ergo magis operatur sacerdos Evangelicus circa poenitentem, quam olim sacerdos veteris legis circa leprosum operabatur. Vide supra Annot.62. libri quinti, & Annot.45. libri hujus, & infra Annot.202.

ANNOTATIO LXXII.

Tibi dabo claves regni coelorum. *Matth. 16. e*

Num Summus Pontifex habeat secularis Imperii potestatem.

IOANNES FERUS libro tertio Commentariorum in Matthaeum, ad explicationem hujus loci deveniens, adimere videtur Petro, ac successoribus ejus omnem terreni principatus potestatem, ac dominium rerum temporalium, dum ita scribit: TERTIO observandum & illud, quod signanter dicit, Tibi dabo claves regni coelorum: non dicit, Regni terrarum: nihil haec verba spectant ad terrenam potestatem: quam tamen ex his verbis stabilire nituntur, asserentes Petrum ne dum in spiritualibus, sed & in externis plenitudinem potestatis accepisse. Id quod Bernardus libro 1. De consideratione ad Eugenium manifeste arguit. In criminibus, inquit, non in possessionibus est potestas vestra; quoniam propter illa, & non propter has, accepistis claves regni coelorum. Sequitur, Quaenam tibi major videtur potestas, peccata remittendi, an praedia dividendi? habent haec terrena & infima judices suos, reges & principes terrae: quid fines alienos invaditis? quid falcem vestram in alienam messem extenditis? cur major vis esse Domino? qui interpellatus a quodam, dicente, Dic fratri meo, ut dividat mecum
Luc.12. 14. haereditatem; respondit, Quis me constituit judicem inter vos? &c. Haec ex Bernardo Ferus, paulo infra haec addens: AUDISTIS Petro dictum esse, Tibi dabo claves: claves hae, ut dixi, non materiales sunt, sed metaphorice potestatem significant: potestatem igitur accepit Petrus non terrenam aliquam, ut possit scilicet dare, auferre, alienare regna, principatus, &c. nec talem potestatem, ut sibi licuerit facere, quicquid libuisset; (id quod plerique somniant) sed potestatem accepit ligandi ac solvendi, remittendi peccata & retinendi, aperiendi & claudendi, neque id pro libito suo, sed tanquam ministrer, voluntatem Domini perficiens.

HUCUSQUE Ferus, sive magis alius quispiam Feri nomine: non enim desunt testes fide digni, qui pro certo assevereat ipsius commentaria in Matthaeum, post mortem auctoris, ante, quam excuderentur, ab haereticis, praesertim hoc loco, depravata. Joannes Calvinus, nostrorum temporum haeresiarcha, in illa sua impia Institutione, capite octavo abutitur adversus pontificiam dignitatem eodem Bernardi testimonio, quod tamen si, depositis privatis odiis, aequo animo consideretur, non id infert, quod ex eo Calvinus perperam colligit, nempe Romano Pontifici nullum in saecularibus regnis jus esse: nam cui credibile fuerit Bernardum talia sensisse; qui scribens ad eundem Pontificem & in iisdem libris utranque illi astruit spiritalium ac temporalium potestatem, & utroque illum incingit gladio, ecclesiastico scilicet ac regio? In tertio jam citati operis volumine libere fatetur, & clare pronunciat esse in Romano episcopo non solum pontificiam Aaronis summi sacerdotis majestatem, sed eam quoque politici principatus jurisdictionem; quae olim fuit in Samuele judice, in Mose duce, in Melchisedech rege & sacerdote. Ita enim Eugenium Papam alloquitur: AGE indagemus adhuc diligentius, quis sis, quam geras videlicet pro tempore personam in ecclesia Dei. Quis es? sacerdos magnus, summus pontifex: tu princeps episcoporum, tu haeres apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moses, judicatu Samuel, po-

Johannes Calvinus Libr.IV. Instit. Cap.XI. n.11.

testate

testate Petrus, unctione Christus. Et libro quioro ejusdem voluminis de utroque gladio loquens, pontificem compellat his verbis: QUID tu denuo usurpare gladium tentes, quem semel jussus es ponere in vaginam? quem tamen, qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domioi, dicentis sic: Converte gladium tuum in vagina. Matth. 26. 52. Tuus ergo & ipse, tuo forsitan nutu, & si non tua manu evaginandus: alioquin si nullo modo ad te pertineret & is, dicentibus apostolis, Ecce duo gladii hic: non respondisset Dominus, Satis est; sed, Nimis est. Luc. 22. 38. Uterque ergo ecclesiae, & spiritalis scilicet gladius, & materialis: sed is quidem pro ecclesia, ille vero & ab ecclesia exercendus est: ille sacerdotis, is militis manu, sed saoe ad nutum sacerdotis, & jussum imperatoris. Et de hoc alias. Haec Bernardus: ex quibus liquet eum temporalis regni ditionem Romano Pontifici non abstulisse, sed magis contulisse.

AT INQUIES, Quomodo ergo intelligenda sunt praemissa ejus verba, quae his videntur adversa? Joannes Turrecremensis, presbyter cardinalis, libro Ecclesiasticae summae secundo, cap. 113. Bernardi verba expendens, ait duplicem esse temporalium rerum potestatem, monarchicam scilicet, ac pastoralem. Porro monarchicam appellat eam, quae hominem constituat universi mooarcham, hoc est, quae illum sic efficiat summum ac singularem terrarum omnium Dominum, ut non solum ei liceat monarchae jus, & nomen sibi ipsi vendicare, sed etiam suae ditioni subditos ad principatus, regna, & imperia, utcunque ei visum fuerit, assumere; assumptos vero etiam sine causa ab iisdem regnis deponere, & ea regna ex uno ad alterum pro suae voluntatis arbitrio transferre. Hujusmodi ergo potestatis genus existimat Romanum Pontificem jure ponrificatus sibi usurpare non posse: siquidem cum ipse sit apostolatus Petri successor, nequit apostolico jure sibi arrogare, quod Christus Petro & apostolis interdixit, cum illis de monarchia temporalis regni inter se altercantibus dixit: Reges gentium dominantur eorum: & qui majores sunt, potestatem exercent in eos: non ita erit inter vos: sed quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister; & quicunque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus: sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, &c. Matth. 20. d Neque hoc inficiantur Romani Pontifices, qui in decretis suis distinctione 96. cap. Cum ad verum, fatentur non licere sibi Imperatorum titulos, juraque arripere, & principum saecularia dominia usurpare.

CAETERUM pastoralis rerum temporalium potestas ea est, quam oecumenicum totius Christiani orbis pastorem ex pastoralis curae officio habere decet pro conservatione ecclesiasticae hierarchiae, & administratione, ac dispensatione spiritalium ecclesiae bonorum: hanc quidem Romanus Pootifex apostolico jure, & Evangelico praecepto habere cogitur. Cum enim ei a Christo mandatum sit, ut veluti universalis Christiani ovilis pastor universum Christi gregem pascat, eique claves datae sint, quibus ceu janitor, & claviger coelestis regoi oves sibi traditas introducat ad aeternam felicitatem; necessarium est, ut principum, regum, & Imperatorum, qui primariae sunt Christiani gregis oves, curam gerat, & summa diligentia annitatur, ut eorum dignitates, imperia, regna, caeteraque terrestria commoda serviant ad illustrandam Christi gloriam, ad propagandum religionis Christianae cultum, ad firmandam ecclesiae quietem, & consequendam aeterni regni beatitudinem: in quam, ut in scopum & finem regnandi ultimum, omnia Christiaoorum regum regna prospiciunt: necesse est etiam, ut ipse ingentem & assiduam adhibeat sollicitudinem, ne saecularium principum negligentia, aut malitia haereses, schismata, dissidia, bella, atque alia his similia inter oves, apostolicae curae commissas, oriantur: & si exorta fuerint, ejus partes sunt, ut principes ecclesiasticae pacis perturbatores primum paterne admoneat, & juxta Pauli & Christi legem corrigat & corripiat; deinde si monita neglexerint, eos ecclesiasticis animadversionibus & censuris coërceat: quod si forte in reprobum sensum traditi, has quoque contempserint: tunc pontifex (si tamen id ecclesiasticae tranquillitati expedire cognoscet) populos absolvere poterit a juramento obedientiae, quo se dominis illis devinxeraot, cum adhuc juste imperarent: ei quoque licitum erit ipsos Dominos, ut incorrigibiles & ecclesiae rebelles, principatuum suorum jurisdictione privare, & eorum jura ad alios orthodoxos princi-

pes

pes transferre; convocatis etiam, si opus fuerit, militaribus piorum ducum ac regum auxiliis ad correptionem rebellantium filiorum: quod & gravissimi scriptores testantur olim, & saepe, & jure factum a Romanis Pontificibus: ex quibus Innocentius Pontifex ejus nominis primus, ob injustam Joannis Chrysostomi expulsionem, anathemate notavit Arcadium Augustum; cujus patrem Theodosium Magnum Augustum D. Ambrosius, ob patratam aliquot innocentium Christianorum caedem, non multo prius ecclesia expulerat. Gelasius primus Anastasium Imperatorem, non recte de religione sentientem, excommunicationis nexu obstrinxit. Zacharias primus Carolomanum, Francorum regem, quod administrando regno esset inutilis, regia dignitate dejecit, suffecto in ejus locum Pipino ejus fratre, & Caroli Magni patre. Hadrianus primus Desiderium, Longobardorum regem, ad direptionem Romanae urbis properantem, edicto pontificio in Insubriam reverti coëgit; accitoque Carolo Magno Francorum rege, Longobardicum jugum ab Italiae cervice excussit. Gregorius tertius Leonem tertium Imperatorem, quod omnes sacras imagines e templis ejici curasset, communione fidelium interdixit. Leo tertius pontifex cum cerneret Christianae reipublicae curam a Graecis Imperatoribus negligi, transtulit Romani imperii jura a Constantino, Irenes filio, ad Carolum Magnum, Francorum regem; eique Augusti titulum, & Imperatoris insignia contulit. Leo octavus rursum ob justas causas ex Francis ad Germanos imperium transtulit, & Othonem, Saxonum ducem, primum ex Germania Imperatorem appellavit: nec longe post Gregorius quintus concessit Germanis principibus perpetuum jus eligendi Caesares, reservata tamen sibi, ac successoribus suis auctoritate confirmandi, quos ipsi elegissent. Gregorius septimus Henricum tertium Imperatorem, Apostolicae sedi rebellantem, sacris omnibus interdixit, & imperio deposuit, nec illum ad pristinam dignitatem restituit, nisi veniam enixe exorantem. Alexander tertius Federicum Ahenobarbum Imperatorem, quod Romanam ecclesiam injusto bello oppugnaret, anathemate irretitum, & imperatoria majestate dejectum, non prius ad imperium revocari permisit, quam ille supplex culpam sibi ignosci precaretur. Praeterea brevitatis studio Urbanum secundum, cujus edicto, vexillo, ac tessera sacrum illud ac memorabile bellum adversus Saracenos confectum est, quo Hierosolymorum & Syriae regna iterum a Christianis recepta sunt: omitto Gregorium quartum, Leonem quartum, Nicolaum primum, Joannem octavum, ac plerosque alios pontifices, qui bellicis expeditionibus Italiam, Siciliam, variasque Hispaniae oras, a servitute Saracenorum ereptas, in libertatem vindicarunt. Quae quidem omnia cum sine certa rerum temporalium procuratione, administratione, ac jurisdictione aliqua nec ipsi expedire potuerint, nec alii pontifices talia queant sine eadem jurisdictione, pastoralis officii munera explere; manifestum est, summum Christianae religionis antistitem habere in terrenis totius Christianae reipublicae facultatibus potestatem & auctoritatem quandam pastoralem, administratoriam, ac dispensatoriam, qualem decet oecumenicum orbis Christiani pastorem habere.

HIS ITAQUE hoc modo perpensis, ad ea, quae Joannes Calvinus, & Joannes Ferus ex Bernardo objectant, respondemus, beatum illum virum non eo animo talia scripsisse, ut Romano pontifici auferret pastoralem administrandi ac dispensandi temporalia potestatem, a se, ut jam ostendimus, locupletissimo testimonio comprobatam; sed ut Romanum pontificem admoneret, ne sibi monarchicam saecularium possessionum dominationem, apostolis a Christo interdictam, jure apostolico usurparet: quod & ipse non obscure indicavit, cum in secundo praedicti operis libro, postquam multa de pontificis auctoritate disseruit, demum intulit: FORMA igitur apostolica haec est: Interdicitur dominatio, indicitur ministratio. Cui subscribens D. Thomas in secunda secundae, quaestione centesima, articulo primo, QUAMVIS, ait, res ecclesiae sint Papae, ut principalis dispensatoris; non tamen sunt ejus, ut Domini, & possessoris.

AN-

ANNOTATIO LXXIII.

Et post dies sex assumpsit Jesus, &c. Matth. 17. a

De mundi duratione.

HILARIUS canone in Matthaeum decimo septimo, hunc sex dierum numerum allegorice dilucidans, indicat universalem resurrectionem, ac totius saeculi renovationem futuram exactis sex millibus annis a mundi creatione, sic inquiens: CUM post sex dies, gloriae Dominicae habitus ostenditur, sex millium scilicet annorum temporibus evolutis, regni coelestis honor praefiguratur. Ambrosius, praesentem Evangelii locum explicans, improbat hanc opinionem: in qua tamen fuerunt aliquando Justinus Martyr, Irenaeus, Hippolytus, Lactantius, Hieronymus, Cyrillus, & Augustinus. Consule Annot. 190. libri quinti.

ANNOTATIO LXXIIII.

Et ecce apparuerunt eis Moses, & Helias. Matth. 17. a

De Mose in transfiguratione Christi apparente.

HIERONYMUS libro tertio Commentariorum in Matthaeum innuit Mosen ab inferis resurrexisse, & in proprio corpore Servatori nostro se ipsum transfiguranti adfuisse, haec loquens: SCRIBIS & pharisaeis tentantibus se, & de coelo signa poscentibus dare noluit, sed pravam postulationem confutavit responsione prudenti: hic vero, ut Apostolorum augeat fidem, dat signum de coelo, Helia inde descendente, quo conscendetat, Mose vero ab inferis resurgente. Hoc ipsum confirmat Auctor operis De mirabilibus divinae scripturae libro 3. capite 10. D. Thomas in tertio Summae volumine, quaestion. 45. artic. 3. ad 2. ait hanc sententiam non ita esse accipiendam, quasi anima Mosis suum corpus resumpserit; sed quod anima ejus, alio quopiam assumpto corpore, apparuerit eo modo, quo angeli sese in assumptis corporibus conspicuos reddunt. Observationem huic assimilem habes infra Annot. 145.

ANNOTATIO LXXV.

Reges terrae, a quibus tributa accipiunt, &c. Matth. 17. g

Clerici an immunes sint a tributis secularium Principum.

HIERONYMUM, libro in Matthaeum tertio haec exponentem, Erasmus Roterodamus in Annotationibus suis notavit his verbis: ILLUD obiter annotare visum est, etiam si ad hoc institutum proprie non pertinet, non satis intelligi mihi, quid sibi velit, quod in hunc locum scribit Hieronymus, Dominus noster & secundum carnem, & secundum spiritum filius regis erat, vel ex David stirpe generatus, vel omnipotentis verbum patris. Ergo tributa, quasi regum filius, non debebat: sed qui humilitatem carnis assumpserat, debuit adimplere omnem justitiam; nos infelices, qui Christi censemur nomine, & nihil dignum tanta facimus majestate: ille propter eximiam charitatem pro nobis & crucem sustinuit, & tributa reddidit: nos pro illius honore tributa non reddimus, &, quasi filii regis, a vectigalibus immunes sumus. Siquidem videtur Hieronymus hoc arrogantiae tribuere, quod ecclesiastici graventur tributum pendere principibus, cum hodie summa pietas habeatur pro immunitate clericorum modis omnibus digladiari. Haec Erasmus: cui ne pro aculeis aculeos referamus, breviter, servata Evangelica modestia, respondemus Hieronymum non loqui de eo tributo, quod principibus hujus mundi eorum subditi debent, sed de eo tributo, quod omnes debemus Christo: qui cum talis ac tantus pro nobis vectigalia solverit; cur nos miseri, inquit Hieronymus, qui Christi servos nos esse profitemur, majestati ipsius debitum servitutis tributum non reddimus?

ANNOTATIO LXXVI.

Ergo liberi sunt filii. Matth. 17. g

An Christiani suis principibus tributa solvere debeant.

AUGUSTINUS libro Quaestionum Evangelicarum, quaest. 23. hunc locum sic exponit: QUOD dixit, Ergo liberi sunt filii, in omni regno intelligendum est

est liberos esse regni filios, id est non esse vectigales: multo ergo magis liberi esse debent in quolibet regno terreno filii regni illius, sub quo sunt omnia regna terrae. Annotavit hunc locum Erasmus ceu in specie blandientem his, qui putant nullum Christianum suis principibus vectigalia debere, eo quod omnes Christiani sint regni filii, & omnes regni filii sint liberi. Opinor Augustini expositionem esse mysticam, & in ea agi de tributo carnalis & diabolicae servitutis, (a quo filii regni, in libertatem Spiritus evocati, ubicunque vivant, liberi esse debent) non autem de externo ac politico tributo, quod juxta Pauli & Servatoris nostri praeceptum principibus persolvendum est: siquidem Christi libertas non liberat Evangelici regni filios ab externis debitis, sed ab illis interioribus debitis, a quibus absolvi quotidie postulamus, dicentes, Dimitte nobis debita nostra.

Rom. 13. 6. Matth. 22. 21.

ANNOTATIO LXXVII.

Angeli eorum semper vident faciem Patris. Matth. 18. b

Num singulis hominibus singuli Angeli ad custodiam deputentur.

THOMAS Cajetanus, BENE, inquit, nota, quod non dicit, Angeli singuli eorum; sed dicit, Angeli eorum: ex hoc enim textu non habetur, singulos homines, aut etiam singulos pusillos, credentes in Christum, (de quibus loquitur textus ad literam) habere singulos angelos; sed solum eos habere angelos beatos, ad cujus verificationem non exigitur singulos singulorum esse angelos; sed sufficit multos esse angelos eorum, hoc est multitudinis eorum. Ambrosius Compsae libro secundo haec ita improbat: FATEOR, quod verba non cogunt: sed cum non repugnent, sed magis consentiant; & cum ratio faveat; & cum hinc theologi dogma istud accipiant; & cum jam omnibus persuasum sit; & cum promoveat ad aedificationem excitans charitatem in Deum, & ex nobis provocans gratiarum actiones in Deum ipsum pro tanta erga nos ipsius providentia, & in ipsos angelos pro peculiari eorum cura in nos, & non communi; & cum faveat etiam alibi scriptura, quae innuit peculiarem angelum Petri fuisse custodem, quod & ipsemet Cajetanus notavit, non debebat quovis modo vocari in dubium.

Vide S. Thomam 1 p. qu. 113. art. 2.

ANNOTATIO LXXVIII.

Sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. Matth. 18. c

Loquentes & edentes cum excommunicato an peccent.

THOMAE Cajetani expositio haec est: LIBENTER viderem servari hanc definitam a Jesu Christo sententiam, & poenam non audientium ecclesiam; quod scilicet sufficeret eos haberi ut ethnicos, hoc est, ut ipsi quidem ex vi excommunicationis haberentur ut ethnici & publicani; & non involverentur innocentes alii loquentes cum eis, qui nullum peccatum incurrunt loquentes & comedentes cum ethnicis. Ambrosius Compsae libro primo Annotationum haec improbans, ILLUD, inquit, etiam displicet, quod ecclesiam vellicat, quod in ferendis excommunicationum sententiis recesserit a traditione Christi, cum tamen non aliud servet ecclesia, quam quod Christus docuit: nec enim aliud est haberi sicut ethnicum & publicanum, quam commercium, contubernium, ac familiarem sermonem illi negare: id enim servabant Judaei in ethnicos & publicanos: ideo Christo incusabant, quod manducaret cum publicanis.

ANNOTATIO LXXIX.

Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhaerebit uxori suae. Matth. 19. a

De matrimonii copulis jure naturae licitis.

THOMAS Cajetanus in commentariis Matthaei sentire videtur omnes matrimonii copulas inter conjunctos sanguine & affinitate esse licitas, praeterquam inter matrem & filium: patrem & filiam: ita enim hoc loco scriptum reliquit: NON solum instituit Deus conjugium, sed instituit personas habiles ad conjugium,

jugium, eximendo a conjugio patrem & matrem: contra jus divinum, atque naturae est, ut homo jungatur conjugio cum patre, aut matre: & propterea dicitur, quod dimittet homo a conjugio, patrem filia, & matrem filius, & adhaerebit non mulieri, sed uxori, non cuicunque, sed suae: per hoc significans omnes alias personas esse habiles, ut sint conjuges: ex eo enim, quod solos patrem & matrem exclusit, reliquos, scilicet fratres & sorores, nepotes & neptes, liberos significavit, ut sint viri & uxores. Ambrosius Compsae, haec explicans, libro quinto Annotationum prolixa disputatione Cajetanum insectatur, quod his verbis aperte negaverit copulas inter conjunctos esse naturali jure & divino illicitas praeter illam, quae est inter patrem & filiam, matrem & filium: quam quidem sententiam idem episcopus, ut impudicam detestatur. Scripsit Cajetanus hac de re copiose in commentariis super secundam secundae D.Thomae, quaest. 154. articulo 9. ubi curiosus lector legere poterit, quae illum ad hanc assertionem impulerint.

ANNOTATIO LXXX.

Moses propter duritiam cordis permisit vobis dimittere uxores. Matt. 19. b

AUCTOR operis imperfecti hom. 32. in expositione hujus sententiae secundas nuptias damnasse creditur his verbis: APOSTOLI praeceperunt secundas adire nuptias propter incontinentiam hominum: nam secundam quidem accipere, secundum praeceptum Apostoli est: secundum autem veritatis rationem, vere fornicatio est: sed cum permittente Deo publice & licenter committitur, fit honesta fornicatio. De secundis nuptiis.

ANNOTATIO LXXXI.

Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, moechatur. Matth. 19. b

THOMAS Cajetanus in commentariis praesentem locum ita differit, ut videatur decernere, quod liceat uxorem adulteram repudiare, & aliam ducere. Utitur enim his verbis: INTELLIGO igitur ex hac Domini Jesu Christi lege licitum esse Christiano dimittere uxorem ob fornicationem carnalem ipsius uxoris, & posse ducere aliam uxorem, salva semper ecclesiae definitione, quae hactenus non apparet. Nam Decretales pontificiae de hac materia non sunt definitivae fidei; sed judiciales facti. Profitentur autem ipsimet pontifices, ut patet, in capite quarto de divortiis, & in capite licet, de sponsa duorum, Romanos pontifices aliquando in his judiciis matrimoniorum errasse. Nec ex his intelligas uxorem quoque posse dimittere virum fornicantem, quia Jesus, qui est verus Deus, non hoc concessit. Nec est par ratio, ut patet; nec etiam in veteri lege uxor poterat repudiare virum: nec ego sum primus, qui intellexi Evangelii textum; quoniam ante annos mille beatus Ambrosius, sic intelligens, idem docuit prima ad Corinthios septimo. Haec Thomas: in cujus sententia plerique veterum Patrum fuisse putantur, quorum testimonia partim a Catholicis, partim ab haereticis ad confirmationem hujus dogmatis usurpata haec sunt. Num liceat uxorem adulteram repudiare, & aliā ducere.

AMBROSIUS in caput septimum primae ad Corinthios, enarrans illud, Praecipio non ego, sed Dominus, virum uxorem non dimittere, &c. ait: SUBAUDITUR autem, *excepta fornicationis causa*: & ideo non subjecit, dicens, sicut de muliere, *quod si discesserit, manere sic*: quia viro licet ducere uxorem, si dimiserit uxorem peccantem: quia non ita lege constringitur, sicut mulier: caput enim mulieris vir est. Idem paulo superius de muliere loquens, ait: QUOD si se, inquit, continere non potest, quia pugnare non vult contra carnem, viro reconcilietur: non enim permittitur mulieri, ut nubat, si virum suum causa fornicationis dimiserit, aut apostasiae; aut si illicita impellente lascivia usum quaerit uxoris, quia inferior non omnino hac lege utitur, qua potior: si tamen apostata vir aut usum quaerit uxoris invertere; nec alii potest nubere mulier, nec reverti ad illum. 1. Cor. 7. 10.

TERTULLIANUS libro adversus Marcionem quarto, elucidans illam Matthaei sententiam ex capite quinto, docet Christum non omnino & in totum, sed conditio-

condirionaliter prohibuisse Mosaicum repudium. Sic enim scribit: DICO Christum conditionaliter nunc fecisse divortii prohibitionem, hoc est, si ideo quis dimittat uxorem, ut aliam ducat. Qui dimiserit, inquit, uxorem, & aliam duxerit, adulterium commisit: & qui a marito dimissam duxerit, aeque adulter est, ex eadem utique causa, qua non licet dimitti, ut alia ducatur, illicite dimissam pro indimissa ducens; manet enim matrimonium, quod non rite diremptum est: manente matrimonio, nubere adulterium est: ita si conditionaliter prohibuit dimittere uxorem, non in totum prohibuit: & quod non prohibuit in totum, permisit: Habes itaque Christum assertorem justitiae divortii.

HILARIUS canone in Matthaeum quarto, explicans illud, Qui dimiserit
Matth. 19. 32. uxorem suam, &c. sic loquitur: CUM lex liberratem dandi repudii ex libelli auctoritate tribuisset, nunc marito fides Evangelica non solum voluntatem pacis indixit, verum etiam coactae in adulterium uxoris imposuit, si alii ex discessionis necessitate nubenda sit; nullam aliam causam detinendi a conjugio praescribens, quam quae virum prostitutae uxoris societate pollueret.

AUCTOR Operis imperfecti homilia in Matthaeum 32. sic habet: SICUT crudelis est & iniquus, qui castam dimittit: sic fatuus & injustus, qui retinet meretricem: nam patronus turpitudinis ejus est, qui crimen celat uxoris: imitatores ergo debemus esse Dei, ut sicut ille agit cum ecclesia, sic nos agamus cum conjuge. Ille enim nunquam derelinquet, nisi ad gentilitatem & haeresim voluntarie transierit: sic & vir meretricem quidem dimittat; alias autem male morigeratam castiget & teneat.

CHRYSOSTOMUS homilia decima septima in Matthaeum, occurrens his, qui hanc legem onerosam esse queruntur, CHRISTUS, inquit, hanc legem levem fecit ac facilem: siquidem reliquit viro unum expulsionis modum, dicendo, *excepta causa fornicationis*; alioquin in eandem rursus turpitudinem cuncta remearent. Sic enim juberet etiam pluribus mistam, retineri tamen a viro conjugem; rursus in adulterii licentiam negocium omne converteret. Rursus homilia De repudio in priorem ad Corinth. 7. ita repudium damnat, ut causam adulterii excipiat, inquiens: NAM, quando vir dimiserit uxorem absque causa stupri, quando alter ejectam, vivente viro, duxerit, cum ejecta illa nuptiae.

EUTHYMIUS, Chrysostomi abbreviator, in Matthaeum capite quinto super
Matth. 5. 32. per illud, Quicunque repudiaverit uxorem, &c. haec loquitur: MOSES jussit dare libellum repudii, ne postea alteri jam nuptam viro posset rursus apprehendere, quasi propriam: & hinc orirentur turbationes, ac seditiones. Christus vero praedictis verbis mansuetius eos instruens jubet, ne uxorem repudient, nisi stupri causa. Stuprum autem vocat hic adulterium: qui enim extra stupri causam, suam repudiat, facit eam adulteram esse, cum alteri viro commisceatur: qui vero sic ab altero repudiatam duxerit, adulterium cum aliena committit.

THEOPHYLACTUS in 16. Lucae caput inducit Christum sic loquentem: ECCE enim de solutione matrimonii lex praecepit propter caedem Judaeorum: ego, ad perfectiora exercens auditores, repudium absque rationabili causa prohibeo, non illi contraria docens, sed magis voluntatem ejus perficiens. Et in Matthaeum cap. 5. NON solvit Christus Mosaica, sed corrigit, exterrens virum, ut ne absque causa odio habeat uxorem: nam si justa de causa dimiserit eam, nempe fornicantem; nulli condemnationi est obnoxius: quod si absque fornicationis causa, condemnatus est: cogit enim eam moechari. Sed & qui accipit eam, moechus est: nisi enim accepisset, rediisset utique illa, & subdita fuisset viro.

AUGUSTINUS in libro De fide & operibus capit. 19. testatur non esse ex divinis Scripturis manifestum, an ille, qui, post dimissam uxorem adulteram, duxerit alteram, sit adulter: ejus verba haec sunt: QUISQUIS uxorem, in adulterio deprehensam, dimiserit, & aliam duxerit, non videtur aequandus eis, qui excepta causa adulterii dimittunt, & ducunt: & in ipsis divinis sententiis ita est obscurum, utrum & iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, si alteram duxerit; ut, quantum existimo, venialiter quisque fallatur.

CHROMATIUS, Aquilejae episcopus, in Commentariis super Matthaeum cap. 5.

cap.5. cum explicaret illud, Qui dimiserit uxorem, excepta causa fornicationis,&c. inquit: EXCEPTA causa fornicationis, dicens, uxorem non licere dimitti, aperte demonstrat, quam grave apud Deum damnationis crimen incurrant, qui per effraenatam libidinis voluptatem, absque fornicationis causa dimissis uxoribus, in alia volunt transire conjugia: sed sicuti uxorem caste ac pure viventem dimittere fas non est: ita quoque adulteram dimittere permissum est; quia ipsa se mariti consortio fecit indignam, quae in corpus suum peccando Dei templum ausa est violare.

ZACHARIAS Papa Primus, decrevit, ut uxor, rejecto marito, qui ei sororem constupraverat, alteri viro nuberet, si continere nollet. Refert autem Gratianus hoc decretum, causa 32, quaest. 7, in haec verba: CONCUBUISTI cum sorore uxoris tuae? si fecisti; neutram habeas: & si illa, quae uxor tua fuerit, conscia sceleris non fuit, si se continere non vult, nubat in Domino, cui velit; tu autem, & adultera sine spe conjugii permaneatis. Extat apud eundem Gratianum in eadem quaestione paulo ante non dissimile decretum, quod Elibertini concilii creditur, permittens marito, ut, abjecta uxore, quae cum fratre mariti se commiscuit, alteram ducat, his plane verbis: QUAEDAM cum fratre viri sui dormivit, decretum est, ut adulteri nunquam conjugio copulentur: illi vero, cujus uxor stuprata est, licita conjugia non negentur.

IN conciliis Moguntiaco & Triburiensi, ut ibidem scribit Gratianus, habetur aliud ejusdem generis decretum; quo permittitur viro, qui uxorem a privigno initam, dimisit, alteram accipere conjugem. Edicti verba haec sunt: SI QUIS cum noverca sua dormierit, neuter ad conjugium potest pervenire: sed vir ejus potest, si vult, aliam accipere, si se continere non potest.

AMBROSIUS, Compsae episcopus, in Commentariis primae ad Corinthios, & in quinto praesertim Annotationum volumine multis argumentis contendit licere marito, post repudiatam adulteram, aliam ducere uxorem; videri sibi inquiens rem esse impendio duram & iniquam, ut vir innoxius interim aetate virens, & in venerem proclivis nullo suo delicto, imo ex aliena culpa, & in se ipsum illata injuria, cogatur mutare statum, & perpetuo coelibem ac luctuosam ducere vitam, libidinis incendio & orbitatis molestiae conjunctam, cum nec sit fas cum adultera conjungi, nec appetere alteram.

ATQUE haec sunt, quae apud Catholicos auctores animadversione digna legi; apud haereticos vero scriptores Philippus Melanchthon in Appendice locorum communium fuisse scribit in Ecclesia veteri consuetudinem, ut post divortium liceret personae innocenti, conjuge superstite, alteri nubere: citatque hujus rei testem in primis Justinum philosophum & martyrem; qui in prima pro Christianis ad Antoninum Imperatorem apologia laudat Christianam foeminam, quae cum virum haberet, omne libidinum genus, etiam contra naturae leges perquirentem, constituit a conjugio separari: cumque ab eo proposito abduceretur a suis, persuadentibus spem esse, ut aliquando vir ejus vitam, moresque mutaret; vim sibi inferens, invita mansit: postea vero quam virum, Alexandriam profectum, multo adhuc foediora admittere audisset, nefas rata & impium, tam impuro conjugio detineri, misso ad eum libello repudii, se ab eo conjugii jure, & nuptiarum foedere omnino distraxit. Justino adjungit Origenem, qui tractatu in Matthaeum septimo testatur sibi notos fuisse quosdam episcopos, qui permiserint uxoribus, quae cum viris divortium fecerant, aliis nubere viris, ne quid inde sequeretur deterius. Ad haec attexit nobilem illam Fabiolam Hieronymi epitaphio celebratam; quae repudiato prodigiosae libidinis marito, ad secundum matrimonium transivit.

VERUM his omnibus obviat immobilis ecclesiae fides; cujus auctoritate statutum est matrimonium, ubi semel cojit, nullo pacto posse dirimi, nisi morte alterius: quam quidem sententiam omnes veteres ac recentiores theologi docuerunt, decreta Pontificum approbarunt, ac demum sacrosancta Tridentina synodus, in vigesima quarta sessione comprobavit, novo canone promulgato in haec verba: SI QUIS dixerit, ecclesiam errare, cum docuit, & docet juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii

monii vinculum non posse dissolvi, & utrunque, vel etiam innocentem, qui caussam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, moecharique eum, qui, dimissa adultera, aliam duxerit, & eam, quae, dimisso adultero, alii nupserit, Anathema sit.

NE QUIS ergo scrupulus ex allatis Parrum sententiis, quae canoni huic adversari videntur, animo Lectoris insideat; sciendum est, Catholicos auctores duplici ordine distingui: ex his prior illos complectitur, qui maritis quidem concedunt, consulunt, ac interdum praecipiunt, ut adulteras uxores, & praesertim incorrigibiles domo ejiciant, ac repudient; sed alteram accipere conjugem nec suadent, nec permittunt. Complectitur etiam eos, qui viros quidem a concubitu & convictu adulterae conjugis dirimunt; sed a jure matrimonii, a foedere nuptiarum, & a vinculo sacramenti neminem conjugarum, altero vivente, absolvunt. In hac serie sunt, Hilarius, Chrysostomus, Chromatius, Auctor operis imperfecti, Euthymius, Theophylactus, & Augustinus praecipue; qui in libro De adulterinis conjugiis, & aliis plerisque locis palam affirmat, cuilibet casto viro licere, imo & oportere adulteram uxorem ejicere; at, ea superstite, secundas adire nuptias, nemini unquam licere. In posteriore ordine collocantur, qui utruoque docent divortium, hoc est, a contubernio, & a connubio: & hi quoque in tres classes dirimuntur: quarum prima continet eos, qui hanc positionem proponunt, non ut firmae determinationis sententiam, sed ut probabilem opinionem, doctorum disputationibus excutiendam, & ecclesiae auctoritate judicandam, quales aetate nostra fuere Thomas Cajetanus, presbyter cardinalis, & Ambrosius Compsae archiepiscopus. Secunda habet eos, qui hujusmodi repudia permiserunt, & interdum jusserunt, promulgatis super haec sanctionibus & decretis, non quidem generalibus & perpetuis, sed ad tempus; idque certis nationibus, ac gentibus, & in incestibus tantum, atque aliis quibusdam atrocibus flagitiis, ne longe pejora, turpioraque perpetrarentur ab his, qui tam foeda conjugia tolerare non poterant. In horum numero ponendi sunt episcopi illi, qui tempore Origenis repudia concesserunt. Zacharias item Papa Primus, atque omnes ii Patres, qui in synodis provincialibus Elibertina, Moguntina, ac Triburtina idem provincialibus suis pro eo tempore constituerunt. Tertia demum classis concludit illos, qui certa & indubitata assertione utriusque repudii licentiam probarunt, ceu Tertullianus, & Ambrosius: quanquam Magister Sententiarum lib. 4. distinct. 35. existimet Ambrosii Commentaria eo loco a falsariis corrupta.

HAEC AD EA, quae ex Catholicis scriptoribus proferuntur, dicta sint satis. Ad illa vero, quae ab haereticis allata sunt, brevissime respondemus, quod Origenes factum illud episcoporum non laudat, imo ait illos fecisse contra praeceptum divinae Scripturae, tametsi id permiserint, ne deteriora sequerentur. Justinus autem laudat eam foeminam, quod divortium fecerit: sed illam non ait nupsisse alteri, priore superstite marito: quod Philippo fuerat ex eodem auctore probandum. Hieronymus quoque adeo Fabiolae ausum non probat, ut eam diserte profiteatur fecisse contra legem Pauli, imo Christi; quod ignorans Evangelii vigorem alteri nupserit, & idcirco ream fuisse peccati. Ait enim: SED quid ego in abolitis & antiquis moror, quaerens excusare Fabiolae culpam, quam ipsa, publica poenitentia confessa est? Haec de repudio dicta sufficiant. (a)

Quinimo Justinus ibidem fol. 62. edit. Colon 1686. ex professo probat Christianis digamiam interdictam.

AN-

(a) Plura hic, etsi breviter, adnotanda occurrunt, nimirum: I. Ambrosio fore ablegandum commentarium in *Epist. ad Corinth.* eumque fore restituendum Hilario Sardo, de quo saepius est actum. II. Tertulliani monumentum *Lib. iv. contr. Marcion. c. 32.* esse haud integre ab Authore relatum, solum facere contra Marcionem nuptias ventilantem, quem vel ex ipsa Servatoris sententia ad hominem impugnat: quare integer Tertulliani textus est consulendus, & recta lance librandus. III. In Hilarii textu solum adseri hanc unicam fore caussam dimittendi uxorem „ hujusce, nimirum, adulterium „ : numquam autem ibidem adstruit adulteram sic dimissam solutam a vinculo matrimonii remanere, eamque posse (vivente viro, a quo fuit dimissa) ad alias nuptias transire, aut etiam viro dimittenti fas esse alteri nubere, ut optime adnotarunt PP. Benedictini. IV. Quae ex decretis Conciliorum & Pontificum in medium proferuntur, dumtaxat ad eam rem facere, qua de impedimento cognationis dirimente agitur, ita ut nullum, irritum, & cassum existimetur praecedens matrimonium cum praefato impedimento initum, & consequenter jure summo dirimendum: de eo, enim, ceterisque id genus impedimentis illud est inconcussum principium, & certa norma, juxta Ecclesiae decretu, carmine expressa: *Haec facienda vetant connubia facta retractant*. Quae iidem adversus catholicum dogma objiciunt Heterodoxi, praecipue Theodorus Beza *lib. de divort. & repud.* facillime dissolvuntur ex Patribus Evangelica lege *Luc. XVI.*

ANNOTATIO LXXXII.

Quicunque dimiserit uxorem, excepta fornicationis causa, & aliam duxerit, moechatur. Matth. 19. b

An multitudo uxorum vel naturali, vel divino jure sit prohibita.

THOMAS Cajetanus accusatur ab Ambrosio, Compsae episcopo, quod in Commentariis Matthaei hunc locum excutiens, innuat pluralitatem uxorum eodem tempore, nec naturali jure, nec divinis legibus unquam fuisse interdictam. Sunt autem verba, quae hujusmodi praebent suspicionem, talia: ADVERTE, quod hinc Innocentius Tertius, Extra de divortiis, capite Gaudeamus, accipit, quod non licet habere plures uxores: nam si liceret habere plures uxores: qui, dimissa non fornicaria, acciperet aliam, non moecharetur; sed conjugio cum secunda uteretur: in textu autem dicitur, quod moechatur: & nisi Marcus apposuisset, IN EAM: scrupulo careret Innocentii argumentum. Ambrosius libro quinto Annotationum Cajetano impingens, quod etiam alibi clarius hoc dogma professus sit, Innocentii argumentum defendit, hoc modo scribens: INNOCENTII Papae Tertii, viri sanctissimi ac doctissimi, invictissimum est argumentum: ipse enim uxorum pluralitatem damnans, & interdicens etiam paganis conversis (qui ante, quam ad fidem venerunt, sic erant juxta suas ipsorum leges conjuncti) sic ait: Absonum hoc videtur, & inimicum fidei Christianae, cum ab initio una costa in unam foeminam conversa sit, & Scriptura testetur, Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhaerebit uxori suae; & erunt duo in carne una. Non dixit, Tres, vel Plures, sed, Duo: nec dixit, Adhaerebit uxoribus, sed, uxori. Et infra, NEC ulli unquam licuit insimul plures habere uxores, nisi cum fuit divina revelatione concessum (qui mos quandoque fas esse censetur) per quam sicut Jacob a mendacio, Istaelitae a furto, & Sampson ab homicidio, sic & Patriarchae, & alii viri justi, qui plures simul leguntur habere uxores, ab adulterio excusantur. Sane veridica haec sententia probatur etiam testimonio veritatis, testantis in Evangelio, Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, moechatur. Si vero, uxore dimissa, duci alia de jure non potest, fortius & ipsa retenta: per quod evidenter apparet pluralitatem in utroque sexu, cum non ad imparia judicentur, reprobandam. Haec ille in capitulo Gaudeamus, de divortiis. Nec valet, quod occurrens cardinalis huic argumento ait, quod id, quod ait Matthaeus, Moechatur, absolute suppletur a Marco, qui ait, Moechatur in illam. Sed quid hoc ad rem? an quaeso, qui moechatur in uxorem suam, propterea non moechatur? aut qui moechatur, non moechatur in uxorem suam? Hic erat nervus argumenti Innocentii: quod si plures liceret uxores habere; profecto qui etiam, dimissa prima, alteram duceret, non moecharetur, nec moecharetur in eam, quia jure suo uteretur, & si malum fecisset in eam dimittendo illam. Efficax igitur argumentum Innocentii, & onerosa responsio reverendissimi est, sicut in Melissum dixit philosophus. Haec Ambrosius.

Marc. 10. 11.

Genes. 2. 24.

Matth. 19. b

Julius Caesar legem fieri jussit, qua liceret liberorum quaerendorum gratia tot uxores accipere quot quisque ducere vellet.

XVI. *Marci X. Ad Romanos VII.* &c. bene librata. Ad majorem autem notitiam legesis Polemicos, Scholasticos, & Interpretes Sacrae Scripturae, praesertim S. Thomam *supplem. ad 3. p. qu. 62. art. 1.* Alphonsum Tostatum in *Caput XIX. Matth.* Alphonsum de Castro *Contr. Haer. V. Matrim.* Guillelmum Estium *IV. Sent.* Dist. XXXV. N. Natalem Alexandrum Theol. Dogmat. Mor. *de Sacr. Matrim. Art. VII. Prop. 2.* Gasparem Juenin *Dissert. X. de Matrim. Qu. 4. §. 2.* Consulantur itidem Patres ea de re agentes (quos etiam, & plures alios, laudant praelati Theologi) praesertim S. Augustinus in utroque *lib. de adulterinis conjugiis*, item *de bono conjugali capp. 7. 21. & 24. de Sancta Virginitate Cap. 11.* Item *de nuptiis, & concupiscentia cap. 10.* & alibi, S. Hieronymus loc. ab Authore indigitato, & in *Epistol. ad Amandum*, & *Commentar. in Cap. XIX. Matth.* S. Joh. Chrysostomus Homil. *XVII. in Matth.*, & S. Ambrosius *in Luca XVI.*

Adversus Lutheranos autem, & Calvinistas consule etiam novissima decreta Florentini in *decreto unionis*, & Tridentini *Sess. XXIV. Can. VII.* ab Authore laudato. Verum eo in Canone observandum est, quod idcirco Tridentinum directe anathemate non perculit eos, qui adstruebant solvi matrimonium, per conjugis adulterium, ac propterea dimissae uxori, ac dimittenti marito fas esse ad alias nuptias transire, sicut jam paratus erat Canon: quia, ut refert Card. Pallavicinus *Lib. XXII. Histor. Trident. cap. 4. n. 27.* temperatus fuit Canon prius procusus; & promulgatus fuit uti nunc extat, instantibus Serenissimae Reipublicae Venetae Oratoribus propter Graecos suae ditioni subjectos, qui cum in eo manerent errore de solutione matrimonii ob uxoris adulterium, & existimarent saltem innocentem posse ad alias nuptias convolare, facillime desae[illegible] essent, si anathemate fuissent perculsi. Contra errores autem recentiorum Graecorum praesertim legendus est Petrus Arcudius *Concord. Orient. & Occident. Eccles. lib. VII. cap. 21.*

LIBET

LIBET huc obiter annuntare, quod cum apud Ecclesiasticos auctores, praesertim eos, qui de haeresibus scripserunt, perquirerem, quis praedicti dogmatis inter Christianos fuisset auctor, neminem inveni, qui id asseruerit praeter unum Valentinianum Imperatorem: qui, ut refert Socrates libro quarto Ecclesiasticae historiae, licet de Trinitate bene sentiret, ac in caeteris Catholicas teneret sententias; in hoc tamen a rectitudine fidei declinavit: nam, cum uxorem haberet Severam, vel, ut alii legunt, Serenam, e qua susceptum Gratianum Augustum jam adolescentem creasset; retenta illa, duxit & Justinam, Justi filiam, formae virginis captus, lege etiam lata, ut geminas simul uxores habere cuique liceret. Natus est autem ex hac Justina Valentinianus junior; qui postea cum Gratiano, & Valente Augustis, & ipse Augustus imperavit. (a)

ANNOTATIO LXXXIII.

Qui potest capere, capiat. Matth. 19. 1

Num liceat Christianis bellum gerere.

ORIGENES tractatu in Matthaeum ex his, quos nunc habemus, septimo, sic scribit: RESPONDIT Jesus, Qui non habet, vendat vestimentum suum, & emat gladium: si quis ergo literam volens aspicere, & non intelligens voluntatem verborum, vendiderit vestimentum corporale, & emerit gladium; talis contra voluntatem Christi suscipiens verbum ejus, peribit: de qua autem gladio dicat, non est hujus loci exponere. Erasmus in Annotationibus capituli vigesimi secundi in Lucam satis perperam astruit Origenem fuisse in ea sententia, ut non liceat Christianis ullo modo belligerare: idque etiam ait sensisse eum libro adversus Celsum secundo. Sed de his vide infra Annotationem 156.

AN-

(a) Quod N. Xystus adserit de simultanea polygamia Valentiniani Imperatoris, deque lege idcirco ab eo lata, ad fabulas est amandandum, sed non vitio N. Authoris vertendum, qui ex Socrate *lib. IV. Histor. Cap. 32.* rem totam mutuatus tradidit nobis: Reapse itidem Valentinianum hanc legem edidisse, & Severae Justinam superinduxisse tradunt etiam Johannes Albertus Fabricius *in Bibliographia fol.604.* (fortasse ut Lutheri facinus excusaret ex parte) Nicolaus Vedelius *lib. De prudentia Vet. Eccles. p. 229.* & Christfridus Waechesterus *in Epist. ad D. Joh.Burchardum Menkenium* in Actis Eruditorum Lipsiae *Tom.V. suppl. p.168. seq.* (eodem certo certius ex momento) Verum vindicandum fore tam insignem Caesarem ab ei impacta a Socrate calumnia, atque a Protestantium criminatione, probant eminenter nostri Critici omnes, quia altum Patrum, ac Historicorum omnium de utraque re silentium, praecipue Ammiani Marcellini Ethnici Scriptoris, qui accurate Valentiniani gesta narravit, oppositum luculenter ostendit. Nec certe Damasus, qui tunc in Petri Throno sedebat, siluisset, sed adversus tam scelestum opus, ac tam perversam legem declamasset, ne & ipse criminis reus foret, qui ita errantem ab errore non retrahebat, juxta monitum Leonis M. R. P. *epist. ad Thuribium Asturicensem Episcopum* „ Qui alium „ ab errore non revocat se ipsum errare demon„ strat. „ quod etiam apertius docuit Felix PP. III. *epistola ad Acacium Constantinopolitan.* „ Error, cui „ non resistitur, approbatur: & veritas, quae mi„ nime defensatur, opprimitur. Nec caret scrupu„ lo societatis occultae, qui facinori desinit obvia„ re. „ Justinam igitur sibi matrimonio copulavit Valentinianus Senior, sed mortua Severa, cui nupserat prius. Videsis Card. Baronium ad *An.Christi 370.* Henricum Valesium *not. ad Socrat.* N.Natalem Alexandrum *Hist. Eccl. Sec. IV.* Gasparem Juenin *Commentar. Hist. dogmatic. de Sacr. Matrim. Dissert.&c.* & alios Catholicos. Ex Heterodoxis autem videri potest Melchior Zeilderus *Tract. de Polygamia p.117. 59.* ubi strenue Baronium vindicat, & Valentinianum ab impacto crimine absolvit. Consuli etiam potest Samuel Basnagius, qui etiam pluribus momentis confictam Valentiniani polygamiam ventilat, & Baronio auxiliares porrigit manus *Tom. III. Annal.Polit. Eccles. fol. 50. §. IV.* Sed quisnam fuerit primus, qui simultaneam polygamiam, uti licitam, aut docuerit, aut permiserit? si fortasse scire exoptas: extra omnem dubietatis aleam eos dumtaxat reperies, qui novissimis hisce temporibus adversus Romanam Ecclesiam, ejusque communionem insurrexerunt. Theodorus Beza, qui Calvino in Cathedra Gebennensi successit, non inficiatur ex hisce aliquos fuisse hujusce sceleris, ac commenti patronos, dum refert eos, qui contra veritatem, quam semper tenuit Ecclesia Christi de unica uxore retinenda steterunt, inquit *Tract.de Polygam.* „ Contrarium nemo unquam „ callidius, vel impudentius defendit, quam im„ purus ille Apostata Bernardinus Ochinus, qui„ busdam dialogis a bono illo viro Sebastiano Ca„ stellione Latine conversis, quibus primum respon„ debo, &c. „ Verum quamvis Ochinus de Polygamia, & pro ejus licito usu ex professo scripserit, ubi alii ejusdem furfuris incidenter dumtaxat in eam ivere sententiam: primus tamen, qui facto, & consultatione scelus tam detestabile commendavit, is certe fuit Martinus Lutherus, qui adscitis sibi aliis suae communionis Magistris, nimirum Martino Bucero, Philippo Melancthone, Antonio Corvino, Adamo, Johanne Levingo, Justo Wintferte, & Dionysio Melanter votum edidit, consiliumque praestitit Principi Philippo Lantgravio Hassiae Comiti, ut, adhuc legitima vivente conjuge, alteram sibi desponsaret conjugem, quod ille publico solemnique instrumento perfecit, adscita sibi in uxorem Margareta Jaal, ut constat ex probatis authenticisque monumentis, quae publici juris fecit Carolus Ludovicus Palatinus Comes, necnon Princeps Ernestus Hassiae ex Philippi Hassiae Lantgravii posteris: quae omnia monumenta legere est apud Cl. Jacobum Benignum Bossuet ad calcem *Lib. VI. Histor. Variat. Eccles. Protest.* Quae autem *loc. cit.* Fabricius in medium profert monumenta ad probandum etiam a Romanis Pontificibus fuisse indultam Polygamiam simultaneam ex eisque excusare contendit (si superis placet) Lutherum a crimine, quod negare non potest, ad fabulas, & commenta sunt amandanda, ut notum est cunctis.

ANNOTATIO LXXXIIII.

Talium est enim regnum coelorum. Matth.19.d

AUCTOR Operis imperfecti homilia 32. in fine, sic scribit: CAUSA sanctificandarum escarum haec est, quoniam mundus totus in maligno positus est: ergo & omnis res corporalis, quoniam mundi est pars, in maligno est posita, & ipsam oportet sanctificari. Petrus, Cretae episcopus, in 2.Sententiarum, in quaestione De malo, inquit, hunc locum sub nomine Chrysostomi adduci solitum ab his, qui juxta Manichaei dogma mundum hunc natura malum, & a malo principio conditum asserebant: subditque interpretandum esse hoc dictum non juxta naturam mundi, quae bona est, & a bono auctore profecta; sed juxta malignitatem eorum, qui mundi bonis male utuntur.

Num omnis res corporea sit mala.

ANNOTATIO LXXXV.

Dicit illi adolescens, Omnia haec custodivi a juventute mea. Matth.19.e

BASILIUS in fine concionis, quam in hunc habuit locum, videtur explodere consuetudinem eorum, qui morientes praecipiunt sibi de facultatibus, in morte relictis, fieri post mortem suffragia: quippe sic loquitur: NE erretis. Deus non subsannatur: quod mortuum est, ad altare non adducitur: vivam, air, affer hostiam tuam, qui ex reduudanti offert, non admittitur: superflua & rejecta, si offerantur, carent gratia. At tu, quae post omnem vitam tuam tibi superfuerint, benefactori tuo offeres? si non audes praeclaros homines reliquiis mensae excipere: quomodo audes Deum reliquiis placare? Animadvertit hunc locum Joannes Damascenus; ejusque rectam intelligentiam aperuit in sermone De cura pro mortuis agenda, scribens ad hunc modum: BENE magnus ille Basilius & loquitur, & docet: sed vide, ad quos, nempe ad avaros, ad raptores, ad eos, qui nec foedus, neque misericordiam noverint, ut ipse testatur, dicens: Lapideo cordi loquimur: & quandiu vixisti, deliciis, voluptatibusque deditus eras; & diffluebas, non ferens, ut te pauperes vel aspicerent: mortuo te, qualis, puta, merces? quis fructus operi tuo dabitur? Et iterum, VICINA domus meam tenebrosam facit: & avarus neque veretur tempus, neque cognoscit terminos; sed velut ignis, omnia invadit, & depopulatur, &c, velut rapidus impetuque ruens amnis, injecta secum trahit: & caetera his similia, nota omnibus diligenter intendentibus sanctissimo illius libro. Ex quibus liquidum, quod ad eos, quibus nulla pauperum cura est, sermo elaboratus sit. Haec Damascenus pro Basilio, quem & ipse credo noluisse his verbis adimere vim suffragiorum, quae sibi fideles post mortem facienda curaverint; sed ea magis commendare voluisse, quae sibi quisque fecerit, dum vivit.

Num de facultatibus in morte relictis suffragia sibi post hanc vitam parare liceat.

ANNOTATIO LXXXVI.

Vade, & vende omnia, quae habes, &c. Matth.19.e

THOMAM Cajetanum in explanatione hujus periodi confutat Ambrosius Compsae, quod de votis religiosorum male senserit. Sic enim scribit libro Annotationum secundo: ILLUD omnino improbandum, atque explodendum censui, quod Cajetanus in caput Matthaei decimum nonum ait: Attende prudens Lector, quod nullum indicitur votum a Jesu volenti vitae perfectionem assequi: quia non in vinculis votorum, sed in operibus consistit perfectionis assecutio. Apud Lucam quoque capite decimo quarto ita scribit: RENUNCIARE omnibus, quae possidemus, mandatur a Christo, tanquam profitentibus Apostolicae vitae perfectionem: & intelligo renunciare, facto, quicquid sit, de voto: illa enim est vera renunciatio, quam in Actis Apostolorum legimus, & in S.Patribus

De votis Monasticis.

bus antiquis, Ambrosio, Antonio, Paulo, Benedicto. Haec ibi & alibi eadem confirmat, quae manifeste Lutheraoam & Erasmicam doctrinam adjuvant: quare funditus evertenda sunt. Primo igitur contra haec est Augustini sententia, qui de Apostolis ita scribit: DIXERANT enim potentes illi, Ecce nos reliquimus omnia, & securi sumus te. Hoc votum potentissimi voverant: sed uode hoc eis? nisi ab illo, de quo continuo hic dictum est, Dans votum voventi? Beatus Gregorius super Ezechielem ita docet: CUM quis omne, quod vivit, omne, quod sapit, omnipotenti Deo voverit, holocaustum est; idque ad eos pertinere, qui praesens saeculum deserunt: qui ergo negat hoc Apostolos factitasse, etiam negat eos saeculum dereliquisse. (a)

S. Gregorius Hom XX in Ezechielem.

ANNOTATIO LXXXVII.

Exiit primo mane conducere operarios in vineam suam, &c. ***Matth.20. a***

Num a Deo vocati ex meritis vocentur.

CHRYSOSTOMUS homilia in Matthaeum quinquagesima sexta, quaerens, cur non statim ab initio omnes operarios in vineam conduxit, ita quaestioni respondet, ut videatur vocationis divinae gratiam, quae gratis datur, voluntati & fidei vocatorum adscribere his verbis: OMNES quidem ille ab initio conduxisse voluisset, sed a voluntate vocatorum haec differeotia resultavit: idcirco alii mane, alii tertia, alii sexta, alii nona, alii undecima hora vocantur, quia tunc obtemperaturi erant: quod & Paulus aperte significavit, dicens: Quando autem visum est Deo, qui me segregavit ex utero matris meae. Quando autem ei visum est? quando certe obtemperaturus erat: nam ipse a primis etiam incunabulis voluisset: sed quia illum reoixurum sciebat, tunc voluit, cum animum ipsius penetraturum vocationem oon ignorabat: sic & latronem cum postea vocavit, potuisset antea ipsum vocasse; sed vocatus ille oon paruisset: nam si Paulus ab initio non paruisset, multo minus ipse latro.

Ad Gal. 1. 15.

HAC EADEM quaestionis solutione, iisdem peoe exemplis & verbis saepissime a Chrysostomo repetita, usus est olim Augustious in libro Sex quaestionum contra Paganos, quaestione secunda: ubi respondens Porphyrio, percontanti, cur Christus prioribus saeculis oon venerit vocare omoes homines ad viam salutis, & veritatem, sic ait: Hoc solum brevitatis gratia in hujus quaestionis solutione dicamus, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos praedicari doctrioam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant creditur. His enim temporibus, & his locis, quibus Evangelium non est praedicatum, tales omnes in ejus praedicatione futuros esse praesciebat, quales multi in ejus corporali praesentia fuerunt, qui in eum, nec suscitatis ab eo mortuis, credere voluerunt.

HANC responsionem postea reprobans Augustinus in libro De bono perseverantiae cap. 9. & in 2. libro Retractationum capite 31. in secunda quaestione ait: QUOD dixi, non ideo dixi, tanquam ex meritis suis quisquam vocatione dignus fuerit; sed quemadmodum ait Apostolus, Non ex operibus, sed ex vocante dictum esse, Major serviet minori: quam vocationem ad Dei propositum asserit pertinere, non secundum opera nostra, sed secundum propositum & gratiam suam, & unde item dicit: Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti: de qua vocatione ait, Ut dignos vos habeat vocatione sua sancta. Quaere infra elucidationem sententiae Chrysostomi Annotat. 251.

Rom. 9. 12.

Rom. 8. 28.

AN-

(a) Circa majorem perfectionem ex voto resultantem legendus est Angelicus Doctor 2. 2. *Quaest. LXXXVIII. Art.* 8. Idem quoque S. Doctor ibidem *Qu. CLXXXV. Art. 6.* legendus est ad intelligendum Christi consilium de paupertate servanda Apostolis traditum: ex quo pariter illustratur, quod idem S. Doctor ibidem *Qu. LXXXVIII. Art. 3. ad* 4. docet de Apostolis, qui relictis omnibus secuti sunt Christum. Dictum vero Augustini legere est *lib. XVII. De Civit. Dei cap.* 4. Legesis nostras Vindicias Regularium ad pleniorem rei intelligentiam.

ANNOTATIO LXXXVIII.

Dicit Dominus procuratori suo, &c. *Matth.* 20. *b*

AUCTOR Operis imperfecti homilia 34. in Matthaeum, scribit, Patrem & Filium nec ejusdem esse dignitatis, nec ejusdem substantiae, in his verbis: DICIT procuratori suo: cui procuratori? sine dubio Filius dicit Spiritui Sancto: & si volueris, concedo tibi, ut Pater Filio dicat: non quaero, utrum Filius sit Patris procurator, aut Spiritus Sanctus Filii: sed hoc dico, quia procurator domus, & paterfamilias nec ejusdem substantiae possunt esse, nec una persona esse, nec aequalis dignitas. Si ergo alter paterfamilias, alter procurator patrisfamilias: quomodo locum habeat Trinitas tua? si autem ejusdem substantiae iste est, & est minor; injuriam facit substantiae: si vero non aequalis dignitas; ubi est una substantia? (a) De Trinitate

ANNOTATIO LXXXIX.

Voca operarios, & redde illis mercedem suam. *Matth.* 20. *a*

JOANNES FERUS libro tertio Commentariorum in Matthaeum, post expositionem hujus loci haec intulit verba: DOCET haec parabola gratiam esse, non debitum, quicquid a Deo nobis datur: omnes enim justitiae nostrae, tanquam pannus menstruatae, imo ne ipsae quidem passiones hujus temporis sunt condignae ad futuram gloriam: quod si aliquando mercedem audis polliceri; scias non ob aliud esse debitum, quam ex promissione divina. Gratis promisit, gratis reddit: si igitur Dei gratiam, & favorem conservare cupis, nullam meritorum tuorum mentionem fac. Hieronymus, Veronae episcopus, in Commentariis epistolae ad Hebraeos Ferum taxat, quod in hoc, & in plerisque aliis locis evertat merita bonorum operum, & illas duas rationes merendi, quarum alteram divus Thomas in prima secundae, quaestion. 114 articulo tertio, vocat de congruo, alteram de condigno. Opinor Feri verba deflecti posse ad eum sensum, quo supra ex doctrina ejusdem divi Thomae exposuimus sententias aliquot Augustini, Basilii, & Bernardi. Consule Annot. 195. 199. & 217. libri quinti. De meritis bonorum operum. Isai. 64. 5. Rom. 8. 18.

ANNOTATIO XC.

Erunt primi novissimi, &c. *Matth.* 20. *c*

AUCTOR Operis imperfecti in fine homil. 34. innuere videtur sanctorum animas nondum frui visione foelicitatis divinae, sic loquens: AUT ideo primos dicit novissimos futuros, &c. Vide infra Annotationem 345. Fruitio beatorum.

ANNOTATIO XCI.

Accessit ad eum mater filiorum Zebedaei. *Matth.* 20. *d*

HILARIUS canone in Matthaeum 20. tradit Mosen nondum esse mortuum, sed vivere usque ad tempus Antichristi; in quo simul cum Helia Propheta occidetur. Verba ejus sic habent: CHRISTUS, assumptis Petro & Jacobo & Joanne, apparuit cum gloriae suae habitu, Mose & Helia in monte comitantibus: & hos quidem eosdem Prophetas duos, praevenientes adventum ejus, intelligimus, Moses an mortuus sit.

(a) Quia pluries Author *Operis imperfecti* in medium producitur ab Authore, ne vel levis scrupulus lectoris animum invadat, meminerit quaeso, quod a N. Xysto refertur hic saepius, tanquam plurium errorum coacervator, quem propterea non semper impugnat, quia sufficit ei, vel semel indicasse graecam fidem Authoris morbo regio interius exteriusque correpti, ut de Rufino olim Hieronymus inquit. Neque nobis idcirco cura insidet semper eum ventilandi, quum etiam ubertim ejus conditionem deteximus: quapropter ex dictis confutatus toties ejus error censeatur quoties occurrerit, ne eandem lapidem saepius sine caussa revolvamus.

Apoc. 11. 7. quos Apocalypsis Joannis ab Antichristo perimendos esse dicit; licet varie vel de Enoch, vel de Jeremia plurimorum exstiterint opiniones, quod alterum eorum sicut Heliam mori oporteat: sed non possumus veritatem fidei, quam Dominus tribus superioribus testibus revelavit, sensus nostri opinione corrumpere, neque alios venturos existimare, quam qui ad sponsionem fidei venisse conspecti sunt. Et quanquam ultra Evangelicam veritatem non necesse sit opinari: tamen si quis conditionem & mortis, & sepulcri Mosi diligenter adverterit; si & secretarum Scripturarum, secundum Apostoli auctoritatem, cognitionem adeptus sit; intelliget omnia ita esse tractata, ut Moses potuerit jam videri. Ambrosium hoc idem sensisse constat ex his, quae supra annotata sunt, Annotatione 61. libri quinti. (a)

ANNOTATIO XCII.

Et tertia die resurget. Matth. 20. d

De filio Dei. AUCTOR Operis imperfecti homilia 35. Arrii dogma & voces amplecti videtur, appellans filium Dei, Deum ingenitum de Deo ingenito. Ejus verba haec sunt: SED & post tres dies resurget in animabus credentium sibi, cum tres dies fuerunt consummati in eis; prima dies Pater, secunda dies Filius, secundum

Psal 95. 2. quod dictum est in Propheta: Annunciate de die in diem salutare ejus: quis est autem dies alius de die, nisi ingenitus Deus de ingenito Deo? consequenter & Spiritus Sanctus tertia dies est, quoniam his tribus illuminantur corda credentium.

ANNOTATIO XCIII.

Calicem quidem meum bibetis. Matt. 20. e

De Joannis Evangelistae interitu. CHRYSOSTOMUS homilia in Matthaeum 66. refert Joannem Evangelistam, quem multi gravissimi auctores adhuc vivere scripserunt, violenta morte obtruncatum obiisse. Ita enim introducit Christum ad filios Zebedaei loquentem: CALICEM quidem meum bibetis: magna vobis bona praedico: martyrii enim corona potiemini, & violenta morte, sicut & ego, a vita decedetis, & in his mihi communicabitis. Et homilia in epistola ad Hebraeos vigesima septima, super il-

Ad Heb. 11. 35 lud verbum, Alii distenti sunt, &c. describens genus martyrii ac mortis amborum, inquit: IN HOC loco videtur mihi Joannem & Jacobum significare: distensio quippe dicitur decollatio; nisi forte per Joannem intellexerit Baptistam ab Herode decollatum. Certe Euthymius in Commentariis testatur, Chrysostomum non solum in praesenti homilia, sed etiam prima & secunda homilia in Evangelium Joannis docuisse, Evangelistam in Asia occisum. Georgius Trapezuntius, locum hunc ex homilia in Matthaeum citans, in libro de Joanne, adhuc vivente, ait, Chrysostomum loqui de martyrio ac violenta morte, quam Joannes una cum Enoch & Helia in fine saeculi praedicans poenitentiam, passurus est sub ultima Antichristi persecutione. (b)

AN-

(a) Consule quae adnotavimus supra pluries ea de re agendo.

(b) Graeculorum quorundam opinio, seu potios, delirium fuit Johannem Evangelistam in devexa aetate fuisse violenta morte sublatum e mundo; & quidem ex errore processit commentum eorum, ex non percepta PP. phrasi, neque ex Historia bene pensata. Veteres quidem omnes Polycrates, Irenaeus, Tertullianus, Augustinus, aliique una voce fatentur Johannem Doctorem, & Martyrem; verum non alio martyrii genere laureatum eum asseruot, quam quod Romae ante portam Latinam perpessus, divinitus fuit a morte servatus: quum, nimirum, „ A Domitiano missus in ferventis olei dolium pu„ rior, & vegetior exiverit, quam intraverit „ ut ex Tertulliano *de Praescript. cap. 36.* tradit etiam Hieronymus *lib. 1. advers. Jovinian.* & alibi, Consule itidem *Euseb. Hist. Eccles. Lib. 3. cap. 18.* Quare quae ex Chrysostomo hic ab Authore laudato referunt, & ex ceteris PP. in medium proferuot, longe abeunt a vero, aliudque certe Chrysostomus insinuat, ut etiam Xystos adnotavit. Sicut etiam Evangelistam Johannem grandaevum Ephesi in pace obiisse tradunt quotquot prioris, ac posterioris aetatis Ecclesia recipit Patres, Polycrates epist. ad Victorem R. P. apud Euseb. *lib. 3. Hist. cap. 25.* Tertullianus ubi sup. Origenes apud Eusebium ibid. *cap. 1.* & *Tom. 3. comment. in Genes.* Hieronymus, Augustinus, Gregorius Turonensis, aliique innumeri consulendi apud Card. Baron. in *notis ad Martyrol.* & in *Appar. ad Annal.* & Franciscum Florentinium *Exercit. III. de Johann. Apost. Assumpt.* Ea iridem de re infra redibit sermo, quum agendum erit de Johanne adhuc superstite.

ANNOTATIO XCIIII.

Non est meum dare vobis. Matth. 20. e

AUCTOR Operis imperfecti homilia in Matthaeum 35. negat Filium esse Patri coaequalem, & consubstantialem his dictis: QUID ergo mentitus est Christus, dicens, Non est meum? non: omnis enim, qui habet potestatem, si acceptam habet ab alio, illius est vere, qui dedit: nam quid habebat Filius proprium, cum ipse non esset suus, sed Patris? ergo inter eum, cujus non est, nec persona una est, nec aequalis potestas. Si enim unus Deus & Pater, & Filius, aut certe potest, aut certe non potest: quis vidit talem unum Deum coelestem colere, qui in dimidio potens est, & in dimidio impotens? aut quis illos putet aequales, quorum non est aequalis potestas? De Trinitate

ANNOTATIO XCV.

Et ejiciebat vendentes, & ementes. Matth. 21. b

AUCTOR Operis imperfecti homilia 38. existimat, omnes mercatores de Ecclesia abjiciendos, & praesertim eos, qui res emunt, non ut in his opificium exerceant, sed ut eas charius vendant. Loquitur autem hoc modo: NULLUS Christianus debet esse mercator: aut, si voluerit esse, projiciatur de ecclesia. Et infra, EGO ostendam tibi, qui non est negociator; ut qui secundum regulam istam non fuerint, intelligas omnes negociatores esse: id est, quicunque rem comparat, non ut ipsam rem integram & immaculatam vendat, sed ut opus faciat ex ea, ille non est negociator: quia qui materiam operandi sibi comparat, unde faciat opus; ille non rem ipsam vendit, sed magis artificium suum: id est, qui rem vendit, cujus aestimatio non est in ea ipsa re, sed in artificio operis; illa non est mercatio: ut puta faber comparat ferrum, & facit ferramentum, sed ferramentum illud non tantum habet ferri, quantum valet; sed secundum opus ferramenti appreciatur: qui autem comparat rem, ut illam ipsam integram & immutatam dando lucretur; ille est mercator, qui de templo Dei ejicitur. Divus Thomas in secunda secundae, quaestione 77. annotans hunc locum tanquam Chrysostomi, ait eum non intelligendum esse de omni mercatorum genere, sed de his tantum, qui ultimum totius negocii finem in lucro constituunt: potest enim & ipsum quoque lucrum licite a mercatoribus appeti, non ut ultimus finis, sed ob alium necessarium & honestum finem: & ad hunc quoque sensum, inquit esse referendum, quod Cassiodorus protulit adversus negociatores in expositione Psalmi 70. Vide supra Annotat. 187. libri quinti. An Christianis mercaturam exercere liceat.

ANNOTATIO XCVI.

Osanna filio David. Matth. 21. b

HILARIUM, canone 21. in Matthaeum hoc exponentem, notat Hieronymus in libello ad Damasum, quod ob imperitiam Hebraicae linguae Osanna interpretatus sit, Redemptio domus David: cum Hebraeis id, quod constat פרות pheruth, redemptio dicatur: tum domus בית beth: David vero eadem vox sit apud Hebraeos, quae apud Graecos, & Latinos. Indicat autem hunc locum sumptum ex Psalmo 117. in quo praeter alia, quae manifeste de Christo dicta reperiuntur, hoc quoque legitur: O DOMINE salvum me fac: o Domine bene prosperare: benedictus, qui venit in nomine Domini. Porro pro eo, quod habetur in Septuaginta interpretibus O Domine salvum me fac, in Hebraeo legitur אנא יהוה הושיעהנא Anna Jehova oscihanna; quod manifestius interpretatus est Symmachus, dicens, Obsecro, Domine, salvum me fac: obsecro siquidem הושיעה osciha salvifica significat; & נא na interjectio est apud Hebraeos velut efflagitantis aut obtestantis. Osanna quid significet. Psal. 117. 25.

testantis. Ambrosius ad eundem fere modum Osanna interpretatur, quo Hilarius. Euthymius exponit hymnum, sive laudem: aitque tantundem esse, Osanna filio David, ac si dicas, Hymnus filio David.

ANNOTATIO XCVII.

Et peregre profectus est. Matth. 21. *f*

De subtractione gratuiti auxilii.

THOMAE Cajetani expositionem Ambrosius Annotat. lib. 2. reprehendens; IN Parabola, inquit, vineae, quod exponit, peregrinationem esse subtractionem gratuiti auxilii, servantis illos a malo, puto falsum ac periculosum: quoniam si hoc fecisset, injuste fructus peteret. Et in aliis parabolis, quamvis peregre profecto Domino, reddunt tamen illi lucrum talentorum, & minarum: quod non esset, si talis peregrinatio id significaret, videlicet subtractionem auxilii divini.

ANNOTATIO XCVIII.

Hic est haeres. Matth. 21. *f*

Judaei an agnoverint Christi deitatem.

STRABUS in glossa praesentem clausulam sic exponit: PATET ex verbis his, Judaeorum principes non per ignorantiam, sed per invidiam Dei Filium crucifixisse. Intellexerunt enim eum esse illum, cui Pater per Prophetam dicit, Po-
Psal. 2. 8. stula a me, & dabo tibi gentes haereditatem tuam. Divus Thomas in tertia parte Summae, quaest. 47. art. 5. hunc locum, sub nomine Hieronymi adductum, an-
1. Cor. 2. 8. notat ceu repugnantem Apostolo, ad Corinthios dicenti, Si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent. Deinde repugnantiam hujusmodi tollens, ita scribit: DICENDUM est, quod illa verba, Hic est haeres, dicuntur non ex persona totius populi Judaeorum, sed ex persona colonorum vineae, per quos significantur rectores illius populi, qui eum cognoverunt esse haeredem, in quantum cognoverunt eum esse Christum promissum in lege. Sed contra hanc responsionem esse videtur, quod illa verba Psalmi, Postula a me, & dabo tibi gentes hae-
Psal. 2. 7. reditatem tuam, eidem dicuntur, cui dicitur, Filius meus es tu; ego hodie genui te. Si ergo cognoverunt eum esse illum, cui dictum est, Postula a me, & dabo tibi gentes haereditatem tuam; sequitur, quod cognoverint eum esse filium Dei. Chrysostomus etiam ibidem dicit; quod cognoverunt eum esse filium Dei. Beda etiam super illud Lucae 23. Quia nesciunt, quid faciunt, NOTANDUM, inquit, quod non pro eis orat, qui quem filium Dei intellexerunt, crucifigere, quam confiteri, maluerunt. Sed ad hoc potest responderi, quod cognoverunt eum esse filium Dei non per naturam, sed per excellentiam gratiae singularis. Possumus autem dicere, quod etiam verum Dei filium cognovisse dicuntur, quia evidentia signa hujus rei habebant: quibus tamen assentiri, propter odium & invidiam, noluerunt, ut eum cognoscerent esse filium Dei. (a)

AN-

(a) Glossa, quae a N. Xysto dicitur Strabi, a Cl. N. Joh. Nicolai *not. margin. ad text. S. Th. 3. p. q. 47. art. 5.* adjudicatur Rabano, qui ex Ven. Beda *in cap. 23. Lucae* hoc docuit. Homilia vero XL. ab eodem Xysto tributa S. Johanni Chrysostomo ex communi Theologorum calculo restituenda est Authori operis imperfecti, quod certe indignum est Chrysostomo opus, estque alterius obscurioris posteriorisque aetatis, ut non semel est adnotatum. Tandem liber Quaestionum in vetus, & novum Testamentum, ut universim Eruditi adnotant, non est M. P. Augustini, sed partim spectat ad Hilarium Sardum Diaconum Romanae Ecclesiae, partim ad alios: de qua re praesertim consulendi sunt PP. Benedictini Tom III. oper. S. Augustini *in Appendice*.

Lubet autem hic ad majorem Theologicae veritatis notitiam transcribere doctrinam S. Thom. *loc. cit.* ab Authore, *in Argumento sed contra*. Ibi enim ita docet Angelicus „ Sed contra est, quod dicitur „ 1. ad Cor. 2. *Si cognovissent, nunquam Dominum* „ *gloriae crucifixissent*. Et Actor. III. dicit Petrus „ Judaeis loquens: *Scio, quia per ignorantiam feci-* „ *stis, sicut & Principes vestri*. Et Dominus in cru- „ ce pendens dicit: *Pater dimitte illis, non enim* „ *sciunt quid faciunt*. „ Deinde in Corpore articuli subdit „ Respondeo dicendum, quod apud Ju- „ daeos quidam erant majores, & quidam minores: „ Majores quidem, qui eorum principes dicebantur, ut dicitur in lib. quaest. Ver. & Nov. Te- „ stam. sicut & doemones, cognoverunt eum esse „ Christum promissum in lege: Omnia enim signa „ videbant in eo, quae dixerunt futura Prophetae; „ mysterium autem Divinitatis ejus ignorabant, & „ ideo Apostolus dicit, *quod si cognovissent nun-* „ *quam Dominum gloriae crucifixissent*. Sciendum „ tamen, quod eorum ignorantia non eos excusabat a crimine: quia erat quodammodo ignorantia „ affectata: Videbant enim evidentia signa Divini- „ tatis

ANNOTATIO XCIX.

Multi sunt vocati, pauci vero electi. *Matth.* 22. *e*

THEOPHYLACTUS, hoc explanans, notatur ab Oecolampadio haeretico, ejus interprete, quod electionem Dei, quam Paulus divinae tantum gratiae tribuit, meritis electorum adscripserit in his verbis: MULTI sunt vocati, pauci vero electi. Pauci enim, qui salvantur, & qui digni, ut eligantur a Deo: ita ut Dei quidem sit vocare; electos autem fieri, vel non, nostrum est. Ostendit igitur, quod propter Judaeos dicta sit parabola: qui vocati quidem fuere, non autem electi, eo quod non audierunt. Vide infra Annotat. 251.

Electio an ex merito.

ANNOTATIO C.

Diliges Dominum Deum tuum. *Matth.* 22. *f*

AUCTOR Operis imperfecti homilia 42. ostendit Filium non esse Deum primum, sicut est Pater, his verbis: PRIMUM mandatum est, & magnum, Deum Patrem diligere: secundum autem & simile est, Dei Filium diligere, id est, cognoscere: ergo Filius Dei magnus est, sicut Pater: quicquid enim Pater potest, & Filius potest: Pater enim diligit Filium, & omnia dedit in manus ejus: sed quia omnia Filius, dante Patre, potest sicut Pater: ideo Pater magnus Deus, & primus: Filius autem magnus Deus quidem, non tamen primus: sicut ait, Expectantes adventum magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi.

De Trinitate

Ad Tim. 2. 13

ANNOTATIO CI.

Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. *Matth.* 22. *g*

THOMAE Cajetani expositionem Ambrosius libro secundo, ceu Pelagianam, improbat his verbis: MANDATUM de proximo, de quo Dominus, Diliges proximum tuum, sicut te ipsum, ait non debere intelligi de dilectione ex charitate: & probat: quia hoc praeceptum praesupponit propriam dilectionem, quae potest impleri sine charitate, ut patet apud servantes praecepta omnia secundae tabulae sine charitate: & sic non praesupponit dilectionem ex charitate: non ergo praecipitur dilectio proximi ex charitate. Haec ille primo. At falsum est, quod ipse sumit, ut confessum, videlicet posse impleri praecepta secundae tabulae absque charitate & gratia Dei; imo secundum Augustini sententiam Pelagianum

Num praecepta secundae tabulae absq; Dei gratia possint impleri.

S. August. lib. de Haeresibus c. 38.

„ tatis ipsius; sed ex odio, & invidia Christi ea perverterant, & verbis ejus, quibus se Dei filium fatebatur, credere noluerunt. Unde ipse de eis dicit Joh. XV. *Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Et postea subdit: *Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Et sic ex persona eorum accipi potest, quod dicitur Job XXI. *Dixerunt Deo recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Minores, idest populares, qui mysteria scripturae non noverant, non plene cognoverunt ipsum esse nec Christum, nec filium Dei: licet enim aliqui eorum in eum crediderint, multitudo tamen non credidit. Et, si aliquando dubitaverunt, an ipse esset Christus, propter signorum multitudinem, & efficaciam doctrinae (ut habetur Jo: VII.) tamen postea decepti fuerunt a suis principibus, ut eum non crederent, neque filium Dei, neque Christum. Unde & Petrus eis dixit: *Scio quia per ignorantiam fecistis; sicut & principes vestri*; quia scilicet per principes seducti erant. „ Ex quo infert idem Angelicus infra respons. ad 3. argumentum, quod idcirco Majores Judaeorum & Christum, & Deum Crucifixerunt, quia eorum ignorantia erat affectata. „ Dicendum, quod ignorantia affectata non excusat a culpa, sed magis videtur culpam aggravare: ostendit enim hominem sic vehementer esse affectum ad peccandum, quod vult ignorantiam incurrere, ne peccatum vitet; & ideo JUDAEI peccaverunt non solum tanquam hominis Christi, sed etiam tanquam Dei crucifixores. „ Idipsum docuit *Lect. 2. in cap. II. Ad Corinth. I.* & *Opusculo LX. cap.* 18. ubi in fine da Minoribus, seu vulgaribus Judaeis loquens subdit „ Licet gravissime peccarent quantum ad genus peccati; in aliquo tamen diminuebatur peccatum eorum propter ignorantiam eorum. „ Propterea eos redarguit Apostolorum princeps, & crimini obnoxios eos dixit, etsi per ignorantiam deliquerint „ Vos autem sanctum, & justum negastis, & petistis virum homicidam donari vobis „ &c. Consule itidem S. Bernardum *Epistola ad Hugonem de S. Victore*, & reliquos Theologos, ac interpretes ea de re agentes.

lagianum est: nihil enim prohiberet etiam sine charitate impleri posse praecepta primae tabulae: quod & ipse Cajetanus faretur: & sic sine gratia & charitate posset impleri universa lex & Prophetae, & exundaret superfluo nobis Christus. At hoc ipsissimum Pelagii dogma est. Addidit secundum argumentum, & dicit, Hic praecipitur dilectio proximi ab exemplo dilectionis propriae, certae, & indubitatae, id est, sicut de facto diligis te ipsum: sed dilectio proximi ex charitate non est certa & indubitata. Haec ille. Et hoc item, quod sumit est falsissimum: quia non praecipitur nobis dilectio proximi, sicut nos de facto diligimus nosmetipsos; sed sicut rationabiliter tenemur diligere nosmetipsos: sic enim interpretari oportet verba legis, ne alioquin, si quis se perpetam de facto diligat, ut sunt operantes iniquitatem libenter, etiam mandatum acciperent sic diligendi proximum: quod est insanum fateri: nam & illud, Quaecunque vultis, ut faciant vobis homines, non sic intelligitur, quaecunque vultis de facto, sed quaecunque velle debetis rationabiliter deputando; ut ipsemet ibi exponit Cajetanus, & recte. Et quod tertio adjungit, ideo non praecipi dilectionem proximi ex charitate, quia superfluo praeciperetur, cum in mandato primo de dilectione Dei contineatur implicite, hoc est profecto, quod eleganter evertit suam expositionem: nam si in primo mandato continetur mandatum dilectionis proximi ex charitate; jam superfluit mandare, ut non ex charitate diligatur, cum sit satis, imo & plus, diligere ex charitate: non enim gratia destruit naturam, sed perficit. Adde, quod si primum mandatum de dilectione Dei intelligitur ex charitate; & hoc secundum dicitur simile illi, ut ait Dominus: certe similiter intelligi debet ex charitate: alioquin valde dissimile esset, & distaret, sicut distant a luce tenebrae. Vide ergo, ut passim decipitur, & in ipsis, quod dicitur, errat foribus. Sunt enim haec principia fidei nostrae: ipse enim & super Deuteronomii caput sextum, scribens, vult ambo haec praecepta, ibi tradita, Diliges Dominum Deum tuum, &c. non intelligi ex charitate. Quod si verum est, falsum ergo esset, quod ait Dominus, illud fuisse mandatum maximum: non enim esset maximum, quo daretur longe majus, videlicet diligere ex charitate. Item falso vitam aeternam promisisset facienti illud: sic enim dixit, Hoc fac & vives: & falsum esset, quod hinc universa lex & Prophetae penderent: & falsum, quod esset majus omnibus holocaustomatis, &c.

Vide Concil. Arausican. II. Can. 25. Milevitan. cap. 3. Trident. Sess. 6. Can. 3. & 2.

Matth. 7. 12.

Vide S. Thom. 2. 2. Q. 25. a. 1.

Luc. 10. 28.

ANNOTATIO CII.

Dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias. Matth. 23. 5

An Evangelia, & alias res sacras collo appendere liceat.

HIERONYMUS libro quarto in Matthaeum damnare videtur consuetudinem eorum, qui ex pio animi affectu divina verba, & res sacras collo suspensa gerunt, sic inquiens: NON intelligebant Pharisaei, quod haec in corde portanda sint, non in corpore: alioquin & armaria & arcae habent libros, & notitiam Dei non habent. Hoc apud nos superstitiosae mulierculae in parvulis Evangeliis, & in crucis ligno, & istiusmodi rebus, quae habent quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam, usque hodie factitant, culicem liquantes, & camelum glutientes.

AUCTOR Operis imperfecti homilia 44. in expositione ejusdem sententiae Hieronymo astipulari videtur his verbis: MULTI Scribarum & Pharisaeorum exemplo, aliqua nomina Hebraïca angelorum confingunt, & scribunt, & alligant sibi, quae non intelligentibus linguam Hebraïcam quasi metuenda videntur. Quidam vero partem Evangelii scriptam. Dic sacerdos insipiens, nonne quotidie Evangelium in ecclesia legitur, & auditur ab hominibus? cui ergo in auribus posita Evangelia nihil prosunt: quomodo eum poterunt circa collum suspensa salvare? deinde, ubi est virtus Evangelii, in figuris literarum, aut in intellectu sensuum? si in figuris; bene circa collum suspendis: si in intellectu; ergo melius in corde posita prosunt, quam circa collum suspensum. Animadvertit hunc locum divus Thomas in secunda secundae, quaestion. 96. articulo quarto, inquiens, his verbis non damnari eos, qui pietatis & religionis gratia divinas Scripturas, san-

ctorum

ctorum reliquias, aliasque sacras res gerunt; sed eos, qui magis ad Scripturae characteres inspiciunt, quam ad Scripturae intelligentiam, & eos potissimum, qui vel superstitione vana adducti, vel ambitione inflati haec deferunt. Illi igitur, qui hujusmodi res ac verba portant ex Dei fiducia, & sanctorum reverentia, nullo modo accusandi sunt: nam & beatam Caeciliam legimus codicem Evangelicum semper in sinu gestasse, & Constantinum Augustum Christi clavum diademate circumtulisse, & Apostolum Barnabam curasse aegros Evangelici scripti attactu.

ANNOTATIO CIII.

Surget gens contra gentem. Matth. 24. b

AUCTOR Operis imperfecti homilia 48. ait, assertionem Catholicorum, qui docent, filium patri Homousion, id est, consubstantialem, esse haeresim, quae adversatur ecclesiae Christi. HAERESIS, inquit, homousianorum non solum Christi ecclesiae adversatur, sed & omnibus haeresibus non similiter sapientibus: ideo dicit Christus, Surget gens contra gentem. De homousio

ANNOTATIO CIIII.

Cum videritis abominationem, &c. Matth. 24. e

AUCTOR Operis imperfecti homilia 49. scribit, ecclesiam non posse cognosci, an vera sit, nec ex episcopis, nec ex miraculis, nec ex sacramentis, nec ex bonis moribus; sed ex divinis tantum Scripturis. Verba, sententiam hujusmodi exprimentia, sunt haec: VOLENTIBUS cognoscere, quae sit vera ecclesia Christi, non est alius modus, quam per Scripturas. Quare? quia omnia haec, quae sunt proprie Christi in veritate, habent & haereses illae in schismate; similiter ecclesias, similiter & ipsas Scripturas divinas, similiter episcopos, caeterosque ordines clericorum, similiter baptismum; similiter eucharistiam, & caetera omnia, deinde ipsum Christum. Volens ergo quis cognoscere, quae sit vera ecclesia Christi; unde cognoscat in tantae confusione similitudinis, nisi tantummodo per Scripturas? Item antea, & per signa cognoscebantur, qui erant veri Christiani, & qui falsi: quomodo? falsi quidem ut non poterant facere, sicut veri Christiani; aut talia non poterant, qualia veri Christiani: sed faciebant vacua, admirationem quidem facientia, utilitatem autem nullam habentia, sicut frequenter exposuimus. Christiani autem faciebant plena, non solum admirationem facientia, sed etiam omnem utilitatem habentia, & per haec cognoscebantur, qui erant veri Christiani, qui falsi. Nunc autem signorum operatio omnino levata est: magis autem & apud eos invenitur, qui falsi sunt Christiani, fieri ficta: sicut autem Petrus apud Clementem exponit, Antichristo etiam plenorum signorum faciendorum est danda potestas. Item ex moribus ipsis prius intelligebatur ecclesia Christi, quando conversatio Christianorum, aut omnium, aut multorum erat sancta, quae apud impios non erat: nunc autem aut tales, aut pejores facti sunt Christiani, quales sunt haeretici, aut gentiles, adhuc autem & major continentia apud illos invenitur, quamvis in schismate sint, quam apud Christianos. Qui ergo vult cognoscere, quae vera sit ecclesia Christi: unde cognoscat, nisi tantummodo per Scripturas? Hunc locum sub nomine Chrysostomi usurpant aetatis nostrae haeretici: qui, contempto Patrum judicio & conciliorum definitione, contendunt divinis duntaxat Scripturis innitendum, & ex iis duntaxat petendam verae ecclesiae cognitionem. An vera Ecclesia aliquibus notis dignosci possit, & quibus.

SED quam misere infelices isti fallantur, luculentissime demonstravit sanctissimus, atque inter Patres, qui ante mille ac ducentos fere annos floruerunt, doctissimus, ac disertissimus Vincentius Lirinensis, edito libello vere aureo, quem omnes Catholicae pietatis amatores assidua versare manu deberent, ceu enchiridion, sive militarem pugiunculum adversus profanas omnium haereseon novationes. Is igitur inter caetera, quae de ratione discernendi veram ecclesiam ac fidem

Vincentius Lirinensis Commonito. rio I. cap. 3. fidem a falsa haereticorum ecclesia ac fide disputavit, tres ultra ac post divinam Scripturam attulit regulas, quibus certissime deprehendatur utriusque ecclesiae discrimen. Hae autem sunt, ecclesiasticae traditionis Universitas, Antiquitas, Consensio. Sed praestat haec elegantissimis ejus verbis referre, quae pene in principio ejusdem Opusculi habentur hoc modo: SAEPE magno studio, & summa attentione perquirens a quamplurimis sanctitate & doctrina praestantibus viris, quonam modo possim certa quadam, & quasi generali, ac regulari via Catholicae fidei veritatem ab haereticae pravitatis falsitate discernere; hujusmodi semper responsum ab omnibus fere retuli, quod sive ego, sive quis vellet exurgentium haereticorum fraudes deprehendere, laqueosque vitare, & in fide sana sanus, atque integer permanere, duplici modo munire fidem suam Domino adjuvante deberet, primo scilicet divinae legis auctoritate, tum deinde ecclesiae Catholicae traditione.

HIC forsitan requirat aliquis, Cum sit perfectus Scripturarum canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat: quid opus est, ut ei Ecclesiasticae intelligentiae jungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam sacram pro ipsa sui altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt; sed ejusdem eloquia aliter atque aliter, alius atque alius interpretatur, ut pene quot homines sunt, tot illinc sententiae erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arrius, Eunomius, Macedonius, aliter Photinus, Apollinaris, Priscillianus, aliter Jovinianus, Pelagius, Coelestius, aliter postremo Nestorius. Atqui idcirco multum necesse est propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Propheticae & Apostolicae interpretationis linea secundum ecclesiastici & catholici sensus normam dirigatur. In ipsa item Catholica ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est etenim vere proprieque catholicum, quod ipsa vis nominis, ratioque declarat, quae omnia vere universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fit, si sequamur Universitatem, Antiquitatem, Consensionem. Sequemur autem Universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur ecclesia: Antiquitatem vero ita, si ab iis sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos majores ac Patres nostros celebrasse manifestum est: Consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium, vel certe pene omnium sacerdotum, pariter & magistrorum definitiones, sententiasque sectemur. Quid igitur faciet Christianus catholicus, si se aliqua ecclesiae particula ab universalis fidei communione praeciderit? quid itaque, nisi ut pestifero corruptoque membro sanitatem universi corporis anteponat? quid, si novella aliqua contagio non jam portiunculam tantum, sed totam pariter ecclesiam commaculare conetur? tunc item providebit, ut antiquitati inhaereat, quae prorsus jam non potest ab ulla novitatis fraude seduci. Quid, si in ipsa vetustate duorum aut trium hominum, vel certe civitatis unius, aut etiam provinciae alicujus error, deprehendatur? tunc omnino curabit, ut paucorum temeritati, vel inscitiae, si qua sunt universaliter antiquitus universalis concilii decreta, praeponat. Quod si tale aliquid emergat, ubi nihil ejusmodi reperiatur: tunc operam dabit, ut collatas inter se majorum consulat, interrogetque sententias, eorum duntaxat, qui diversis licet temporibus & locis, in unius tamen ecclesiae Catholicae communione & fide permanentes, magistri probabiles exstiterunt; & quicquid non unus, aut duo tantum, sed omnes pariter uno eodemque consensu aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum. Hucusque Vincentius.

AT AUGUSTINUS, easdem verae ecclesiae notas paucioribus verbis coarctans, & ipsas ostendens in ecclesia Romana inveniri, sic in libro contra epistolam Manichaei capite quarto loquitur: MULTA sunt, quae me in ecclesiae gremio justissime tenent. Tenet me consensio populorum, atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet me Joan. 21. 17. ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem suam Dominus commendavit, usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum: tenet postremo ipsum catholicae nomen; quod non sine causa inter tam multas haereses sola obtinuit. AN-

ANNOTATIO CV.

De die autem illa & hora nemo scit, neque filius hominis. Matth.24.e

AUCTOR Operis imperfecti homil.50. videtur ponere in Christo ignorantiam diei & horae judicii, sic loquens: CONSIDERANTES hunc locum non deberent erubescere aliquid mysteriorum Dei se ignorare, cum legant ipsum non erubescentem suam ignorantiam confiteri ad respondendum, quia de die illa & hora nemo scit, neque angeli, neque filius, maxime cum sit mysteriorum Dei multa profunditas: nec tamen mentitur, quando ipsum, quod scit, a patre accepit: merito suam scientiam denegat, quae non ex eo, sicut & alibi cum esset bonus, bonum se denegavit, quia bonitas ejus erat ex patre: & ne propter dispensationem humanam aestimetur scire se negasse, non dixit, Neque filius hominis; quia secundum divinitatem dixisset, non secundum humanam naturam: nam inter filium Dei, & filium hominis nihil interest. Reprobat autem divus Augustinus hanc sententiam, quod in Christo fuerit ignorantia diei & horae judicii, docens ea ratione dictum esse, neque ipsum etiam filium scire diem judicii, quod non ita illum diem sciebat, ut esset aliis revelaturus. Hieronymus in commentariis hunc locum elucidans, affirmat in graecis codicibus praesertim Adamantii & Pierii non haberi particulam illam, neque filius hominis, atque idem testatur Euthymius. Ambrosius autem lib. 5. de fide cap.8. asseverat hanc ipsam particulam nec apud Marcum olim fuisse scriptam, sed ab Arianis dolose adjectam. Ait enim scriptum est, inquiunt Ariani, de Die autem illa & hora, nemo scit, neque angeli coelorum nec filius nisi solus pater. Primum veteres non habent codices graeci, quod nec filius scit, sed non mirum si & hoc falsarunt, qui scripturas interpolavere divinas: qua ratione autem videatur adjectum proditur: dum ad interpretationem tanti sacrilegii derivatur. Caeterum Origenes tractatu in Matt.30. Chrysostomus homilia 78. in Matthaeum, Hilarius Canone 26. in Matthaeum, & Augustinus homilia 21. de verbo Domini in Matthaeum hoc loco habuerunt, neque filius; atque juxta praemissam intelligentiam exposuerunt.

Christus an ignoraverit diem judicii.

Vide S Thomam 3.P Qu. X.Art.2.ad 1.

ANNOTATIO CVI.

Veniet Dominus servi illius in die, qua non existimat. Matth. 24. g

CHRYSOSTOMUS in fine homiliae 78. docere videtur, quod jejunium, oratio, & castitas, & virginitas absque eleemosyna nihil prosint, inquiens: ORATIO ab eleemosyna vires, atque alas assumit: non autem sola oratio, verum etiam jejunium inde roboratur. Quippe si absque eleemosyna jejunes, nec jejunium quidem hoc reputatur; cum ventris servo ac temulento, qui ita jejunat, deterior sit, tantoque pejor, quanto crudelitas deliciis nequior est. Cur de jejunio ita loquor, cum ipsa castimonia & virginitas, eleemosyna carens, ex thalamo sponsi ejiciatur? quanquam enim magna quidem res virginitas sit: tamen, nisi eleemosyna ipsam comitetur, ejicitur. Verba haec interpretanda sunt non de ipsa exteriori eleemosynae distributione, quae nec semper, nec ab omnibus fieri potest, sed de ipso eleemosynae, hoc est, misericordiae & charitatis, affectu & studio; quo sine nullum est opus adeo egregium, quod aeterno praemio dignum sit. Verum si quis contendat Chrysostomum de externa etiam eleemosynae largitione loqui, non admodum repugnaverim; dummodo haec ipsa verba de illis duntaxat dici concedantur, qui sunt usque adeo fraternae charitatis expertes, ut etiam in extremis necessitatibus opem ferre indigentibus fratribus recusent.

An jejunium & castitas sine eleemosynis aliquid valeant.

ANNOTATIO CVII.

Ne forte non sufficiat nobis & vobis. Matth. 25. b

HILARIUS canone 27. in Matthaeum, RESPONDENT, inquit, non posse se dare oleum, quia unicuique lampadi suae emere oleum sit necesse, &

An alienis meritis juvari possimus.

alienis operibus ac meritis neminem adjuvandum. Erasmus in scholiis in Hilarium a se editis, hunc locum in margine annotavit, quasi digito indicans baculum, cui innitantur haeretici, qui temporibus istis merita, intercessiones, & suffragia sanctorum irrident. Bodius quoque in Collectaneis suis hanc sententiam Catholicis objicit, preces & auxilia sanctorum implorantibus, non animadvertens Hilarium loqui non de his, qui opportuno tempore, & ex sincero charitatis affectu beatorum opem efflagitant; sed de his, qui cum in hac vita salutem suam neglexissent, demum post mortem ad sanctos confugiunt, quando nulla superest vere poenitendi, ac promerendi facultas. (a)

ANNOTATIO CVIII.

Qui autem unum accepit, abiens fodit in terram, &c. *Matth. 25. c*

Non mali Sacerdotes sint Sacerdotes.

AUCTOR Operis imperfecti homilia quinquagesima tertia indicat, sacerdotes & diaconos malos non esse a Deo ordinatos, sed ab hominibus; & quod licet ab hominibus pro sacerdotibus habeantur, tamen quantum ad Deum non sunt sacerdotes. Haec sententia apud eum hoc modo legitur: DIACONIBUS & Doctoribus secundum praevidentiam suam, illis videtur Deus injungere ministerium diaconatus, aut presbyteratus, qui sunt justi: qui autem inveniuntur injusti, illos homines ordinasse videntur, non Deus. Ab exitu ergo rei cognoscitur, qui a Deo ordinatus est, & qui ab hominibus: qui enim ministerium suum bene consummaverit, apparet, quia ex Deo fuerat ordinatus: qui autem ministerium suum non bene consummaverit, ex hominibus ordinatus est. Quomodo autem quidam sacerdotes ex hominibus ordinantur, manifeste in libro octavo canonum Apostolorum dicitur: qui autem ex hominibus ordinatus est, quantum ad Deum non est diaconus, aut sacerdos: ergo in sacerdotibus quidem & diaconibus non est inventus, ut perdat talenta, qui secundum praescientiam ordinatur a Deo: in popularibus autem evenit, quomodo etiam qui peccator futurus est, a Deo accepit fidei gratiam. Secundum haec ergo, quae diximus, si presbyter, aut diaconus peccator inventus fuerit; quoniam quantum ad praescientiam Dei, sicut jam diximus, non ex Deo, sed ex hominibus factus videtur presbyter, aut diaconus, quasi laicus invenitur inter eos, qui unum talentum fidei acceperunt: ac per hoc nemo ordinatus a Deo peccat, nisi qui unum talentum accepit a Deo. Ideo autem

(a) Cl. Patres Benedictini in *not. ad S. Hilarium* hic ita erudite S. Episcopi mentem expendunt, ut omnem evellant scrupulum. Ajunt enim: „ Hunc locum qui inconsiderate legent, existimabunt forsitan favere heterodoxis Sanctorum suffragia, & intercessionem exsufflantibus. Eam reipsa catholicis objicit Bodius in *Collectaneis suis*. Sed quid illos juvet, non vident prudentes. Non enim hic sermo est utrum Sancti nobis prospiciant, sed utrum Sancti possint, ita merita sua partiri, ut alii propriis meritis destituti, ex hac vita migrantes, meritorum alienorum subsidio valeant cum sponso in aeternam gloriam ingressum obtinere. Quis autem Catholicus neget haec merita unicuique ita propria esse, ut in alium refundi nequeant? Hac ratione unicuique oleum lampadi suae emere necesse est: & cui deest, non potest ullus alius sufficere. Nam secundum ea, quae quisque gessit, aut salus obtingat, aut damnatio. Verum etiamsi sanctis non detur, ut meritorum inopes ex suis ditent; datur tamen ut nos quandiu hic vivimus adjuvent, unde recte operari & merita comparare valeamus. Immo etiam hic Hilarius nomine Virginum prudentum, quae fatuas bene consulendo, & ad poenitentiam hortando adjuvant, Sanctos demonstrat de nostra salute sollicitos. Disertius hoc ipsum docet in Psalm. CXXIV. num. 5. ubi ait: *Sed neque desunt stare volentibus Sanctorum custodiae, neque Angelorum munitiones.* Et num. 6. *Ac ne leve praesidium in Apostolis, vel Patriarchis, ac Prophetis, vel potius in Angelis, qui Ecclesiam quadam custodia circumsepiant, crederemus &c.* Et post pauca: *Sed forte Apostolorum, vel Angelorum custodia sufficiens existimetur. Verum id quidem est.* Si autem nobis prospiciunt sancti, quid aequius, quam ut animum ad illos intendamus, ne nobis desint precemur, ac demum aliquam pro acceptis beneficiis gratiam eis habeamus? In his non videtur cur, uti Sculterus vult, pudore afficiendus sit Bellarminus, qui Hilarium citet invocationis Sanctorum Patronum. Ridendum potius ipse se praebet, ubi primum negat Hilarium hujus sententiae Patronum; Tum propositionis suae oblitus affirmat eum *non nisi ex allegoria* docere sanctos defunctos fidelium esse custodes. *Nulla autem*, inquit, *allegoria firmat fidem*. Quid sibi vult *ex allegoria*? An non claris, perspicuis, ac nullatenus allegoricis verbis hoc afferit? Non enim hic agitur utrum ea de Sanctis doctrina in scripturis aliquo modo contineatur, sed utrum Patronus illius fuerit Hilarius. Qua de re longe minor est dubitandi ratio, cum ea e Scripturis allegorice intellectis praedicat. Cum enim hoc interpretandi genere infleat veritas alias cognita, & aperta ad obscuros quosdam scripturae locos accomodari; sequitur hoc Hilarium existimasse omnibus notum, quod in scripturis allegorice intellectis contineri ostendit.

rem gratia fidei omnibus a Deo praestatur, gratia autem clericatus, non omnibus, sed dignis: quia in illa causa salutis est, in ista autem dispensatio ministerii.

JOANNES, Ostuniensis episcopus, Constitutionum divi Clementis interpres & scholiastes, declarans canonem Apostolicum ab hoc auctore adductum, & a Clemente in octavo Constitutionum libro, capite primo annotatum, admonet Lectores, ne occasione hujus sententiae labantur in errorem Hussitarum, docentium episcopos, presbyterosve, mortali peccato obstrictos, non esse amplius episcopos, & sacerdotes: atque, non ita accipiendam esse Clementis sententiam, quasi velit eos, qui mali sunt, amittere potestatem, quam in ordinatione acceperunt; sed ut eos neget esse episcopos & sacerdotes, quatenus officia, & munera, quibus funguntur, non sunt grata, atque accepta Deo; imo neque electio ipsorum ei tribuitur, sed hominibus: ac si dicat, eos esse episcopos, quo ad dignitatem, non autem quo ad Deum attinet; quia institutiones ipsorum, atque officia, quae postea exercent, non sunt probata Deo. Addit etiam juxta hunc sensum intelligenda esse Auctoris hujus dicta, itemque verba illa, quae Hieronymus scripsit in Commentariis epistolae ad Galatas, asseverans eos ab hominibus ordinatos, qui indigoe, favore populi, patientiam Domini contemneotes, divino sacerdotio contra meritum ordinantur. Hi enim quanquam ex vi sacrae ordinationis habeant divinitus sibi delatam potestatem: tamen ex prava officii administratione sacerdotes non sunt, quales Deus requirit, ac desiderat.

ANNOTATIO CIX.

Accessit ad eum mulier, habens alabastrum unguenti. *Matth. 26. 6*

ORIGENES tractatu in Matthaeum 35. asseverat tres fuisse Marias Magdalenas, sive mulieres, quae Christum unxerunt. Primam meretricem, quae unxit Dominum in domo Pharisaei; de qua Lucas scribit capite septimo. Secundam, quae unxit pedes ejus ante sex dies Paschae in Bethania in domo propria; & haec erat Maria soror Lazari, vitam habens probatam & admirandam, quam Joannes commemorat capite duodecimo. Tertiam, quae ante duos dies Paschae effudit unguentum super caput Jesu in Bethania in domo Simonis Leprosi; de qua Marcus capite decimoquarto, & Matthaeus capite vigesimo sexto loquuntur. Consentiunt Origeni Theophylactus in Comment. cap. 7. in Lucam, & Euthymius in explanatione cap. 26. in Matthaeum. Joannes, Roffensis episcopus, hanc opinionem, a Jacobo Vienneosi episcopo defensam, tribus voluminibus oppugnavit. Sunt qui duas tantum ponant mulieres Domini unctrices; unam meretricem, quae apud Pharisaeum pedes primum, & deinde in domo Simonis leprosi caput Christi; alteram vero Lazari sororem, pedes Domini apud se coenantis ungentem. Ex horum numero est Chrysostomus homilia in Matthaeum 81. & in Joannem homilia 61. & Bernardus in sermone de Magdaleoa duas refert, sed paulo diversim. Alii sunt, qui unicam duntaxat asserunt Magdalenam Lazari sororem, quae in domo Pharisaei, in domo Simonis Leprosi, & in domo Lazari bis pedes, semel unxerit caput. In his habentur Augustinus libro secundo De consensu Evangelistarum, capite nono, Gregorius homilia de Magdalena, libro tertio Commentariorum in Lucam, Christianus Druthmarus cap. 26. in Matthaeum, Rabanus in Lucam 7. ac plerique alii; quorum senteotiam sequens Odo Cluoiacensis abbas in hymno, quo nunc Dominicana ecclesia utitur, sic cecinit:

De tribus Magdalenis.

Maria, soror Lazari,
Quae tot commisit crimina,
Ab ipsa fauce tartari
Redit ad vitae limina.

D. Ambrosius libro 6. in Lucam dici posse ait & unam fuisse, & plures. (a)

AN-

(a) Sufficeret hic ad Criticam animadversionem solummodo adnotasse Sermonem de Magdalena S. Bernardo adjudicatum a Xysto, & ab aliis etiam ante & post ipsum, restituendum fore, vel Petro Damiani, ut ei adjudicat N. Combefisius, & revera extat inter opera S. Petri Damiani edit. Parisiens. 1660. vel Nicolao Clarae-Vallensi, ut existimant Johannes Mabillonius, & N. Natalis Alexander. Vel ad sum-

summum opportunum solummodo foret addere distinctos in Classes Patres, qui pro qualibet ex tribus sententiis steterunt. Verum quia M. Annalium Parens Ad Ann. Christ. XXXII. num. XVII. recedentes a sententia de unica muliere pollinctrice Christi, eaque Magdalena Sorore Lazari, quae prius peccatrix fuerat, postea pia & sancta, Sectis & Pyrrhonibus adcenset, quinimo veluti in heterodoxorum classem redigit eos, dum adserit judicium Romanae Ecclesiae esse suam, quam propugnat, sententiam, & Johannem Fischerum amplissimum S. R. E. Cardinalem, & fidei pugilem invictum, qui sanguine suo purpuram decoravit, contra Novatores opus suum de unica Magdalena scripsisse, iuber hic trascribere judicium N. Cl. Cardinalis Gotti aeque pii ac eruditi, deinde aliorum judicium indicare adversus eos praesertim, qui Clarissimi Card. Baronii verba repetentes (Baronii tamen spiritu, & doctrina destituti) insultant iis, qui in oppositam descendunt sententiam, eosque traducunt, non advertentes rem hanc adiaphoram esse, deinde triplicem exponam Autborum sententiam a N. Xysto quoque insinuatam, sed Patronos clarius dabo: & plura adnotabo, quibus durities illa emolliatur, qua scandalum minus sapientibus iogeritur. Ita enim scribit Card. Gotti *Tom. V. Verit. Christ. Religionis cap. X. §. I.* qui N. Natalis sensum usurpans pluraque verba repetens, ait: „ Caussa haec sub judice adhuc est, & propter dissensionem tum inter Modernos, tum etiam inter Veteres non dum finita est, forte nunquam finietur. „ Idem detulere judicium ceteri, quos laudabo, etsi pro unica Muliere certantes, Card. Toletus, Maldonatus, Natalis, aliique: quinimo Bernardus Lamy Congreg. Orat. Domini Jesu vir eruditissimus, etsi pro unica Magdalena strenue pugnaverit, diserte apertissimeque testatus est rem hanc plene adiaphoram esse nullimode ad fidei dogma pertinentem, quare licet unicuique in suo sensu abundare. Caussam vero adsignat (ea qua diluitur suspicio ex ardentiori ioquendi formula Card. Baronii) cur XVI. Seculo strenue Theologi omnes pro una Magdalena certaverint, quia tunc ea invaluerat apud doctos indoctosque opinio, & veluti certa traditione inconcussa doctrina habebatur, quae tamen postea sequiori aetate variationem subiit, & ea inconcusso veluti dogmate versa est in adiaphoram quaestionem. Hisce ergo adnotatis lubet modo expendere sententias Doctorum circa eam rem, ut postea aliquid addatur ad majorem claritatem, ac verisimilitudinem sententiae postremae, quam hodie minus recte aliqui vellicant, & veteri praejudicio detenti ventilare contendunt.

Prima enim opinio, quae, ut dixi, XVI. Seculo veluti fidei articulus venditabatur, ea est, quae unicam tantum Mulierem Domini Jesu unctricem statuit, Magdalenam, nempe, prius in Civitate peccatricem, postea ad Dominum conversam in domo Pharisaei, deinde in domo Simonis Leprosi iterum pollinctricem Capitis Christi unguento nardi pistici spicati pretiosi, hancque Sororem Lazari & Marthae. Haec autem opinio nullam habet ex Graecis Patribus, quem sciamus (nisi forte unum Amphilochium, qui *Hom. in Mulierem peccatricem* apud N. Combefisium Bibl. PP. Concion. Tom. VII. id videtur adserere) patronum, etsi Origenes *Tract. XXXV. in Matth.* adserat aliquando habuisse „ Multi quidem existimant de una eademque muliere quatuor Evangelistas exposuisse. „ Habet tamen plures ex Latinis, esto ex his, qui in eam descendunt, aliquando oppositum docuerint, ancipitesque ex de re manserint, uti Ambrosius, Augustinus, & Hieronymus: verum quia in hanc quoque descenderunt opinionem non reticebo eos. Stant itaque ex Latinis pro ea sententia Tertullianus *Lib. de Pudicitia cap. 3.* S. Ambrosius *Lib. IV. in Luc.* S. Augustinus *Lib. II. de consensu Evangelistarum*, S. Hieronym. *Praef. in Oseam*, S. Gregorius M. *Hom. XXV. in Evangel.* V. Beda *Comment. in Matth. Marc. & Luc.* S. Petrus Damiani *Epist. XII. ad Desiderium*, Christianus Druthmarus in illud Matth. *scitis quia post biduum Pascha fiet*. Alcuinus in illud Johannis, *Jesus ergo ante sex dies Paschae*, Rhabanus Maurus *in Luc. VII.* Auth. Sermonis *de S. Maria Magdalena* inter opera S. Bernardi, qui a N. Combefisio, aliisque tribuitur S. Petro Damiani, & revera inter ejus opera edita Parisiis anno 1660. extat, a N. Natale, & Mabillonio autem adjudicatur Nicolao Clarae-Vallensi, quamvis etiam hic dubius ea de re sit, & cum Augustino repetat „ Est & „ melius, quod eadem, si tamen eadem, super caput „ recumbentis effundit. „ S. Thomas *Lect. I. in cap. XII. Johannis*, B. Albertus M. in *cap. VII. Lucae*, S. Laurentius Justinianus in Fest. S. M. Magdalenae; quibus adstipulantur Card. Baronius, Johannes Maldonatus, Card. Toletus, Cornelius a Lapide, Guillelmus Estius, Cornelius Jansenius Gandavensis, N. Natalis, Franciscus Lucas Brugensis, Bernardus Lamy, aliique innumeri. Quid ultra? Sacra Theologica Parisiensis Facultas die IX. Novembris An. 1521. decretum edidit in solemnibus comitiis, quo injuxit suis Alumnis hanc sententiam propugnandam „ Ut Evangelio Christi, & Ecclesiae Ca„tholicae ritui consentaneam: scripta vero adversus „ hanc sententiam nullatenus esse toleranda. „ Quod decretum ratum fuit habitum die VII. Decembris ejusdem Anni, vetitumque fuit omnibus in ea existentibus, vel futuris „ Ne deinceps eorum „ quispiam praesumeret in Concionibus ad popu„lum, ac disputationibus publicis, librisve, aut „ alias, asserere plures esse Magdalenas, vel in du„bium revocare, quod sit unica. „ Videsis N. Natalem *Hist. Eccl. sec. I. Dissert. XVIII.*

Altera sententia duplicem adserit mulierem, quae in Christum unguentum effudit, Mariam Magdalenam, nimirum, peccatricem feminam in Civitate Naim ad Dominum revocatam, & Mariam sororem Lazari in Bethania mulierem piam semperque Domino adhaerentem. Pro hac sententia stant expresse S. Hilarius Pictaviensis Episcopus *in Psalm. CXXXII.* Author libri *de duplici Martyrio* inter opera Cyprianica, S. Augustinus Tract. XLIX. in Johan. (ubi re vera adhuc dubius haeret.) S. Macharius *Homil. XXI.* Extat etiam inlustre monumentum S. Irenaei Lib. III. advers. haeres. cap. 14. Ubi peccatricem, quae Christum unxit, solum per Lucam innotuisse ait, quam propterea ab alia pollinctrice piaque muliere ab Matthaeo, & Johanne commemorata distinguit. Alii itidem Graeci PP. ita sentiunt, ut adnotant PP. Benedictini *not. in Hilar.* loco laudato. Huicque sententiae ex recentioribus subscribunt Philippus Brietius ad An. Christ. XXXIII. Augustinus Calmetus in *cap. VIII. Luc.* Hugo Grotius in *caput 26. Matth.*

Tertia tandem sententia tres distinctas statuit mulieres I. Peccatricem, nempe, in Civitate Naim ad meliorem frugem revocatam, quae lacrymis rigavit pedes ejus, & capillis capitis sui tersit, &c. de qua Lucas cap. VII. scribit. II. Mariam Magdalenam piam feminam energumenam prius, & Christi virtute a doemonibus liberatam, quam cum ceteris religiosis mulieribus Domino ministrantibus de facultatibus suis Evangelium adcenset. III. tandem Mariam Sororem Lazari a Bethania, Virginem domi reclusam, quae super caput Domini unguentum nardi pistici spicati pretiosi semel, & iterum in Bethania effudit, Hanc sententiam tradunt Author Constitutionum Apostolicarum, sub nomine S. Clementis I. Rom. Pontificis (certe vel III. vel ad summum IV. seculo clarus) *Lib. 3. cap. 6.* Origenes *Homil. I. & II. in Cantic.* S. Johannes Chrysostomus *Homil.* olim *LXXXI.* nunc *LXXX. in Matth.* & *Homil.* olim *LXI.* modo *LXII. in Joh. cap. II. v. 2.* S. Basilius Seleuciensis *Homilia de Lazaro*, Severus in *Caten. Graec. PP. in Lucam*, cujus integrum textum videre est cor-

rectum

rectum apud Cotelerium, Johannes Thessalonicensis *Orat. de Dominic. Resurrect.* Theophylactus in *Joh. XIX.* Auctor *Homiliae in peccatricem* sub nomine Titi Bostrorum Episcopi, Euthymius in *cap. XXVI. Matth.* Nicephorus, aliique; Quibus praeter Joh. Fabrum Stapulensem subscripsit olim Jodocus Clictovaeus Theologus Parisiensis. Novissime vero eam innumeri eruditi extentis alnis excipiunt, ne dum Acatholici, praesertim Isaac Casaubonus, Samuel Basnagius, & Johannes Drusius (quos in re Philologica laudare non taedet) verum etiam Orthodoxi quamplures praesertim, qui Parisiense, Aurelianense, & Viennense in Delphinatu, Breviaria correxerunt, mutato veteri B. Mariae Magdalenae Officio, in qua sub unius ejusdemque mulieris nomine *Magdalenae*, & peccatricis, & sororis Lazari, & pedissequae Christi solemnis memoria fiebat, ut in Romano, & nostro hodie catat; quos inter correctores citra omnem dubitationis aleam Galliarum Episcopi quamplures est recensere. In Sorbona pariter passim eandem sententiam de triplici muliere, & pro virili propugnant, & uti certam habent, primaeva de una Magdalena penitus rejecta; & ne vi- deantur refragari nuper laudato decreto olim à Sorbona edito, unicam Magdalenam utique confitentur, sed tres mulieres adferunt vindicantque, ut idem P. Lamy ingenue fatetur,

Momenta vero, quae hanc tertiam sententiam roborant, ea funt, quae ab hujusce Patronis in medium proferuntur. I. Quia peccatrix, quae in Evangelio Lucae cap. VII. describitur, erat de Civitate Naim, ibique in domo Pharisaei lacrymis rigavit pedes Christi Servatoris, unguento perunxit, & capillis capitis sui tersit; Magdalena autem erat à Galilaea, ut constat ex Evangelio Lucae cap. VIII. & Marci XV. Maria itidem soror Lazari & Marthae erat e Bethania, ut habetur Johannis XI. Tres igitur sunt diversaeque Regionis mulieres. II. Peccatrix illa, quae in Urbe Naim ad Christi pedes lacrymis obortis, & corde contrita cucurrit, infamis notae femina erat, ut constat ex sensu Pharisaei intra se dicentis „ Hic si esset Propheta sciret „ utique quae & qualis est mulier, quae tangit eum, „ quia peccatrix est „ Graece *ἁμαρτωλός*; quia nimirum infamia notae erat, & *peccatrix* vulgo adpellabatur ob scelera cunctis nota, ideoque existimabat probum quemque virum non posse ad se hujusce, vel simplicem adcessum permittere: quare vel vile scortum erat ex pretio corporis sui copiam faciens cunctis, vel saltem impudicissima femina lasciviis dedita, pluribusque dicata ganeonibus, ut diserte eradunt Amphilochius Iconiensis, Basilius M. Cyrillus Alexandrinus, Severus, Chrysostomus, Ephrem Syrus, Petrus Chrysologus, Gregorius M. aliique bene plures Latini, & Graeci Patres. Magdalena vero vel ex solo ministerio praestito Christo de facultatibus suis, & simul cum aliis honestissimis Matronis societate bonae famae describitur, & nonnisi energumena prius, postea à Christo liberata dicitur, sicut & ceterae piae mulieres ab aliis infirmitatibus ab eodem Servatore Jesu liberatae. Maria soror Lazari non pedissequa Christi, sed domi reclusa potius adseritur Joh. XI. & „ quae sedens secus pedes Domi- „ ni audiebat verbum illius „ omni ministerii cura omissa, eaque in domo etiam sua Marthae sorori relicta. Joh. X. & ad summum aliquando religionis momento domum egressa Bethaniae vicum non excedebat, ut Marcus & Matthaeus percensent. Ex tam varia igitur condicione non una, sed tres distinctae sunt mulieres praefatae. Neque ullum facessit negotium, quod vel simul à crimine fuerit absoluta, & à doemonibus liberata, vel quod nomine septem doemoniorum, quae Christo imperante ab illa exierant, universitas criminum designentur, ut Gregorius M. expendit. Primum namque adversatur phrasi, stylo, & consuetudini Evangelistarum, qui rem prius gestam, vel priorem conditionem hominum sincere sine reticentia manifestare consueverunt, heinc Simonem, esto a lepra sanatum, ad distinctionem *leprosum* adpellarunt: adpellasset igitur Lucas Magdalenam etiam olim peccatricem, sicut pridem energumenam non reticuit, & quidem ad majorem Christi gloriam, & poenitentiae triumphum. Alterum vero, quod opponitur, esto ad allegoriam possit verti, seclusa tamen historia ad figuram & mysterium revocare est omnem Scripturae Sacrae veritatem averruncare, ut in Origene allegoriis dedito simile vitium carpunt omnes Ecclesiae Patres. Et nonne in Evangelio occurrunt Lycantropyci illi, quos legio daemoniorum obsidebat? Si revera istos ab cacodaemonum innumerabili fere turba haud reapsa detentos dicamus, nonne duos Antichristos adpellabimus eos, quos legio doemoniorum obsidebat? Inconcussa Patrum regula est, ut in expositione divinae Scripturae historica prius rei & facti veritas solidetur, inde ad allegoriam historia vertatur, ut praeceteris non semel Hieronymus ubservat inculcat & docet. Et ne à re propria pes, vel ooirer, in diverticulum recedat, quotquot in Evangelio doemoniaci describuntur re vera *arreptitii*, sive energumeni ii fuerunt. Dum igitur a doemonibus liberatam Magdalenam adseruit Lucas, ab ea dumtaxat invasione solutam credere oportet.

Num autem Hebraea fuerit haec meretrix, haec *ἁμαρτωλός*, seu per antonomosiam *peccatrix*, an potius Ethnica, & alienigena, quae in Urbe Naim famosa erat? In controversiam vertitur ab Eruditis. Et quidem recentiores Critici non ex eo Gentilem eam adferunt, quia in lege vetitum erat ne ulla e filiabus Israël tam infami mereatutae operam daret, quum contra divinum vetitum meretrices etiam apud Judaeos fuisse non diffiteantur; sed alio certe ex momento id statuunt, nimirum ex phrasi Hebraeia consueta, qua nempe Pagani immundis, & Ethnicae mulieres meretricibus adcensebantur juxta illud Isaiae LII. „ non „ adjiciet ultra ut pertranseat per te incircumcisus, „ & immundus „ & in Osea mulier Gentilis *fornicaria* nuncupatur, ut universim PP. observant (de qua re alibi in Exercitationibus meis *Tom. II.* verbum feci) Extant itidem in Divino eloquio innumera id genus monumenta. Oseae IV. de Israele ad idololatriam converso dicitur „ Fornicati sunt a Deo suo. „ Paralipomenon V. „ Fornicati sunt post Deos popu- „ lorum. „ Sapientiae IV. „ Initium fornicationis „ exquisitio idolorum. „ Et Ezechielis XII. per totum. Ex quibus monumentis colligi luculentur potest, vel ea eo praefatam peccatricem mulierem *ἁμαρτωλὸν* dictam meretricem, quia ethnica erat.

Verum quia Patres nuper laudati lasciviis deditam eam adserunt, addunt Critici Gentilem meretricem liberius in luxuriae crimina dilapsam, quod colligunt ex ritu, vel in sua conversione servato. Haec quidem stans retro secus pedes Domini Jesu lacrymis coepit rigare, illos capillis capitis sui tergebat, & osculabatur eos, ac unguento deliniebat. At quis inficiatur ritum hunc totum fuisse paganum? Hebraeis namque mos erat unguento caput delinire non pedes. *Psalm. XXI.* „ Impinguasti in oleo ca- „ put meum „ *Psalm. CLX.* „ Oleum peccatoris „ non impinguet caput meum. „ *Ecclesiastes IX.* „ Oleum de capite tuo non deficiet. „ *Matthaei VI.* „ Tu autem cum jejunas unge caput tuum. „ Et Christus dum redarguit Pharisaeum obmurmurantem, eum de oleo non effuso super ejus Capite reprehendit, & quidem juxta hebraicum ritum *Lucae VII.* „ Oleo caput meum non unxisti. „ At Gentilibus consuetum fuit pedibus etiam adhibere unguenta, ut ex innumeris testimoniis clarescit. Diogenes teste Laërtio *Lib. VI. a. 235.* „ Unguento inungens pe- „ des, dicebat, a capite in aërem ascendere un- „ guentum, sed a pedibus in olfactum. „ Caligula, referente Suetonio *Cap. 37.* calidis frigidisque unguen-

ANNOTATIO CX.

Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim. *Matth. 26. b*

Num Christus Luna XIV celebraverit Pascha, & an consecraverit in azymo.

EUTHYMIUS, in Matthaei Commentariis hunc explicans locum, duo tradit a Latinae ecclesiae ritu aliena. Primum est, Christum celebrasse Pascha,& postremam coenam peregisse die lunaris mensis tertia decima;quartadecima vero passum & crucifixum obiisse. Secundum est, quod Christus in ultima coena post legalem agni manducationem usus sit fermentato pane, & quod in eo corporis & sanguinis sui sacramentum instituerit. Haec sane ex diametro pugnant cum decretis Latinae ecclesiae, & Romanae fidei; quae primo asserit, Christum luna decima quarta agnum edisse Paschalem sicut & caeteros Judaeos, quia ad mortem usque, ut Chrysostomus ait, semper servavit legem; passum vero luna decima quinta: deinde affirmat in coena illa non alium panem fuisse appositum, quam azymum; quia Matthaeus, Marcus, & Lucas testentur tempus coenae fuisse primum diem azymorum, quo non licebat fermentatum edere, proindeque Christum corporis sui sacramentum ex azymo confecisse, & exemplum reliquisse nobis in azymo consecrandi. Euthymii sententiam recentiores Graeci defendunt ex Evangelio Jo-
Joan. 13. 1. annis; in quo legitur, Christum coenasse cum discipulis ante diem festum Paschae, hoc est, Luna, ut ipsi exponunt, tertia decima, quando adhuc fermentatus panis

erar

unguentis lavabatur; quod etiam de Cajo refert Plinius *Lib. XIII. cap. 3.* Apud Athaeneum Antiphanes canit Aegyptiis morem esse unguendi pedes, & manus:

Αἰγυπτίω μὲν πόδας καὶ τὰς χεῖρας

Ex quo colligunt laudati Critici scrupulose nimium caespitasse Cl. Annalium Patentem, & amplissimum Card. Baronium, dum *ad An. XXXII. n. 26.* adseruit „ Nonnisi Athenis apud aliquos, qui de„ liciis dediti essent, fuisse in usu, pedes unguento „ perungi. „ Quia etiam Plinius, quem laudat Baronius, oppositum docet, dum etiam Romanis id fuisse consuetum tradit *Lib. XIII. cap. 3.* Quid itidem his Petronii disertius *Satyr. p. 117.* „ Pueri ca„ pillati attulerunt unguentum in argentea pelvi, „ pedesque recumbentium unxerunt. „ De Proconsule, cujus manu Cynicum liberavit Demonax, haec habet Lucianus *Demonax.* „ Etenim unus ex his „ erat, qui crura totumque corpus solebat perun„ gere „ quos certe omnes in luxum superavit Heliogabolus, ut Lampridius disertus est testis; & innumera insuper praesto sunt monumenta ad id probandum, quae brevitatis caussa omittere lubet.

Quum ergo peccatrix eum servaverit ritum,nonne se Ethnicam luculenter probavit? Servavit quoque Gentilium ritum in unctione, ut Religionis actum exerceret faciendo se Christo, quem verum Deum coluit, ad quem propterea pro criminum remissione cucurrit, quum id fuerit solemne Gentibus cippos, idola, imagines, Templa, aliaque id genus unguento delinere, ut videre est apud Plutarchum in *Alexandro 671.* Ciceronem *in Verr. Orat. IX. num. 77.* Minatium Felicem *in Octavio*, aliosque. Capillis quoque tersit pedes Jesu mulier *ἁμαρτωλὸς* servans Gentilium ritum, quia solemne id erat Ethnicis feminis capillis tergere Numinum aras, ad eorum vindictam tollendam, iramque sedandam: quod praecipue factum esse constat a Romanis Virginibus, cum Hannibal esset ad portas, ut universim ex priscis Historicis Eruditi omnes observant. Neque obstat, quod idem ritus legitur servatus a pia Hebraea muliere Christi etiam pollinctrice, quam à peccatrice distinguimus, scribente Johanne *Cap XII.* „ Maria „ ergo accepit libram unguenti nardi pistici, pre„ tiosi, & unxit pedes Jesu, & extersit capillis suis, „ & domus impleta est ex odore unguenti; „ quan„ doquidem etiam apud Judaeos invaluit ritus iste; heinc Christus, ut vidimus, redarguit Pharisaeum non de omissione unctionis pedum, sed capitis, quod certe ei exprobasset, si mos hic apud Hebraeos tunc invaluisset, sicut eidem improperavit, quod ei pedes non lavit juxta consuetum tunc Judeis morem: „ aquam pedibus meis non dedisti. „ Ex facto autem peccatricis à Christo commendatae eundem servare ritum studuit Maria, non quidem ex poenitentiae momento, sedandique causa offensum Deum, sed ex charitatis fervore, quo erga Christum flagrabat; At Hebraea mulier pia femina Hebraicum quoque retinuit morem, dum ex Matthaeo & Marco effudit alabastrum super caput Jesu, & unguento perunxit, quod servatum non legitur a peccatrice, quae veneratura Christum,& ut Messiam adoratura,nec non justitiae fontem Deum placatura lacrymis simul & unguento lavit, & delinivit solummodo pedes recumbentis Servatoris. Appareteque discrimen itidem ex eodemmet posteriori ritu piae mulieris, quia haec nardi pistici spicati pretiosi attulit alabastrum, quod & plusquam trecentis denariis valebat, quodve, ut primum fuit effusum, domum fragranti replevit odore, quod certe mirari non est in balsamo, seu unguento a peccatrice super Christi pedes effuso, ut pote viliori. Haec enim pauperior, ditior illa, & diversitas conditionis personae & status denotatur vel in ipso religioso ministerio ungendi Messiam.

Tandem Critici posterioris hujusce sententiae patroni ex eo distinguunt peccatricem a Maria sorore Lazari, quia illa in domo alterius Simonis, nempe, Pharisaei, haec vero in domo Simonis Leprosi unguentum effudit: ista prope ultimum Christi Pascha, illa diu ante, & fortasse biennio ante: quaeque erat Lazari Soror nobili progenita stirpe, quomodo poterat in Urbe Naim ad infame publicumque scelus suos figere lares Bethania relicta? Ex tot, inquiunt, variis gravissimisque circumstantiis certo certius colligitur peccatricem longe abire à Maria sorore Marthae, aliamque fuisse à Magdalena; heinc concludunt tres diversas fuisse Mulieres, sive Marias.

Plura itidem addunt, quae apud eosdem consuli possunt, quum sufficiat nobis haec depromsisse ad Philologicam quaestionem aperiendam dumtaxat, & quaenam sint hujusce sententiae momenta indigitandum, haud tamen ad eam plene discutiendam, praecipue quum non sit nostri instituti ad umbelicum usque id genus argumenta perducere, resque sit adiaphora, in qua unusquisque potest ad sui lubitum sentire, & in suo sensu abundare.

erat in domibus. Habetur etiam in eodem Evangelio, Christum occisum esse in die parasceves, dicente Joanne: ET ipsi non introierunt in praetorium, ne contaminarentur, sed ut comederent Pascha: (Joan. 18. 28.) & rursum infra, ERAT autem parasceve: (Joan. 19. 42.) & post pauca, IBI posuerunt eum propter parasceven Judaeorum. Quae verba juxta eorum interpretationem demonstrant Christum occisum ea die, qua agnus occidebatur, id est, luna quarta decima, in qua erat parasceve, id est, praeparatio paschae: ejus enim vespere agnus immolabatur, & azymorum esus incipiebat. Ajunt etiam, Christum dispensative anticipasse una die legalem coenam, & ante legitimum tempus perfecisse Pascha, ne passio crucis illi facultatem adimeret edendi mysticum agnum cum discipulis suis. Noverat enim, se luna quarta decima occisum iri, ut ea die, qua immolabatur figurativus agnus, verus quoque agnus immolaretur, & veritas hoc pacto responderet figurae.

VERUM, quia praesens Latinorum & Graecorum altercatio initium habuit ex ea, quae inter Joannem & alios Evangelistas videtur esse controversia, sciendum est, diem illum eundem esse, quem tres Evangelistae appellarunt Primum azymorum, & Joannes, ante diem festum Paschae nuncupavit, hoc est, Lunam quartam decimam, in cujus vespere solennitas azymorum, sive Paschae, incipiebat, & agnus immolabatur, & cum eo azyma edebantur, quando nullum amplius fermentum in domibus Judaeorum inveniebatur, ita jubente lege in Exodi volumine. (Dies idem est, quem S. Joannes appellat ante diem festum Paschae, & alii Evangelistae primum Azymorum.) (Exodi 13.) Neque cum his pugnat, quod Joannes scripsit, Judaeos noluisse ingredi praetorium Pilati, ne contaminarentur, sed manducarent pascha: nam eo loco pascha non significat agnum paschalem: cum enim jam comederant Judaei eadem praeterita nocte, qua Christus cum discipulis suis coenavit; quod ex Matthaeo deprehenditur, dicente: ET prima die azymorum, quando pascha immolabant, &c. (Matth. 27. 17.) sed significabant azymos panes, quos septem diebus continuis edere oportebat, quorum primus & celeberrimus dies ille erat, quo Christus occisus est, nempe luna quinta decima, ab ipso, ut jam dictum est, quartae decimae Lunae vespere incipiens. (Pascha aliquando significat panes azymos.) Illud vero, quod addit Joannes, fuisse ea die parasceven, non est interpretandum de parasceve paschae, in quo Judaei parabant se ad esum agni, sub vesperum lunae quartae decimae immolandum, sed de parasceve sequentis Sabbati, quod dicebatur Sabbatum paschae; quia intra hebdomadam paschalem inciderat, unde & celebrius habebatur, quam alia Sabbata, sicut Evangelista indicat, dicens: ERAT enim magnus ille dies Sabbati. (Joan. 19. 3.) Quapropter cum duplici jure festivus esset dies ille & propter Sabbatum & propter hebdomadam paschalem, quae tota festiva erat; magna quoque praeparatione ad ejus celebrationem opus erat. Ex his itaque constat Christum coenam perfecisse die mensis quarta decima, ad vesperam paschae, hoc est, die quinta hebdomadae; & sacramentum corporis sui in eo panis genere instituisse, quo tunc in mensis Judaeorum vesci licebat, nempe azymo, & absque ullo fermento: quem ritum servans Catholica Latinorum ecclesia, jure optimo azymum panem in sacris mysteriis consecrari jubet. (a)

(a) Plura, haud inficior, possent hic addi ad majorem veritatis claritatem, praesertim hodie post tot Eruditorum opera typis mandata, variamque Theologorum opinionem circa ultimum Christi Pascha. Verum omnia vel solum indigitare quid foret nisi maris aquas congregare in scrobem? Aut omnia, etsi in epilogum redacta, hic adjicere, quid esset nisi improbum subire laborem, & in immensum progredi? Ne ergo sine caussa dissertationes prolixas addam commentariis: ne vel ea omittam, quae saltem ad Tyronum notitiam, ac eruditionem spectare possunt, satis superque erit digito monstrare Scriptores, qui prae ceteris consuli possunt ad pleniorem eruditionem solidamque doctrinam, necnon delibare solum nova systemata Doctorum. Adversus Graecorum commentum omnibus apprime notum cum scripserint Polemici ac Theologi omnes, omnesque Divinae scripturae Interpretes, praecipue tamen consuli possunt Leo Allatius, Petrus Arcudius, NN. Natalis Alexander. & Michaël Lequien. De usu Azymi in Sacrosancto Missae Sacrificio apud utramque Ecclesiam, Orientalem nimirum, & Occidentalem, quum etiam varia sit Doctorum sententia, prae ceteris legi possunt Card. Bona *de rebus Liturgicis lib. II. c.3.* & Dissertationes *de Azymo* Johannis Mabillonii, & Johannis Ciampini, nec non quae habet Edmundus Martene *de Ritibus Ecclesiae*. Circa ultimum Jesu Christi Pascha P. Bernardus Lamy in sua *Concordia* asserit Christum Anno, quo mortuus est, non celebrasse Pascha Judaico more, seu Paschalem Agnum non comedisse, sed solum instituisse Eucharisticam Coenam: adversus quem prae ceteris ex professo scripsit Sebastianus Tillemontius. Aegidius Bucherius, & Paulus Pezron cujuslibet mensis in Republica Judaica duo initia contineri consequentia fuisse asseruerunt, alterum a conjunctione Lunae cum Sole, alterum ab ejusdem Lunae in terris primo conspectu, adeoque duplicem fuisse unamquamque mensis diem, atque ita duplicem quoque extitisse diem quartam decimam Nisan, quarum utravis Pascha poterat immolari: ex quo concludebatur Christum legale Pascha adimplesse, esto Paschalem agnum

ANNOTATIO CXI.

Accepit Jesus panem, & benedixit. Matth. 26. c

Quibus verbis Christus Eucharistiam consecraverit

THOMAS Cajetanus in commentariis his verbis talem subnectit elucidationem: ACCEPIT Jesus panem, & benedixit benedictione laudis, non benedictione consecrationis: quod patet ex eo, quod tam Lucas, quam Paulus loco benedictionis ponit gratiarum actionem, quae est benedictio laudis. Ambrosius, Campsae episcopus, in prima Annotationum suarum editione suspicatur Cajetanum haec protulisse, quod incertus & ambiguus fuerit de forma consecrationis, hoc est, quibus verbis Christus consecraverit. Suspicionis vero causas affert duas, unam, quod Cajetanus noluerit haec verba intelligi de benedictione consecrationis, quemadmodum D.Thomas, ac plerique celebres doctores exposuerunt; alteram, quod cum toties in commentariis suis explanaverit sententiam illam, Hoc est corpus meum, nusquam de forma consecrationis, quae in ipsa includitur, mentionem vel minimam fecerit. Damnavit hoc ipsum Eduardus Laeus in Erasmo, quod in Annotationibus novi testamenti scripserit, non esse pertinaciter asseverandum, quibus verbis consecraverit Christus, & quibus verbis consecret sacerdos; cum id nusquam expresse legatur; & ea verba; Hoc est corpus meum, magis videantur esse jam panem consecratum porrigentis, quam panem consecrantis.

Recentiorum Graecorum error circa consecrationem Eucharistiae.

MARCUS Ephesinus episcopus, Nicolaus Cabasilas Thessalonicae episcopus, & alii quidam recentiores Graeci, qui explanationes in Liturgiam ecclesiae Graecae ediderunt, quanquam non inficientur praedicta verba, Hoc est corpus meum, esse ad sanctificationem & consecrationem Dominici corporis necessaria: negant tamen ea duntaxat sufficere ad perfectam transmutationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi, nisi his adjiciantur precationes, & benedictiones quaedam a sanctis Patribus traditae, quae per invocationem Spiritus Sancti vim habent transmutandi panem & vinum in corpus & sanguinem Domini. Quam etiam opinionem demonstrare contendunt ex sacris sanctorum Patrum Liturgiis, Jacobi videlicet, Basilii, Chrysostomi: in quibus post recitationem Dominici sermonis, Hoc est corpus meum, superadduntur orationes, quae per divini Spiritus implorationem actu compleant, ac perficiant consecrationem & transmutationem panis & vini, quae jam ex prolatione verborum Christi dispositionem & potentiam acceperant, ut per sequentem sacerdotis deprecationem sanctificarentur, & in dominicum corpus verterentur, Formulae vero ejusmodi praecationum hae sunt.

JACOBUS Apostolus in Liturgia, sive Missa a se edita ritum perficiendi eucharistiam hoc ordine praescripsit: DOMINUS noster Jesus Christus, accipiens panem in sanctas & immortales manus suas, in coelum suspiciens, ac tibi Deo, & patri

agnum comedisset ante diem XIV. Lunae Martii in Coelo conspicuae (quando phase immolarunt Hebraei) & ita reapse factum fuisse docuerunt, ut omnem salvarent antilogiam. P. Johannes Harduinus Soc. Jesu, ut eandem conciliaret antilogiam Evangelistarum circa ultimum Christi Pascha, novo adinvento systemate de vario ritu celebrandi Judaicum Pascha apud Galilaeos, nimirum, & Hierosolymitanos, docuit Christum Galilaeorum more antevertisse Judaicum Pascha, seu quod ad Vesperam XIV. Lunae mensis Martii celebrabant Hierosolymitani. Alii, etsi doceant Christum Anno, quo mortuus est, Pascha Judaico more celebrasse ad Vesperam Jovis, stato nempe tempore legali, ad XIV. Nisan, cum Hebraeis tamen non convenisse in Paschatis solemnitate, quia eo Anno Hebraei Pascha transtulerunt in Sabbatum, adeoque cadente Veneris die Paschalem agnum comederunt: quia licet a conjunctione Lunae cum Sole dies Veneris foret XV. primi mensis, attamen propter Neomeniae translationem Synedrii decreto factam ad diem sequentem post conjunctionem Lunae cum Sole, erat apud Judaeos dies XIV. primi mensis. Quapropter concludunt Christum ultimo suae vitae Anno legale celebrasse Pascha, sed cum Hebraeis non convenisse. Hujus postremae sententiae sunt Paulus Brugensis, Cornelius Jansenius Gandavensis, Johannes Maldonatus, Joseph Scaliger, Sethus Calvisius, & Auctor Gallicae Analyseos, seu P. Maduit Congregationis Oratorii Beruliani Presbyter. Ex adverso tamen & universim sentiunt ceteri Theologi, Criticique recentiores, qui adstruunt Christum die Jovis ad Vesperam juxta legis praescriptum comedisse simul cum Hebraeis Paschalem agnum, & post typicam Coenam in Azymis sacrasse Eucharistiam, seu novum Pascha instituisse. Prae ceteris tamen, qui ita docent, consulique possunt, sunt Cardinalis Baronius, Carolus Vvitasse, Honoratus à S. Maria, NN. Card. Gotti, Hyacinthus Amat de Graveson, & Jacobus Hyacinthus Serry. Legendus est etiam Dupinius in *Bibliotheca*, ubi varias in Gallia exortas controversias ex novo systemate Lamy, aliorumque percenset, nec non Theologos, qui adversus illorum authores ex professo scripserunt, accurate commemorat, & laudat.

& patri ostendens, gratias agens, sanctificans, frangens, dedit nobis discipulis suis, & apostolis suis, dicens: In remissionem peccatorum, & in vitam aeternam. accipite & comedite: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis frangitur, & datur in remissionem peccatorum, Amen. Similiter postquam coenavit, accipiens calicem, & permiscens ex vino & aqua, & aspiciens in coelum, ac ostendens tibi Deo, & patri, gratias agens, sanctificans, benediceos, implens Spiritu Sancto, dedit nobis discipulis suis, dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis & multis effunditur, & datur in remissionem peccatorum: hoc facite in meam commemorationem. Et post haec, Memores igitur & nos peccatores passionum ejus vivificarum offerimus tibi hoc verendum & incruentum sacrificium, oranres te, Domine, ut demittas Spiritum tuum sanctissimum in nos, & haec dona sancta proposita, ut superveniens sancta & gloriosa sua praesentia sanctificet, & efficiat hunc panem corpus sanctum Christi tui, Amen; & calicem hunc preciosum sanguinem Christi tui, Amen.

CLEMENS tertius post Petrum pontifex in Liturgia sua hunc in modum habet: Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accipiens panem in sanctas & immaculatas manus suas, & elevatis oculis ad te Deum ac patrem suum fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite, ex eo comedite: hoc est corpus meum, quod pro multis comminuitur in remissionem peccatorum: similiter & calicem, vino & aqua temperatum, sanctificavit, deditque ipsis, dicens: Bibite ex eo omnes: Hic est sanguis meus, qui pro multis effunditur: hoc facite in meam commemorationem. Memores igitur passionis ejus, secundum ejus institutionem te rogamus, ut mittere digneris sanctum tuum Spiritum super hoc sacrificium, ut efficiat panem hunc corpus Christi tui, & calicem hunc sanguinem Christi tui.

CYRILLUS etiam Hierosolymae episcopus referens quonam modo sacra hostia consecretur haec in quinta Catechesi mystagogica scribit: Deum oramus benignissimum ut super illa proposita Sanctum Spiritum emittat, ut panem quidem faciat corpus Christi, vinum vero sanguinem Christi: omnino enim quod attigerit Spiritus Sanctus hoc sanctificatur & transmutatur.

BASILIUS quoque in Liturgia consecrationis verba sic ponit: CHRISTUS in nocte, qua tradebat se ipsum pro mundi vita, accipiens panem in sanctis suis & immaculatis manibus, & ostendens tibi Deo & patri, gratias agens, benedicens, sanctificans, frangens, dedit Apostolis, dicens; Accipite, & manducate: Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, in remissionem peccatorum, Amen: similiter & calicem, &c. & post haec, Ideo rogamus venire Spiritum Sanctum tuum super nos, & super proposita munera ista, & benedicere ea, & sanctificare, & efficere panem quidem istum ipsum honorificum corpus Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi; quod autem est in calice isto, ipsum sanguinem Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, qui effusus est pro mundi vita.

CHRYSOSTOMUS item post recitationem dominici verbi, Hoc est corpus meum, tali utitur deprecatoria consecratione: PRECAMUR, supplicamus, & deposcimus, ut mittas Spiritum Sanctum tuum super nos, & super haec apposita munera: & fac panem istum quidem, preciosum corpus Christi tui; & quod est in calice isto, preciosum sanguinem Christi tui permutans Sancto Spiritu tuo, Amen. Ex his igitur astruunt Graeci illi verba Dominicae consecrationis absque Patrum precationibus ad transmutationem panis & vini in corpus Christi non sufficere.

ATQUI eandem esse hac de re Latinorum & veterum Graecorum mentem perspicue demonstrat Chrysostomus in homilia de Juda proditore, ubi docens conversionem mysteriorum perfici solo Christi sermone, a sacerdote prolato, sic scribit: NON homo Christi corpus facit & sanguinem, sed ille, qui crucifixus est pro nobis, Christus: sacerdotis ore verba Christi proferuntur, & Dei virtute & gratia consecrantur proposita. Hoc enim, ait, est corpus meum: hoc verbo proposita consecrantur: & sicut illa vox, quae dixit, Crescite, & multiplicamini, & replete terram, semel quidem dicta est; sed omni tempore assequitur effectum ad generationem, operante natura: ita & vox illa semel quidem dicta est, sed per

Veteres Graeci idem sentiunt cum Ecclesia Latina de forma consecrationis Eucharistiae.

Genes. 1. 28.

per omnes mensas ecclesiae usque ad hodiernum diem, & usque ad Christi adventum praestat sacrificio firmitatem. Ad hanc Chrysostomi sententiam accedit decretum Oecumenicae Synodi Florentinae, Latinorum & Graecorum omnium consensu receptum, in haec verba: DECERNIMUS; ut Armeni se cum universo orbe Christiano conforment, eorumque sacerdotes in calicis oblatione paululum aquae admisceant vino; utentes forma hujus sacramenti, quae sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficitur sacramentum: nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem convertuntur, ita tamen, quod totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie vini.

Responsiones ad objecta recentiorum Graecorum. AD EA VERO, quae episcopi Marcus & Nicolaus afferunt, triplicem apud Latinos responsionem invenio.

PRIMO GENTIANUS Hervetus in praefatione operis Cabasilae, a se translati, ait, cum in Missis Graecorum Patrum post prolationem verborum Christi additur, Fiat corpus, fiat sanguis, &c. non esse credendum tunc primum fieri conversionem, quae jam paulo ante facta est; sed ostendi, quod licet sermo Christi in voce transierit, tamen remanet effectus consecrationis sub symbolis, seu speciebus panis & vini. Similemque ait loquendi modum inveniri apud Marcum de muliere, profluvio sanguinis laborante: quae postea, quam a Christo sanata est

Marth. 5. 34 fide, & ejus fimbriae vestimenti contactu, a Christo nihilominus audit, Esto sana a plaga tua; quae tamen jam sanata fuerat: ut significaretur, quod licet fimbriae tactus transisset effectus; tamen inde consecutus perseverabat.

SECUNDO JOANNES, Ostuniensis episcopus, in scholiis Clementis putat haec, nisi fallor, accipienda esse per figuram πρωθύστερον, hoc est; ut intelligamus tunc invocari Spiritum Sanctum, tanquam peractae jam consecrationis & jam perfectae conversionis operatorem.

TERTIO BESSARION, Patriarcha Constantinopolitanus haec exponens; inquit corpus Dominicum duplex esse, verum scilicet, ac mysticum; & illud quidem ipsius Domini verbis, cujus corpus est, perfecte confici; hoc vero, quod ipsi sumus, compleri superadditis Patrum precationibus, quibus post transmutationem panis ac vini in ipsum Christi corpus sacerdotes precantur, ut astantes mysteriis per dignam sacramenti sumptionem unum cum Christo corpus efficiantur. Quam interpretationem confirmant orationes illae, quae statim post consecrationem eucharistiae Basilius & Chrysostomus subnectunt in haec verba: UT omnes, qui de uno pane & calice participamus, coadunemur invicem in unius Spiritus Sancti communionem: faciasque accipere sanctum corpus tuum, ut inveniamus misericordiam & gratiam in coetu omnium sanctorum. (a)

AN-

(a) Nonnullae circumferuntur Liturgiae ab Apostolis, vel Apostolicis Viris editae, & pridem à Cl. Theologis probatae, praecipue a C. Baronio, Lindano, & Card. Bellarmino; quare mirum non est si ex eis hic aliquot laudaverit N. Xystos, qui tamen *Lib. II.* inter Apocrypha aliquas numeravit adlegavitque, sicut plura id genus, quae ibi est legere. Verum nemo, qui eruditus Criticus audit, impraesentiarum ambigit eas fore ablegandas ad Authores longe posterioris aetatis. Et quamvis Cl. Card. Bona Criticus non ignobilis, aliique eruditi recentiores, Claudius de Sainctes Sorbonicus Doctor, & Episcopus Ebroicensis, atque Leo Allatius pro Jacobi Apostoli Liturgia steterint, adhuc tamen eam ceteri quique ab Apostolico Seculo relegant, & quidem ex momentis validis de solidis, iisque probatis. In ea quippe adseritur Filium, & Spiritum Sanctum esse Patri consubstantiales, & Beatissima Virgo Maria dicitur Θεοτόκος, quae ex definitionibus Nicaeni I. & Ephesini Conciliorum habentur, seu haec explicita luculenta verba nonnisi post hasce Synodos ita aperte sunt usurpata, esto utrumque dogma ex Divina traditione adhuc prius innotuerit. Occurrit Trisagion *Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte immortalis miserere nobis*, & Doxologia, seu hymnus Angelicus *Gloria in excelsis* &c. in Ecclesia vulgo V. Seculo usitata. Oratur pro inclusis in Monasterio, qui certe Seculo Apostolico non extiterunt. Fit mentio Confessorum, quae vox diu post Jacobum fuit inducta. Verbum habetur de Templis, suffumigatione Altaris, &c. quae ab Apostolico ritu sunt aliena. Ne autem effugium aliunde petatur, ad majorem rei claritatem oportet addere, quod S. Gregorius M. ad Johannem Syracusanum Episcopum scribens *Lib. VII. Epist.* 63. inquit „ Mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam „ solummodo Orationem Dominicam oblationis Hostiam consecrent. „ Et Valafridus Strabo loquens de ritibus Ecclesiasticis, & de Liturgiis haec habet *de rebus Ecclesiae cap.* 22. „ Quod nunc agimus multiplici Orationum, Cantilenarum, & Consecrationum officio, totum hoc Apostoli, & post „ ipsos, ut creditur, proximi, orationibus commemorationis Passionis Dominicae, sicut ipse praecipit, agebant simpliciter: proficiente dehinc Religione, amplius acta sunt à Christi cultoribus „ officia Missarum „ &c. De qua re videndi sunt Stephanus Augustodunensis *de Sacram. Altaris c.* 20. Benno Augensis *de offic. Miss. cap.* 1. Hugo de S. Victore *de Divin. offic. lib.* 2. *cap.* 12. Honoratus Augustodunensis *in Gemma Animae lib.* 2. Durandus Mimatensis

matensis *Rational. Divin. Officior.* Radulus Tungrensis *de Canon. Observ.* Ex Criticis vero consulendi sunt Elias Dupinius, Nicolaus le Nourry Benedictinus Congregationis S. Mauri, N. Gravesonius, Guillelmus Cave, Guillelmus Ernestus Tenzelius, aliique, qui omnes laudatam Liturgiam Jacobo Apostolo ablegant.

Illud autem, quod ex Liturgiis Graecorum objicitur, & recentioribus Graecis Nicolao Cabasilae, Marco Ephesio, Simeoni Thessalonicensi, Semoni Gazensi, aliisque caussa fuit effutiendi per reliquas preces adjectas formulis consuetis *Hoc est corpus* &c. *Hic est sanguis* &c. confici incruentum Jesu Christi Sacrificium, & sub speciebus panis ejus corpus, sub speciebus vini sanguinem ejus poni in reali transubstantiatione materierum, plene dissolvitur ex eo, quod Cardinalis Bessarion scripsit in Opusculo *de Sacramento Eucharistiae*, pleniusque exhauritur ex iis, quae adjecit Petrus Arcudius *Lib. III. de Sacr. Eucharist. cap. 17. & sequent.* ubi ne dum ex contextu Graecarum Liturgiarum probat relatos Graecos delirare, verum ex primoribus utriusque Ecclesiae, Orientalis, nimirum, & Occidentalis Patribus Justino, Irenaeo, Basilio, Gregorio Nysseno, Chrysostomo, Proclo Constantinopolitano, vulgato Dionysio Areopagita, Gregorio Nazianzeno, Epiphanio Ambrosio, Augustino, Gaudentio, Eusebio Emeseno, aliisque ad evidentiam usque demonstrat sola Christi verba *Hoc est corpus* &c. *Hic est sanguis* &c. sufficere ad consecrationem utriusque materiei, & satis esse ad incruenti Sacrificii substantiam, etiam ceteris precibus non adjectis: nec non viriliter retundit sophismata schismaticorum reluctantium expressae definitioni Concilii Florentini. Et quidem, ut idem met adnotavit, nonne eadem caussa ambigendi foret Latinis ex eorum Liturgia, in qua post Consecrationem utriusque speciei aliae id genus adjunguntur preces, quae speciem praeferunt Sanctificationis, quum re vera ex inconcussa perennique Latinae Ecclesiae traditione non ad consecrationem eae spectent, sed dumtaxat ad obtinendum Sacrificii fructum, quem humiliter à Domino precando petimus nobis, dum Sanctificationem Sacrificii imploramus? In nostra quidem Liturgia post Christi verba tres ad minus ponuntur Orationes in Canone super divina munera. Prima est: „ Supra quae „ (sanctum panem sacrumque calicem) „ propitio ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere, sicut accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, & Sacrificium Patriarchae nostri Abrahae, & quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech sanctum Sacrificium, immaculatam hostiam. „ Secunda est. „ Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube haec perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum in conspectu Divinae Majestatis tuae. „ Tertia est. „ Per quem (Christum) haec omnia Domine, semper bona creas, sanctificas, benedicis, & praestas nobis. „ Consule laudatum Theologum ad pleniorem eruditionem.

Verum quia novissime de hac re scripsit Cl. N. Jacobus Goar Graecanicorum rituum peritissimus, ceu qui XXIV. solidis Annis in Oriente Missionarii munus obivit, Theologus primi nominis, qui propterea, ultra quamplura egregia opera, Euchologium Graecorum suis eruditissimis notis publici juris fecit omnium ore laudatum, lubet hic exarare, quod ibi scripsit doctissimus vir in *notis ad Missam S. Joh. Chrysostomi*. Ita enim ibi loquitur „ Post prolatum itaque eum Christi Domini sermonem, quo panis, & vinum in corpus, & sanguinem ipsius convertuntur: Ecclesiam velut pro eo consecrando, & sub speciebus Eucharisticis substituendo, Spiritus Sancti virtutem, suis precibus advocare docuerunt Patres Liturgiarum Authores. Primo, quia licet certo certius teneat Ecclesia solis Christi verbis hoc mysterium posse confici: horret tamen animus, mens titubat, affectus refugit sine precibus hanc hostiam consecrare, aut hoc irreligioso more consecratam recipere: ideoque ad id, quod sibi magis expedit, & initiando mysterio congruit, ad laudes Dei, verbi ejus praeconium, precesque maxime pro ipsa consecratione obtinenda fundendas, recurrit. Licuit enim semper, imo & Deus ipse gaudet promissa sua, quibus tamen eum non stare est impossibile, precibus nostris sollicitare, & ut adimpleantur, orationibus urgere. Spontanea quippe est, & libera, aeque ac donum, doni promissio: & ut spontanea, doni pretio comparatur. Ut itaque doni a Deo promissi, nulla vi impedienda, nullaque arte defectura, precum multarum instantia, praeveniri potest collatio: quis enim neget post pollicitum Abrahae filium, pro ejus exortu nonullas preces ipsum fudisse, aut post promissum a Christo Spiritus Sancti, certissime in eos illapsuri donum, illud fervidis (quod & asserit Scriptura) orationibus non expetiisse? aut quis non videat Ecclesiam Latinam pro consecratione indubie Christi verbis adimplenda, orare? ita & doni jam obtenti supraque vires & merita collati possessio, votis omnibus expeti potest, & postulari, non eo quidem fine, ut de novo comparetur, sed ut pacifice teneatur, & voluptas ex ejus fruitione orta crescat, foveatur, confirmetur. Illud vero hic maxime praestandum occurrebat: ubi cum ante consecrationem, nulla, quae eam peteret, facta fuisset oratio; ipsa vero eadem consecratio cum vires, & merita Sacerdotis excedat, secum saltem ut comitem illam debet deducere: verbis tamen, quibus perficitur consecratio (alibi mentem animumque Sacerdotibus applicantibus) quum adjungi nequiverit: nil mirum, si spatio aliquo dato, e latebre mentis, & cordis sinu educatur, & Deo offeratur, comparata non tempori, quo profertur ore, sed potius praeterito consecrationis momento, quo fieri debuerat. Sic quippe quum Deum panis & vini creatoras *producentem*, celebrare teneretur Ecclesia; quum ipsum Sacramentali transmutatione dona illa *vivificantem* laudare, & ob nostrum profectum actu consecrata *benedicentem* extollere deberet: aliis, quibus occupabatur, non amplius detenta, quum hoc se debito exolvere molitur, quasi pro eodem temporis instanti conferendo beneficio, omnipotentiam, liberalitatem, benignitatemque Dei, vocibus hic commendat & praedicat: *Haec omnia Domine semper bona creas, sanctificas, vivificas, & praestas nobis*: quum tamen longe ante *creata*, per ejus verbum, *sanctificata*, & in vitam & sanctitatem populi destinata, coelestique *benedictione* cumulata, venturae felicitatis promissum per sui susceptionem, jam jam sint *praestitura*. Secundo, quum ad consecrationem absolvendam concurrant principia effectiva, Christus, & homo: convenit utrumque in tam sublimi, tam difficili, tam mirando opere edendo, non tantum virtutem suam exercere, conjungere actionem, sed & agendi rationem status sui conditioni congruentem prodere, & manifestare: Christus autem ut Deus omnipotens, imperio, vel saltem verbo, opus illud producendum aggreditur; homo velut ejus minister, & ad agendum concurrens, licet ab eo dependeat, virtutemque omnem ab eo ceu subjectum instrumentum mutuetur; in ejus persona loquitur, verba ejus usurpat, praecipuam ejus potestatem, & velut authoritatem arrogat: quid ni tandem sui status memor, suae debilitatis conscius, & infirmitatis reus, quod nonnisi precibus, quantum in se est, posset obtinere, precibus quoque exposcat, & quod jam effectum vires suas superare agnoscit, velut efficiendum desideriis, votis, obsecrationibus comparare moliatur?

ANNOTATIO CXII.

Accipite, & comedite: hoc est corpus meum, &c. Matth. 26. c

De Eucharistia.

CHRISTIANUS Druthmatus recensetur a Sacramentariis haereticis in numero veterum Patrum, quos illi falso & impudenter impietatis suae defensores esse jactant, quia in commentariis super Matthaeum ita hanc declaret sententiam, ut asserere videatur corpus Christi non aliter sacramento altaris adesse, quam in figura. Scribit namque hoc modo: DEDIT discipulis suis sacramentum corporis sui in remissionem peccatorum, & in conservationem charitatis, ut memores illius facti semper hoc in figuram facerent, quod pro eis acturus erat, & hujus charitatis non obliviscerentur, Hoc est corpus meum, id est, in sacramento. Et paulo post, SICUT si aliquis, peregre proficiscens, dilectoribus suis quoddam vinculum dilectionis relinquit eo tenore, ut omni die haec agant, ut illius non obliviscantur: ita Dominus praecepit nos agere, transferens spiritualiter corpus in panem, in vinum sanguinem, ut per haec duo memoraremus, quae fecit de corpore & sanguine suo; & non simus ingrati tam amantissimae charitatis. Scito Christiane lector hunc locum sive scriptorum inscitia, sive imprimentium negligentia, sive haereticorum fraude rurpter & periculose mutilatum & corruptum; quod ipse non inani conjectura deprehendi, sed ex germana & integra lectione vetustissimi codicis, quem Lugduni in bibliotheca Franciscanorum manuscriptum inspexi: nam pro eo, quod codices in Germania excusi habent, Hoc est corpus meum, hoc est, in sacramento; Lugdunense exemplar plus habet, Hoc est corpus meum, hoc est, vere in sacramento subsistens. Rursum ubi in impressis voluminibus legimus, Transferens spiritualiter corpus in panem, in vinum sanguinem; in Lugdunensi legitur, Transferens panem in corpus, & vinum in sanguinem.

tur? Tertio, Christo ut praecipue, & a nullo pendenti causae, Sacramentorum quidem omnium producendorum virtus conceditur, solet tamen Ecclesia Graeca, ut verum eat, similes ubique partes in agendo Sancto Spiritui tribuere: hinc in Baptismo, ut aqua virtute, operatione, & adventu Spiritus Sancti sanctificetur: in Confirmatione, vel extrema Unctione, ut par beneficium sacrum chrisma, vel oleum infirmorum accipiat, preces, easque ferventes, emittit: commemorat in Poenitentia Spiritus S. donum ad solvenda delicta: gratiam quoque ejusdem in Ordine praedicat: quum jam itaque Christi virtutem verbis ejus manifestam, & illius opus agnitum supponat, effectum pariter Spiritus Sancti eapostulat: *καταπέμψαι τὸ πνεῦμά σου τὸ ἅγιον* &c. inquit, ut opus modo nostro concipiendi ab eo dependens, ab eo quoque procedere agnoscatur. Nam & in Ordine, licet Pontifex Graecus manuum impositione, velut materia, verbis sacris gratiam Spiritus Sancti commemorantibus, velut forma, Sacramentum perfectum esse commonstraverit, ad preces nihilominus, quibus Spiritum Sanctum advocat, fundendas convertitur, ut a se latenter opus praestitum, manifeste suis partibus absolutum esse appareat. *Oremus*, inquit, *ut super eum adveniat Spiritus Sanctus*; cujus tamen gratia eum ad aliquem Ecclesiae gradum jam promotum esse declaraverat, & proprio oris praeconio Ordinem adeptum fuisse praedicaverat. Quarto, instantaneam licet fateamur elementorum conversionem, & uno momento completam, verbis integre prolatis, Christi sub speciebus Eucharisticis adventum, habet tamen momentanea illa mutatio praevias, & subsequentes dispositiones, quasdam plurimo praecedente, atque etiam succedente tempore, multa, & copiosa precum serie adjungendas; quas quidem non inefficaces, quin potius in hoc mysteriorum opere plurimam virtutem exercere, & effectum non contemnendum praeter Evangelica, idest consecrationis verba, producere, asserit Basilius lib. de Spiritu S. cap. 27. *τὰ δὲ ἐπικλήσεως ῥήματα ἐπὶ τῇ ἀναδείξει τοῦ ἄρτου τῆς εὐχαριστίας, τίς τῶν ἁγίων ἡμῖν καταλέλοιπεν; οὐ γὰρ δὴ τούτοις ἀρκούμεθα, ὧν ὁ Ἀπόστολος ἢ τὸ Εὐαγγέλιον ἐπεμνήσθη, ἀλλὰ καὶ προλέγομεν καὶ ἐπιλέγομεν ἕτερα, ὡς μεγάλην ἔχοντα πρὸς τὸ μυστήριον ἰσχὺν ἐκ τῆς ἀγράφου διδασκαλίας παραλαβόντες. Invocationis verba in productione sive renunciatione panis Eucharistici, & poculi benedictionis, quis Sanctorum scripto nobis reliquit? Non enim his contenti sumus, quorum Apostolus aut Evangelium mentionem fecit, sed ante, & post, dicimus alia, veluti magnum robur & pondus ad mysterium habentia, quae ex doctrina scripto non prodita nos accepimus.* Habet inquam Physica illa, & in instanti complenda mutatio, morales alias, quae antecedant, & subsequantur mutationes, successu temporis, & Sacerdotis orationibus perficiendas: an non moralis est & humano saltem judicio mutatio hostiae a profano in sacrum usum deputatio illius facta Deo donatio, & tot ritibus, & praeviis initiationibus comparata ab illa sanctificatio? An non moralis est pariter perfectio, manifestus, vel occultos, per gratiam, hominibus conferendam Sancti Spiritus in sacra dona descensus, donorum coelestium succedens comitatus, recentius adveniens benedictionum omnium effluxus, copia, inundatio? An non hoc est Spiritum Sanctum in Sacerdotem, & in sacra dona mitti, dona ipsa consecrari, Spiritu Sancto immutari, & si velis Christum ipsum in Sacramento confici, si de novo dona illa Spiritu Sancto inumbrante adventitiam & ampliorem sanctimoniam adipiscantur, qua Christi, ut ita dicam, nudi & in Sacramento latentis, ornatus omnis, majestatisque praesentia manifesta fiat, & agnoscatur? „ Hucusque Cl. Vir, qui etiam alia addit ad enodationem objectionum adversantium, quem consulat qui plura scire exoptat, quum haec adposuisse sufficiat ad dogmatis explanationem, nostrique operis scopum,

nem. Non me latet hujus auctoris verba, etiam sicut a typographis sunt edita, facillime ab haereticorum usurpatione vindicari posse. At cum ipsa, integritati suae restituta, clarissime ostendant piam auctoris mentem ab horum insania abhorrere: superfluum duxi, aliam huc interpretationem afferre.

ANNOTATIO CXIII.

Non bibam de hoc genimine vitis. Matth. 26. e

CHRYSOSTOMUS homil. 83. in expositione istius sententiae affert haec verba: CUJUS rei gratia Christus non aquam, sed vinum post resurrectionem bibit? perniciosam quandam haeresim radicitus evellere voluit, qui aqua in mysteriis utuntur; itaut ostenderet, quia & quando hoc mysterium tradidit, vinum tradidit, & quando post resurrectionem in nuda mysterii mensa vino usus est: ex germine autem ait vitis, quae certe vinum, non aquam, producit. Ex his verbis male intellectis Armeni haeretici solo vino in mysteriis utebantur: adversus quos concilium universale, cognomento in Trullo, sub Justiniano celebratum, canone 32. ita decernit: QUONIAM novimus, quod in Armenorum regione vinum tantum in sacra mensa offerunt, aquam illi non miscentes, qui incruentum sacrificium peragunt, praetexentes ecclesiae doctorem Joannem Chrysostomum propter haec verba in interpretatione Matthaei, Cujus rei gratia Christus non aquam, sed vinum, &c. quibus verbis existimant Christum prohibere aquae oblationem in sancto sacrificio. Sed, ut hi ab ignorantia liberentur, illius patris mentem orthodoxe aperimus, dicentes illum voluisse subvertere antiquam pravamque Hydroparastarum haeresim, qui pro vino sola aqua in sacrificio usi sunt. Si quis ergo episcopus, vel presbyter vinum, aqua mistum, in sacrificio non offert; deponatur.

Num solo vino sine aqua in sacris mysteriis utendum sit.

Haec Synodus Quinisexta non est Oecumenica. Vide Labbeum, Cabassutium, Natalem, & alios.

ANNOTATIO CXIIII.

Coepit contristari, & moestus esse. Matth. 26. d

HILARIUS canone 31. in Matthaeum subindicat Christum nec sibi vere timuisse, nec vere doluisse, nec vere orasse, sed suis. Utitur autem his verbis: ASSUMPTISQUE Petro, Jacobo, & Joanne, coepit tristis esse: ergo non ante tristis est, quam assumit; & omnis metus illis esse coepit assumptis: atque ita non de eo orta est, sed de his, quos assumpserat moestitudo. Et infra, DENIQUE ait, Tristis est anima mea usque ad mortem: nunquid ait, Tristis est anima mea propter mortem? certe non ita: nam si de morte erat metus; ad eam utique referri, per quam erat, debuit: sed aliud est usque in id, aliud ob id meruere. Rursum post pauca, TOTUS igitur super his, qui passuri erant, metus erat: atque ideo, quia non est possibile se non pati, pro his rogat, qui passuri post se erant, dicens: Transeat calix a me, id est, quomodo a me bibitur, ita ab his bibatur sine spei diffidentia, sine sensu doloris, sine metu mortis. Interpretatur hunc locum Magister Sententiarum libro 3. distinct. 17. cujus interpretationem quaere supra Annot. 186. libri quinti.

An Christus vere sibi timuerit, & vere pro se oraverit.

HIERONYMUS libro in Matth. 4 exponens initium cap. 26. Hilario subscribere videtur, dum inquit: ERUBESCANT, qui putant Salvatorem timuisse mortem, & passionis pavore dixisse, Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste. Matth. 26. 39. Vide Annotat. 182. libri quinti. (a)

AN-

(a) Priorem Hilarii locum optime expendunt PP. BB. S. Mauri in nova S. Praesulis operum editione, quorum verba exarare opportunius est, quam alia adponere ad dogmatis claritatem. Inquiunt enim ibi: „In his non negat Hilarius, sed affirmat „veram in Christo tristitiam, ubi illam ea ratione „explicare conatur, quae hominem-Deum non de„deceat. Hunc imitati sunt Ambrosius, & Hiero„nymus: ille quidem lib. 10. in Luc. n. 17. ubi ait: „*Doles ergo Domine non tua, sed mea vulnera; „non tuam mortem, sed nostram infirmitatem, &c.* „Hic vero in Matth. cap. 27. ubi habet: *Contristabatur autem, non timore patiendi; quia ad hoc venerat, & Petrum timiditatis arguerat*: sed pro„pter infelicissimum Judam, & dispersionem *Apo„stolorum* &c.

Posteriorem autem Hilarii locum clarissime expendit S. Thomas *3. p. q. 46. a 2. ad 2.* ubi quum sibi

ANNOTATIO CXV.

Converte gladium tuum in locum suum. Matth.26. e

Num Christianis bellare liceat. EUTHYMIUS in expositione hujus periodi affirmare videtur, nullum jus belli, nec etiam pro defensione religionis Christianae clericis concessum esse, inquiens: UBI eum, scilicet Petrum, increpasset, docuit, neque etiam pro Deo defendendo utendum esse gladio: per gladium vero omnia arma prohibuit.

JOANNES FERUS libro quarto Commentariorum in Matthaeum, eandem sententiam secutus, non solum clericis, sed etiam laïcis omnem bellandi facultatem interdictam esse scribit his dictis: TRIA hoc verbo docet Christus. Primo Evangelium non armis saecularibus, non humana ope defendendum esse, sed illius defensionem Deo permittendam: sic Paulus, Arma militiae nostrae non car-
2.Corint.10.4 nalia sunt: sic Christus nullo gladio usus est. Secundo in Matthaeo dicit: Audi-
Matt.5.38.44 stis, quia dictum est, Oculum pro oculo: ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros. Tertio specialiter hic interdicit Apostolis gladium externum: habent
Ephes. 6. 17. enim, & habere debent gladium Spiritus, qui est verbum Dei: hinc Esaias prae-
Esai 9. 4. dicit pugnam Apostolorum futuram esse, sicut in die Madian, hoc est, sicut Ge-
Judic.7.22. deon Madianitas vicit non armis, sed tubis, & complosione lagenarum: sic Apostoli facturi erant spiritualiter.

JOANNES HENTENNIUS, Euthymii interpres & scholiastes, censet Euthymium loqui non de publica, sed privata persona: nemini enim, nisi magistratui, & ejus ministris licet gladii jure uti. Ad ea vero, quae Ferus pro assertione dogmatis sui ratiocinatur, vide quae scripsimus infra Annotatione 156.

ANNOTATIO CXVI.

Qui acceperint gladium, gladio peribunt. Matth.26. e

De bello: Luc.22.35. CHRYSOSTOMUS homilia in Matthaeum 85. UT facilius, inquit, crederent, quia traderetur, propterea dixit eis, Emite gladios: non ut percutiant, animans; sed, ut praedictionem ante oculos poneret. Erasmus in Annotationibus in Lucam utitur his verbis ad confirmationem dogmatis sui; quo docet omne genus belli Christianis interdictum esse: cujus erroris confutationem habes infra Annot.156.

ANNOTATIO CXVII.

Adjuro te per Deum vivum, &c. Matt. 26. f

Num exorcistis daemones adjurare liceat. ORIGENES tractatu in Matthaeum ex his, quos habemus 35. hoc enarrans, videtur explodere ab ecclesia Christi ritum exorcistarum, qui factis conjurationibus daemones adjurant: quippe loquitur in hunc modum: QUAERET aliquis, si convenit daemones adjurare. Qui respicit ad multos, qui talia facere ausi sunt, dicet non sine ratione fieri hoc: qui autem aspicit Jesum, non solum imperantem daemonibus, sed etiam potestatem dantem discipulis suis super omnia daemonia, & ut infirmitates sanarent, dicet, quoniam non est secundum potestatem datam a Salvatore adjurare daemonia: judaïcum est enim. D.Thomas in secunda secundae quaest.90.artic.2. hunc observans locum, ait esse duplex adjurationis genus; unum deprecatorium, quo malefici & incantatores precibus, & factis caeremoniis daemones ad vota sua alliciunt: & hoc merito damnat Origenes;

sibi eum locum S. Praesulis objecisset, respondet quo Hilarius intelligatur de Justitia dependente ex voluntate divina sicut in responsione ad 2. expendendo illud Joh. XII. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipsum solum manet*, cui postea adjecit illud Matth. XXVI. *Pater mi si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua*, Sapienter dixerat: nimirum „ quod Dominus „ ibi loquitur supposita praescientia, & praeordi- „ natione Dei secundum quam erat praeordinatum, „ ut fructus humanae salutis non sequerentur, nisi „ Christo patiente „ Vide etiam N. Johannem Nicolai ibidem in nota marginali, ubi bene laudatus Author Hilarii textum edisserit.

genes, quia benevolentiam & arctam cum daemonibus necessitudinem exigat. Alterum genus compulsivum est, quo per virtutem divini nominis exorcistae Christiani, posthabita omni superstitione & malitia, daemones adjurant, & ex obsessis corporibus expellunt.

HABES in hoc ipso tractatu paulo ante allatam sententiam verba quaedam, quae Christianis omnem jurandi facultatem videntur adimere, de quibus vide supra Annot. 26.

ANNOTATIO CXVIII.

Coepit detestari, & jurare, Quia non novi hominem. Matth. 26. g

HILARIUS canone in Matthaeum 31. super illa sententia, Tristis est anima mea usque ad mortem, loquens de Petri negatione, videtur significare eum non negasse Deum, sed hominem. Sic enim fatur: SCIEBAT Christus discipulos exterrendos, fugandos, negaturos se: sed quia Spiritus blasphemiae nec hic, nec in aeternum remittitur; metuit, ne se Deum abnegent, quem caesum, & consputum, & crucifixum essent contemplaturi: quae ratio in Petro servata est: qui cum negaturus esset, ita negavit, Non novi hominem: quia dictum aliquid in filium hominis remittetur. Et infra canone 32. exponens illud, Non novi hominem, idem clarius repetit hoc modo: DILIGENTER autem contuendum est, qua conditione Petrus negaverit: quanquam de hoc superius tractatum est: nam primo ait non se intelligere, quid diceret: sequenti, non se ei adhaesisse: tertio vero, se hominem non nosse: & vere prope jam fine piaculo hominem negabat, quem Dei filium primus agnoverit. Tamen quia ex infirmitate carnis vel ambiguus extitisset, amarissime flevit, recolens istius trepidationis culpam se nec admonitum potuisse vitare. Rursus in expositione Psalmi 52. ita Petrum excusat, ut dicat eum in hac negatione fidem non amisisse, sed constantiam credendi firmam & inconcussam servasse. Hoc ipsum videntur sentire Ambrosius in commentariis super Lucam, & Leo Papa Sermone 9. de passione Domini, & Bernardus. Lege supra Annotationem 183. libri quinti. (a)

An Petrus negaverit Christum esse Deum.

Matth. 12.

ANNOTATIO CXIX.

Et continuo gallus cantavit: & egressus foras flevit amare. Matth. 26. g

ORIGENES tractatu in Matthaeum 35. haec verba edisserens, videtur astruere, quod impossibile sit eos, qui post susceptam Evangelicae praedicationis gratiam & fidem abnegaverunt Christum, rursum ad poenitentiam reverti, & veniam delicti impetrare: qui error in Novatianis damnatus est. Verba ejus ad hunc modum leguntur: FORSITAN autem & omnes homines, quando denegant Jesum, ita ut peccatum denegationis eorum recipiat medicinam, ante galli cantum denegare eum videntur, nondum eis nato Sole justitiae, nec appropinquante eis ortu ipsius: si autem post ortum hujusmodi Solis ad animam, volentes peccaverimus, postquam accepimus scientiam veritatis, jam non relinquitur nobis sacrificium pro peccato, sed terribile judicium, & zelus ignis, qui comestu-

Num possibile sit eos, qui Christum negaverint, si ad poenitentiam revertantur, veniam consequi.

Hebr. 10. 26.

(a) Quum varius fuerit PP. loquendi modus circa Petri lapsum, non taedet hic transcribere quae nuper laudati PP. San-Mauraei ad relata ab Authore Hilarii verba adnotationem adposuerunt. „ Ita „ Ambrosius lib. x. in Luc. n. 81. *Et bene*, inquit, „ *negavit hominem, quia sciebat Deum*. Hujusmo- „ di interpretationem notare videtur Hieronymus „ in Matth. c. 26. *Sero*, inquit, *quosdam pio affectu* „ *erga Apostolum Petrum, hunc locum ita interpre-* „ *tatos, ut dicerent, Petrum non Deum negasse,* „ *sed hominem: & esse sensum. Nescio hominem,* „ *quia scio Deum. Hoc quam frivolum sit prudens* „ *lector intelligit; sic defendunt Apostolum, ut* „ *Deum reum faciant*. Ambigi tamen potest an in „ Hilarium cadat Hieronymi reprehensio. Dicens „ quippe Christum a Petro, qui primus eum con- „ fessus erat Deum, hominem jam quodam modo „ negari potuisse, non tam illum excusat, quam „ excusandi affectum demonstrat. Non vult illum „ sine piaculo, sed tantum negandi rationem specie „ veritatis non caute asserit. Deinde Christum non „ facit mendacii reum, qui Petrum vere negasse, „ ac negando culpam incurrisse non diffitetur. Vi- „ de quae observavimus ad Tract. in Psalm. LII. „ n. 12. Ad Ambrosium vero, quod attinet, fate- „ tur loco praedicto n. 87. se Petrum quidem beni- „ gne voluisse excusare, sed ipsum met Petrum se „ minime excusare, immo peccatum ultro confiteri „ ac flere „.

rus est inimicos. Et in Petro quidem tunc denegante non conveniebat dicere, Quo-
Hebr. 10. 29. modo ne putatis pejora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverint, & sanguinem testamenti communem existimaverint, unde sanctificati sunt, & spiritum gratiae injuriaverint? nondum enim sanctificatus fuerat Petrus sanguine Christi, qui fuerat sanguis novi Testamenti; nec iojuriavit spiritum gratiae, quem a principio nec acceperat: quoniam Jesus nondum fuerat honorificatus, nec erat in hominibus Spiritus Sanctus. Si autem in nobis hoc impium fuerit factum denegationis peccatum, omnia haec dicere convenit; quooiam & in sanguine testamenti
Joan. 7. a sanctificati sumus, & spiritum gratiae suscepimus propterea communem putare sanguinem testamenti precinsissimum, & injuriare spiritum gratiae, omnibus peccatis deterius est, ita ut nec in hoc saeculo, nec in futuro remissionem possimus accipere, si Dei filium denegemus. Quoniam ergo nobis oox praecessit, dies autem appropinquavit, & signum diei galli cantus insonuit nobis: propterea usque ad sanguioem stemus contra peccatum certantes, & propter charitatem nunquam excidentem omnia sufferamus, ut cum perfectis in ea consequamur haereditatem: & hoc attende, quoniam ante galli cantum, & ante Spiritum Sanctum, io tempore noctis profundae, etiam si frequenter denegaverit quis, vivere potest: quod manifestum est ex eo, quod ter denegavit Petrus. Si autem post galli cantum vel semel in quocunque periculo coostitutus denegaverit quis; impossibile est eum
Hebr. 6. a renovati in poenitentiam, ut iterum crucifigat sibi filium Dei. Hactenus Origenes, qui hunc errorem hausisse creditur e schola Clementis Alexandrini, praeceptoris sui. Is enim libro secundo Stromatum duas tantum poenitentias per omnem vitam admittere videtur, alteram ante baptismum, alteram post, plures autem minime. Caeterum credibile est tam Clementem, quam Originem noluisse poenitentiam lapsis denegare, sed peccantes a relapsu deterrere voluisse his dictis. Ad ea vero, quae Origenes ex epistola ad Hebraeos adversus iteratam poenitentiam profert, respoosiooem habes libro septimo in confutatione haereseos octavae, objectione secunda.

ANNOTATIO CXX.

Et abiens laqueo se suspendit. Matt. 27. a

Num Judas laquei suspendio interierit

EUTHYMIUS in commentariis Matthaei asseverat Judam laquei suspendio non interiisse, sed prius, quam praefocaretur, fuisse a quibusdam, qui illum agnoverunt, depositum; euro demum post aliquod tempus praecipitio disru-
Act. 1. 18. ptum effusis intestinis periisse; conjectura sumpta ex eo, quod Lucas Actuum primo capite scribit, quod Judas possederit agrum de mercede iniquitatis, & quod pronus factus, diruptus sit medius, & effusa sint viscera ejus: quod quidem genus mortis ad suspensum non attinet. Contrariam sententiam habent Origenes, Chrysostomus, Augustinus, Beda, & omnes Latini, qui Judam laqueo praefocatum scribunt. Legito infra Annot. 222.

ANNOTATIO CXXI.

Et acceperunt triginta argenteos, & dederunt eos in agrum figuli. Matth. 27. a

Num clericis possessiones temporalium rerum habere liceat.

CHRYSOSTOMUS homilia 86. in Matthaeum, horum verborum occasione accepta, videtur deplorare longa querela calamitatem antistitum, & pastorum ecclesiae, quod villas, domus, possessiones, & auri & argenti opes possideant; quas, inquit, multo satius fuisset a laïcis, quam a clericis retineri; quia sacerdotes & episcopi nequeant Christum sequi, nisi, relictis ecclesiarum possessionibus, ab omni saeculari cura liberentur. Ejus verba sic habeant: VENIAT in mentem vobis octo millia Levitarum Judaeos alere solitos fuisse, & cum his viduas, & parentibus orbos: nunc autem agros, domus, locationes aedificiorum, vehicula, equos, mulos, multaque alia hujusmodi propter vos, & vestram crudelitatem

delitatem ecclesia possidet. Oportebat enim hunc ecclesiae thesaurum vos retinere, ac ecclesiam non parvos ex vestra devotione consequi fructus: modo autem duo quaedam mala committuntur: nam & nos, quasi nihil date debeatis, nihil confertis; & Dei sacerdotes a sacerdorio aliena pertractant. An non poterant etiam tempore Apostolorum domus, & agri ab ecclesia possideri? cujus igitur rei gratia vendentes pecuniam offerebant? quia id multo melius erat profecto. Et infra, ILLUD Evangelicum, Vade, ac vende universa, quae habes, & da pauperibus, & sequere me, &c. opportune nunc ad ecclesiae praesides propter latas ecclesiae possessiones, & merito dici potest. Non enim sequi Christum aliter possumus, nisi omnis crassioris & saecularis curae simus expertes: nunc vero, proh dolor, vindemiae, ac messi, Dei sacerdotes,& venditioni, ac emptioni fructuum assistunt,&c. Hanc eandem sententiam lucidius repetit homilia quintadecima in priorem ad Timotheum, ubi sic legitur: OPORTET doctoribus necessarium victum affatim ministrari, ne deficiant, neque solvantur, neque minimis occupati magnis se ipsos, atque alios privent, ut spiritalia operentur, nullam saecularium habentes rationem. Hujusmodi Levitae erant; qui nullam saecularium rerum habebant curam, quemadmodum laïci: ipsis quoque laïcis Levitarum erat cura permissa, & lege illis constituti fuerant reditus, decimae, aurum, primitiae, vota, & alia plurima. Verum illis lege merito ista permittebantur, praesentia tantum, & terrena quaerentibus: ego autem ecclesiae praesules audenter dixerim nil praeter victum & vestitum habere oportere, ne ad ista trahantur desideria. Hucusque Chrysostomus. Luc. 18. 22.

CUI subscribere videtur Hieronymus in libello De vita clericorum ad Nepotianum, sic inquiens: CLERICUS, qui Christi servit ecclesiae, interpretetur primo vocabulum suum; &, nominis definitione prolata, nitatur esse, quod dicitur. Si enim cleros Graece, sors Latine appellatur: propterea vocantur clerici, vel quia de sorte sunt Domini; vel quia ipse Dominus sors, id est pars clericorum est: qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet; talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Dominum, & possideatur a Domino: qui Dominum possidet, & cum Propheta dicit, Pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere potest. Quod si quippiam aliud habuerit praeter Dominum, pars ejus non erit Dominus: verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis partibus, Dominus pars ejus fieri non dignabitur: si autem ego pars Domini sum, & funiculus haereditatis ejus: non accipio partem inter ceteras tribus; sed quasi Levita & sacerdos vivo de decimis; & altari serviens, altaris oblatione sustentor: habens victum & vestitum, his contentus ero: & nudam crucem nudus sequar. Haec Hieronymus. Objectant, & exprobrant nobis haec verba recentiores haeretici, simulque his animant, & incendunt avaros principes, ut direptas ecclesiae possessiones, & clericorum facultates in fiscum redigant, & in proprios vertant usus. S Hieronym. Epistol. 2. ad Nepotianum relata in integrum Canonem Concil. Aquisgra. Ann 81?. & a Gratiano plu. ries in Decr. Psalm. 15. 5.

CAETERUM, si, omni amoto odio, velint utriusque auctoris dicta pio animo perpendere, agnoscent Chrysostomum non damnasse in clericis divitiarum possessionem, sed causam potius, ob quam episcopi & clerici divitias possidere & administrare cogerentur: ea erat inclementia & crudelitas divitum ejus saeculi; qui, ut se liberarent assidua molestaque sollicitudine inveniendi, providendi, tractandi, ac distribuendi ea, quae quotidianis clericorum usibus, atque aliis pauperum necessitatibus satis essent, constituerant ecclesiae praesulibus certa praedia, ac villas; eosque adegerant, ut ex earum cura & administratione sibi ipsis, ac caeteris ex plebe pauperibus vitae necessaria pararent. Hanc indignitatem merito reprehendit Chrysostomus, iniquum esse existimans, ut clerici compellerentur ob temporalia ministeria, & corporalem pauperum curam dimittere spiritalium ac sacerdotalium functionum officia: quod & olim Apostoli conquesti fuerant, dicentes, Non est aequum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis. At si beatus ille Pontifex divites sui temporis idcirco vituperat, non quia divitias ecclesiae dedissent, sed quod animo parum benevolo & grato dedissent, eo scilicet fine, ut se taedio ac fastidio alendi clericos & pauperes exolverent: quo animo, qua lingua, quibus verbis putas eum fuisse deploraturum, simulque de- Act. 6. 2.

testaturum, si hac nostra tempestate vixisset, sceleratissimos haereticarum factionum principes ac tyrannos? qui ad explendam inexplebilis avaritiae suae cupiditatem divorum templa suis expoliavere thesauris, diripuerunt ecclesiae opes; quas olim catholici principes vel ad necessitatem, vel ad honestarem vitae episcopis & clericis donarunt; & ecclesiasticos curatores ad miseriam & extremam inopiam redegerunt. Sed non est hic talia deflendi locus: annotamenta scribimus, non declamamus.

QUANTUM vero ad Hieronymum attinet, D.Thomas in posteriore parte secundi voluminis Summae theologicae, quaestione 185 art.6.ejus verba excutiens, ait illum haec pronunciasse non adversus clericos,qui divitiarum possessione recte utuntur, sed contra eos, qui illarum possessione abutuntur, ita opibus suis inhaerentes, ut studium pietatis negligant, ac Dei cultum, & spiritualium curam deserant: quae potior ac prior esse debet episcoporum & clericorum omnium sollicitudo. Sunt & qui putent Hieronymum his verbis non praeceptum, sed consilium praebuisse clericis; & in hoc exaggerando consilio conatum esse pertrahere clericos in eam partem, ut nihil possiderent, quo saltem in medio consisterent, & moderato divitiarum usu essent contenti; more eorum loquens, qui extrema exigunt, ut mediocria impetrent; & eorum sequens exemplum, qui arborem, in laevam partem deflexam, in dexteram violenter contorquent: ut ipsa inde sponte sua ad medium revertens, in rectam stipitis proceritatem assurgat. Nec praetereundum hic arbitror, quod D.Thomas loco superius memorato admonuit, fuisse olim, qui putarent non licere clericis, & praesertim episcopis divitias possidere, ob summae perfectionis, quam profitentur, fastigium; quos ille, ut ineptos, rejiciens, air non opus esse, ut ibi major sit vitae perfectio, ubi major sit paupertas; cum in summo perfectae sanctitatis apice summa possit esse opulentia. Abrabam quippe, cui a Deo dictum est, Ambula coram me, & esto perfectus, &c. ac plerique alii perfectissimi viri magna divitiarum affluentia floruere. Ad hanc Annotationem revocanda sunt verba quaedam Origenis ex homilia 15.in Leviticum, una cum dictis Hilarii ex expositione Psalmi 118.quae clericos a possessione rerum saecularium excludere videntur: ea habes Annotat.200. libri quinti.

Genes. 17. 1.

ANNOTATIO CXXII.

Venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Calvariae locus. *Matth.27. d*

Adam sepultus in Monte calvariae.

ORIGENES tractatu in Matthaeum 35. referre videtur causam, eur locus ille Calvariae dictus sit, ad Calvariam Adae primi parentis ibi sepultam; de qua haec prodit: LOCUS Calvariae dicitur dispensationem habere, ut illic moreretur, qui pro hominibus fuerat moriturus: venit enim ad me traditio quaedam talis, quod corpus Adae primi hominis ibi sepultum est, ubi crucifixus est Christus: ut sicut in Adam omnes moriuntur; sic in Christo omnes vivificentur: ut in loco illo, qui dicitur Calvariae locus, id est locus capitis, caput humani generis Adam resurrectionem inveniat cum populo universo per resurrectionem Salvatoris, qui ibi passus est, & resurrexit. Epiphanius in fine libri primi adversus haereses, hanc rem latius explicans, ita scripsit: MIRARI licet, Dominum nostrum Jesum Christum in Golgotha crucifixum esse, & non alibi,quam ubi corpus Adam jacebat. Egressus enim de Paradiso, postea abiit eo, & in loco hoc, Hierosolymorum videlicet, debitum naturae persolvens, illic sepultus est in loco Golgotha: unde merito cognomen habuit Calvariae, quia primum formati hominis Adam Calvaria, & reliquiae illic essent. Christus ergo in aenigmare salutem nostram ostendit, cum ibi crucifixus, sanguine suo reliquias primi patris ab initio massae humanae respergere incepit, ut ostenderet nobis respersionem sanguinis ejus ad mundationem totius humanae inquinationis factam: quare & hic impletum fuit, quod dictum est, Surge, qui dormis, & resurge ex mortuis, & illucescet tibi Christus. Amplectuntur hanc narrationem plerique veterum, ceu rem verissimam, inter alios potissimum Athanasius in libro De passione Domini, Cyprianus in

Ephes.5. 14.

sermone

sermone De resurrectione, Ambrosius libro quinto epistolarum, epistola decima nona, & in Lucam capite 23. Theophylactus in Cap. Matth. 27. & in Cap. Marc. 15. & in Lucam 23. & in Joannem cap. 19. Euthymius quoque in caput Matthaei vigesimum septimum, atque alii multi, quos brevitatis gratia praetereo. Hieronymus hujusmodi traditionem, ut fabulosam, explodens, libro in Matthaeum quarto ita locutus est: AUDIVI quendam exposuisse Calvariae locum, in quo sepultus est Adam; & ideo sic appellatum esse, quia ibi antiqui hominis sit conditum caput; & hoc esse, quod Apostolus dicit, Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus: favorabilis interpretatio, mulcens aures populi, nec tamen vera. Extra urbem enim & foras portam loca sunt, in quibus truncantur capita damnatorum, propterea autem ibi crucifixus est Dominus, ut ubi prius erat area damnatorum, ibi erigerentur vexilla martyrii. Sin autem quispiam contendere volet, ideo ibi crucifixum, ut sanguis ipsius super Adae tumulum distillaret: interrogemus eum, quare & alii latrones in eodem loco crucifixi sint. Ex quo apparet, Calvariam non sepulcrum primi hominis, sed locum significare decollatorum; ut ubi superabundavit peccatum, superabundaret gratia. Adam vero sepultum juxta Hebron & Arbec, in Jesu, filii Nave, volumine legimus. Haec Hieronymus, idem repetens libro tertio Commentariorum in epistolam ad Ephesios. (a) Ephes. 5. 14

ANNOTATIO CXXIII.

Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. *Matth. 27. d.*

ATHANASIUS in tractatu De passione Domini, haec edisserens, videtur adimere Christianis facultatem jurandi, in quavis causa, etiam justa. Habes hoc annotatum superius Annotat. 26. De juramento.

ANNOTATIO CXXIIII.

A sexta autem hora tenebrae factae sunt super universam terram usque ad horam nonam. *Matth. 27. e*

ORIGENES tractatu in Matthaeum 35. refert tenebras, quae, patiente Christo, contigerunt, non esse factas super universum terrarum orbem, sed tantummodo super omnem terram Judaeam: Item nec eas tenebras fuisse eclipsim, sed obscurationem, & occultationem ex nubibus positis ante solem. Hanc sententiam exprimit his verbis: SICUT caetera signa, quae facta sunt in passione Domini, in Hierusalem tantummodo facta sunt: sic & tenebrae tantummodo super omnem terram Judaeam sunt factae usque ad horam nonam: quae autem dico, in Hierusalem tantummodo haec facta sunt, quod velum templi scissum est, quod terra contremuit, quod petrae diruptae sunt, quod monumenta aperta sunt: nec enim extra Judaeam An tenebrae moriente Christo in toto orbe contigerint.

petrae

(a) Sermo *de Passione Domini* a Criticis Athanasio abjudicatur, & alteri incognito, sed vetusto, licet posterioris aetatis, Scriptori adjudicatur. *Sermo de Resurrectione*, sub nomine Cypriani ab eisdem tribuitur Arnoldo Abbati Bonae-vallis. Hisce autem Scriptoribus, aliisque PP. a Xysto laudatis, qui Golgotha dictum asserunt *Calvariae* montem ex reposito ibi Adami corpore, aut saltem ex proto-parentis calvaria jacente, adcensendi sunt alii, qui in eandem descenderunt opinionem, videlicet Chrysostomus *Hom. LXXXIV. in Johan.* Basilius M. *Enarrat. in Cap. V. Isaiae*, Epiphanius *lib. 1. adv. haeret.* Author carminis *contra Marcionem* (olim sub nomine Tertulliani) *lib. 2.* Author Sermonis de *Tempore*, olim *LXXI.* Sub nomine Augustini, nunc in appendicem rejectus, aliique relati a N. Malvenda *de Paradiso voluptatis cap. 55.* nimirum Anastasius Sinaita, Cyrillus Monachus, Nonnus Panopolitanus, Germanus CP. & Honorius Augostoduoensis; hancque sententiam pro virili defendere conati sunt Card. Baronius, NN. Melchior Canus (qui etiam Hieronymum vellicavit) Hyacinthus Serry, Cardinalis Gotti, aliique cum Nostrates cum exteri.

Verum Hieronymo subscripserunt V. Beda in Cap. XXVII. *Matt.* Paschasius Rhatbertus *Lib. XII. in Evang.* Angelicus Doctor *3. p. q. art. 2. ad 3.* Dionysius Carthusianus in *Cap. XXVII. Matth.* Cyrillus Hierosolymitanus autem solum ex eo, quod ibi nostrum Caput Christus sit Crucifixus *Calvariae* montem fuisse dictum adserit *Catechef. XV.* Pro Hieronymo etiam steterunt Critici quamplures, iique docti, & non ignobiles interpretes Sacrae Scripturae, videlicet Cornelius Jansenius Gandavensis, Johannes Maldonatus, Franciscus - Lucas Brugensis, Cornelius a Lapide, Augustinus Calmet, N. Natalis Alexander, Samuel Basnagius, aliique. Et quamvis ex iis non plures momenta Hieronymiana haud probent, ejus tamen sententiae vel ex eo praesertim victas dant manus, quia nunquam permisissent Hebraei eo in Monte plecti sontes, ibique reorum cadavera sepeliri, aut subdio insepulta manere, ubi ex vetusta Patrum traditione acceperant constitutum Protoparenti sarcophagum; & ex Hebraeorum historiis id pariter firmant. Videsis laudatos Scriptores, & Carolum Sigonium *de Republica Hebraeorum*.

petrae diruptae sunt, aut monumenta aperta sunt alia, nisi ea tantum, quae in Hierusalem erant, aut forte in terra Judaea: nec alia terra tremuit tunc, nisi terra Hierusalem: nec enim refertur alicubi, quod omne elementum terrae tremuerit in tempore illo, ut senrirent, verbi gratia, & qui in Aethiopia erant, & in India, & in Scythia. Quod si factum fuisset; sine dubio inveniretur in historiis aliquibus eorum, qui in chronicis scripserunt nova aliqua facta. Et paulo post addit. Non ex defectione solis factae sunt tenebrae, tunc super omnem Judaeam: Evangelistae enim solem non nominaverunt in hoc loco, sed tantum quia tenebrae factae sunt sole non nominato, consequens est intelligere quasdam tenebrosissimas nubes concurrisse super terram Judaeam ad cooperiendos solis radios.

BEDA Natalis in volumine suarum Annotat. hanc opinionem in Erasmo damnavit, ceu adversantem sententiae Augustini, & Dionysii Areopagitae: quorum ille in libro De mirabilibus divinae Scripturae secundo refert in terraemotu Dominicae passionis undecim in Thracia urbes corruisse: hic vero in epistola ad Polycarpum testatur, se in Heliopoli, urbe Aegypti; una cum Apollophane philosopho conspexisse in meridie Dominicae passionis horribiles tenebras Solis globo circunfusas. [a]

AN-

(a) Certe ex momentis, quae laudat Natalis Beda, aërem verberat dum Erasmom impugnare contendit. Authoi quippe *de Mirabilibus S. Scripturae* non est MP. Augustinns, sed Hibernus quidam obscuri nominis scriptor, qoi VII. labente seculo floruit, & Epistola Dionysii Areopagitae nomine inscripta *ad Polycarpum* omnium Criticorum calculo inrer psendo-epigiapha M. Dionysii adcensetur: quapropter alio ex momento, aliisque ea monumentis res haec probanda est, ne arena colligatur in funem. Eclypsim magnam accidisse tempore mortis Christi adseverarunt PP. nemine penitus discrepante, & ea Evangelio luculentissime constat. Verum quum *Eclypsis* nomine omnis obscuratio principum planetarum usurpetur, ut ea ionumeris monumentis Cl. Daniel Huetius *Proposit. IX. Domonstr. Evangel.* ostendit, qni itidem demonstrat eodem eclypseos nomine denotari enm naturalem, tum miraculosam, & quocumque modo obtingentem praesatum luminarium defectum. Similiter quum ex Evangelio Lucae Cap. XXIII. habeatur, quod „ tenebrae factae sunt in nniversam terram usque in horam nonam, & obscuratus est Sol „ seu, ut alia exemplaria habent, *deficiente Sole*; & quidem non sine miraculo, ut constat, nec sine prophetico vaticinio, ut notum est ea innumeris Prophetarum Oraculis, quae praeceteris consuli possunt apud laudatum Huetium *Proposit. IX.* praesertim vero ea illo Amos *VIII. v. 9.* „ Et erit in die illa „ dicit Dominus Deus, occidet sol in meridie, & „ tenebrescere faciam terram in die luminis; & convertam festivitates vestras in luctum, &c. „ Oritur quaestio quomodo Christo in crucem acto haec eclypsis evenerit, & quomodo tenebrae factae sint super universam faciem terrae? Sed antequam varias sententias, ut ad nostram rem spectat, in medium proferamus (ad umbelicum autem criticam dissertationem producere alienom est a nostro Instituto) operae pretium est praenotare tenebras illas non fuisse ita densas obscurasque, ut olim in AEgypto contigisse Moyses refert Exodi X. „ Factae sunt te- „ nebrae horribiles in universa terra AEgypti tribus „ diebus. Nemo vidit fratrem suum, nec movit „ se de loco, in quo erat „ quandoquidem, & milites, qui miserunt sortem super inconsutilem Christi Servatoris vestem, taxillorum puncta numerare facillime potuerant: qui adstabant viderunt vas aceto plenum, spongiam adligarunt harundini, & Redemtoris e patibulo pendentis ori admoverunt, aliaque id genus occurrunt, quae AEgyptiacas tenebras eliminant, suadentque tenebras id genus, sicut quum declinante in occasum sole caligo involuit orbem, seu summo mane diluculum inlucescit tenebris immixtum: His ergo praenotatis.

Patres, qui Pseudo-epigrapha Dionysii Areopagitae opera uti genuina exceperunt, mirabilem eclypsin per interlunium admiserunt Christo in crucem acto, & tenebras universam faciem terrae, saltem nostri hemisphaerii (in altero quidem hemisphaerio nox erat, & qualibet eclypsis inconspicua erat) fuisse factas, & ita praesertim sentit M. Augustinus Epistola olim LXXIX. nunc CXCIX. *ad Hesychium*, cui subscribit etiam S. Thomas *3. p. qu. 44. art. 2.* ubi plura ex eo momento interlunii miracula observat in eclypsi praefata: subscriserunt autem ceteri Theologi ac interpretes posterioris aetatis, Paschasius Rhaebertus in *Matth. XXVII. lib. 12.* Dionysius Chartusianus in Matth. XXVII. N. Hugo Charensis ibidem, Cardinalis Baronius *ad Annum Christi XXXIV. n. 122.* Guillelmus Estius in *Caput XXIII. S. Lucae*, aliique plures, quos percensere superfluum est. Alii autem PP. prioris aetatis defectionem solis adseruerunt, eclypsin firmarunt, sed de interlunio nec verbum habuerunt: quare vel retractionem solarium radiorum, ut praesertim S. Hieronymus *in Joël. Cap. II.* & S. Leo M. *Serm. LI. & LIX. de Passion. Domini*, vel defectum itidem solis absolute dixerunt, uti S. Hilarius *Lib. III. de Trinit. cap. 11.* S. Gregorius Nanzianzenus *Orat. XLII.* S. Cyrillus Alexandrinus *in Joël. II.* Tertullianus in *Apologetic. cap. 21.* S. Joh. Chrysostomus *Hom. LXXXVII. in Matth.* Theophylactus, Euthymius, aliique *in Caput XXVII. Matthaei.* Origenes autem hunc solis defectum ea interpositione alicujus densioris corporis, fortasse condensatarum nubium, evenisse autumat, quibus adhaerent quamplures, iique doctissimi recentiores, sed ex iis, qui phaenomenon hoc philosophice expendere studuerunt, novissime Augustinus Calmet *Dissertat. de tenebris in obitu J. Christi* eclypsin retulit in crustam quandam ante solis discum concretam, quae valide adeo solares radios per tres integras horas retudit, ut noctem induceret, vicariam solis lucem gerentibus, quae refulserunt in Coelo, stellis, tenebras vero illas longe lateque terram tenuisse.

Sed num tenebrae ita reapse super universam faciem terrae factae sint (saltem nostri hemisphaerii) ut ubique circa meridiem, sexta nempe Hebraica hora, caligo & umbra regiones involverit? hic punctus, hic labor est maximus. Eusebius, in *Chronico*, apud quem ibidem etiam Julius Africanus, S. Lucianus Martyr apud Rufinum *Lib. IX. c. 6.* laudatique nuper Patres (Origene excepto) ex Phlegontis Hadriani Caesaris liberti, ac Thalli Philosophi testimonio (adde si lubet testimonium Pseudo-Dionysii) tantam talemque adserunt fuisse defectum hunc So-

lis,

ANNOTATIO CXXV.

Eli, Eli, lamabazabtani? *Matth. 27. f*

CHRYSOSTOMUS homilia 89. in Matthaeum, post expositionem horum verborum sequentia Matthaei verba in hunc modum subjungit: PUTAVERUNT enim, inquit, Heliam ab eo vocari, & aceto illico ipsum potaverunt: alius autem accedens lancea latus ejus aperuit: deinde, apposita enarratione horum verborum, iterum ex eodem Evangelista subnectit: JESUS autem clamans voce magna, emisit spiritum. Hac lectione Chrysostomi abutitur incertus quidam Cornelii Agrippae scholiastes ad confirmationem detestandi erroris, quem idem Cornelius in libro De vanitate scientiarum capite 100. scriptum reliquit, affirmans Matthaeum Evangelistam errasse, cum dixerit, Christum lancea percussum ante, quam expiraret, contra Joannis auctoritatem, qui eum post mortem lancea perfossum narravit. Hanc Agrippae vanitatem scholiastes ille tueri volens, astruit ex proposita Chrysostomi lectione praesentem locum in Matthaei codicibus ita habuisse, & in hunc modum legisse eum, & exposuisse Chrysostomum. Caeterum, cum haec lectio nusquam reperiatur apud Matthaeum, neque in exemplaribus Graecorum, neque Latinorum, neque aliquis veterum Expositorum ullam fecerit hujus rei mentionem, fateri oportet verba haec una cum expositione Chrysostomi scriptorum incuria fuisse transposita, praesertim cum ipsemet Auctor hoc loco asseveret Christi prorsus exanimati latus fuisse vulneratum; atque id ipsum repetat homilia octuagesima quarta in Joannem, explicans illud, Unus militum lancea latus ejus aperuit. Suspicor Agrippam, haereticorum dogmatum studiosissimum, accepisse ansam hujusce temerariae assertionis, non ex Matthaei Evangelio, ubi nulla rei hujus extat mentio, sed ex deliramentis Petri Joannis minoritae: qui, ut in libro adversus haereses restis est Guido Elnensis episcopus, hunc errorem stulto zelo primus invulgavit. Is enim, cum passionem & mortem Christi pro concione enarraret, finxit Christum, adhuc viventem, lancea vulneratum; ut ex amplificatione dolorum Christi populum magis ac magis ad misericordiam & fletum concitaret: quam sententiam cum postea pertinaciter defendere perseveraret, demum in concilio Viennensi damnatus est. Extat hujus erroris

damnario

Num Christus prius lancea percussus, quam mortuus.

Matth. 27. 50.

Joan. 19. 34.

Joan. 19. 34.

Error Petri Johannis Olivi damnatus in Viennens. Concil. Clemen. 1 de fide catholica.

lis, ac tenebrarum diffusionem, ut omnes nostri hemisphaerii terras pervaserit, obvolveritque caligine magna. Hisce auxiliares porrigunt manus nedum Theologi supra laudati, ac interpretes posterioris aetatis, verum & recentiores, ceterique doctissimi Evangelicae Historiae expositores, praesertim Johannes Arboreus in *C. XXVII. Matth.* Card. Baronius *ad An. Christ.* 34. Augustinus Calmet, & Franciscus-Lucas Brugensis in *Matth. XXVII.* Cornelius a Lapide *ibidem*, Daniel Huetius *Demonstrat. Evangel. Propos. III.* NN. Natalis Alexander in Matth. XXV. & Card. Gotti *De Veritat. Christian. Relig. T. IV. P. II. cap. 31. §. 1.* Ex heterodoxis Centuriatores Magdeburgenses *Centur.* 1. Guillelmus Moma *Tom. II. de varia condit. & statu Eccles. Dei lib. 3. c. 6. §. 84.*

Origenes tandem loco ab Authore laudato, &, ut nuper indigitavi, censuit tenebras hasce factas solummodo super Palestinam, seu universam Judaeae terram, idque variis momentis confirmat. Ejus sententiae adhaeserunt etiam alii Veteres, quod ex eo certum est, quia S. Thomas *ubi supra* hanc sententiam suppresso Authorum nomine pluribus adscribit dicens: „Aut si latius voluerit quis extendere ad terram Judaeae, propter hoc, quod dicitur Tenebrae factae *sunt in universa terra* ..... sed circa hoc magis credendum est Dionysio.„ In eandem quoque descenderunt nedum ex Acatholicis Samuel Basnagius ad *An. Christ. XXXIV.* Hugo Grotius in *Cap. XXVII. Matth.* & alii. Verum ex Orthodoxis Zacharias Chrysopolitanus Episcopus *In Matth. XXVII.* Vatablus apud Calmetum, Nicolaus de Lyra, & Johannes Maldonatus *in Cap. XXVII. Matth.* N. Hyacinthus Serry *Exercit. LVII. &c.*

Ex quo luculenter adparet sententiam Erasmi non posse haereticis commentis adcenseri, sicut existimarunt aliqui habentes quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam. Utque res haec clarior fiat Angelici Doctoris judicium praesto sit. Etsi enim Angelicus pro tenebris super universum orbem factis stet, & pro vera eclypsi, tamen dum Origenis sententiam ex adverso stantem pro obscuratione solius terrae Judaeae refert, quid agit numquidne diris eam devovet, haereticamque, aut saltem haeresi adfinem enunciat illam? minime gentium, sed dumtaxat probabiliorem oppositam adserit, quia munitam testimonio Dionysii, cui majorem adhibendam fidem tanquam oculato testi (ut ipse tunc autumabat, genuinas illius epistolas credens) quam ceteris, qui propriis oculis mirabilem illam solis defectionem haud viderunt. En verba S. Thomae post relatam Origenis sententiam: „Sed circa hoc magis credendum est „ Dionysio, qui oculata fide inspexit hoc accidisse „ per interpositionem lunae inter nos, & solem „ &c. Dum ergo ad humanum testimonium recurrit Angelicus, & ad Dei verbum haud adpellat, rem hanc ad historiam pertinere, secus vero ad dogma existimavit. Haec autem ideo adnotavi, ut indigitarem quid ea in re senserint PP. Interpretes, & Theologi ad rectum judicium efformandum: ad rem tamen penitius rimandam consulantur laudati Authores, quum nobis haud liceat in ea re diutius immorari.

damnatio libro primo Clementinarum sanctionum, titulo primo.

ANNOTATIO CXXVI.

Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? *Matth. 27. f*

Num divinitas ab humanitate Christi morientis separata sit.

HILARIUS canone 33. in Matthaeum, videtur scribere, divinitatem ab humanitate Christi morientis recessisse, dum inquit: CLAMOR vero ad Deum, corporis vox est, recedentis a se verbi Dei contestata dissidium: denique, cur relinquatur, exclamat, dicens: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? sed relinquitur, quia erat homo etiam morte peragendus. In hac sententia existimatur esse Ambrosius libro decimo Commentariorum in Lucam. Consule Annotationem 164. libri hujus. (a)

ANNOTATIO ✱✱

Maria Jacobi, & Jose mater, &c. *Matth. 27. f*

Num ea, quae mater Jacobi, & Jose ab Evangelista dicitur, mater Christi fuerit.

CHRYSOSTOMUS homilia 89. in Matthaeum, in quibusdam, tam Graecis, quam Latinis exemplaribus, ad expositionem loci hujus nonnulla verba habet significantia Mariam, quae hic ab Evangelista appellatur Jacobi & Jose matrem, esse Mariam Christi matrem: quae quidem sententia cum facile inflecti queat ad haeresim Helvidii, asserentis Mariam post partum Christi alios peperisse filios; arbitror

(a) Saepius, esto nunquam pro merito, laudati Cll. PP. Benedictini in nova operum S. Hilarii editione hunc S. Praesulis locum expendunt. „ Multi ob hunc locum existimant Hilarium sensisse, carnem Christi morientis a Verbi divinitate fuisse separatam. At eum libro 2. de Trinit. n. 13. de Christo affirmat, *Naturam nostrae carnis jam inseparabilem sibi homo natus assumsit*, cum etiam lib. 9. n. 11. acriter contendat, quod caro spoliata, & carne se spolians, & corpus a mortuis excitans, unus & idem Christus sit; cum denique lib. 10. n. 59. &c. non minori contentione disputet adversus Christi divisores, unum & eundem esse Christum, qui & in sepulchro jaceat, & in coelo regnet; aequius est ut haec cum illaesa substantiali Verbi cum carne conjunctione dixisse existimemus. Hoc igitur ita dixerit, ut cum Verbum virtute sua valeret corpus a morte protegere, illud dereliquerit, cui non adfuit, ut mortem ab eo arceret, sic supra cap. 3. num. 2. Christus ut esuriret, *hominem naturae suae dereliquisse* praedicatur: quod de substantiali Verbi separatione, ac derelictione nemo dictum intellexerit. Deinde sententia, a qua Hilarium stetisse quidam opinantur, hoc fidem pulsat, quod non vere mortuus sit Dei Filius si a carne ante mortem secesserit. At quam integra sit ea illius fides, plenum est ex his lib. 3. de Trinit. n. 15. *Dei filius crucifigitur; sed in cruce hominis mortem Deus vincit, Christus Dei filius moritur; sed omnis caro vivificatur in Christo. Dei filius in inferis est, sed homo refertur ad Coelum*. Ex quibus patet eum sensisse Dei filium neque in morte a carne, neque in inferis ab anima fuisse separatum. Porro in his, *clamor vero ad Deum, corporis vox est* &c. corporis nomine totus homo potest intelligi: quemadmodum lib. 3. de Trin. n. 16. cum de verbis Christi, *Clarifica me Pater apud temetipsum &c.* subjicitur: *Haec carnis deprecatio est*, vocabulum *carnis* ad totum hominem refertur. Si autem totus homo etiam secundum animum a Filio Dei ante mortem desertus fuit, in inferis non fuit Filius Dei. Notatu dignum est, quod in Psalm. 141. n. 6. haec verba, *Deus meus*, non de Christo homine ad verbum, sed de Filio ad Patrem interpretetur in hunc modum: *Cum proclamat, Deus meus quare me dereliquisti? in his non est infirmitatis suae confessio, sed paternae virtutis praedicatio.* „ Uberius rem hanc expendunt in Praefatione generali §. 4. ubi & errores, eorumque Patronos, circa divisionem Verbi a carne expendunt. Varios dicendi PP. modos in medium producunt, obscurum Hilarii sermonem clarificant, variisque momentis Hilarii, aliorumque PP. rectam fidem vindicant, quod ad pleniorem eruditionem consulere aliis opportunum est, referre ac transcribere a re nostra alienum.

Quum autem eadem loquendi formula, ac Hilarius, utatur Ambrosius expendens eadem Christi e cruce pendentis verba *Deus meus, ut quid dereliquisti me?* heinc ait „ Clamabat homo separatione divinitatis moriturus, nam cum divinitas a morte libera sit, utique mors ibi esse non poterat, nisi vita discedebat, quia vita divinitas est. „ opportunum est hic (ne eundem lapidem revolvamus in Annot. 164. N. Authoris) in medium producere Angelicum Doctorem PP. omnium organum legitimumque interpretem, qui ita rem totam edisserit, & Ambrosium ceterosque universim PP. ita obscure loquentes expendit *3. p. q. 50. art. 2. ad 1.* „ Derelictio illa non est referenda ad solutionem unionis personalis; sed ad hoc, quod Deus Pater eum exposuit passioni: Unde *derelinquere* ibi, non est aliud, quam non protegere a persequentibus. Vel dicit se derelictum quantum ad illam orationem, qua dixerat: *Pater si fieri potest, transeat a me calix iste*; ut Augustinus exponit libro de Gratia novi Testamenti „. Magnus Pater autem in praefato libro (seu Epistola CXX. quae propter sui prolixitatem dici solet etiam liber) *cap. 6.* ita exponit Christi patientis laudata verba. „ Tanquam diceret relinquendo me, idest non me exaudiendo, longe factus es a salute mea, praesenti scilicet salute hujus vitae „. Additque itidem aliam expositionem, qua rem totam absolvit. „ Haec ex persona dicit infirmitatis carnis peccati, quam transfiguravit in eam, quam sumpsit ex Virgine similitudinem Carnis peccati „ &c. Consule S. Thomam ibidem, & Quodlibet. II. art. I. Quodlibet. IV. art. 6. Opusculo III. cap. 236. & 237. & Opusculo LX. cap. 19.

arbitror exemplaria illa ab haereticis depravata: quanquam non desint, qui haec homiliae verba defendant, dicentes Mariam non secundum veritatem, sed secundum dispensationem vocari matrem Jacobi, & Jose, quod ii filii fuerint Josephi, Mariae conjugis, ex alia uxore. In iis praecipuus est Theophylactus, qui in commentariis loci hujus ita fatur: Mariam autem matrem Jacobi, & Jose Deiparam dicit, Jacobus enim & Joses filii erant Joseph e priore ejus uxore, verum quia Deipara uxor Joseph dicebatur mater, hoc est noverca. Repetit hoc ipsum exponens Marci caput 15. Lucae 24. & Joannis 19. Caeterum Euthymius in commentariis evangeliorum, defensionem hujusmodi refellit, ita scribens: CUM multae essent, insigniores enumerat. Quidam itaque dicunt, quod Dei mater est, quae apud Evangelistas nunc quidem Jacobi & Jose mater nominatur, quandoque autem Maria Jacobi, interdum vero Maria Jose: nam hi filii erant Joseph: & quemadmodum pater illorum vir ejus dicebatur propter dispensationem; ita rursus ipsi filii virginis. Verum sermo hic absurdus videtur: primum siquidem, quid prohibebat eam appellare matrem Jesu? praesertim cum in praecedentibus narrationibus ut plurimum ita eam appellaverit: deinde absurdum quoque foret in locis sequentibus ubique Magdalenen ei praeponi, & ostendere illam fuisse matrem Dei ferventiorem: unde suspicamur, alteram quandam fuisse hanc Mariam, quae mater erat Jacobi Parvi & Jose, non filiorum Joseph, sed aliorum, qui erant e septuaginta discipulis. Nam multae tales similis erant nominis apud Judaeos. Verisimile est autem tunc Dei matrem propinquius cruci astitisse, quam caeteras mulieres; idque viscerum inflammatione Judaeorum vincente timorem: fortassis vero etiam circumisse, cum propter naturae aculeos in eodem loco manere non posset: postmodum autem apud monumentum mansisse, & singula conspexisse. Quod si hoc recipimus; quaerendum est, quomodo ipsius non meminerunt Evangelistae? quia de ea notum erat, quod adfuerit, &, quae matrum sunt, demonstraverit: ideoque neque planctum ejus scripserunt: abunde enim satisfecerunt pronunciatores, quod filium docentem sequebatur. Oportet autem & hoc & illud scire, quodque naturae conformius est, suscipere. Hieronymus in libro adversus Elvidium de hac Matthaei sententia contra ipsum Elvidium evangelistae testimonio abutentem late disserit.

ANNOTATIO CXXVII.

Vidit Simonem, & Andream mittentes retia in mare, &c. Marci cap. 1. b

AUCTOR explanationis in Marcum, Chrysostomo adscriptae, homilia quarta hoc explicans, notatur a Godefrido Tilmanno, quod asseruerit, non esse scriptum in Evangelio, quod Apostoli, ante passionem Domini piscantes, aliquid unquam prehenderint; cum tamen Lucae capite quinto legatur, discipulos ante mortem Christi, jubente Domino, tantam cepisse piscium multitudinem, ut retia scinderentur. *Apostolorum piscatio.* *Luc. 5. 7.*

ANNOTATIO CXXVIII.

Praecepit eis, ne quid tollerent in via. Marc. 6. b

THOMAS Cajetanus, cum ad hunc locum explanando pervenisset, haec attulit: AB universa doctrina Evangelica discrepat mandare de cibo, potu, vestibus, barba, capillis, & hujusmodi, quae indifferentia sunt, utpote res indigna tanto ac tali Doctore: & ut per hoc cognoscamus, ipsum esse Deum, qui fecit omnia, cui omnia serviunt, cui nihil horum displicet, qui universis in toto nationibus leges dabat, omnibus & singulis congruas, nullique incommodas, nulla exceptione alicubi, aut aliquando egentes. Ambrosius libro Annotationum secundo, adversus ista sic invehitur: HAEC profecto, ut parcissime loquar, falsa sunt, & haereticorum perniciosis dogmatis consentanea. Si enim haec indifferentia sunt, & non sunt curae Deo: cur Deus a principio praecepit Adae, ut se ab- *De Monastici traditionibus.*

ftineret ab eo? & cur laudatur Joannes de contemptu ciborum? & fi haec indif-
ferentia diftant ab Evangelica doctrina: cur Dominus in Evangelio Joannem tan-
topere extulit de cultu afpero veftium, oblique taxans molliores, cum dixit, Ec-
Matth. 11. 8. ce qui mollibus veftiuntur, in domibus regum funt? fi de colore non follicitatur
Luc 16. 19. Dominus: cur vituperat divitem induentem purpuram & byffum? cur laudat
Hebr. 11. 37. Paulus, qui meloris tegebantur? & mulieribus praecipit, ne in tortis crinibus, au-
I. Tim. 2. 9. ro, margaritis, & vefte pretiofa fe ornent? Adjecit & de barba & capillis nihil
Dominum praecepiffe: fed principes Apoftolorum id commemorarunt, quorum
I. Pet. 3. 3. alter capillaturam extrinfecus, alter intortos crines vituperat, & vituperium vi-
I. Tim. 2. 9. ro afferit nutrire comam. Credibile eft, ex Apoftolorum traditionibus veniffe clericos tonderi, ac radi capillos in vertice. Non igitur haec adeo difcrepant ab Evangelica doctrina, quae Evangelici & Apoftolici viri tantopere curaverunt: fateor tamen, quod Jesus noluit de his, quae poterant commodius a difcipulis fuis edoceri, & fpecialibus traditionibus praefiniri, explicite fermonem facere. Sed quid eft, quod ait, non dediffe Dominum talia praecepta, ut cognofceremus eum effe Deum, qui fecit omnia, cui omnia ferviunt? quafi vero non fit eousque cognitus Deus in veteri Teftamento, qui multa hujufmodi praecipiebat, & viliora, & proculdubio indifferentia. Et quid eft, quod addit, cui nihil horum difplicet? imo videmus difplicere. Et quid eft etiam, quod adjecit, dediffe leges nul-
Matth. 7. 14. li incommodas? Non ergo arcta eft via, quae ducit ad vitam: difcipuli duram uxoriam legem dicunt, vel ipfo Chrifto probante: & ipfe Chriftus difficile effe,
Matth 19. 23. inquit, divitem intrare in regnum coelorum: & Paulus, Per multas tribulationes
Act. 14. 22. oportet intrare in regnum Dei. Et nunc audivimus leges Domini nulli incommodas: verum eft, tamen vere diligentibus Deum, quibus nihil tam difficile & arduum, quin fiat facile, atque pervium, non effe incommodas leges Chrifti. Nec eft verum, quod adjunxit peftifere, omnia mandata Domini omnibus congruere. Hieronymus enim ait: Non omnibus praeceptum eft, ut duas tunicas habeant, ne cibos in pera, aes in zonis, virgam in manu, calceamentum in pedibus, ut vendant univerfa, & dent pauperibus. Et Petrus non remere interrogat:
Luc. 12. 41. Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes? fciens non omnibus eadem praecipi propter diverfos ftatus, atque officia; quanquam haec novi haeretici confundant improbe, atque impie.

ANNOTATIO CXXIX.

Et poft dies fex affumpfit Jesus Petrum, &c. Marc. 9. a

Erratum Auctoris expofitionis in Marcum. AUCTOR expofitionis in Marcum, quae Chryfoftomi dicitur homil. 10. admonet in Evangelio fecundum Matthaeum fcriptum effe, Et factum eft die octava; apud Marcum vero, Poft dies fex: quod fane non fic: nam quod inquit apud Matthaeum haberi, id extat apud Lucam capite nono. Hunc qualemcunque errorem, five ex lapfu memoriae Auctoris, five ex incuria Scriptoris enatum, annotavit Godefridus Tilmannus, Auctoris hujus fcholiaftes. (a)

(a) Quomodocumque res evenerit, five ex Scholiaftis ofcitantia, five ex Authoris illius commentarii inadvertentia, unum pro alio Evangeliftam laudantis, adparens diffonantia Lucae, ac Matthaei, Marcique faciliime depellitur, & confonantia una, unaque facies eloquiorum Dei adparet re bene penfata: quum Matthaeus, & Marcus abfolute fex dies fluxiffe dicant, & Lucas *fere* octo enumeret: ex qua moderatione per particulam *quafi* idem communi loquendi formula manifeftatur, quod illi per fenarium numerum dierum abfolute diftinaerunt. Lucas itidem utrumque diem (quem ceteri Evangeliftae non meminerunt) in fuo *fere* novem dierum circulo inclufit, nimirum diem extremum, quo Chriftus praecedentia verba dixit, & primum, quo facta eft transfiguratio: hifce enim duobus adjunctis diebus quos Matthaeus, & Marcus omiferunt, nonne *fere* dierum novem computus exacte confurgit? Similis loquendi forma occurrit in verbis S. Xyfti I. R. Pontificis ad S. Levitam Laurentium *poft triduum me fequeris*, cum tamen quinto poft die fuerit Laurentius in craticula combuftus, fed triduum dixit Xyftus, illud nimirum, quod paffionis fuae diem inter, & alterum Levitae tormenti effluxit. Ita S. Auguftinus *Tract. XXVII. in Johannem*.

AN-

ANNOTATIO CXXX.

Cum intraſſet in templum, coepit ejicere vendentes, & ementes. Marc. 11. b

De vendentium in Templo hiſtoria.

AUCTOR enarrationis in Marcum, Chryſoſtomi titulum praeferentis, in exordio homiliae decimae tertiae affirmat hiſtoriam de ejectione vendentium, a Marco deſcriptam, eandem eſſe cum illa, quam apud Joannem legimus. Godefridus Tilmannus hunc locum annotavit his verbis: SI HANC ipſam hiſtoriam ſecundum Marcum conferas cum Joanne, capite nimirum ſecundo, introſpicienti tibi paulo penitius facile, colliqueſcet, non unam tantum ejectionem fuiſſe, ſed duas. Bis ſiquidem legitur Dominus ad Paſchae celebritatem aſcendiſſe Hieroſolymam; ſemel quidem Joanne Baptiſta nondum carceri pro veritate per Herodem mancipato, hoc eſt, anno primo praedicari per Dominum noſtrum Evangelii, cujus & Joannes capite ſecundo meminit; rurſus ad peragendum humanae redemptionis myſterium properans. De hac Marcus hoc loco commeminit, cui & concinit Matthaeus 21. cap. In hoc utroque aſcenſu Hieroſolymae legitur Dominus eliminaſſe templi adytis vendentes & ementes. Caeterum ſolvi utcunque poteſt locus hic confragoſus ſimul & dilemmaticus, ſi dicas Auctorem loqui de explicatione temporis, quo quidem Hieroſolymam aſcenderit, non quoties.

ANNOTATIO CXXXI.

Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum. Marc. 15. d

Num Chriſtus hora tertia crucifixus.

THOMAM Cajetanum, haec explicantem, Ambroſius Compſae libro Annotationum primo refellit his dictis: PUTAT Cajetanus mendoſam hic eſſe literam, & legi debere, Hora ſexta: nec advertit, quod paulo poſt ſequitur, Et facta hora ſexta, &c. quanto ergo prudentius erat acquieſcere ſanae aliorum diſtinctioni; qui dixerunt pro concordia Evangeliſtarum, quod hora tertia crucifixus fuit; ſententia & acclamatione Judaeorum, ſicut Marcus dicit: hora vero ſexta, facto ipſo, ſicut alii Evangeliſtae teſtantur. Nam & accuſator, & judex, & carnifex recte dicuntur occidiſſe reum, ille accuſando & probando crimen, judex damnando, carnifex ſententiam exequendo. Poterat & hic locus aliter exponi, ut quod dicitur, Erat hora tertia, referatur ad ſuperiora, videlicet quando traditus eſt, ut crucifigeretur; & quod ſequitur. Et crucifixerunt eum, intelligendum eſt, poſtmodum hora ſexta. Haec Ambroſius adverſus Cajetanum: pro cujus excuſatione libet huc admonere, hoc ipſum olim ſenſiſſe Hieronymum in explanatione Pſalmi ſeptuageſimi ſeptimi, ubi his utitur verbis: SCRIPTUM eſt in Matthaeo & Joanne, quod Dominus noſter hora ſexta crucifixus ſit. Rurſum ſcriptum eſt in Marco, quia hora tertia crucifixus ſit: hoc videtur eſſe diverſum, ſed non eſt diverſum. Error Scriptorum fuit: multi enim ϛ epiſigmon Graecum putarunt eſſe Γ. Quibus verbis indicat divus Hieronymus ſcriptorem pro hora ſexta poſuiſſe tertiam, deceptum ſimilitudine numeralium characterum, quos in Graecis codicibus reperit: ſiquidem ϛ epiſigmon, quod ſenarii nota eſt, adeo ſimile eſt literae Γ, quae ternarii ſignum eſt; ut facile fuerit Scriptorem ex uno in alterum labi, & pro ϛ epiſigmo, quod ſextam horam demonſtrabat, repoſuiſſe Γ gamma, quod tertiam ſignificat. Neque a Hieronymo diſſentit Theophylactus niſi quod arithmeticae figurae mendum non apud Marcum, ſed apud Joannem contigiſſe putat, ubi ſcribentium error mutato Γ: in ϛ ſextam horam effecit ex tertia. (a)

Marc. 15. d

(a) Quod ex Hieronymo laudat Xyſtus, univerſim ab Interpretibus haud probatur, & conjectura S. Doctoris ex aliis momentis, iiſque validis, refellitur: cum quia omnia exemplaria Evangelii Marci habent *hora tertia*: quare ſi vel mendum in aliquo exemplari ex oſcitantia librarii confundentis Graecum *epiſigmon* cum *gamma* aliquando irrepſit, certe in omnibus id occurrere non potuit, quapropter facillime ex iis deprehenderetur ſphalma, quod Hieronymus notavit: neque enim fieri potuit, ut omnia exemplaria ab initio ſic fuerint corrupta, praeſertim cum nullus ante Hieronymum id animadverterit, nec Hieronymus ex quo aliorum deprehenderit errorem indigitat: tum etiam quia ex Johannis Evangelio

ANNOTATIO CXXXII.

Surgens autem Jesus mane prima Sabbati. Marc. 16. d

Marci ultimum caput, an solidae anthoritatis sit.

THOMAS Cajetanus hue ab Ambrosio tali censura notarur: ULTIMUM Marci caput dicit Cajetanus, quod non sit solidae auctoritatis ad firmandam fidem, sicut caetera Marci indubitata, eo quod quidam aliquando suspicati sunt illud fuisse adjectum. Ergo hominum suspicatione quorumlibet vacillare debet Scriptura? si sic res habet: quid jam erit firmum de illa? Ad haec, si hoc capitulum non erit proprium Evangelii Marci: sequirur, quod mutilum habet ecclesia Christi unius Evangelistae evangelium: & id quidem in ea parte, quae erat porissima, ubi de resurrectione agebatur, cujus enarratio maxime conveniebat Marco, qui propter victoriam resurrectioois in leone designatur. Quis haec, nisi desipiat, probet? Adde, quod hoc caput, quod isti in dubium vocant, ecclesia in duobus solennissimis Festis, id est, in die sancto Paschae, (*) clara voce recitat & concinit in sacris templis sub Marci titulo; quam qui dicere audent in hujusmodi errare, nihil est, quod non valeant, vel asserere, vel negare, ut lubet. Quare contemnendi sunt potius, quam sint dignandi, ut cum illis contendas.

(*) Adde et[illegible] Adscensionis. cum in utroque Festo hoc Evangelium Marci in Ecclesia legatur

ANNOTATIO CXXXIII.

Ave gratia plena. Lucae cap. 1. c

Maria Virgo num recte dicatur gratia plena.

BERNARDUM, homilia tertia super historiam Dominicae annunciationis haec enarrantem, taxat Erasmus in suis annotationibus, quod perperam & extra rem philosophetur in his verbis, veluti hoc peculiariter comperat Mariae gratia plenam appellari, cum nec a Luca dictum sit, Gratia plena, sed κεχαριτωμένη, id est, Gratiosa; & is sermo multis promiscue tributus in arcanis literis reperiatur. Siquidem de Joanne Baptista legitur, Spiritu Sancto replebitur; & de Helisabeth,

Luc. 1. 15. & 2.

lin alia ex adverso difficultas exurgit, quum Johannes serius crucifixum adserat Christum; quare simul conferri textus Evangelistarum fere inextricabilem generant quaestionem, ut constat. Matthaeus namque crucifixum adserit Christum *hora sexta*, a qua usque ad horam nonam tenebrae factae sunt super universam terram. Marcus autem cap. XV. ait „ Erat autem „ hora tertia, & crucifixerunt eum „ Johannes vero circa *horam sextam* morti damnatum adstruit Redemtorem: Cap. XIX. „ Erat autem Parasceve Pa- „ schae hora quasi sexta, & dicit Judaeis (*Pilatus*) „ Ecce rex vester „ &c. Quum ergo certum sit pendente Christo e cruce, tribus solidis horis tenebras perdurasse, & Christum hora nona (tertia nimirum pomeridiana) exspirasse, quis vel coecutiens non videt grave inde dubium oriri ex dissonantia Evangelistarum, dum idem, qui a Matthaeo dicitur hora sexta in patibulum actus, ab Johanne hora integra saltem post cruci suffixus adseritur, quum a ferali sententia ad criminis exsecutionem usque ad minus hora ut excurreret oportebat: praesertim ex non brevi itinere, quod conficere debuit pene exsanguis Servator verberibus attritus, variis adfectus poenis, gravique pondere crucis onustus? Dictu haud facile est in quot, qualesve, potius fabulas, quam opiniones deflectant aliqui, ut adparentem hanc antilogiam evertant. Dum enim aliqui ab Hieronymi sententia prudenter deflectunt, in errorem certe foediorem declinant adserentes facillime conciliari cum Matthaeo Marcum, si dumtaxat perpendetur, ubi Evangelium hic conscripserit, in Italia nimirum teste Hieronymo, ubi tribus post horis Sol oritur, qui utique in Judaea tribus ante horis rutilat in Coelo. Sed crasse nimis, dum ita opinantur. Esto enim in Italia scripserit Marcus, quid in Judaea evenerit memoriae tradidit, qua ibi hora juxta Judaicum horologium id adciderit adnotavit, quid ergo ad rem conficta variatio Italici horologii? omnem quoque partitionem Judaicarum horarum pessundare conati sunt, qui ita stolide senserunt.

Ut igitur res tota dilucida fiat (aliis omissis, quum non liceat in aliis immorari) observanda est laudata partitio horarum Hebraeis consueta. Diem integrum viginti quatuor horarum curriculo completum, seu mane & vespera complectentem, in diem noctemque secabant Hebraei, duodecim horis diei, totidemque nocti adsignatis: in quatuor vigilias dividebant noctem, quarum quaelibet tres adunabat horas: diem vero in quatuor horas patrias, quarum quaelibet pariter tres horologii nostri horas complectebatur, *Primam*, nimirum, *Tertiam*, *Sextam*, & *Nonam*; quae quidem partitio pro temporum varietate, ut constat, plus minusve lucis aut diei aut nocti tribuebat in fine illius, & initio istius. Hac ergo partitione pensata recte dubium extricatur, & adparet una facies eloquiorum Dei, consonantia Evangelistarum facillime salvatur. Hora sexta utique Christus fuit cruci suffixus dum circa finem *Tertiae*, & initium *Sextae* fuit exaltatus a terra, & quia *Tertia* declinante (ut dixi) fuit crucifixus, recte a Marco hora *tertia* dicitur ligno confixus, qui a Matthaeo hora *sexta* adseritur actus in crucem; quia ille finem unius adcepit, hic alterius initium usurpavit juxta communem loquendi sentiendique morem Hebraeorum: qua de caussa hora nona Christum expirasse uterque adfirmat. Eodem loquendi more, rituque servato Johannes scripsit *quasi hora sexta* Jesum fuisse neci adjudicatum, quia hora circiter ante complementum *Tertiae*, initiumque *Sextae*, bene exprimitur hora *quasi sexta*. Ad pleniorem eruditionem consule Estium, Jansenium, Lamy, Maldonatum, aliosque.

lisabeth, Repleta est Spiritu Sancto; & Stephanus dicitur, Plenus gratia. Certe non video, cur Bernardum hac in re notandum putet Erasmus, cum omnes Latini Patres per tot saeculorum successiones Gratia plena legerint; & divus Ambrosius, Graecae linguae peritus, existimaverit hoc epitheton recte in Mariam congruere, quod omnibus foecunda sit gratiis. Hieronymus quoque, sive Sophronius, Hieronymo familiaris (nam uterque Graecum sermonem egregie calluit) in sermone De assumptione hoc elogium explicans, BENE, ait, gratia plena, quia gratia caeteris praestatur per partes: Mariae vero simul se totam infudit gratiae plenitudo. Vere gratia plena, per quam largo Spiritus Sancti imbre superfusa est omnis creatura. Quin & Theophylactus Graecus auctor, utranque lectionem agnoscens, & gratiosam, & gratia plenam legit, sic inquiens: HOC enim est gratiosam esse, vel plenam gratia, quod gratiam invenerit apud Deum. Multae enim & aliae invenerunt gratiam coram Deo; sed quod in utero conceperit filium Dei, hoc ei singulare, quod nulli alteri concessum. Id ipsum clarissime praedicat divus Athanasius in sermone De sanctissima Deipara, hunc in modum loquens: SPIRITUS Sanctus in Virginem descendit cum omnibus virtutibus suis essentialibus, imbuens eam gratia, ut in omnibus gratiosa esset: atque idcirco gratia plena cognominata est, eo quod adimpletione Spiritus Sancti omnibus gratiis abundaret. Et infra, DECET enim te matrem regeneratricem, dominam ac heram cognominari, eo quod ex te prodiit rex Dominus, ac Deus noster, assistentem illi, nobis quidem terribili, tibi autem dulci, omnemque gratiam largienti: qua de causa factum est, ut gratia plena appellata sis: utpote quae omni gratia abundares. Ex horum auctorum verbis facile diluitur, quod Erasmus ait in Sacris literis etiam alios sanctos dici plenos gratia. Nam licet sanctos fateamur plenos gratia: credimus tamen, ut in eodem sermone inquit Sophronius, matrem Christi tantam habere gratiae plenitudinem, quantam nullus recepit mortalium. Deus enim talem ac tantam fecit eam, ut ipse per nullam creaturam fieri voluerit, quam per eam. (a)

Luc. 1. 41.
Act. 7. 55.

ANNOTATIO CXXXIIII.

Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur. Luc. 1. c

AMBROSIUS in Lucae commentariis, ut refert Magister Sententiarum, visus est tribuere animae Christi aequalem cum Deo omnipotentiam: quod theologi, ne creaturam aequent creatori, non recipiunt. Siquidem, cum periodum istam interpretaretur, sic scripsit: NON ideo, inquit angelus, erit magnus, quod ante virginis partum non fuerit magnus; sed quia potentiam, quam Dei filius naturaliter habet, homo erat ex tempore accepturus, ut una sit persona homo & Deus. Magister Sententiarum libro 3. dist. 14. dissolvens ambiguitatem hujus sententiae, ait eam intelligendam esse de persona, non inquantum est Dei, sed inquantum, est hominis: nam licet una sit filii Dei, & filii hominis persona: tamen inquantum Dei persona est, semper & naturaliter omnipotentiam habuit: sed inquantum est hominis, non semper habuit, quia non semper fuit: & secundum hoc, quod futura erat hominis persona, acceptura erat ex tempore potentiam, quam naturaliter & semper habuerat inquantum Dei persona. Hunc locum, quem omnes pene scholastici allegant ex Ambrosii Commentariis in Lucam, nos quamvis diu multumque in cunctis Ambrosianis Operibus quaesiverimus, nondum tamen invenimus. Guillelmus Opembacchius, & Henricus Haiton in tertio Sententiarum eundem citant ex Commentariis Bedae in Lucam: sed nec in illis extat. Haec libuit admonere propter eos, qui solis Rapsodiis contenti, ipsa auctorum scripta evolvere gravantur. Nos interim, dum Patres nocturna diurnaque manu versare cogimur, si forte locum hunc, & alios huic similes perperam inductos offenderimus, auctoribus suis integra fide restituemus.

Num anima Christi aequalem habeat cum Deo omnipotentiam.

AN-

(a) Sermo de SS. Deipara, a Veteribus Athanasio adjudicatus, a recentioribus Criticis restituitur incerto Authori, qui post Haereses Monothelíticae exortum scripsit. Ceterum, quod Deipara specialissima praerogativa fuerit gratia plena, universim Patres adfirmant, quos hic laudare superfluum puto.

ANNOTATIO CXXXV.

Et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Luc. 26. b

Angeli non in die judicii judicandi.

ORIGENES homilia in Lucam decima tertia scribit, angelos, ad custodiam nostram deputatos, fore in die judicii judicandos, recepturosque praemia, & poenas juxta peractae gubernationis rationem. Verba ejus sic habent: QUOD cum ita sit, petamus omnipotentem Deum, ut angeli & homines ecclesiarum episcopi adjumento sint nobis; & sciamus, quoniam utrique pro nobis a Domino judicentur. Quod si illi fuerint judicati, & vitium, atque peccatum, non in eorum incuria, sed in nostra negligentia fuerit inventum: nos arguemur, atque plectemur. Illis enim universa facientibus, & pro nostra salute nitentibus, nos nihilominus a peccatis vacabimus. Porro frequenter evenit, ut nobis laborantibus illi suum officium non expleant, & in culpis sint. Diximus de hoc abunde Annotatione 124. libri quinti.

ANNOTATIO CXXXVI.

Postquam impleti sunt dies purgationis, &c. Luc. 2. c

An Maria post partum purgationem eguerit.

ORIGENES homilia in Lucam 14. indicat, Mariam virginem purgatione indiguisse post partum, his verbis: CUM jam impleti essent dies purgationis eorum, secundum legem Mosi, duxerunt eum Hierosolymam: propter purgationem, inquit, eorum: quorum eorum? si scriptum esset, Propter purgationem ejus, id est, Mariae, quae pepeterat: nihil quaestionis oriretur: & audacter diceremus, Mariam, quae homo erat, purgatione indiguisse post partum, (a) Intelligit fortasse Origenes non de purgatione ab immunditiis & sordibus

(a) De Virginis immunitate, ac exemtione à debito legalis purgationis ubertim disserui *Tom. III. Exercit. XIV.* ubi praesertim ventilavi audaciam novissimi Acatholici Samuelis Basnagii contendentis Deiparam obnoxiam huicce legali purgationi, omniaque ejus commenta ex Scriptura, Patribus, ac philosophia deprompta pro meo virili retundere studui, objectis ei Verbo Scripto, variisque illius versionibus primaevis, ac originalibus editionibus, Verbo tradito PP. concordi sententia firmato, nec non aliis Theologiae solidissimis & inconcussis locis: quare pauca hic addere fas est ad majorem veritatis intelligentiam, divinique dogmatis firmitatem. Et quidem quum Basnagius, aliique ejusdem furfuris homines, ut Deiparae intemeratae virginitati, ac puritati detrahant, saepius Origenem veluti primipilum adoptati sphalmatis signiferum jactent, ultra ea, quae ibi scripsi, lubet Origenis textum clarissimum ad rem proprie facientem objicere, ad omnem, vel levem de hac impacta Origeni sententia suspicionem evertendam. Expendens enim hic legem de puerperarum purificatione in divino eloquio praescriptam, ita suam aperit mentem, & veritatem catholicam docet *Homilia VIII. in Leviticum*: „ Consideremus secundum historiam, si non videtur quasi ex superfluo additum: *mulier, quae conceperit semen, & pepererit masculum*, quasi possit aliter masculum parere, nisi semine concepto. Sed non ea superfluo additur: ad discretionem namque illius, quae sine semine concepit, & peperit, istum sermonem prae ceteris mulieribus Legislator adjecit, ut non omnem mulierem, quae peperisset, designaret immundam, sed eam, quae concepto semine peperisset. Addi quoque ad hoc etiam illud potest, quod lex ista, quae de immunditia describitur, ad mulierem pertinet. De MARIA autem dicitur, quia virgo concepit, & peperit. Ferant ergo legis onera mulieres: Virgines vero ab his habeantur immunes. „ Quo quid clarius ad Origenis mentem enucleandam, dum ipsemet suam sententiam in expositione legis edisserit, ac manifestat? Quae vero ex aliis PP. objiciuntur plene a nobis *ibidem* sunt expensa, & praesertim dum durinsculum Tertulliani sermonem emollire oportuit; praesertim cum Quintus Septimius ibi ad hominem volens Marcionem arguere, & ex ipsis met suis verbis convincere, ex eodemque nebulonis argumento ostendere Christum verum, ac reale corpus habuisse, plura indulget, quae permittenda non forent, sed ut ex ejusdem met armis feriat illum, quae ad duritiem admittit, contra sagittarium tela retorquet: ea qua argumentandi forma, ut notum est iis etiam, qui primas logicae regulas didicerunt, haud evincitur ultro concessa, sed ad duritiem, & ex momento convincendi ex propria sententia fuisse admissa: quare idem Tertullianus *ibidem* subdit. „ Ea enim, quae expugnat haec haeresis, confirmantur: quum ea, per quae expugnat, destruuntur. „ Et certe Basnagius mutilavit Tertulliani textum, ut facilius posset proprium errorem confirmare; quod *ibi* aperui, neque hic repetere lubet.

Lubet tamen ad pleniorem haeresis confusionem hic adnotare, quod quum Calviniani in hoc sphalma descenderint, Lutherani omnes dire eos proscinderunt duce Luthero, dirisque hoc sphalma, tanquam divinae Scripturae & Patribus adversum devoverunt, ut praecipue videre est apud Michaëlem Walterum *Harmon. Evangelic. T. 1. in Luc.* Quid! Nec qui Protestantes audiunt ii solum id adserunt, & nobiscum sentiunt, sed quamplures ex iis, qui se Reformatos adpellant, id adserunt, vel qui alio capite a Romana communione recedunt. Immunem quippe ab onere purgationis Deiparam adstruunt Andreas Osiander, & Theodorus Beza *in cap. II. Luc.* & videri praesertim

bus partus, quibus nulli dubium est Mariam non fuisse obnoxiam; sed de ritibus & caeremoniis, quibus Moses puerperas lustrari jusserat: has necesse erat servari a matre illius, qui legem impleturus venerat, non destructurus. Arnobius in expositione Psalmi 14. maculas quasdam Mariae tribuere videtur, a quibus, ingrediente in ejus uterum Christo, mundata sit: cujus sententiae declarationem habes libro quinto. Annotat. 153.

IN eadem homilia cavendum tibi est, quod Origenes ait, nos post resurrectionis diem purgatione indigere, in haec verba: EGO puto, quod & post resurrectionem ex mortuis indigeamus sacramento eluente nos, atque purgante (nemo enim absque sordibus resurgere poterit) nec ullam posse animam reperiri, quae universis statim vitiis careat, &c. Habes haec accuratius & prolixius pertractata Annotat. 170. & 171. libri quinti. Purgatorius ignis.

ANNOTATIO CXXXVII.

Omne masculinum, adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur. *Luc. 2. d*

AMBROSIUS libro secundo Commentarium in Lucam, hunc locum exponens, sentire videtur Mariae virginis vulvam, in partu adapertam, & resoluta virginitatis claustra. Quod quidem pugnat cum definitione theologorum omnium, qui docent Christum sine nixu, dolore, ac sordibus parturientis, clauso virginis utero, per integra virginitatis claustra prodiisse instar radii solaris per vitri soliditatem sine ulla vitri laesione demissi. Scribit autem hoc modo: QUI dixerat ad prophetam, Prius, quam te formarem in utero, novi te, & in vulva matris sanctificavi te. Et, qui vulvam sanctificavit alienam, ut propheta nasceretur propheta, hic est, qui aperuit matris suae vulvam, ut immaculatus exiret. Divus Thomas in Tertio Summae volumine, quaestione vigesima octava, art. 2. dicit Ambrosium apertionis vocabulo non significasse patefactionem illam uteri, quae caeteris parientibus accidit; sed eum prolis exitum, qui claustra virginei pudoris non violaverit. Caeterum, ne cui scrupulum injiciant verba legis, ab Evangelista inducta, libet huc afferre Bernardi sententiam in principio tertii sermonis De purificatione Mariae, hunc in locum scribentis: IN lege scriptum erat, ut mulier, quae, suscepto semine, peperisset filium, immunda esset septem diebus, & octavo die circuncideretur puer: dehinc ablutioni & purificationi intenta abstineret ab ingressu templi triginta tribus diebus, quibus expletis, offerret filium Domino cum muneribus. Sed quis non advertat in ipso sententiae hujus initio, liberam matrem Domini ab hoc praecepto? putas enim, quia dicturus Moses mulierem, quae peperisset filium, immundam esse; non timuerit super matre Domini blasphemiae crimen incurrere; & idcirco praemiserit suscepto semine? alioquin nisi parituram praevidisset sine semine virginem: quae necessitas erat de suscepto semine fieri mentionem? Patet itaque, quod lex ista matrem Domini non includit, quae, non suscepto semine, filium peperit. De Maria pariente. Jerem. 1. 5. Deut. 12. 2. 3.

ORIGENES homilia in Lucam decima quarta, hanc ipsam Lucae clausulam pertractans,

sertim potest Matthaeus Poli *Synops. Criticor. in Luc.* Isaac Casaubonus *Exercit. II. in Baron. ad An. I. nn. 38.* Henricus Hammondus *in Cap. II. Luc.* Johannes Lightfoot *Harmon. Evangelic. in Luc.* aliique.

Quod vero aliqui Theologi Romanae communionis, iique haud ignobiles (renuentibus universim ceteris aliis) nimirum Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis *Quaest. XX. in Cap. XII. Levitici*, Christianus Lupus in Academia Lovaniensi Professor *Not. in Canon. 79. Trullan. Concilii*, & N. Hyacinthus Serry Sorbonicus Doctor & in Paravina Universitate Primarius S. Th. Professor *Exercit. XXIX. De Christ. & Deipara* ad enuncieanda aliqua PP. dicta adstruant Christum ex Virginis clauso utero natum secum aliquas externas contraxisse sordes ad majorem charitatem ostendendam, majori humilitate susceptas, juxta illud S. Gregorii M. *Homil. VI. in Evangel.* „ Tanto enim ab hominibus dignius honorandus est, quanto pro hominibus & indigna suscepit „ nimirum sanguinis conspersionem ex venae umbilicaris sectione, vel ex viscoso uteri Virginalis humore, vel ex secundinarum inluvie, aliave externa sordo, nil facit ad Novatorum commenta firmanda: quandoquidem ex eorundemmet Theologorum sententia externae illae sordes, quae populum Jesum consperserunt, neque morales, neque legales sunt maculae, quae legali purificatione sunt expiandae. Consule eos, & ceteros alios ex adverso sentientes Theologos, qui Christi corpus undecumque inlime ex virgineo utero prodiisse volunt; necnon ea, quae nos scripsimus in laudata *Exercitatione* ad penitus obstruendum os loquentium iniqua.

pertractans, asseverat matris Christi vulvam in partu adapertam his verbis: OMNIUM mulierum non partus infantis, sed viri coïtus vulvam reserat: matris vero Domini eo tempore vulva reserata est, quo & partus editus: quia sanctum uterum, & omni veneratione dignum ante nativitatem Christi masculus omnino non tetigit. Tertullianus quoque, eodem modo praesentem periodum attingens, in fine libri De carne Christi sic intulit: HAEC denique vulva est, propter quam & de aliis scriptum est, Omne masculinum, adaperiens vulvam, sanctum vocabitur Domino. Quis vere sanctus, quam Dei filius? quis proprie vulvam adaperuit, quam qui clausam patefecit? caeterum omnibus nuptiae patefaciunt. Itaque magis patefacta est, quia magis erat clausa. Utique magis non virgo dicenda est, quam virgo, saltu quodam mater ante, quam nupta: & quid ultra de hoc retractandum est? cum hac ratione Apostolus non ex virgine, sed ex muliere editum filium Dei pronunciavit, agnovit adapertae vulvae nuptialem passionem. Horum Auctorum verba, ut sunt Ambrosii dictis consona, ita eandem recipiunt intelligentiam. (a)

Exod 13. 2. · Galat. 4. 4.

ANNOTATIO CXXXVIII.

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Luc. 2. e

Maria num in Christi morte fidei defectu passa sit.

ORIGENES homilia in Lucam decima septima tradit, moriente Christo, scandali & infidelitatis gladium Mariae animum penetrasse. Exprimit autem hanc sententiam hoc sermone: QUIS est iste gladius, qui non aliorum tantum, sed etiam Mariae cor pertransiit? aperte scribitur, quod in tempore passionis omnes sunt Apostoli scandalizati, ipso quoque Domino dicente, Omnes vos scandalizabimini in nocte hac: ergo scandalizati sunt universi in tantum, ut Petrus quoque, Apostolorum Princeps, tertio denegarit. Quid putamus, quod, scandalizatis Apostolis, mater Domini a scandalo fuerit immunis? si scandalum in Domini passione non passa est: non est mortuus Jesus pro peccatis ejus: si autem omnes peccaverunt; & egent gratia Dei, justificati gratia ejus & redempti: utique & Maria eo tempore scandalizata est: & hoc est, quod nunc Simeon prophetat, dicens: Et tuam ipsius animam (quae scis absque viro peperisse virginem; quae audisti a Gabriele, Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi) pertransibit infidelitatis gladius, & ambiguitatis mucrone ferieris, & cogitationes tuae te in diversa lacerabunt, cum videris illum, quem filium Dei audieras, crucifigi, & mori, & ad postremum lacrymabiliter conquerentem, ac dicentem: Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? Haec Origenes: cui Chrysostomus in enarratione Psalmi tertii decimi consona scribit his plane verbis: QUANDO Christus fuit crucifixus, non fuit, qui faceret bonum. Discipuli omnes fugerunt: Joannes nudus recedit: Petrus negat: ipsius Mariae matris animum gladius dubitationis pertransiit. Consentit utrisque Augustinus: cujus verba in libro Quaestionis veteris & novi Testamenti, quaestione septuagesima

Matth. 26. 31. · Matth. 27. 46.

(a) Deiparam Dei Verbum in carne enixam virginitatis detrimentum haud fuisse passam, quin potius virginitatis augumentum promeruisse, una est Ecclesiae Patrum vox, sensus unus, & concors sententia pluribus divinae Scripturae monumentis vallata: De ea tamen re potest prae ceteris consuli S. Thomas *3. p. qu. 28. art. 2.* cum notis N. Johannis Nicolai, apud quem plura id genus argumenta, & monumenta. Verum ex PP. hisce, qui hanc veritatem unica voce fatentur, non desunt aliqui in mirabili Christi Servatoris nativitate edisserenda formulam illam loquendi asperiorem usurpantes, quam Xystus hic adponit atque expendit: ex qua certe nullum pro Novatoribus potest munimen desumi ad intolerabile eorum commentum obfirmandum. Apertam Virginis vulvam dicunt tenentes Scripturae phrasim, ex qua *aperire* idem est ac *pervium facere*, esto, quod ità pervium dicitur factum, solidum sit, integrum extet, ac minima disruptum. Sic *Matth. III.* de Christo baptizato legitur „ Aperti sunt ei Coeli, & „ vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam „ *Marci I.* de eodem Christo Servatore dicitur: „ Vidit Coelos apertos „ Et *Actor. VII.* Stephanus dum lapidaretur ait: „ Ecce video Coelos „ apertos, & Jesum stantem a dextris Dei „ non certe quod Coelorum soliditas disrupta discissaque fuerit, quod omnes Interpretes unanimi consensu inficiantur, sed quod Coelorum soliditas, quantacumque sit, oculorum obtutui pervia fuerit, nulloque fuerit impedimento quominus Redemptor Paracletum Spiritum descendentem, & Levita invictus Jesum a dexteris Dei stantem viderit. Eo porro sensu eademque phrasi Patres *apertam vulvam* Deiparae nascente Christo dixerunt, non quod fractura facta, orisque dilatatione patuerit, sed quod prodigiosa penetratione pervia facta sit Christo nascenti, nulloque fuerit impedimento quominus sacratissimus pupulus ex virgineo utero sponte prodierit.

septuagesima tertia, haec sunt: QUOD autem adjecit, dicens, Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur multorum cordium cogitationes; hoc utique significavit, quia etiam Maria, per quam gestum est mysterium incarnationis Salvatoris, in morte Domini dubitaret: ita tamen ut in resurrectione firmaretur. Quis enim non ambigeret, videns eum, qui se filium Dei dicebat, ita humiliatum, ut usque ad mortem descenderet. Neque ab his dissider Theophylactus, in Commentariis Lucae sic scribens: FORTASSIS autem & dolorem, quem in passione tulit, fortassis autem & scandalum dicit gladium, quo Maria offensa fuit. Videns enim crucifixum, fortassis cogitabat, quomodo qui natus est sine semine, qui miracula fecit, qui mortuos suscitavit, crucifixus est, consputus est, mortuus est. Quod autem dicit, Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes; hoc significat, quod revelabuntur, & manifestabuntur multorum cogitationes, qui scandalizantur, & reprehensi repentinum invenient remedium; sicut & tu, o virgo, revelaberis, & manifestaberis, quid sentias de Christo: deinde confirmata eris fide in illum: similiter & Petrus revelabitur, cum negaverit: verum permonstrabitur Dei potentia, quae per poenitentiam ipsum suscepit.

Hoc opus non est M. P. Augustini, ut alibi etiam fuit adnotatum.

DIVUS THOMAS in tertio Summae volumine, quaestione 27. artic. 4. perpendens Augustini sententiam, quam supra citavimus, ait eam intelligendam esse, non de eo dubitationis genere, quod ex infidelitate procedit, sed de haesitatione stuporis, quae ingentem admirationem comitari solet. Neque hinc abludit, quod Augustinus dixit, Omnes stupore quodam in morte Domini dubitasse. Haec an superioribus Origenis ac Theophylacti dictis accommodari queant, alii videant: nam de Chrysostomi sententia scripsimus supra Annot. 104. & 156. libri quinti.

ANNOTATIO CXXXIX.

Et non cognoverunt parentes ejus. Luc. 2. f

EUTHYMIUS in Commentariis Lucae hunc locum ita exponit: JUXTA divinam providentiam hoc factum est, ne prohiberent eum Joseph & mater ejus quasi puerum & sine literis. Quae verba animadvertens Euthymii scholiastes, haec scribit: EX HIS verbis, simulque & ab his, quae paulo post habentur super eo verbo. Et, viso eo, obstupuerunt, apparet Auctor sentire, quod virgo hoc tempore non cognoverit Jesum fuisse Deum: non tamen ita sentit: quod patet ex illius dicti enarratione, Et mater ejus conservabat omnia verba haec conferens in corde suo: quod paulo post praedicta sequitur. Legito Annotationem sequentem.

Maria an semper agnoverit Christum Deum.

ANNOTATIO CXL.

Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est eis. Luc. 2. f

ORIGENES, homilia in Lucam vigesima, subindicare videtur, Mariam, cum Christus adhuc puer esset, non habuisse plenam divinitatis ejus fidem: quippe sic ait: TUNC ergo non intellexerunt verbum, quod locutus est eis: simul & illud attendite, quia nec dum plenam fidem Joseph & Maria habebant. Propterea sursum cum eo manere non poterant. Puto Origenem vocabulo plenae fidei, intellexisse plenam cognitionem omnium mysteriorum divinitatis & humanitatis Christi, quam Maria virgo nondum eo tempore habebat, quamvis ea omnia, quae tum de Christo noverat, certissima & inconcussa fide teneret. Vide infra Annotat. 185.

An Maria semper divinitatem Verbi cognoverit.

ANNOTATIO CXLI.

Jesus proficiebat aetate & sapientia. Luc. 2. f

AMBROSII Auctoritatem ex explanationibus super Lucam, Petrus Craetae episcopus in tertio Sententiarum allegat, ex persona eorum, qui disputandi gratia

Num Christus sapientia profecerit.

gratia astruunt Christum, quatenus homo erat, secundum aetatis incrementum doctrina & sapientia profecisse. Ambrosii verba haec sunt: JESUS proficiebat aetate & sapientia: quomodo proficiebat sapientia, doceat te ordo verborum: ideo enim aetatem ante praemisit, ut secundum hominem crederes dictum: aetas enim non divinitatis, sed corporis est: ergo sicut proficiebat aetate hominis; sic proficiebat sapientia hominis. Scias, optime Lector, haec verba nusquam haberi in Commentariis Ambrosii super Lucam; in quibus nec ulla quidem fit hujus Evangelici loci mentio: habetur autem apud Ambrosium in libro De incarnationis Dominicae sacramento, capite septimo: ex quo etiam citatur a Magistro Sententiarum, qui ea elucidans libro tertio, distinctione 14. ait, non sic esse accipienda, ut putemus puerum Jesum per aetatis incrementa aliquid sibi sapientiae comparasse, sed quod expressione & ostensione suae sapientiae quotidie magis ac magis proficeret, & juxta hominum existimationem in dies sapientia ejus crescere ac proficere videretur.

Vide S. Thomam 3. p. Qu. 12. art. 2. & ibi notas Joannis Nicolai.

ANNOTATIO CLXII.

Venerunt autem & publicani, ut baptizarentur. Luc. 3. e

De Angelorum eruditione, erratis, ac poenitentia.

ORIGENES homilia vigesima tertia in Lucam, quatuor praeter communem theologorum opinionem, ex officina suorum dogmatum profert. Horum primum est, Angelos ab hominibus erudiri, & ab his etiam discere. Secundum est, Episcopos septem ecclesiarum, quos Joannes in Apocalypsi ratione officii Angelos appellat, vere fuisse angelos, veramque angelorum habuisse naturam. Tertium est, Angelos illos obnoxios fuisse peccatis, & de his a Joanne reprehensos. Quartum est, Christum venisse in hunc mundum, ut poenitentiam praedicaret, non solum hominibus, sed etiam angelis. Has sententias exprimit his verbis: PROPHETAE & Apostoli omne, quod resonant, non solum hominibus, sed etiam angelis, praedicant. Invenies enim in plurimis locis, & maxime in Psalmis, etiam ad angelos sermonem fieri, data homini potestate; ei tamen, qui Spiritum Sanctum habet, ut angelos alloquatur. E quibus unum exemplum ponam, ut sciamus, angelos quoque humanis vocibus erudiri: scriptum est in Apocalypsi Joannis, Angelo Ephesiorum ecclesiae scribe: habeo aliquid contra te: & rursum Angelo ecclesiae Pergami scribe: habeo aliquid contra te. Certe homo est, qui scribit angelis, & aliquid praecipit. Ego enim non ambigo, adesse angelos non solum generaliter omni ecclesiae, sed etiam singillatim; de quibus Salvator ait: Angeli eorum semper vident faciem patris. Et infra, HAEC idcirco diximus, ut ostenderemus etiam publicanos doceri a Joanne. Venit enim non Joannes & Propheta tantum, sed etiam ipse Salvator & hominibus, & angelis, & virtutibus caeteris salutarem praedicare poenitentiam, ut in nomine Jesu omne genuflectatur coelestium, terrestrium, & Infernorum. Haec Origenes: cujus prima propositio pie interpretari potest, juxta sensum eorum, quae Paulus, Ephesiis scribens, dixit, Sapientiam Dei innotuisse principatibus & potestatibus ex ecclesiae praedicatione. Habes hoc infra manifestius declaratum Annotatione 165. 182. & 298.

Apoc. 2. 1. Ibidem 12. Matth. 18. 10. Phil. 2. 10. Ephes. 3. 10.

ANNOTATIO CXLIII.

Qui fuit Cainan. Luc. 3. g

Cainam generatio non in Christi genealogia redundet.

THOMAE Cajetani expositionem Ambrosius libro primo annotavit, his verbis: HIC tanquam intolerabile annotandum censui, quod quasi rem possibilem admisit; Lucam in genealogia Christi unam generationem superfluam adjecisse. Excusat autem illum, quod secutus sit Septuaginta, qui erant magnae auctoritatis. Bene habet; ergo Auctores sacrae Scripturae sequuntur interpreres? & qui condunt mare, unde effluunt rivuli, accipiunt a rivulis, ut creent mare? Addit: Et ita providit Spiritus Sanctus, ne sanctis Doctoribus imputaretur, quod exposuerunt textum sacrae Scripturae juxta interpretationem communiter receptam:

ptam: quandoquidem licuit Evangelistae idem fecisse absque proprio errore. Haec ille ad Lucae excusationem: sed oportebat etiam excusare Spiritum Sanctum, quod perousserit suum amanuensem hominum auctoritate duci, aut etiam ductum errare, & ita egregia providentia errorem relinquere in Evangelio. Ad haec, nunquid Lucas expers erat Hebraei sermonis, ut necesse haberet sequi Septuagiota? quod & si fuisset: Apostoli saltem, qui hoc Evangelium viderunt, & probaverunt, nunquid & ipsi erant ignari linguae, ut hunc erroreoi non viderent? quod si hoc Evangelium non probarunt Apostoli: ergo juxta Cajetani doctrinam non habet auctoritatem Scripturae. Haec Ambrosius.

TORSIT olim hic locus adeo vehementer Bedae presbyteri mentem, ut in Praefatione Actuum Apostolicorum sic scripserit: MAXIME miror, & propter ingenii tarditatem vehementissime stupore perculsus, nescio perscrutari, qua ratione, cum in Hebraïca veritate a diluvio usque ad Abraham decem generationes inveniantur, ipse Lucas, qui, Spiritu Sancto calamum regente, nullatenus falsum scribere potuit, uodecim generationes juxta Septuaginta interpretes, adjecto Cainam in Evangelio ponere maluerit. Vide quae de hac re scripsimus lib. 7. haeresi 4. & lib. 5. Annotat. 88. (a)

(a) Quam saeve Cajetanum flagellaverit Ambrosius Catharinus constat ex ipsomet Xysto Senense, qui iosra *Lib.VII. Haeres.IV.* in eandem descendit sententiam; patetque itidem, quia innumeri Orthodoxi Scriptores, iique de litteraria Republica optime meriti, ita pariter sentiunt de Luca Evangelista adhaerente septuaginta vitiali editioni, & non Hebraico Geneseos textui in numeratione Patriarcharum Veteris Testamenti, ad idque rimandum legi possunt C. Toletus, Augustinus Torniellus, Cornelius a Lapide, Cornelius Jansenius, Benedictus Peretius, Jacobus Lindanus, Augustinus Calmet, NN. Jacobus Naclantus, Melchior Canus, Thomas Malvenda, Hyacinthus Amat de Graveson, aliique, ut varia de hac re, implexaque nimium, opinio, & ea pariter, quae Cajetano favet, acu tangatur.

Num autem censoriam virgam effugiant Critici, quibus placet adstruere juniorem Cainanem irrepsisse in Lucae Evangelium ex Amanuensium vel incuria, vel ignorantia, & ita pariter sibi vindicasse locum in LXXII. interpretum posterioris epochae (secus vero in primordiali) editione, non levis est controversia. Nonnulli habentes zelum, sed non secundum scientiam, Catharini furore perciti Heterodoxis adcensent, vel saltem (si benignius cum eis agant) intemperantioris Critices viris adsociant, notantque Patronos hujusce opinionis. Verum, pace dixerim horumce virorum, quos veneratione prosequor, dum alios ita carpunt se ipsos accusant. Catholice quidem sentiunt, qui ita loquuntur, nec ullomodo Tridentini decretum de Vulgata Bibliorum editione retinenda pessundat, qui ita scribunt, ut alibi ex inlustribus viris observavi: facilius iidem feliciusque Gordianum hunc nodum ipsi dissolvunt dum Lucae Evangelio subdititium, adscititiumque alterum Cainanem adfirmant. Utque nostra etiam animadversio horumce censuram declinet, satis erit primum ejusdem sententiae Catholicos dumtaxat Scriptores (ex consilio omissis, qui non sunt ex Romana communione, etsi eruditis) laudare, ut vel ex dignitate Scriptorum opinionis orthodoxia clarescat, deinde vel digito monstrare momenta quibus illa munitur, ut soliditas ejusdem pateat cunctis. Pro ea enim stant Christianus Massaeus Presbyter ex Familia Fratrum vitae communis, *Cameracensis* dictus, quia ibi floruit & diem clausit extremum Anno 1546 *Chronic. multiplic. histor. utriusq. Testam.* Augustinus Steuchus Eugubinus Bibliothecae Vaticanae custos, & Chitamensis Episcopus *Annotat. in Genesim p.* 109. Dionysius Petavius S. J. *Lib. IX. de doctrin. tempor.* c. 7. Petrus Possinus ejusdem Societatis *Diallactic. Theogenealogic. a cap.* 2. *usq. ad* 12. Cornelius a Lapide etiam Jesuita *com. in Cap. XI. Genes.* esto in Commentariis S. Lucae oppositum dicat, nec reprobet tamen Cajetani opinionem; alias itidem sententias probet, sed ubique rem hanc Theologicum esse problema adstruat, facultatem unicuique tribuens tenendi quod sibi probabilius visum fuerit ex variis pro utraque sententia, etiam de adjecto Cainane posteriore, momentis, quae in medium profert. Matthaeus Petididierus Monachus Benedictinus *Differt. XXXI. in S. Scriptur.* Guillelmus Bonjour Augustinianus in *Thesibus* apud Montefalicum editis Ann. 1704. *pag. VII. nu.* 7. Johannes Cortesius *lib. de Genealog. Christ.* Nicolaus Do-Mortier *Etymol. Sacr. Graec. Latin. V. Obelus*, Augustinus Calmet in *Dictionar. Biblic. V. Cainan.* & praecipue Cl. Coelestinus Galianus ex Ordine Coelestinorum, Archiepiscopus Thessalonicensis, Cappellanus Major in Neapolitano Regno, ac Praeses Tribunalis mixti in eodem Regno *in vindic. suarum Thesium vindic. I. MS.* quae citra omnem dubietatis aleam simul cum reliquis ejusdem viri operibus praelum merentur, & Coelum. Ex NN. autem Natalis Alexander *Hist. Vet. Test. II. Aetat. Differt.* 4. Hyacinthus Serry *Exercit. XLII. de Christ. & Deipar.* aliique recentiores Critici.

Momenta vero hujusce sententiae de subdititio posteriore Cainane vel ex eo valida, ac nobiliora videntur, quia hujusce Cainanis nomen nullibi est in Bibliis Orientalibus reperire: deest enim in Bibliis Hebraicis, iisque etiam vetustioribus optimaeque notae, in Pentateucho Samaritano, in Persica, & bina Arabica versionibus, in Chaldaica Paraphrasi, in duobus antiquissimis Codicibus Graecis, quorum unus fuit Ecclesiae Lugdunensis, & postea Cantabrigiam delatus fuit, certe longe mille ac biscentos ante annos scriptus; alter ex Graecia in Angliam nuper missus; quinimo in ipsa editione LXX. Cardinalis Carafa Romae vulgata. Quid ultra? in omnibus Vulgatae editionis codicibus Veteris Testamenti nec umbram illius est reperire; & dum quinquies in eisdem fit mentio Arphaxad, & Sale, Cainanis hujusce nomen omnino siletur. Genesis *cap. X. v.* 24. „ At vero Arphaxad genuit Sale „ *Cap. XI. v.* 12. Porro „ Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit „ Sale „ *ibidem v.* 15., Vixitque Sale, postquam genuit Heber quadringentis tribus annis, & genuit „ filios, & filias, I. Paralipomen. *cap.* 1. *v.* 18. „ Arphaxad autem genuit Sale, qui & ipse genuit „ Heber „ & *ibidem v.* 24. „ Sem Arphaxad, Sale „ Quum in ergo omnibus Veteris Testamenti locis (etiam ex vulgata editione) ubi Patriarcharum generationes percensentur, posterior Cainan reticeatur, quomodo locum obtinere potuit in LXX. inter-

interpretum versione, atque in Lucae textu, nisi ex vitio scriptorum repetentium illum? Quod vel ex eo firmius clariusque elucescit, quia posteriore Cainane adjecto jam non amplius Postdiluvianorum Patriarcharum ad Abrahamum usque erit adinvenire decem generationes, sed undecim, & Abrahamus, qui ex adcuratissima Hebraeorum Chronotaxi decimus est e postdiluvianis Patriarchis, adjecto Cainane undecimus erit.

Quod vero quidam ad statuendum Cainanem in Lucae Evangelio, eumque firmandum in Veteri Testamento ajunt, nimirum Cainanem juniorem vitio scriptorum fuisse ex Hebraicis codicibus evulsum, praesertim (ut subdit Cl. Morinus *Exercit. Biblic. III.*) Judaeorum Republica eversa, eorum rebus cum sacris, tum profanis omnino inversis ac conturbatis, omni probabilitate caret, & oppositae sententiae potius favet, quam obest. Qui enim fieri potuit, ut Cainanis hujusce nomen, imo generatio & anni vitae non semel, sed quinquies eraderentur ex laudatis scripturae locis? quum Hebraei etiam post Hierosolymitanam eversionem tantam erga sacros Codices servarint religionem, ut eorum integritati fortunas suas & vitam ipsam posthabuerint ex Philone ab Eusebio relato *lib. VII. Evangelic. Praepar.* neque aliis, quam delectis scribis, exarandi codices commiserint spartam. Incredibile quoque est, ut Augustinus ait *Lib. XV. de Civit. Dei cap.* 12. „ Judaeos cujuslibet perversitatis, atque malitiae, tantum potuisse in Codicibus tam multis, & tam longe lateque diversis „ Quod pariformiter dicendum fore de Christianis prudens quisque adseret, si fortasse horumce vitio, vel errori vertetur omissio, aut erasio Cainanis. Quum ergo in omnibus Hebraicis codicibus, quinimo & in Pentateucho Samaritano, Cainan reticeatur, facilius illius intrusio in septuaginta viralem editionem (ut etiam Benedictus Pererius aperte, & constanter adserit *Comment. in Genes. dub.* 26. *disp.* 12.) & in Evangelium Lucae ex mendosa transcriptione irrepere potuit, quam ex Codicibus Hebraicis aliorum oscitantia evolare potuit Cainan, qui ter dumtaxat in Veteri Testamento Graeco legitur, & in tribus purgatissimis textibus omnino deest, ut nuper animadverti. Quid itidem, si ceteras editiones, & Vulgatam ipsam adponas ad firmandam authoritatem Codicum Hebraicorum? nonne vel ex ipsis res tota clarescet? Certo certius ex laudatis monumentis luce meridiana clarius elucescit eaque in S. Lucae textum, ac in septuaginta virilem editionem irrepsisse Cainanem vitio Scriptorum.

Quod, ut magis magisque firmetur, atque clarescat, lubet in medium proferre testes veritatis hujusce, tum de Hebraico sincero textu, tum de incorrupta LXX. interpretum primigenia versione, adeoque de Cainane semper & in utraque primum exploso, & concludenter nonnisi posteriori aetate mendose locum in Graeca versione obtinuisse, & in Evangelium Lucae irrepsisse. Berosus Chaldaeus namque (qui CCLVII. Annis ante Christi nativitatem floruit) laudatus a Flavio Josepho *Lib. I. Judaic. Antiquit.* c. 8. & ab Eusebio *Lib. IX. Praeparat. Evangel.* omnino silet posteriorem hunc Cainanem. Eupolemus vetustissimus Hebraeorum historiae Scriptor ab Alexandro Polhystore ante Christi natalem octoginta sex annis claro relatus apud Eusebium *Lib. IX. Praeparat. Evangelic.* Cainanem hunc praeterit, statuitque in decima generatione Abrahamum. Flavius Josephus (qui jam Sacerdos Hebraeus sub Vespasiano captivus scripsit) *Lib. I. Antiquit. cap.* 6. *num.* 4. Abrahami generationem texens Cainanem posteriorem omittit, & ex Arphaxad Sale genitum adserit. Idipsum habetur in Chaldaica Paraphrasi Pentateuchi, quae tribuitur Onkeloso circa Christi tempus claro (esto alii hanc Chaldaicam editionem posteriori adscribant aetati, fortasse circa Hieronymi tempora, & Morinus *Exercit. Bibl.* 2. c. 13. longe posteriorem Hieronymo, sexto videlicet seculo, statuat) quaeque, ut Richardus Simonius *Lib. II. Hist. Crit. Vet. Test. cap.* 18. scribit: „ accurata est, „ & ferme ad verbum juxta Hebraeum, itaut jure „ versio vocari possit. „ In Philonis Judaei operibus non est reperire, vel Cainanis hujusce umbram. In Syriaca versione (cujus etsi exactum statumque tempus firmari nequeat, de antiquitate ejus tamen ambigi non licet) non secus ac in Chaldaica Paraphrasi altum de juniore Cainane silentium occurrit. Omittunt itidem hunc Cainanem Julius Afer An. J.C. CCXX. clarus, esto Editionis LXX. interpretum tenax, ut videre est apud Eusebium *Chronic. Graec. pag.* 9. editionis Scaligerianae, Origenes Anno J.C. CCXXVI. clarus, & ipse in omnibus septuagintavirali editioni adherens, *Tract. XX. in Joann. pag.* 287. editionis Huetianae. Eusebius Caesariensis Episcopus, qui floruit Anno Epochae Christianae CCCXV. esto LXXII. interpretum supputationem sequatur, Cainanem omisit in Chronico Graeco, quem etiam omisit Hieronymus in eodem Chronico Graeco a se Latine reddito. S. Epiphanius Salaminae Episcopus Anno Domini CCCLXX. clarus, ne dum Samaritani Pentateuchi sectator, sed etiam LXX. Chronotaxim tenens, ex Albo postdiluvianorum Patriarcharum expungit hunc Cainanem *Haeres. V. Melchisedechianor. sect.* 6. & *lib. de ponderibus, & mensuris* §. 12. S. Hieronymus Anno CCCXC. clarus adcuratissimus Graecorum Codicum lustrator & censor *lib. de Tradit. seu Quaest. Hebr.* adserit in correctioribus septuaginta viralis editionis codicibus hunc Cainanem deesse. Et insuper addit in Ecclesiis Latinis eam legi recipique versionem XI. Capitis Geneseos, ubi habebatur „ Arphaxad genuit Sela, & Sela genuit Heber. Ex „ Heber nati sunt duo filii „ &c. Ex quibus certissime constat ad Seculum IV. labens usque in Graeco textu, & antiqua Itala posteriorem Cainanem defuisse. Quintus Julius Hilarion Author certe IV. vel V. Seculi, esto in *lib. de duratione Mundi* supputationem LXXII. interpretum sequatur, ibidem tamen expresse Cainanem excludit, & adserit, quod „ Arphaxad Anno 135. genuit Salam, Sala Anno 130. genuit Heber. „ Paulus Orosius, qui adolescente V. Seculo floruit, etsi in sua Historia LXXII. interpretum versionis Chronotaxim teneat, ex hac annorum serie Cainanis annos detrahit, nec inter Patriarchas eum numerat. Procopius Gazaeus sub initium VI. Seculi clarus referens versionem 24. Capitis X. Geneseos juxta versionem Graecam, ut suo tempore in LXXII. interpretibus legebatur, Cainanem omittit, & tantummodo adstruit Arphaxad genuisse Sale. Et *comment. in Genes. pag.* 114. *edit. Trigur.* positive illum excludit: quapropter subdit fuisse *Cainanem* obelisco notatum, ut certo certius ostenderet paulo ante intrusum fuisse sic notatum ad exclusionem, ut patet ex iis, quae S. Hieronymus de obelo notatis refert *Praefat. in libr. Commentarior. in Isaiam*, & supra N. Xystus etiam plene exposuit: quod pariter observandum est in Theophylo Antiocheno Anno Christi 170. claro *ad Autholycum lib.* 3. ubi Cainanem in Parenthesi ad exclusionem concludit, quod quum non perpenderint posterioris Cainanis patroni, facillime sibi adsciverunt Theophylum Antiochenum, qui revera pro ipsa non stetit.

Utque constantia praesentis sententiae, ejusque probabilior soliditas pateat cunctis, quid etiam a posterioris aetatis scriptoribus fuerit ea de re traditum, vel breviter indicare lubet. S. Gregorius Turonensis sub finem VI. Seculi inlustris, etsi ipse in sua historia LXX. viris adhaereat, Abrahamum in decima generatione statuit, nec vel digito eas inter geneses monstrat Cainanem *Lib. I. Hist. Francor.* S. Isidorus Hispalensis adolescente VII. Seculo clarus,

& ipse

ANNOTATIO CXLIIII.

Tu es, qui venturus es: an alium expectamus? Luc. 7. c

Num Joannes Baptista de morte Christi dubitaverit.

BEDA lib. 2. in Lucam, hoc interpretans, videtur imponere Joanni Baptistae, quod de morte Christi dubitaverit, an scilicet pro salute humani generis esset moriturus, sic loquens: TU es, qui venturus es? sensus est: Manda mihi, quia interficiendus ab Herode, & ad inferna descensurus sum, utrum te & inferis debeam nunciare, qui nunciavi superis: an non conveniat filio Dei, ut gustet mortem, & alium ad haec sacramenta missurus es?

HIERONYMUS libro primo Commentariorum in Matthaeum, eandem sententiam iisdem verbis scribit: nec dubium est, Bedam inde eam sumpsisse.

EUSEBIUS Emesenus in Homiliis, ejus titulo insignitis, refert Joannem addubitasse de Christi ad inferos descensu, ita inquiens: TU es, inquit, qui venturus es? ego quidem vado ad Patriarchas & Prophetas, in infernum descendo: sed nunquid tu quoque ibi venturus es? debeo te illuc venturum illis annunciare, sicut te venisse mundo annunciavi? descendes illuc per te, an alium expectamus a te? timeo enim hoc credere de te, nisi hoc certum mihi fiat a te: valde quidem te humiliasti, an fortasse plus humiliabis? quid dicam illis; quid nunciabo?

GREGORIUS Papa in libro 40. Homiliarum, homilia sexta, utranque haesitationem, tam de Christi morte, quam de ejus in infernum descensu, Joanni videtur adscribere his verbis: AIT ergo Joannes, Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? ac si aperte dicat, Sicut pro hominibus nasci dignatus es, an etiam pro hominibus mori, & ad inferos descendere digneris, insinua; ut qui nativitatis tuae praecursor, descensionis etiam praecursor fiam, & venturum in inferno te nunciem, quem jam venisse mundo enunciavi.

CHRYSOSTOMUS homilia in Matthaeum 38. & Theophylactus, & Euthymius, ambas opiniones, ut ridiculas & falsas, longo sermone insectantur, quod eis credibile non sit, talem ac tantum Prophetam, & plus, quam Prophetam, qui major fuerit omnibus Prophetis, ignorasse, quae caeteri Prophetae de Christi morte, sepultura, & descensu ad inferos praedixerant, & ipsemet praedicaverat. Sunt ex nostris, qui dicant, Joannem constantissime credidisse, Christum efficacia virtutis suae inferorum penetraturum, atque inde Patriarchas erepturum, sed fuisse ambiguum, an is secundum animae substantiam esset inferos aditurus: quod tamen, teste Theophylacto, Gregorius Theologus improbat, affirmans scivisse Joannem, quod ad infernum cum anima venturus esset, ut illic salvaret eredentes. Dicendum ergo est, quod Joannes hoc interrogavit, non quasi id ignorans, sed ut discipuli ejus, adhuc rudes & increduli, cum hac interrogatione ad Christum missi, ex Christi responsione Christi majestatem nondum agnitam cognoscerent & crederent. Vel juxta Ambrosium dici potest, Joannem de morte Christi addubitasse, non incredulitatis dubio, sed haesitatione, ac stupore admirantis animi, atque considerantis, qui fieri posset, ut auderent homines illum occidere, qui mortuos suscitaret ac tanta virtutum miracula ederet.

AN-

& ipse quoque haud recedens à supputatione LXX. „ Arphaxad anno aetatis 135. Salam genuisse. „ Cainane excluso, tradit *lib. V. Origin.* V. Beda, qui circa An. 730. floruit, juxta LXX. supputationem Cainanem excludit *lib. de temp.* c. 13. Freculphus Lexuviensis Episcopus IX. Seculo circa Ann. 850. clarus in suo Chronico *cap. 55.*, & ex Hebraico, & Septuaginta virali Annorum computo Cainanem a Patriarchis postdiluvianis extrudit.

Quum ergo tot insignium Virorum calculo, quinimo & constanti Ecclesiae praescriptione, praesertim ex Martyrologio Romano supputante aetates mundi a Diluvio ad Abrahamum usque Cainan exclusus fuerit, ejusque geneseos anni omnino sileantur, nonne evidentissime constat Scriptorum negligentia, aut errore fuisse intrusum Evangelio Lucae *ὑποβολιμαῖον* Cainanem? Erudite quidem & pie ita sentiunt, qui Ortodoxi, qui adcurati Critici audiunt, nec per volam, nec per hilum declinantes a decretis Sacrosancti Tridentini Concilii circa editionem & authoritatem Bibliorum, ut supra ostensum est, & manifestissime constat ex Card. Pallavicino *Hist. Conc. Trid. Lib. VIII. cap. 11. num. 5.* Cetera autem, & plura, qui scire exoptat, legere poterit laudatos hujusce sententiae patronos, & ex Acatholicis etiam Fridericum Spanhemium *Dub. Evangelic. dub. XXIII. de Kainan*. Ex adversae sententiae patronis legere poterit Pererium, Jacobum Salianum, Augustinum Torniellum, Card. Toletum, Salmeronium, Barradam, aliosque supra laudatos &c. quum mihi sufficiat haec indigitasse ad notitiam veritatis adversus obtrectatores.

ANNOTATIO CXLV.

Erant autem Moses, & Helias visi in majestate. Luc. 9. f

Moses, & Helias num vere in Christi transfiguratione apparuerint.

HUGONIS Carensis Postilla super Lucam refert Mosen & Heliam non vere, sed imaginarie adfuisse, & apparuisse in Christi transfiguratione: citatque hujus rei testem Ambrosium in glossa quadam, sic dicentem: SCIENDUM est, non corpora, nec animas Mosi & Heliae ibi apparuisse, sed in subjecta creatura illa corpora fuisse formata. Potest enim credi angelico ministerio hoc factum esse, ut angeli personas eorum assumerent. Haec in Hugonis Postilla: quae unde accepta sint, nescio: certe, quod sciam, apud Ambrosium nusquam reperiuntur: Suspicor hoc loco Ambrosii nomen temere adjectum a sciolo quopiam; qui, nulla habita ratione temporum, etiam nomen & sententiam ibidem inseruit Joannis Scoti, qui annis pene sexaginta post mortem Hugonis scripsit. Divus Thomas in ultima Summae parte, quaestione quadragesima quinta, articulo tertio, refellens hujusmodi sententiam, ut absurdam & falsam, refert, a quibusdam credi verba haec fuisse desumpta ex opere De mirabilibus sacrae Scripturae; quod cum perperam Augustino inscriptum sit, ejus auctoritas non recipitur. Atqui tantum abest, ut hujus glossematis verba petita sint ex Opere De mirabilibus sacrae Scripturae, ut in tertio ejusdem voluminis libro, capite decimo, sententia prorsus contraria affirmetur his plane verbis: SED cum Helias, manens in corpore, ad talem conductionem venerat; quid de Mose dicendum est? utrum in corpore iterum ad hanc ostensionem aderat; an ex aëre simulatum; sicut Samuel visus est, habitum fingebat: & si suo corpore venit indutus; si hac vice resurrectionem suam, quae caeteris non nisi in novissimo est futura, complevit? De qua quaestione auctores una eademque sententia prolata non differenter dicunt, quod dum Dominus cum tribus discipulis suis, & Helia, non cum imaginatis, sed veris corporibus convenisse, non dubitantur, & ipse Moses in suo vero corpore de sepulcro resumpto videtur. Sed Dominus Jesus, primogenitus mortuorum, recte creditur Mosi iterum post hanc visionem corpus sepulturae commendasse, ut ipsum in novissimo die, quando resurgent mortui, assumere speretur. Vide supra Annot. 74. libri hujus. (a)

ANNOTATIO CXLVI.

Designavit Dominus & alios septuaginta duos. Luc. 10. a

De numero discipulorum Christi.

LATINI Interpretis vulgatam editionem Erasmus censet hoc loco redundare, quod in ea superfluo legatur particula, DUOS: idque astruere contendit auctoritate

(a) Sententia Authoris *de mirabilibus Sacrae Scripturae* re vera non est ea, quae ab Authore nostro hic describitur, & fortasse, ut ab aliis laudata fuit primitus, ab eis exscripta. ac certo certius ex codicum inopia non potuit ab aliquibus Theologis XIII. Seculi propriis oculis lustrari. Ille quidem *Lib. III. cap. 21.* inter opera S. P. Augustini *Tom. II. in Appendice*; diserte oppositum docet, cujus verba exarare propterea lubet. Ait enim: „ Moyses autem „ & Elias specialiter ad talem ostensionem, velut „ Legis, & prophetiae principes ad finem conducuntur .... Sed dum Elias manens adhuc in „ corpore, vel ad talem conductionem venerat, „ quid de Moyse dicendum est? utrum in corpore „ iterum ad hanc ostensionem aderat, an ex aere simulatum, sicut Samuel visus est, habitum fingebat: & si suo corpore indutus venit, si hac vice „ resurrectionem suam, quae ceteris nonnisi in novissimo est futura, complevit? De qua quaestione „ authores una eademque sententia prolata non differenter dicunt, quod dum Dominus cum tribus discipulis suis, & Elias, non cum imaginatis, sed „ veris corporibus convenisse non dubitantur, & ipse „ Moyses in suo vero corpore de sepulchro resumto „ videtur. Sed si Dominus Jesus primogenitus mortuorum recte creditur: Moysi iterum post hanc „ visionem corpus sepulturae commendatur, ut „ ipsum in novissimo die, quando resurgent mortui, assumere possit. „ Authores autem, quos pro laudata sententia Scriptor hic suppresso nomine refert, sunt Chrysostomus *Homil. LXVII. in Matth.* Augustinus *Tract. CXXIV. in Johannem*, & Damascenus *Orat. de Transfigur.* Tertullianus itidem *Lib. IV. contr. Marcion.* & Origenes *Hom. XII. in Exod.* qui contendunt in Transfiguratione impletam esse Dei promissionem Moysi factam Exodi XXXIII. *posteriora mea videbis*, quasi in carne manens Verbum in carne viderit, gloria transformatum in monte. Verum quia Hieronymus, ac Chrysostomus id expresse non adserunt, & bene possunt intelligi de reali praesentia Moysis (quam tantum adstruunt) in corpore adsumto, Augustinus autem solum indigitat corporis Moysis resurrectionem, non vero diserte eam adstruit, sapienter Angelicus de Moyse, ita locutus est, sicut de Samuelis adparitione sententia est longe probabilior. Legesis Card. Gotti *de verit. Christ. Relig. Tom. IV. p. 2. cap. 21. §. 2.* aliosque interpretes S. Scripturae. Videsis etiam N. Serry *Exercit. XLVIII.* quum nobis sufficiat haec adnotasse.

ctoritate Graecorum codicum, in quibus tantum Septuaginta scriptum est: & in eundem numerum ait consentire Ambrosium, Hieronymum, Cyrillum, Theophylactum, & Eusebium in primo Ecclesiasticae historiae volumine. Adversatur huic sententiae Augustinus libro Evangelicarum quaestionum secundo, asserens numerum Septuaginta duo apte in discipulos Domini quadrare: quia sicut viginti quatuor horis totus orbis Solis luce lustratur; ita sanctissimae Trinitatis splendor toti orbi defertur per ter viginti quatuor discipulos, hoc est, Septuaginta & duos. Beda in Lucam libro tertio, eandem agnoscens lectionem, ait, numerum Septuaginta duorum discipulorum figuram gerere septuaginta duorum presbyterorum, &c. Verum quia Erasmus instat Augustinum ac Bedam mendosos habuisse codices, & consulendam esse Graecorum exemplarium veritatem; libet huc adscribere lectionem Epiphanii, pervetusti inter Graecos auctoris; qui in fine primi tomi adversus haereses de numero septuaginta duorum discipulorum haec prodit: DEMISIT autem Christus etiam alios septuaginta duos ad praedicandum: ex quorum numero fuerunt septem viduis praefecti, Stephanus, Philippus, Prochorus, Nicanor, Timon, Parmenas, & Nicolaus, & ante hos Matthias, qui Judae loco connumeratus est inter Apostolos; post hos autem septem, & Matthiam ante ipsos, Marcum, Lucam, Justum, Barnabam, Apellem, Rufum, Nigrum, & reliquos septuaginta duos; post hos deinde omnes Paulum Apostolum, quem comperimus sanctum Lucam de numero septuaginta duorum existentem sibi sectatorem fecisse. Haec Epiphanii verba: quae ne quis male versa suspicetur, Graece sic habent: Ἀπέστειλε δὲ καὶ ἄλλους ἑβδομήκοντα δύο κηρύττειν, ἐξ ὧν ἦσαν οἱ ἑπτὰ, οἱ ἐπὶ τῶν χηρῶν τεταγμένοι, Στέφανος, Φίλιππος, Πρόχορος, Τίμων, Παρμενᾶς, καὶ Νικόλαος, πρὸ τούτων δὲ Ματθίας, ὁ ἀντὶ Ἰούδα συμψηφισθεὶς μετὰ τῶν Ἀποστόλων· μετὰ τούτους δὲ τοὺς ἑπτὰ καὶ Ματθίαν τὸν πρὸ αὐτῶν, Μάρκον, Λουκᾶν, Ἰοῦστον, Βαρνάβαν, καὶ Ἀπελλῆν, Ῥοῦφον, Νίγερα καὶ τοὺς λοιποὺς ἑβδομήκοντα δύο· μετ' αὐτῶν δὲ πάντας Παῦλον τὸν Ἀπόστολον, ὃς εὑρίσκεται τὸν ἅγιον Λουκᾶν τῶν ἑβδομήκοντα δύο ἀκόλουθον ἑαυτῷ ποιήσας. Consentit in hoc numero Clemens Tertius post Petrum Pontifex, libro secundo Apostolicarum constitutionum capite 59. Astipulatur iis codex Graecus Apostolicae Bibliothecae, miram praeseferens vetustatem: neque his obstat veterum Patrum auctoritas, cui potissimum innititur Erasmus. Verisimile enim est Scriptores illos breviratis gratia pro Septuaginta duobus, septuaginta citasse: quod & factum videmus in primis Mosaicae legis interpretibus; qui cum essent duo & septuaginta, nempe ex singulis duodecim tribus delecti sex, ab omnibus vetustis Scriptoribus sub titulo septuaginta allegantur. Sic & Romani brevitatis studio centum & quinque Judices, e singulis triginta quinque tribus tres dilectos, Centum viros appellarunt.

ANNOTATIO CXLVII.

In eadem domo manete, manducantes, & bibentes, quae apud eos sunt.
Luc. 10. b

THEOPHYLACTUS juxta antiquam translationem, qua utitur divus Thomas in Catena aurea, ita hunc locum exponit: VIDE igitur, qualiter discipulos mendicare instituit, & pro pretio eos nutrimentum habere voluit. Pro quo Joannes Oecolampadius, novus Theophylacti interpres, sic vertit: VIDE igitur, quomodo discipulos ad inopiam instruat, dicens, Cibum pro mercede habete. Alphonsus libro adversus haereses decimo suspicatur Oecolampadium ex industria verbum mendicandi mutasse, quod patrocinium videretur afferre piae monachorum mendicitati; quam ipse, ut praecipuam ecclesiae pestem, multis contumeliis insectatus est. Mihi, ista annotanti, cum Graecus Theophylacti codex deesset, non licuit Alphonsi suspicionem explorare. Habes, quae huc pertineant, Annotationes libri hujus 118. & 317. *Num Apostoli mendicaverint.*

AN-

ANNOTATIO CXLVIII.

Congregabo omnia, quae nata sunt mihi, & bona mea, &c. *Luc.12.c*

Num liceat Christianis aliquid proprium habere.

BASILIUS in coociooe De divite, cujus ager fructus uberes attulit, sentire putatur, quod nemini liceat rem aliquam ut propriam possidere: talibus enim utitur verbis: CUI, inquit dives, injuriam facio, si mea retineo & conservo? qualia dic mihi tua? unde accepta in vitam intulisti? quemadmodum si quis in theatro spectandi loco occupato, deinde iogredientes prohibeat, proprium sui ipsius judicans id quod communiter omnibus juxta usum propositum est: tales sunt divites: communia enim praeoccupantes, & ipsa propter anticipationem propria faciunt, & existimant sua esse. Quandoquidem si unusquisque ad suae necessitatis consolationem capiens id, quod redundat, egenti dimitteret, nemo esset dives, nemo inops. Noooe nudus ex utero excidisti? nonne nudus rursus in terram reverteris? Praeseotia vero uode tibi sunt? si casu spontaoeo dicis: impius es, non cognoscens cooditorem: si vero confiteris esse a Deo: dic rationem nobis, ob quam accepisti: num injustus est Deus, qui inaequaliter nobis ad vitam necessaria distribuit? cur tu quidem dives es, ille vero egenus? Et infra, NONNE es praedator; qui ea, quae dispensanda suscepisti, tibi ipsi propria facis? esurienris est panis, quem tu detioes: nudi est pallium, quod tu io vestiario conservas: indigentis est argentum, quod tu defossum habes: quare tot hominibus injuriam facis, quot dare potes? &c.

S. Ambrosius lib. 1 de fide ad Gratianũ Imperat. ca. 1. id Exibis.

AMBROSIUS, Basilii interpres, sermone octogesimo primo, io hunc locum edito, Basilii sententiae subscribit his verbis: QUID injustum est, inquis, si eum aliena non invadam, propria diligentius servo? O imprudens dictum: propria dicis. Quae? Ex quibus reconditis in hunc mundum detulisti? quando in hanc ingressus lucem, quando de ventre matris existi, quibus, quaeso, facultatibus, quibusque subsidiis stipatus ingressus es? adventum tuum in hunc mundum disce

1. Tim. 6. a

ab Apostolo Paulo, dicente: Nihil eoim intulimus in hunc mundum, sed nec auferre quidem quid possumus: habentes autem victum & vestitum, his contenti simus. Terra communitet omnibus hominibus data est; proprium nemo dicat, quod e communi plus, quam sufficeret, sumptum, & violenter obtentum est. Et paulo post, NUNQUID iniquus est Deus, ut nobis non aequaliter distribuat vitae subsidia, ut tu quidem esses affluens & abundans, his vero deesset, & egerent? Esurientium panis est, quem tu detioes: oudorum indumentum est, quod tu recludis: miserorum redemptio & absolutio pecunia, quam tu in terram defodis: tot te ergo scias invadere bona, quot possis praestare, quod velis.

SUNT haec Basilii, & Ambrosii loca prudenter inspicienda, ne in errorem Apostolicorum labamur: de quibus Augustinus in libro De haeresibus ad Quod vult Deum, cap. 40. haec ex libro 2. Epiphanii adversus haereses narrat: APOSTOLICI, qui se isto nomine arrogantissime vocaverunt, eo quod in sua communione non reciperent utentes conjugibus, & res proprias possidentes, quales habet catholica ecclesia, & monachos, & clericos plurimos: sed ideo isti haeretici sunt, quoniam se ab ecclesia separantes, nullam spem putant eos habere, qui utuntur his rebus, quibus ipsi carent. Encratitis isti similes sunt: nam & Apotactitae, id est extraordinarii, sive renunciantes appellantur.

Jus possidendi propria duo significat

D.THOMAS io secunda secundae, qu. 66. atticulo primo & secundo utriusque auctoris dicta excutiens, ait, quod jus possidendi propria, duo inter caetera significare potest. Primo quidem potestatem procurandi ac dispensandi bona externa, sibi a Deo tradita; quo sane modo licitum est cuique propria possidere; oec hujusmodi proprietatis possessionem praemissae Patrum sententiae improbant. Secundo peculiarem ac singularem quendam rei usum, ejus tantum possessori addictum, quo quidem pacto nemini licet externas res, tanquam sibi uni duntaxat proprias, possidere: & hoc est, quod Basilius & Ambrosius in divitibus potissimum damnant; qui nihil egenis impendentes, omnia in proprios contrahunt usus. Sed libet huc ipsius Thomae verba, cum aliquid plus habeant, quam expres-

serim,

fetim, afcribere. AD fecundum ex Bafilio argumentum dicendum, quod ille, qui praeveniens ad fpeftacula praeoccuparet aliis locum, non illicite ageret: fed ex hoc illicite agit, quod alios prohibet: & fimiliter dives non illicite agit, fi praeoccupans poffeffionem rei, quae a principio erat communis, aliis etiam communicat: peccat autem, fi alios ab ufu illius rei indifcrete prohibeat. Unde Bafilius ibidem dicit: Cur tu abundas, ille vero mendicat, nifi ut tu bonae difpenfationis merita confequaris, ille vero patientiae praemiis coronetur? Ad tertium dicendum, quod cum dicit Ambrofius, Nemo proprium dicat, quod eft commune; loquitur de proprietate quantum ad ufum: unde fubdit, Plus, quam fufficeret, fumptum, violenter obtentum eft.

ANNOTATIO CXLIX.

Cum vadis cum adverfario tuo ad principem, &c. Luc. 12. g

ORIGENES homilia 35. in Lucam innuit quofdam ex angelis, ad noftram cuftodiam deputatis, nondum videre Deum, & adhuc de falute fua pendere incertos. Verba ejus haec funt: SIMUL quaere, utrum parvulorum in ecclefia femper videant Angeli faciem Patris, & aliorum Angeli non habeant libertatem vultum Patris attendere. Neque enim fperandum eft, omnium Angelos videre faciem Patris, qui in coelis eft: fi fuero de ecclefia, quamvis minimus fim, habet libertatem Angelus meus & fiduciam femper videre faciem Patris mei, qui in coelis eft: fi autem forinfecus, nec de illa ecclefia, quae non habet maculam, aut rugam, aut quid iftiufmodi, & re ipfa probor alienus effe a tali congregatione, non habet fiduciam Angelus meus refpiciendi vultum Patris mei, qui in coelis eft: Quam ob caufam Angeli pro bonis folliciti funt, fcientes, quod fi nos bene gubernaverint, & ad falutem ufque produxerint, habeant etiam ipfi fiduciam videndi faciem Patris. Quomodo enim fi per curam eorum & induftriam falus hominibus comparatur, faciem Patris femper attendunt: fic fi per negligentiam eorum homo corruerit, etiam fui periculi rem effe non nefciunt: & ficut bonus epifcopus, & optimus ecclefiae difpenfator fcit fui meriti effe, atque virtutis, fi oves gregis fibi crediti fuerint cuftoditae: ita intellige & de Angelis. Ignominia Angelo eft, fi homo juftus ei creditus fuerit, & peccaverit: ut e contrario gloria eft Angelo, fi creditus fibi, faltem minimus in ecclefia fuerit: videbunt enim non aliquando, fed femper, faciem Patris, qui eft in coelis, cum alii femper non videant. Secundum meritum enim eorum, quorum Angeli funt, aut femper, aut nunquam, vel parum, vel plus faciem Dei Angeli contemplabuntur. (a) De Angelis cuftodibus.

(a) Foede nimium errat hic Origenes, fibique contraria fcribit, quod ut acu tangatur ejus reatum ad lancem fanctuarii adpendere jubet. Primum enim hic ex Herma in *Libro Paftoris* duplicem Angelum cuilibet homini adfignatum adftruit, & cum ex monumentis fcripturarum id probaverit, ut firmius ftatuatur, hominem, quem inftruit, ad Patrum monumenta revocat & praecipue ad teftimonium Apoftolici fcriptoris, dicens: „ Tranfeat ad volumen, quod „ titulo *Paftoris* fcribitur, & inveniet cunctis ho„ minibus duos adeffe angelos, malum, qui ad per„ verfa exhortatur, & bonum, qui ad optima quae„ que perfuadet. Scribitur alibi, quod affiftant ho„ mini, five in bonam, five in malam partem du„ plices angeli. De bonis etiam Salvator meminit „ dicens: Angeli eorum femper vident faciem Pa„ tris mei, qui in Coelis eft „. Deinde fubdit quae N. Author ex eo tranfcribit. At quum ita loquatur, nonne fibimet contraria fcribit, ac turpiffime hallucinatur errat oggannit? Dum unicuique Angelus bonus fimul cum malo adfiftit, & ille univerfim (cujufcumque fit cuftos) videt faciem Patris, qui in Coelis eft, quomodo hanc fortem iis dumtaxat tutelaribus tribuit, qui adfiftunt *parvulis*, ideft electis? Dum omnes beati Spiritus in minifterium miffi, & ad falutem animarum deftinati vident faciem Patris, adeoque beati funt, confirmati funt in gratia, quomodo in ignominiam, poenam, & dolorem Coeleftium fpirituum cedet lapfus & ruina malorum, qui certe non ex negligentia, non ex defidia cuftodum, fed ex propria voluntate, ac perverfo judicio, pravaque fententia refpuentes boni Angeli confilia, iniqua tentatoris incitamenta fequuntur? Alienum omnino eft exemplum Paftoris, cujus ofcitantia populus ejufdem curae commiffus declinat a recta virtutis femita, quum neque haec ofcitantia, neque culpa in iis fanctis fpiritibus poffit adinveniri, qui beata vifione fruentes divina exfequuntur mandata, funt in cuftodia vigiles, in fanctis exhortationibus perfeverantes, nec unquam ceffant ab opere, ad quod fuerunt a Deo delecti. Commentum, fphalma, paradoxon ibidem Origenis de variatione ftatus Angelici, de reprobatione videlicet bonorum, ac falute malorum neque congruit cum iis, quae ex Herma depromit, quia dum vident faciem Patris fpiritus tutelares peccare non poffunt. Procul etiam hic Origines abit ab eo, quod docuerat *Homil. XI. in Caput XVII. Numeror.*, ubi, ut omnem de hac re dubitationem tolleret, diferte ait: in Judicio non Angelos de lapfu hominum judicandos, fed reprobos de

ANNOTATIO CL.

Fili tu semper mecum es. Luc.15.g

Num Angeli jam boni, quam mali ad virtutem, & vitium flecti queant.

HIERONYMUS in expositione parabolae de filiis prodigo & frugi ad Damasum, hoc explicans, ita scribit: NON justificabitur in conspectu tuo omnis vivens: non ait, Non justificabitur omnis homo, sed, omnis vivens, id est, non Evangelista, non Apostolus, non Propheta; ad majora conscendo, non angeli, non throni, non dominationes, non potestates, caeteraeque virtutes: solus Deus est, in quem peccatum non cadit: caetera cum sint liberi arbitrii, juxta quod & homo ad imaginem & similitudinem Dei factus est, in utraoque partem possunt suam flectere voluntatem. Petrus Lombardus libro Sententiarum secundo, distinct.7. air, ex his verbis non bene consideratis posse colligi, quod boni & mali angeli, cum utrique liberum arbitrium habeant, tam ad bonum, quam ad malum flecti queant: quod sane ab omnibus theologis rejicitur. Proinde admonet sententiam Hieronymi oportere accipi secundum statum, in quo primum homo & angelus creati sunt: talis enim & homo & angelus creatus est, ut ad utrunque flecti possent: sed postea boni angeli ita per gratiam sunt confirmati, ut peccare non possint; & mali ita in vitio obdurati, ut non valeant fieri boni: & tamen utrique habent liberum arbitrium: quia & boni, non aliqua cogente necessitate, sed propria ac spontanea voluntate per gratiam quidem adjuti bonum eligunt, & malum respuunt; & mali similiter sponranea voluntate a gratia destituti bonum vitant, & malum sequuntur.

Vide S. Thomam I P Qu. LXII. Art.8 & Qu LXIV. Art.2.

ANNOTATIO CLI.

Erat quidem mendicus, nomine Lazarus. Luc.16.d

An qui Christi praedicationem praecesserunt resurrectionem ignoraverint.

CHRYSOSTOMUS concione prima de Lazaro non longe a fine asseverat, Lazarum nihil de resurrectione potuisse sperare: quia illi, qui Evangelicae gratiae tempus praecesserunt, nullam habuerunt resurrectionis notitiam. Id autem exprimit his verbis: POSSUM & aliud his omnibus addere, videlicet quod Lazarus ne de resurrectione quidem quicquam potuerit philosophari: sed hujus vitae res credebat hujus vitae fine terminari. Erat enim ex eorum numero, qui gratiam Evangelii praecesserunt: quod si nunc his temporibus post tantam Dei cognitionem, post egregias resurrectionis spes, post illic reposita peccantibus supplicia, post parata his, qui recte vixerint, bona, adeo dejectis animis, ac miseris sunt nonnulli, ut ne horum quidem expectatione corrigantur: quid tandem est putandum Lazaro accidisse, etiam hac destituto anchora? nam ille tale nihil unquam philosophari potuit, eo quod nondum advenisset tempus hujusmodi dogmarum. Habes loci hujus affinis observationem supra Annotat.51. libri hujus.

ANNOTATIO CLII.

Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum. Luc.16.f

An ullus absque lectione divinae Scripturae salutem assequi possit.

CHRYSOSTOMUS concione tertia de Lazaro, & in plerisque aliis homiliis, cohortans auditores suos ad sacrorum voluminum lectionem, sententiis aliquot utitur, quibus nostrorum temporum haeretici suadere conantur, Scripturas scilicet sanctas in omnes omnium gentium linguas transferri oportere, ut a populo rudi queant sine ullo discrimine legi, & sine labore intelligi. Nihil enim, ajunt, impedi-

de angelico repudiato consilio. „ Igitur unusquisque Angelorum in consummatione seculi aderit „ in Judicio, educens eos secum, quibus praefuit, „ quos instruxit, pro quibus semper vidit faciem „ Patris, qui in Coelis est. Et puto etiam ibi inquisitionem futuram, non quidem an culturae ho„minum Angelus defuerit, sed an culturae angelicae nequaquam digne segnitia humana responderit „. Lege Angelicum Doctorem *I.P. Qu.CXIII.* per totum, & lustra notas marginales ibidem adpositas a N. Johanne Nicolai.

impedimento esse: quin divinae Scripturae ab omnibus vel indoctis intelligantur, nisi peregrinae linguae ignorantia. Sunt autem propositiones ab haereticis, ex Chrysostomo decerptae, potissimum tres. PRIMA in tertia concione de Lazaro legitur his verbis: EMINUS venientia diaboli spicula extinguamus, depellamusque per assiduam Scripturarum lectionem: neque enim fieri potest, non potest inquam fieri, ut quisquam salutem assequatur, nisi perpetuo versetur in lectione spirituali. Hanc vero propositionem duplici argumento suadet: primo quidem ex necessitate instrumentorum in quacunque arte, sic ibidem inquiens; AN non vides fabros aerarios, aurifices, fabros argentarios, deinque eos, qui quamcunque exercent artem, omnia artis instrumenta habere parata; hoc sane animo nos quoque praeditos esse oportet: quemadmodum enim illis artis instrumenta sunt malleus, incus, forceps; sic & nobis instrumenta sunt Apostolorum ac Prophetarum libri, omnisque Scriptura divinitus inspirata: & quemadmodum illi per illa instrumenta, quicquid faciendum susceperint, perficiunt: ita sane & nos per hos fabricamus, animam nostram corrigimus, & inveteratam renovamus. Secundo idem astruit ex eo, quod ex praecepto divino oporteat unumquenque paratum esse ad reddendam suae fidei rationem cuilibet poscenti. Verba ejus homilia in Joannem sextadecima haec sunt: SI gentiles, ut contra religionem nostram loquerentur, tantopere invigilarunt: qua nos venia digni erimus, nisi hujusmodi contra nos insultus propulsare calleamus? hoc nobis Petrus praecipit: inquit enim: Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quae in vobis est, spe. Et Paulus, verbum Christi inhabitet in vobis abundanter. Sed quid ad haec respondent fucis stultiores? Benedicta omnis anima simplex: & qui simpliciter ambulat, in fiducia ambulat. Hoc nanque omnium malorum causa est, quod non multi scripturarum testimonia in opportunis rebus sciunt adducere: non enim eo loco simplex pro stulto, & pro eo, qui nihil novit, intelligendum est; sed pro non malo, non versuto. Nam, si ita intelligeretur: supervacaneum fuisset dicere, Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbae. 1. Petr. 3. 15. Coloss. 3. 16. Prover. 10. 9. Matth 10. 16.

SECUNDA propositio est, quod divinae scripturae lectio non solum ad theologos, & clericos, & monachos pertinet, sed etiam multoque magis ad laicos, praesertim negociatores & artifices: Hanc autem in tertia de Lazaro concione ostendit, haec scribens: Ne, quis mihi dixerit, Ego forensibus causis affixus sum; publica gero negocia; artificium exerceo; uxorem habeo; familiae curam gero mundanus homo sum; non est meum legere scripturas, sed eorum, qui mundo dixerunt Vale, qui montium vertices occuparunt, qui vitam ejusmodi continenter agunt. Quid ais homo? non est tui negocii scripturas evolvere, quoniam innumeris curis distraheris: immo tuum magis est, quam illorum: Neque enim illi perinde scripturarum egent praesidio, atque nos in mediis negociorum undis jactati: nam monachi quidem a foro, forensibusque negociis liberi, quique in deserto fixere tuguriola, neque cum quoquam habent commercium, sed in illa quieta tranquillitate cum omni securitate philosophantur, ac veluti in portu sedentes, rebus vehementer tutis fruuntur: nos contra, velut in medio mari fluctuantes, innumerisque, velimus nolimus, peccatis obstricti, semper opus habemus perpetuo jugique scripturarum solatio. Rursum homilia in Matthaeum secunda, hoc ipsum confirmans, inquit: SED est ne horum criminum tandem aliqua defensio? Non sum, inquit, ego monachus; uxorem habeo, & filios; & curam domus gero: Hoc enim est, quod omnia quasi una quadam peste corrumpit, quoniam lectionem divinarum scripturarum ad solos putatis monachos pertinere, cum multo magis vobis, quam illis, sit necessaria: qui enim versantur in medio, & vulnera quotidie accipiunt, magis indigent medicamine, &c. Num Scripturarum lectio magis ad Clericos, quã ad laicos pertineat.

TERTIA propositio, quae tribus absolvitur partibus, est, Neminem aut negociorum occupatione, aut librorum inopia, aut divini eloquii obscuritate, excusari posse a lectione divinarum scripturarum. Primam & secundam hujusce propositionis partem suadet homilia in Joannem decima in haec verba: QUID igitur a vobis contendimus? ut una dierum in hebdomade, saltem Sabbato, curae vobis sit Evangelicas legere lectiones, quas ante has conciones in manibus habere domi frequenter repetere, earum diligenter sensum disquirere, quid clarum, quid obscurum in Num occupatio, inopia, vel ignorantia quemquã excusent a lectione Sacrae Scripturae.

in his sit annotare velitis; quid pugnare videatur, cum non pugnet: ita omnibus penitus examinatis, his vos concionibus quam attentissimos exhibeatis. Quod si qui sunt, qui negocia, occupationesque causantur; primum in hoc non parum errant, quod ita semper secularibus negotiis affixi sint, ut ne minimum quidem in his, quae maxime necessaria sunt, studium impendant: deinde frivolam & nullius momenti excusationem afferunt: rebus vilibus, omni rejecta excusatione, diligens adhibere studium possunt, divinis autem ne minimam quidem curam imponendam ducunt. Et quonam pacto qui talia sentiunt, spirare, Solemve conspicari digni sunt? Est & alia his oscitantibus inepta excusatio, librorum videlicet inopia: & divitibus quidem ad hoc respondere ridiculum est. Verum cum multos pauperes hujusmodi excusatione uti existimem; cum his parumper jocari, atque ita eos percontari placet: Nunquid omnia artis suae habeant instrumenta? & si inopia in his comparandis admodum impediantur: nonne igitur absurdum est, hic non causari paupertatem; ubi autem tantam sint consecuturi utilitatem, occupationes deflere & inopiam? Tertiam, ac postremam hujus propositionis partem homilia de Lazaro jam citata sic prosequitur: QUID igitur, inquiunt, si non intelligamus, quae continentur sacris libris? Maxime quidem, etiam si non intelligas, quae continentur sacris libris? Maxime quidem, etiam si non intelligas illic recondita, tamen ex ipsa lectione multa nascitur sanctimonia: quanquam fieri non potest, ut omnia ex aequo ignores, Propterea siquidem Spiritus gratia dispensavit illa, temperavitque, quo publicani, piscatores, tabernaculorum opifices, pastores, apostoli idiotae, & illiterati per hos libros salvi fierent, ne quis idiotarum ad hanc difficultatis confugere possit excusationem: ut omnibus facilia conspectu essent, quae dicuntur, ut & opifex, & famulus, & vidua, & mulier, & omnium hominum indoctissimus ex audita lectione aliquid lucri, utilitatisque reportaret. Non enim ad inanem gloriam quemadmodum ethnici, sed ad audientium salutem haec composuerunt. Philosophi non quod in commune conducit quaerentes, sed illud spectantes, ut ipsi sint in admiratione, etiam si quid utile dixerint, hoc quoque in caligine quadam sapientiae, consueta illis occultavit obscuritas: Apostoli vero & Prophetae contra fecerunt: omnia manifesta, claraque prodiderunt, exposuerunt omnibus, veluti communes orbis doctores, ut per se quisque discere possit ea, quae dicuntur e sola lectione. Iterum homilia tertia in posteriorem ad Thessalonicenses epistolam indicat scripturas adeo esse dilucidas, ut qui eas legunt, praedicatorum & doctorum explanatione non egeant. Ejus dicta sic habent: SED inquis, Cur ingredior in ecclesiam, si ibi aliquem sermocinantem non audiam? Istud omnia perdidit, & corrupit: quid enim opus est concionatore? per nostram negligentiam necessitas ista facta est: quamobrem nanque concione opus est? omnia clara sunt, & plana ex scripturis divinis: quaecunque necessaria sunt, manifesta sunt: sed quia delicatuli estis auditores, delectationem audiendo venantes, propterea concionatores quaeritis. Sed ignoro, inquis, quae in divinis Scripturis posita sunt. Quamobrem? num enim Hebraice? num Latine? num alio externo idiomate prolata sunt? nonne Graece dicuntur? At obscure, inquis. Quae est ista obscuritas, dic quaeso? non historiae sunt? nosti, quae clara sunt? quod de obscuris rogas: mille historiae sunt in Scripturis: dic mihi unam ex illis: sed non dices: praetextus sunt ista, & inania verba.

De Armenica Bibliorum editione a Chrysostomo peracta lege quae adnotavimus supra fol. 415. Idem hic addimus judicium de utriusque Testamenti versione in Dalmaticam linguam ab Hieronymo elaborata, neutrum nequam hanc versionem fuisse a S. D. confectam. Vide Serarium, Le-long, & alios.

HAEC igitur hac de re a Chrysostomo dicta sunt, ex quibus haeretici tres educunt errores: primum, quod divinae Scripturae lectio omnibus tam doctis, quam indoctis sit necessaria: secundum, Scripturam divinam sua pte natura lucidissimam, & adeo intellectu facilem esse, ut a quovis rudi & simplici homunculo, si absit externae linguae impedimentum, apertissime intelligi possit: tertium, vetendas esse divinas literas in peculiares ac proprias cuique genti linguas; ut, amoto hoc uno ignorae linguae obstaculo, omnes totius orbis nationes sacra volumina legant & intelligant: quod & olim cum magna Christiani orbis utilitate factum esse constat a priscis ecclesiae Patribus; e quibus, ut plerique ecclesiastici Scriptores testantur, Chrysostomus novum Testamentum, & Davidicos psalmos in linguam Armenicam transtulit; Hieronymus utrunque Testamentum in linguam Dalmaticam; Vulphilas, Gothorum episcopus, omnia sacra Biblia in linguam

guam Gothicam; & Chrysostomi temporibus omnis Graeca ecclesia divinos libros vulgari lingua aut editos, aut translatos legebat.

Ulphilas Cappadox S. Scripturam in linguam Gothicam transtulit Vide sup. f. 490.

ADVERSUS hujusmodi errores meminisse oportet, quod & alibi saepe monuimus, non esse concionatorum verba semper eo rigore accipienda, quo primum ad aures auditorum perveniunt: multa enim declamatores per hyperbolem crebro enunciant, & inculcant, vel occasione locorum, temporum, ac personarum adducti, vel affectuum impetu & orationis cursu rapti. Hoc interdum Chrysostomo contigit, & in hoc potissimum argumento loquenti. Siquidem cum animadverteret, multitudinem Graecorum, theatris, spectaculis, scenis, & poëtarum fabulis intentam, divinas Scripturas omnino contemnere; ille graviter ferens tantam gregis sui desidiam & inscitiam, desiderabat omnes, si fieri posset, esse theologos, & praeceptores: quo spiritu olim Moses afflatus dicebat. Quis tribuat, ut omnis populus prophetet, & det ei Dominus spiritum suum? atque ob id omnes indiscriminatim hortabatur ad divinam lectionem, quasi ea promiscue pertineret ad omnes, nullique pateret aditus salutis, qui sacra non legeret volumina.

Num. 12. 29.

PROINDE cum apud ipsum legimus, divinae Scripturae studium esse omnibus necessarium, magisque pertinere Scripturarum lectionem ad laicos, quam ad monachos; non ita accipienda sunt ipsius verba, ac si sentiat, artifices, piscatores, agricolas, & hujusmodi illiteratos homines, qui nec literas norunt, nec legere didicerint, salvari nequeant, nisi sacros codices evolvant, ac legant (hoc enim esset regnum coelorum insipientibus ac rudibus claudere, quod Christus non minus indoctis, quam doctis apertum esse voluit) sed credibile est, eum per lectionem Scripturarum intellexisse eam cognitionem, ad quam suprema totius divinae Scripturae capita referuntur, ceu sunt praecepta Decalogi, & sententiae Christiani symboli; quibus prorsus ignoratis, certum est neminem consequi aeternam vitam.

Quomodo divinae Scripturae lectio sit omnibus necessaria.

QUOD autem ait, divinas Scripturas sic esse perspicuas, ut a quovis, quantumlibet imperito, intelligi queant, referendum est non ad totum, sed ad partes. Distinguit enim Chrysostomus divina scripta in duas classes: quarum una continet recondita & abstrusa altioris sapientiae mysteria, neque omnibus pervia, neque omnibus sciru necessaria; veluti sunt majori ex parte Pauli epistolae; de quibus loquens Petrus ait: CHARISSIMUS frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit epistolas, in quibus sunt quaedam difficilia intellectu; quae indocti & instabiles depravant, sicut & caeteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem. Altera sectio aperta est ac dilucida, complectens prima summaque rerum credendarum principia, ac praecipua bene vivendi praecepta, & exempla cognitu facilia; ut sunt morales sententiae, & sactae quedam historiae, formandis moribus utiles; de quibus omnes pene Chrysostomi adhortationes intelligendae sunt.

Divina Scriptura quomodo facilis, vel difficilis.

2. Pet. 3. 15. 16.

AD ID vero, quod haeretici contendunt, vertendas esse divinas literas in maternam cujusque nationis linguam, quia olim hoc ipsum factum sit ingenti ecclesiae beneficio, respondetur ineptum esse hujusmodi argumentum: multa enim alias instituta sunt in communem reipublicae utilitatem, quae cum postea incommodum & periculum afferrent, abrogata sunt. Agebantur olim ex Ecclesiae instituto ad sepulcra martyrum nocturna pervigilia magna sacrarum virginum, monachorum, ac saecularium hominum frequentia: at cum inde paulatim flagitia multa foeda ac turpia prodire coepissent, sublata omnino sunt Elibertini concilii sanctione. Dabatur aliquando, ut ex sexto libro Eusebianae historiae capite 33. & ex quinto Theodoreti volumine, capite 18. constar, eucharistiae sacramentum in manus fidelium: (a) sed, deprehensis multis, qui id tractarent indigne, & qui ad magicas

Num divinae Scripturae in maternas cujusquam gentis linguas vertendae sint.

Concil. Eliberin. Canon. XXXV.

(a) Ritus excipiendi Eucharistiam manu, etiam laicis ennuetus, ita describitur a S. Cyrillo Hierosolymit. *Orat. V. Mystag.* „ Accedes ad communionem non expansis manuum volis, neque cum disjunctis digitis, sed sinistram veluti sedem quandam subjiciaa, quae tantum Regem suscepturus est: & concava manu suscipe corpus Christi dicens Amen „. Verum mulieres non nuda manu, sicut mares, sed linteo, seu *Dominicali* ea retento excipiebant. Ritus autem hic non excessit Seculum IX. nam in Concilio Rothomagensi tempore Ludovici Regis celebrato *cap.* 2. decretum est, ut Sacerdotes „ nulli laico, aut feminae Eucharistiam „ in manibus ponant, sed tantum in os ejus cum „ his verbis ponant: Corpus Domini, & sanguis „ prosit tibi in remissionem peccatorum, & vitam „ aeternam „. Legesis Edmundum Martene de *Antiquis Ecclesiae ritibus Lib. I. De Eucharist. Art. X.*

magicas vanitates occultatum domi furtim asportarent, consuetudo illa abolita est. Fatemur ergo & nos, quondam sacros libros vulgari idiomate redditos magna Christianae fidei propagatione: at nunc id ipsum fieri non omnino expedit, quando certissimo experimento cognovimus plurimam simplicium turbam ex hac occasione in detestabiles & irremeabiles errores corruisse, dum quisque sutor, fullo, & coriarius, vulgari Scripturarum translatione fretus, audet hoc insolenti saeculo temere de obscuris divinae Scripturae difficultatibus disserere, & de praecipuis fidei dogmatibus juxta suam insaniam judicare. Cohibenda est igitur, tam propter Scripturae divinae reverentiam, quam propter animarum salutem, tanta vulgarium versionum copia & licentia, ne contra Salvatoris praeceptum detur sanctum canibus edendum, & margaritae porcis proterendae: & sicut adhibenda est hac in re prudens, ac pia quaedam mediocritas, ut non omnibus prohibeantur hujusmodi sanctorum voluminum translationes, ne indocti, ut Chrysostomus inquit, artis suae instrumentis omnino priventur: ita curandum est, ne omnibus passim invulgentur divinae literae, sed his duntaxat, qui recta in Deum fide & probatis moribus praediti sunt; quemadmodum sacrosancta synodus Tridentina in Indice prohibitorum voluminum, regula quarta decrevit his verbis: CUM experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri: hac in parte judicio episcopi, aut inquisitoris stetur; ut cum consilio parochi, vel confessarii Bibliorum, a Catholicis auctoribus versorum, lectionem in vulgari lingua eis concedere possit, quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei, atque pietatis augmentum capere posse: quam facultatem in scriptis habeant. Qui autem absque tali facultate ea legere, seu habere praesumpserit, nisi prius Bibliis ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit. Bibliopolae vero, qui praedictam facultatem non habent, Biblia idiomate vulgari conscripta vendiderint, vel alio quovis modo concesserint, librorum pretium, in usus pios ab episcopo convertendum, amittant; aliisque poenis pro delicti qualitate ejusdem episcopi arbitrio subjaceant. Regulares vero non nisi facultate, a praelatis suis habita, ea legere, aut emere possint.

ANNOTATIO CLIII.

Si Mosen & prophetas non audierunt: nec, si quis ex mortuis surrexerit, audient. Luc. 16. g

Confessio.

CHRYSOSTOMUS hom. 4. de Lazaro, haec enarrans, ita de confessione loquitur, ut ex verbis ejus colligi possit, soli Deo confitendum esse: quippe qui sic loquitur: CUR te, quaeso, pudescit, & erubescis dicere peccata tua? caveto eim, homini dixeris; ne tibi opprobret: neque enim servo confiteris, ut in publicum proferat, &c. Vide supra Annot. 175. libri quinti.

ANNOTATIO CLIIII.

Ite, & ostendite vos sacerdotibus. Luc. 17. d

Quae peccata confitenda sint.

BEDA libro quinto Commentariorum in Lucam, capite 68. ita hanc periodum exponit: NULLUM Dominus eorum, quibus haec corporalia beneficia praestitit, invenitur misisse ad sacerdotes, nisi leprosos: quia videlicet sacerdotium Judaeorum figura erat futuri sacerdotii regalis, quod est in ecclesia: & quisquis vel haeretica pravitate, vel superstitione gentili, vel Judaica perfidia, vel etiam schismate fraterno, quasi vario colore perfusus, Domini gratia caruerit; necesse est ad ecclesiam veniat, coloremque fidei verum, quem acceperit, ostendat: caetera vero vitia tanquam valetudinis, & quasi membrorum animae, atque sensuum, per semetipsum interius in conscientia, & intellectu Dominus sanat, & corrigit. Beatus Rhenanus, Lutheranae sectae addictus, in Annotationibus, quas edidit in librum Tertulliani De poenitentia, ex his verbis perverse colligit, quod in

in crimine schismatis, haeresis, & infidelitatis duntaxat sacerdotibus confitendum sit: in caeteris vero peccatis soli Deo confiteri sufficiat. Caeterum Bedae mens est ostendere his verbis duplex confessionis genus: unum, quod pars est poenitentiae publicae & solennis; & hanc necessariam esse dicit haereticis, schismaticis, & infidelibus: alterum est clancularia ac secretae confessionis genus, quam in caeteris delictis sufficere asserit his, qui soli Deo in aurem sacerdotis arcana pectoris produnt, & peccata accusant. (a)

ANNOTATIO CLV.

Deus propitius esto mihi peccatori. *Luc. 18. c*

CHRYSOSTOMUS in homilia De Publicano & Pharisaeo, in explanatione hujus sententiae, videtur sola confessione, quae secreto fit ante Deum, esse contentus, dum inquit: ITAQUE admoneo, ut assidue confiteare: neque enim te ad theatrum duco conservorum tuorum; nec te cogo peccata tua hominibus enunciare: conscientiam tuam Deo expone: ei ostende facta & vulnera & ab eo medicinam pete: ostende te non exprobranti, sed curanti, &c. Vide supra Annotatione 175. libri quinti. De confessione.

ANNOTATIO CLVI.

Qui habet sacculum, tollat similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium. *Luc. 22. d*

HUGO Carensis, hunc locum in Postilla super Marcum exponens, duplici crimine ab Erasmo notatur: primo quidem, quod impudentissime detorquens dictum Christi, asseveret eum his verbis monuisse Apostolos, ut ingruente procella Num Christianis bella gerere liceat.

(a) Nedum Lotherani, verum & omnes quotquot sunt extra Romanam Apostolicam Ecclesiam in eam eunt sententiam, exomologesim, nimirum, institutam pro solis publicis criminibus, quibus erant peculiares propriaeque poenitentiae addictae. Verum ultra publicam poenitentiam adhuc primoribus Ecclesiae seculis fuisse ex divino mandato praescriptam confessionem auricularem & clancularem pro occultis quibusvis criminibus ita compertum est dilucidis monumentis, ut vel nodum in scirpo quaerant, qui ea de re ambigere audent. Satis erit impraesentiarum laudare Origenem, qui Homil. III. in Leviticum ita hanc veritatem manifestat, ut nullus suppetat dubitationi locus. Inquit enim: „ Audi quid „ Legis ordo praecipiat si peccaverit unum aliquid „ de istis: pronunciet peccatum, quod peccavit. „ Est aliquid in hoc mirabile secretum, quod „ jubet pronunciare peccatum. Etenim omni „ genere pronuncianda sunt, & in publicum „ proferenda cuncta, quae egerimus, si quod „ in occulto gerimus, si quid in sermone so„ lo, vel etiam intra cogitationum secreta commi„ simus, cuncta est publicare, cuncta proferre „ *Publicae pralationis* nomine non quidem theatralem confessionem Origenes usurpat, sed manifestationem extra factam Dei ministro, quod clarius explicat *Hom. II. in Psal. XXXVII. & Hom. XVIII. in Lucam.* Consule ulterius Polemicos, apud quos reperies testimonia PP. & Ecclesiae monumenta juxta seculorum seriem ab initio ad infimam quoque aetatem, ex quibus etiam plura in medium produxi *T. I. Exerc. XI.*

Et ut ad V. Bedae monumentum, quod Rhenanus detorquet adcuratius animum admoveamus, procul dubio minor, & quammaxime obstupesco quomodo cum ipse, tum Calvinus, aliique eo fuerint abusi ad impugnandam auricularem confessionem, quum apertissimum sit Bedae monumentum. Quid insuper si ejusdem V. P. aetas vel eminus conspiciatur? Sub initium VIII. Seculi & paulo post floruit tam insignis Doctor, quo quidem tempore solemnis erat ubique terrarum confessio auricularis, quinimmo jam erant edita Ritualia, & Instructiones pro eadem recte perficienda juxta Servatoris praeceptum, & Ecclesiae praescriptum: quod vel ex eo colligere liquet; quia VI. Seculo jam erat procusum Poenitentiale Johannis Neustetis CP. Patriarchae, quo praescribuntur subjicienda Ecclesiae clavibus singula peccata, etiam occultissima; quinimo & illorum circunstantiae Confessariis explicantur eodem ferme modo ac in usu est Ecclesiae Romanae. Aderant innumeri destinati Sacerdotes ad auriculares confessiones excipiendas, & ex Monachis itidem plures ad idem munus erant designati, qui certe nunquam ad poenitentiam publicam imponendam, vel ad Canonicae exomologesis exercitium idonei fuerunt declarari, ut ex Ecclesiae disciplina perspicuum est & indubitatum. Adde, quod quum X. Seculo ex Bedae doctrina non bene percepta Guillelmus quidam, in errorem lapsus, existimasset quaedam duntaxat scelera publica sacris Canonibus exomologesi subjecta, nimirum haeresim, Judaicam perfidiam, paganismum, & schisma fore a V. Beda praescripta, quae clavibus Ecclesiae subjicerentur, statim contra eum calamum acuit, & illius errorem confutavit Goffridus Vindociensis Abbas Guillelmi discipulus, ad eumque scripsit, ut eundem ab errore revocaret, edisserens & distinguens criminum diversitatem, eorum, nempe quae forent publica poenitentia eluenda, &, quae secreta confessione essent expianda, ex eodem V. Beda catholicum dogma confirmans, ut constat ex *Epistola XVI. lib. V. Epistolarum*, quas publici juris fecit Jacobus Sirmondus Anno MDCX. Reliqua vero, quae ad rem hanc firmandam, atque dilucidandam pertinent, consulas apud laudatos Polemicos, & in nostra Exercitatione XL. nuper laudata.

procella persecutionum, munirent se duabus rebus, nempe commeatu, & armorum praesidio: deinde, quod tam absurdae extorsionis Chrysostomum fecerit auctorem, qui commentum istud ubique rejicit. Damnat haec Erasmus in Annotationibus tertii capitis, & vigesimi secundi capitis in Lucam, ubi prolixa oratione ab instituto digrediens, deplorat querelis pene tragicis scholarium theologorum judicium; qui insulsis, ut ille ait, commentis, & frigidis distinctiunculis suis subvertant Evangelicam doctrinam, docentes, non esse Christianis interdictum bellandi jus, sed licitum esse Christianis bellum gerere. Quorum quidem sententiam ipse, ut impiam, oppugnat magno testimoniorum numero; ut quos testium pondere superare non potest, saltem multitudine obruat: in his potiora sunt,
Matth. 5. quod Christus in Evangelio praeceperit suis, ne resistant malo, sed inimicos diligant: orent pro calumniantibus, pacem persequentium expetant, benefaciant hostibus, alteram percutientibus maxillam, alteram praebeant; auferentibus tunicam,
Rom. 12. pallium quoque ultro relinquant, & juxta Pauli praeceptum adversarios amoris ac beneficiorum flammis exurant. His addit multorum veterum Patrum auctoritatem: in primis vero Origenis; qui tractatu in Matthaeum septimo praesentem locum explanans, sermonem Christi de gladio emendo, pestiferum esse pronunciat, si ad literam accipiatur. Deinde Origeni confert Ambrosium; cujus super his Christi verbis explanatio legitur decimo in Lucam Commentario, ad hunc modum: O DOMINE, cur emere me jubes gladium, qui ferire me prohibes? cur habere praecipis, quem vetas promi? nisi forte, ut parata sit defensio, non ultio necessaria; & videar potuisse vindicari, sed noluisse. Lex tamen referire me non
Luc. 22. 38. vetat: & ideo fortasse Petro, duos gladios offerenti, sat est, dicit; quasi licuerit usque ad Evangelium, ut sit, in lege aequitatis eruditio, in Evangelio bonitatis perfectio. Multis hoc iniquum videtur, sed non iniquus Dominus; qui cum se posset ulcisci, maluit immolari. Iis quoque adjungit Chrysostomum, ex Catena aurea D. Thomae citatum; qui hunc ipsum Christi sermonem sic enarrat: QUI
Matth. 5. 39. 40 &c. non habet, vendat vestem suam, & emat gladium: quidnam hoc? armatne discipulos, qui dicit, Si quis te percusserit in dexteram maxillam, obverte ei & alteram? qui praecepit, ut benedicamus his, qui nos conviciis lacessunt. Feramus invadentes, oremus pro persequentibus, nunc armat? armatque uno tantum gladio? & quomodo haec rationi consona sunt? nam si omnino armis opus erat, non solo gladio: sed & scuto, & galea, & cruralibus armare oportebat. Et profecto, si humano more haec dispensare & agere voluisset, ridiculum erat hoc praeceptum: quandoquidem licet sexcenta id genus arma possedissent adversus insidias, & impetus populorum, tyrannorum, civitatum, gentium: quomodo potentiores habiti fuissent undecim? quare ergo haec dicit? Judaeorum insidias indicare volebat,
S. Martinus nefas existimat Christianum sub Caesare Apostata militare. idque manifeste, & non per aenigmata, ne iterum secum confunderentur. Severus Sulpicius ultimo loco supponitur, qui in vita Martini inducit eum recusantem Caesaris donativum, quod militibus erogari solebat, his verbis: HACTENUS, o Caesar, militavi tibi: nunc patere, ut militem Deo: donativum tuum pugnaturus accipiat: Christi ego miles sum; mihi pugnare non licet. Demum post multa infert, Christiano viro dimicandum esse non corporeis & ferreis armis, sed spirituali & Evangelica panoplia, qua Paulus Christi militem instruit, hoc est,
Ephes. 6. 17. galea salutis, scuto fidei, & gladio spiritus: quod & Ambrosium dicit in libro De viduis palam declarasse, cum inquit: ARMA ecclesiae fides est, arma ecclesiae oratio est, quae adversarium vincit.

HAEC ERASMUS: qui, ut in his, quae protulit contra scholasticos theologos, vehementer fallitur; ita in eo, quod Carensi impingit, prorsus decipitur, Cum enim hic duo a Christo connumerata sint, nimirum sacculi peraeque apratio, & gladii emptio, Carensis, horum primum primo loco edisserens, ait, Christum sacculi & perae admonitione licentiam concessisse Apostolis, ut in posterum quaedam sibi ipsis victui necessaria pararent, quae sacculi peraeque nomine significantur. Utitur autem ad confirmationem interpretationis hujus testimonio Chrysostomi, brevitatis gratia truncatim citato: quod ne quis falso inductum suspicetur, ascribam huc integram Chrysostomi sententiam ex homilia in illud epistolae
Rom. 16. 3. ad Romanos, Salutate Priscam & Aquilam, &c. ubi diluens quaestionem, cur

Apostoli,

Apoſtoli, quibus Chriſtus marſupium, peram, calceos, & geminatas tunicas lege prohibuit, his omnibus poſt Chriſti reſurrectionem uſi fuerint? hunc in modum loquitur.

QUID igitur ad haec dicemus? Chriſtus neque ſemper Apoſtolos hujus legis neceſſitate obſtringi voluit; ſed eos abſolvit ab hac lege, cum jam ad ſalutarem crucem iturus eſſet: & unde hoc liquet? ex Salvatoris ſermonibus: nam paſſionem aggreſſurus, vocatis illis, dixit: Cum vos mitterem ſine marſupio & pera, aliquid ne deerat? at hi reſpondentes dixerunt, Nihil. Ipſe autem dicebat eis: Sed nunc qui habet marſupium, tollat & peram; & qui non habet, vendat veſtem ſuam, & mercetur gladium. Jam forte dicet aliquis, Apoſtolos his dictis a crimine abſolutos. Sed ultra quaeritur, quare Chriſtus contraria praeceperit: nam interdum dicit, Ne poſſideatis peram: interdum autem, Qui non habet marſupium, tollat & peram: quare hoc fecit? ſane haec admodum digne fecit pro ſua ſapientia curaque, quam pro diſcipulis gerebat. Ab initio enim vocationis hoc faciebat, ut diſcipuli periculum virtutis ſuae facerent; & poſthac in orbem terrarum exituri, hoc exemplo animati magis in eo fiderent. Verum ubi hanc potentiam ſuam agnoſcere coeperunt, voluit, ut ipſi domi virtutis ſpecimen aliquod praeberent; permiſitque ipſos ſuas ferre tentationes, ne ſcilicet perpetuo ocioſi reſiderent, & ad finem uſque quaſi pueri geſtarentur. Nam initio nihil eos pati ſinebat; ſed ubique aderat muniens, & circumvallans eos; faciensque, ut omnia ubertim eis affluerent: cum vero tempus eſſet, ut virilitatem ſuam ipſi declararent, ſubtraxit aliquandiu beneficium, praecipiens eis, ut etiam per ſe ipſos multa perficerent. Atque hanc ob cauſam, cum non habebant calceos, vel zonam, vel baculum, vel aes, nihil eis deerat: dicit enim, Num aliquid vobis deerat? & reſpondentes, dixerunt, Nihil. Caeterum, quo tempore permiſit eis, ut marſupium haberent, & peram, & calceos, inveniebantur & eſurientes, & ſitientes, & nudi incedentes: unde liquidum, cur paſſim eos periclitari & affligi ſinit, nempe, ut mercedem aliquam habeant. Et quemadmodum aves, pullos ſuos foventes, tamdiu in nido ſedent, donec illorum plumae increſcant; quas dum increviſſe viderint, eos primum circa nidos volitare docent: deinde adminiculo ſuo totos deſtituunt: ita faciebat & Chriſtus: in Palaeſtina enim, quaſi in nido nutricabat diſcipulos, & eos volare docuit praeſens & geſtans: tandem permiſit eos volare in totum orbem, dato eis mandato, ne ſibi ipſis deeſſent. Lu.22.35.36.

HAEC Chryſoſtomi verba ab Hugone ſummatim delibata, non autem, ut Eraſmus criminatur, falſo ac depravate citata. Quibus conſentiens Theophylactus, in expoſitione ejuſdem loci, ſic ſcribit: IN principio quidem praedicationis mittens Diſcipulos Dominus in caſtella & civitates, abſque neceſſariis dimiſit, neque dedit quibus habebant opus, neque eos curam gerere volebat, & in his oportebat diſcere ejus virtutem. Illorum enim curam habens tanquam infirmorum, faciebat eis omnia neceſſaria affluere abunde citra ipſorum curam. Nunc autem contraria praecipit, non contrarius ſibi ipſi, ſed oſtendens eis, quod uſque ad hoc tempus, tanquam parvulos geſtarit, & non fecerit eos de quoquam ſolliciros. Nunc autem opus eſt eis, ut curent ea, quae virorum ſunt & provideant ſibi ipſis: ego enim, inquit, pater veſter, veſtri curam gerens jam abeo. Ex hoc tempore parati eſtote, & ipſi rerum propriarum curam gerite, & nolite omnem curam in me rejicere: opera enim veſtra non erunt tam facilia, & a labore aliena, ſed obnoxii eritis fami, ſiti, & multis adverſis. Haec enim inſinuantur per ſacculum & peram. Ex his igitur liquet, Hugonem indigne ab Eraſmo hac in parte damnatum.

SEQUITUR altera Eraſmi criminatio, accuſantis Hugonem, quod contra Chriſti ſententiam affirmaverit, Chriſtum conceſſiſſe Apoſtolis poteſtatem bellandi, & uſum gladii, cum eos hortatus eſt, ut divendita veſte, gladium emerent. Rurſus, quod hanc violentam interpretationem aſcribat Chryſoſtomo, ipſam manifeſte improbanti: quarum accuſationum poſterior quidem tam longe abeſt a vero, ut hac in parte, quae ad gladium ſpectat, nulla mentio apud Hugonem inveniatur Chryſoſtomi. Prior vero accuſatio apertam calumniam continet: nam etſi Hugo ſcribat, Chriſtum eo ſermone praebuiſſe licentiam Apoſtolis utendi gladio;

non tamen hoc dicto significare voluit, quod illi imponit Erasmus, nempe Christum praecepisse discipulis, ut gladio accincti in praelium descenderent, sua manu adversus hostes decertaturi: sed intelligi voluit, Christum concessisse Apostolis justum gladii usum, non in propria quidem ipsorum persona, nec pro eo tempore, sed in persona totius ecclesiae, & pro futuro tempore, quia exordio nascentis ecclesiae armorum usus minime conveniret. At ne quis forte suspicetur haec a me vel in odium Erasmi, vel in gratiam Carensis effingi; ipsa Hugonis verba sic habent: NOTA, quia quamvis Dominus specialiter loqueretur primitivae ecclesiae; tamen primitiva ecclesia non habuit gladium, nec ei congruebat in gladio decertare: quandiu enim ecclesia fuit novella, oportuit eam plantari per duo, scilicet, per passiones & miracula; postquam autem processu temporis provecta est ecclesia, jam non sunt illa duo necessaria. Sed cum primitivae ecclesiae non competat gladius: cur praecepit Apostolis tollere gladium tempore persecutionis? ut appareret eis non defuisse facultatem defensionis: & sic Dominum sponte venire ad passionem ostenderetur: & hoc est, quod sequitur in Glossa Bedae, Gladium quoque vel habitum sumere, vel non habitum jubet emere, ut sciant legentes non facultatem resistendi deesse discipulis, sed magistro amorem potius inesse patiendi: item in Glossa Ambrosii, Cur gladium emere jubes, qui ferire prohibes? cur habere praecipis, quem vetas promi? nisi forte, ut sit parata defensio, non necessaria ultio; & videar posse vindicare, sed noluisse, & caetera. Hactenus Hugo.

Qua ratione Christus Apostolis usū gladii cōcesserit.

RESTAT ultima Erasmi querela adversus recentiores theologos, quod contra Evangelicam & Apostolicam philosophiam doceant licere Christianis militare, & bella gerere: quae quidem querela adeo injusta est, ne dicam Manichaea & impia, ut accusator ipse manifeste se prodat Evangelicae disciplinae adversarium, & Christianae politices eversorem, dum Christianis adimit jura justae defensionis, naturae legibus instituta, & communi gentium omnium assensu auctoritateque firmata. Nam si bellum omnino Evangelica lege interdictum esset: Joannes militibus percontantibus, quid eis ad salutem expediret, dixisset, Arma abjicite, militiam istam deserite; neminem percutite, non autem hoc dixit; sed tantum admonuit, ut stipendiis suis contenti a calumnia abstinerent, nimirum etiam prohibiturus bellandi exercitium, si id putasset illicitum. Rursus cum Centurio imperium Christi ostendere conatetur ex imperio, quod ipse in milites suos habebat, Christus, collaudata militis fide, non imperavit ei militiae desertionem, haud dubio prohibiturus, si bellum nullo pacto liceret. Herodianis item quaerentibus liceretne censum dare Caesari? respondit, Reddite, quae sunt Caesaris, Caesari: Hac autem de causa tributa redduntur, ut inde militi ad pacis conservationem necessario stipendium solvatur: sic enim ait Paulus, cum de obedientia principi praestanda differit: IDEOQUE necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam: ideo enim & tributa praestatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Recte igitur divus Augustinus ad Marcellinum epistola quinta, de Christiano bello differens, ita locutus est: NAM si Christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potius consilium salutis petentibus in Evangelio diceretur, ut abjicerent arma, seque militiae omnino subtraherent. Dictum est autem eis: Neminem concusseritis: estote contenti stipendiis vestris: quibus stipendium sufficere debere praecepit, militare utique non prohibuit. Et in epistola ad Bonifacium comitem, quae est numero quinquagesima, adhortans eum, ut bello coërceat Donatistas, NOLI, inquit, existimare neminem Deo placere posse, qui armis bellicis ministrat: in his erat sanctus David, cui Dominus tam magnum praebuit testimonium: in his erat sanctus ille Centurio, qui Domino dixit, Non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Hoc ergo primum cogita, quando armaris ad pugnam: quia virtus tua etiam ipsa corporalis donum Dei est: si enim cogitabis de dono Dei, non facies contra Dominum. Fides enim quando promittitur, etiam hosti servanda est, contra quem bellum geritur: quanto magis amico, pro quo pugnatur. Pacem habere voluntatis est: bellum autem debet esse necessitatis, ut liberet Deus a necessitate, & conservet in pace: non enim pax quaeritur, ut bellum exerceatur: sed bellum geritur, ut pax acquiratur. Esto ergo bellando pacificus; ut eos, quos expugnas, ad pacem utilitatis vincendo perducas.

Luc. 3. 14.

Matth. 8. 9.

Matth. 22. 21.

Rom 13. 5. 6.

S August. Ep. ad Marcellin. olim V. nunc CXXXVIII. cap. 2 n. 15.

Idem S P. ad Bonifac. Comitem in Africa Ep. olim non L., sed XCV. nunc CLXXXIX. n. 4. ubi alia etiam divini foederis monumenta profert.

Matth. 8. 8.

VERUM,

VERUM, ne longior sim, praetereo, quae idem Augustinus de jure Christiani belli innumeris pene locis scripsit, praesertim libro vigesimo secundo, contra Faustum, a capite 74. usque 79. & quae Gregorius, Bernardus, ac plerique alii veteres Patres pro Christiana militia dixerunt. Venio autem ad ea, quae Erasmus opponit. Primum ex Evangelicis & Apostolicis scriptis, quibus, vetamur obsistere malo, jubemur injurias remittere, inimicos diligere, pacem cum his quaerere, maledicentibus bene precari, persecutoribus benefacere, sinistram ferienti dexteram quoque praebere ferieodam, & alia his similia, quae bellandi jura videntur explodere. Huic objectioni respondemus: Ex his, quae enumerata sunt, quaedam esse praecepta, quaedam vero consilia. At quidem praecepta sunt aliquo pacto, & in commune diligere inimicos, amare hostes, persecutores orationis auxilio non destituere, pacem & benevolentiam eorum optare & perquirere: quae sane praecepta jus facultatem & exercitium pugnandi, nec adimunt, nec semper impediunt. Siquidem justa & vere Christiana bella sunt, quae a pacificis bellatoribus, hoc est, pacem quaerentibus, cum dilectione hostium pro defensione justitiae, & pacis adeptione geritur, juxta illam Augustini regulam, BELLUM geritur, ut pax acquiratur: esto ergo bellando pacificus, ut eos, quos expugnas, ad pacis utilitatem vincendo perducas. Porro in his consilia sunt, non resistere malo, non se defendere, malum pro bono reddere, dexteram ferienti etiam exhibere sinistram, tunicam rapienti & pallium ultro dimittere, mille re passibus trahentem duplicato passuum numero sequi, id genus alia plurima; quae extra necessitatis discrimen, ut Augustinus inquit, non sunt operis praecepta, sed affectus, in praeparatione animi servanda, ut scilicet semper parati simus non resistere malo, sed vincere in bono malum, & pro maleficio beneficium rependere, si opus id fuerit. Verum si aliter expediat, vel propter commune bonum, vel propter utilitatem eorum, qui nos oppugnant: tunc, ut Augustinus in epistola ad Marcellinum scribit, agenda sunt multa etiam cum invitis benigna quadam asperitate plectendis: nam cui licentia iniquitatis eripitur, is utiliter vincitur: QUONIAM NIHIL EST INFOELICIUS FOELICITATE PECCANTIUM, qua poenalis nutritur impunitas, & mala voluntas, velut hostis interior, roboratur.

AD ID VERO, quod Erasmus objicit Christiano orationibus ac precibus pugnandum, fatemur quidem justo bellatori necessarias in primis esse orationes & supplicationes, toto pectore ad Deum emissas: quia, ut nobilis ille Maccabaeus dixit, non in multitudine exercitus victoria belli, sed de coelo fortitudo est. Sed post haec etiam, si necessitas urgeat, capienda sunt arma, & ineunda pugna, quoniam, Mose orante in monte, Amalechitarum exercitus a Josue pugnante superatur. I.Mach.3.19. Exodi 17.

POSTREMO ad ea, quae ab Erasmo ex Patribus allata sunt, primum ad Ambrosii locum respondeo, verba ipsius non ita accipienda esse, ac si sentiat bellum omnibus his, qui Evangelium profitentur, esse illicitum, sed viris illis, secundum communem tamen legem, qui divino sese cultui totos dederunt, & eminentiorem bonitatis perfectionem tenent in consiliorum observatione positam: quod & ipse Ambrosius non obscure indicat, inquiens, UT sit in Evangelio bonitatis perfectio. Ad eundem quoque sensum referenda sunt verba Chrysostomi: siquidem cum Apostoli in summo Evangelicae puritatis vertice consisterent; non licebat eis arma induere, ense accingi, gladio manum injicere, & alieno sanguine conspergi. Unde merito dixit Origenes, sermonem Christi, ad gladium adhortantis, pestiferum esse iis, qui eum juxta literam intelligunt, hoc est, his, qui arbitrantur, Christum eo dicto praecepisse Apostolis suis, ut se ipsos in praelium armarent, cum id viros, arcem totius perfectionis tenentes, non deceret. Neque ab hoc scopo recedit Martini responsio; qui non solum ob hanc causam, sed etiam ob aliam longe graviorem detrectavit militiam, nempe quod nefas existimaret Christianum militem sub Imperatore impio & apostata militare. Julianus enim palam, deserta Christi religione, ad paganismum desciverat.

HAEC longius fortasse, quam praesenti instituto conveniret, zelo pietatis dicta sint adversus Erasmum: quem ne sua defensione prorsus expoliasse videar, non tacebo eum post longam & perniciosam digressionem, qua Lectoris animum vulneravit,

vulneravit, demum in calce sermonis intulisse: ATQUE haec pro disputatis haberi volumus, non pro assertis: nimirum ut hujusmodi fuco sibi ipsi prospiceret, manumque, ut in adagio fertur, jacto lapide occultaret.

EX HIS quae in hac Annotatione dicta sunt, facillime diluuntur, quae adversus Christianum bellandi jus scripsit Joannes Ferus in Commentariis vigesimi sexti capitis in Matthaeum: ea leges supra, Annotatione 115.

ANNOTATIO CLVII.

Domine, ecce duo gladii hic. Luc. 22. d

Bellum, NICOLAUM Lyranum deridet Erasmus, quod hoc loco secutus Carensis placita, scripserit Christum praecepisse Apostolis, ut imminente persecutionis tempore commeatum pararent, & arma ad defensionem expedirent. Consule praecedentem Annotationem.

ANNOTATIO CLVIII.

At ille dixit eis, Satis est. Luc.22. d

Bellum. AMBROSIUS libro in Lucam decimo, ita hunc locum interpretatur, ut videatur sentire bellandi jus Evangelica lege prohiberi: qua sententia Erasmus, & Oecolampadius ad eversionem Christianae militiae abutuntur. Legito, quae habentur supra, Annotatione 156.

ANNOTATIO CLIX.

Apparuit angelus Domini, confortans eum. Luc.22. e

Angeli consolatoria apparitio. THOMAM Cajetanum, haec interpretantem, redarguit Ambrosius libro tertio, his verbis: NOTAT Cajetanus, quod Hieronymus non omnino certam putat hanc angeli apparitionem: quod falsissimum est: imo probat & citat ut certam, licet dicat in multis codicibus abesse. At hoc non probat, quod Hieronymus non ut certam habuerit. De hoc scripsimus libro primo, sectione secunda.

ANNOTATIO CLX.

At ille negavit eum, dicens, Mulier, non novi illum. Luc.22. f

Petrus an Christi deitatem negaverit. AMBROSIUS libro decimo Commentariorum in Lucam, excusans Petri negationem, ait, eum non negasse illum esse Deum, sed negasse eum non esse tantum hominem. Sic enim loquitur: PRIMA vox negantis est Petri, qua tamen non negare Dominum, sed a proditione se separasse mulieris videtur. Quid tamen negaverit, considera: ex illis utique se esse, qui cum Jesu Galilaeo erant, vel, ut Marcus, posuit, cum Jesu Nazareno. Nunquid negavit, se cum Dei fuisse filio? hoc est dicere, Nescio Galilaeum, Nescio Nazarenum, quem Dei filium novi: habeant homines locorum vocabula: Dei filium patria non potest nuncupare, cujus majestatem locus nullus includit, &c. Hoc idem sensit Hilarius canone in Matthaeum secundo. Hieronymus libro in Matthaeum quarto hanc sententiam improbans, ait: SCIO quosdam pii affectus erga Apostolum, locum hunc ita interpretatos, ut dicerent, Petrum non Deum negasse, sed hominem; & esse sensum, Nescio hominem, quia scio Deum. Hoc quam frivolum sit, prudens Lector intelligit: sic defendunt Apostolum, ut Deum mendacii reum faciant. Si enim Matth.26.34 iste non negavit: ergo mentitus est Dominus, qui dixerat: AMEN dico tibi, quia hac nocte ante, quam gallus cantet, ter me negabis: cerne, quid dicat: Me negabis, non hominem. Haec Hieronymus: cui Theophylactus in commentariis loci hujus, multo liberius subscribit his verbis: Quidam nescio quam stultam pro

Petro

Petro defensionem fingunt, dicentes audacter quod negavit Petrus, sed dixerit nescio hominem; hoc est nescio purum hominem, sed Deum hominem factum. Horum autem insipiens argumentum aliis relinquam: mendacem enim faciunt Dominum, & adversantur contextui evangelii, nulloque modo facere poterunt, ut cohaereat consequentia narrationis, sed & Petrus quare flevit, si non negavit?

ANNOTATIO CLXI.

Et egressus foras Petrus flevit amare. Luc. 22. g

AMBROSIUS decimo in Lucam Commentario ita hunc locum exponit, ut a vera poenitentia confessionem & satisfactionem excludere videatur. Utitur enim his verbis: PETRUS doluit & flevit, quia erravit ut homo: non invenio, quid dixerit: invenio, quod fleverit. Lacrymas ejus lego: satisfactionem non lego: sed quod defendi non potest lavant lacrymae delictum, quod voce pudor est confiteri: & veniae fletus consulunt, & verecundiae: lacrymae sine horrore culpam loquuntur. Lacrymae crimen sine offensione verecundiae confitentur, lacrymae veniam non postulant, sed merentur. Eandem sententiam & iisdem pene verbis repetit sermone De Petri poenitentia: is est numero quadragesimus sextus, ubi sic legitur: PETRUS prorupit ad lacrymas, nihil voce precatus: invenio enim, quod fleverit: non invenio, quid dixerit. Lacrymas ejus lego: satisfactionem non lego: recte plane Petrus flevit, & tacuit, quia quod defleri solet, non solet excusari; & quod defendi non potest, ablui potest: lavat enim lacryma delictum, quod voce pudor est confiteri. Lacrymae ergo verecundiae consulunt pariter ac saluti; nec erubescunt in petendo, & impetrant in rogando: utiliores lacrymarum preces sunt, quam sermonum: quia sermo in precando forte fallit; lacryma omnino non fallit.

An sine confessione & satisfactione poenitentia prosit.

Sermo de Petri poenitentia non est S. Ambrosii, sed potius S. Maximi Taurinensis, & ille met, qui sub ejus nomine a Xysto laudatur.

HOC ipsum Maximus, Taurinensis episcopus, habet in sermone De poenitentia.

ANNOTARUNT hunc locum Gratianus distinctione 1. De poenitentia, & Petrus Parisiensis episcopus libro quarto Sententiarum, distinct. 17. uterque autem ait, Ambrosii & Maximi verba referenda esse ad publicam poenitentiam. Non enim oportet publica confessione & satisfactione, quod occultum est, prodere: sed satis est occultis lacrymis, & secreta confessione soli sacerdoti accusare delictum, quod pudet nos publice confiteri. Quod autem scripsit Ambrosius, se lacrymas Petri legisse, confessionem & satisfactionem non legisse; Magister Sententiarum ait neque confessionem, neque satisfactionem explodere, quia multa facta sunt, quae scripta non sunt, & quia forte nondum instituta fuerat secreta, quae nunc utimur, confessio. Lege supra Annot. 16. & 174. libri quinti.

ANNOTATIO CLXII.

Filiae Hierusalem nolite flere super me, &c. Lucae 23. e

THEOPHYLACTUS, clausulam istam elucidans, MULIERES quidem, inquit, genus hominum est, facile lacrymans & plorans, quasi grave quiddam accidisset Domino, plorant, compassionem praeseferentes magnam, & injustitiam lamentantes. At ille non approbat, sed magis increpat illas; voluntarie enim patiebatur: non decet autem lamentari eum, qui sponte & pro salute omnium patitur: sed congruum est, ut ille magis laudibus efferatur & celebretur: per crucem enim & mors destructa est, & infernus captivus factus. Lamenta enim his, qui sponte patiuntur, nullam consolationem afferunt: proinde Dominus eas, quae ipsum lugebant, increpat. Erasmus ex his verbis colligit non licere Christiano viro passionem Christi deflere, mortemque ipsius prosequi lacrymis; quia Christus mortem suam non lugubrem, sed gloriosam esse voluerit; nec deplorari voluit, sed adorari, ut quae sponte pro salute totius mundi suscipiebatur.

Christi mors an lugenda sit.

CONFIRMAT hanc sententiam Bedae testimonio, qui libro sexto commentariorum

tariorum in Lucam sic scribit : NE me, inquit Christus, moriturum lamentemini, cujus cita resurrectio mortem solvere potest ; cujus mors & omnem mortem, & ipsum mortis destructura est auctorem. Rursus Bedae adjungit Ambrosium ; qui licet hunc sermonem Domini ad foeminas praetereurrat, tamen ad crucis mentionem statim erumpit in verba triumphalia, non lugubria. SED jam trophaeum, inquit, victor suum attollat. Ac deinde, Nunc, quoniam trophaeum jam vidimus, currum suum triumphator ascendat, &c. Hanc Erasmi opinionem Facultas Parisiensium theologorum in censuris, quas edidit in Erasmiana opera, haberi jubet inter impia & haeretica dogmata. Indicat etiam praedictas Patrum auctoritates accipiendas esse eo sensu, quo Christus ad lugentes mulieres dixit ; FILIAE Hierusalem nolite flere super me, sed super vos flete : quibus sane verbis non prohibuit se a Hierosolymitanis foeminis pio quodam charitatis affectu prudenter & decore defleri: neque enim credibile est Christum in iis aut vetuisse, aut reprehendisse, quod condolescentis naturae sensus suggerit, amicitiae ratio suadet, & divina prophetarum oracula futurum praedixerant : nam, ut caetera omittam,
Luc.2. 35. Mariae matris animam juxta Symeonis vaticinium doloris gladius in morte Filii transfixit: hujus autem dolorem, ac lacrymas nemo credat a Christo damnatas, nisi prorsus desipiat. Aliud ergo flendi genus filiabus Hierusalem prohibuit Christus, nempe mulierculárum aliquot caecum & indecorum luctum, quae nondum agnoscentes divinam filii Dei potentiam & ineffabilem charitatem, qui volens libensque pro salute suorum ultro properaret ad mortem, lugebant illum, ut infirmum & imbecillum hominem, invito animo dira & indigna patientem, nec se potentem ab hostilibus injuriis defendere. Hujusmodi indignum fletum compescens Christus, admonet, ut se ipsas potius, ac filios suos hac lugendi ratione deplorent, quibus immineret ineluctabilis calamitas, & inevitabile urbis excidium. Ex his liquet Christum non prohibuisse, nec damnasse pium ac religiosum lugendi morem, quo Christiana ecclesia singulis annis memoriam passionis & mortis Christi lugubri pompa & flebilibus caeremoniis concelebrat. Novit enim ecclesia, spiritu Christi edocta, consentaneum esse, ut filii sui, qui membra sunt Christi, Christo capiti conformentur dolenti & patienti, condolentes & compatientes : proindeque hujusmodi flendi ritum instituit, in quo potissimum ac maxime omnium jussit lugeri peccata nostra, quorum expiatio Christum adegit in mortem.
Zach.12. 10. Hoc & Prophera Zacharias praecipue monuit, inquiens: PLANGENT se super eum omnes tribus terrae : non enim dixit tantummodo, Plangent eum, sed, Plangent se super eum, hoc est flagitia sua posita super eum, qui poenam ipsorum morte sua luit.

ANNOTATIO CLXIII.

Hodie mecum eris in paradiso. Luc.23.f

Num Sancti divina gloria fruantur.

THEOPHYLACTUS in explanatione hujus sententiae tradere videtur animas sanctorum ante diem judicii non frui divina gloria his verbis : SANCTI tametsi nondum perfecte bonis fruantur ; jam tamen versantur in locis lucidis & fragrantibus, & pulchris tabernaculis, etiam si nondum distributionem tegiorum bonorum assequantur: ita & latro in paradiso fuit, etiam si nondum perfecte acceperit, ne absque nobis perfectus sit. Et hoc opinor verissimum omnium, ut ne dicam, quod sanctorum gratiae in quotidianis miraculorum operationibus, paradisus merito dictae sint ; & omnes sancti, quotquot participes facti sunt spiritalium donorum, & arrhabonem habent spiritus, in paradiso sint, etiam si nondum perfecti fuerint, & regnum acceperint, sicut dicit Paulus in epistola ad He-
Hebr. 11. 13. braeos, etiam si nondum promissiones acceperint : promissionem enim dicendo, integram felicitatem posuit. Alphonsus Castrensis libro adversus haereses tertio recenset hunc locum inter eos, qui erroribus Graecorum & Armenorum astipulantur. Lege Annot.345. libri hujus.

EUTHYMIUS in commentariis ad expositionem praesentis loci sequitur hanc ipsam Theophylacti sententiam, clarioribus etiam verbis expressam : eam habes infra Annot.345. ubi etiam Theophylacti dicta annotata sunt.

AN-

ANNOTATIO CLXIIII.
Et haec dicens expiravit. Luc.23. g

AMBROSIUS libro in Lucam decimo docens, quomodo redemptor noster expiraverit, videtur sentire humanitatem Christi morientis a divinitate Verbi fuisse divisam, hoc modo scribens: EGO non erubescam fateri, quod Christus non erubuit voce magna profiteri, conrestatus secessionem divinitatis & corporis. Sic enim habet: Clamavit Jesus voce magna dicens, Deus, Deus meus, respice in me; quare me dereliquisti? Clamavit homo divinitatis separatione moriturus. Nam cum divinitas mortis libera sit, utique mors esse non poterat, nisi vita discederet, quia vita divinitas est. In eadem sententia, ut supra monuimus Annotatione 126. fuisse creditur Hilarius canone in Matthaeum 33. Magister Sententiarum libro tertio distinct.21. utriusque doctoris dicta dilucidans, inquit eam separationem, de qua ambo loquuntur, sic esse accipiendam, sicut intelligitur derelictio, quae illis verbis significatur, Ut quid me dereliquisti? hoc est non secundum solutionem & divisionem unionis Dei & hominis, sed secundum secessionem protectionis; qua divinitas humanitatis patrocinium ad tempus deferens, hominem illum in tormentis, doloribus, & morte destituit separatum a defensione, non divisum ab unione. Legito Annot. 126. libri hujus.

Num Deitas ab humanitate Christi post mortem separata sit.

Matth.27.46.

ANNOTATIO CLXV.
In principio erat Verbum. Joan.1. a

CHRYSOSTOMUS homilia prima, sive in praefatione homiliarum in Joannem ionuit angelos ex Joannis Evangelistae praedicatione multa didicisse, quae prius ignorabant: quippe sic scribit: JOANNES nihil nobis humanum, sed a Spiritus Sancti profundis & abditis thesauris omnia proloquitur, quae neque angeli, prius, quam hic diceret, noverunt; nanque & ipsi nobiscum didicerunt per Joannis vocem: & per nos didicerunt, quae cognovimus: quod beatus etiam Paulus his verbis significavit: Ut innotescat nunc principatibus & potestatibus in coelestibus per ecclesiam multiformis sapientia Dei. Si igitur principatus & potestates Cherubim & Seraphim haec per ecclesiam didicerunt: plane constat ipsos angelos summa cum attentione ejus sese auditores exhibuisse: quippe idcirco non parum honoris consequimur, quod nobiscum angeli didicerant, quae nesciebant. Idem confirmat hoc ipsum homilia contra Anomaeos quarta, inquiens nonnullae sunt dispensationes, quae virtutes illae nobiscum intellexere, cum omnino antequam nos intelligeremus, ignorarentur, nec modo nobiscum, verum per nos etiam ipsos intellexerunt. Ejusdem sententiae est Origenes homilia in Lucam 23. & Theodoretus in immutabili. Vide infra Annot. 182. & 299. & 320.

Angeli an ex Evangelicis scriptis aliquid didicerint.

Ephes. 3. 10.

ANNOTATIO CLXVI.
In principio erat Verbum. Joan. 1. a

ORIGENES Tomo primo in Joannem, in expositione praesentis particulae tradit diaboli animam, & Solis, aliorumque siderum animas ob earum in peccatis lapsum corporibus alligatas. Ejus dicta sic habent: SCIENDUM est necessario, cum sancti vitam omnis materiae, corporisque expertem in beatitudine traducerent, num is, qui draco appellabatur, postea, quam a vita pura excidit, dignus fuit, qui ante omnia in materia & corpore ligaretur, ut hac de causa oraculum divinum per ventum & nubes dicat, hoc est principium figmenti Domini factum, ut rideatur ab ejus angelis. Fieri quidem poterat, ut draco non esset omnino effictionis Domini principium: sed cum multa facta sunt, ut ab angelis irrideantur, hunc oportuit principium esse talium, quod quaedam in corpore inesse poterant non hoc modo. Etenim animus solis in corpore est, omnisque creatura, de qua ait Apostolus: Omnis creatura ingemiscit, & parturit usque nunc: & fortasse de eodem illud ejusdem intelligitur. Lege Annotat.182. libri quinti.

Animarum incarceratio.

Job 40. 14.

Rom. 8 22.

AN-

ANNOTATIO CLXVII.

In principia erat Verbum. Joan. 1. a

Deus an forma rerum. AUGUSTINUS in sermone De verbis Domini 38. hanc particulam enarrans, verba quaedam habet, quibus uti solent ii, qui disputandi gratia in scholis demonstrant Deum venire in compositionem rerum instar formae. Ea sunt: VERBUM Dei est forma quaedam, forma non formata, sed forma omnium formatorum. D. Thomas in primo Summae volumine ait hoc dictum accipiendum esse de forma exemplari, hoc est, quod verbum Dei est forma exemplaris, non autem forma, quae est pars compositi. (S. Thom. 1 P. Qu. 3. Art. 8. ad 2.)

ANNOTATIO CLXVIII.

Erat Verbum. Joan. 1. a

Num stellae sint animatae. ORIGENES Tomo primo in Joannem peculiare sibi dogma de animatione stellarum attingens, sic scribit: PRIMOGENITUS omnis creaturae, propter maximum honorem, quem homini tribuit, homo quidem factus est, non tamen animal aliquod eorum, quae in coelo sunt; sed & secunda, & ministra, & serva Jesu stella, ea, quae in Oriente apparuit, effecta est, aut similis aliis stellis, aut fortasse etiam praestantior, cum ejus, qui praestat omnibus, significatio extiterit. Consule praecedentem librum Annot. centesima septima. (Matth. 2. a.)

ANNOTATIO CLXIX.

Et Verbum erat apud Deum. Joan. 1. a

Num Verbum fuerit ad Deum, vel apud Deum. THOMAE Cajetani interpretationem reprehendit Ambrosius libro 1. Annotationum, haec scribens: DISPLICUIT illud vehementer, quod id, quod sequitur, Et verbum erat apud Deum, sic mutat, Et verbum erat ad Deum, altiorem hic nobis quandam interpretationem commendans. Quia esse Verbi, inquit, est esse ad Deum, id est refertur ad Deum, quod de nulla substantia dici potest. Haec ille, sed prorsus falso: nec enim esse divinae substantiae dicitur esse ad, nec esse Verbi dicitur ad Deum, sed ad dicentem, secundum propriam relationis dictionem: nam & filius patris filius, non hominis, aut Socratis dicitur: aut aliter, si relativum quaeratur in divinis, non Dei filius, sed patris filius dicitur Christus: Et ita verbum non Dei verbum, sed dicentis verbum congrue dicitur. Quo in loco miror hominem, qui ex Aristotelis cathegoriis id non advertit.

ANNOTATIO CLXX.

Et Verbum erat apud Deum. Joan. 1. a

Christus an pro Angelis passus. ORIGENES Tomo in Joannem primo scribit, Christum passum esse non solum pro hominibus, sed etiam pro angelis, atque sideribus, in haec verba; QUONIAM igitur is, qui tam magna habet, & est advocatus, compassus nostris infirmitatibus, quod tentatus est per omnia humana pro similitudine, absque peccato, magnus est pontifex, cum non pro hominibus solis, sed etiam pro omni, quod rationis est particeps, hostia, quae semel oblata est, semetipsum obtulisset. Nam, excepto Deo, pro omnibus mortem gustavit, ut in quibusdam epistolae ad Hebraeos exemplaribus positum est, Dei munere, & gratia. Sive autem Deo excepto pro omnibus mortem gustavit, non solum pro omnibus mortem perpessus est; sed etiam pro reliquis, quae ratione utuntur: sive Dei gratia pro omnibus mortem gustavit, pro omnibus praeter Deum mortem pertulit. Gratia enim Dei mortem gustavit pro omnibus. Etenim absurdum est, cum pro humanis (Hebr. 4. 15.)

quidem

quidem peccatis mortuum esse dicere, non autem etiam pro aliquo alio, quod praeter hominem in peccato fuit, veluti pro stellis, eum nec stellae omnino mundae sint coram Deo, ut in Job legimus: Stellae autem non sunt mundae coram ipso, nisi forte hyperbolice hoc dictum sit. Vide Anoot. 117. libri quinti, & infra Annot. 296. Job 25. 3.

ANNOTATIO CLXXI.

Et Deus erat Verbum. Joan. 1. a

ORIGENES io principio Tomi secundi in Joanoem seminarium quoddam Arianae haeresi praebuisse videtur. Cum enim excuteret causam, ob quam Verbum hoc loco Deus dicitur sine adjectione Graeci articuli ὁ, ait id factum esse ad ostendendam Patris & Filii differentiam: Patet enim, quia suapte natura Deus est, addito articulo appellatur ὁ Θεὸς: Filius vero, quia Deus sit divinitatis ejus participatione, dicitur sine articulo Θεὸς. Verba ejus haec sunt: MAGNA cum observatione, non ut Graecae subtilitatis ignarus Joannes, aliquo in loco articulis usus est, in aliis eos tacuit, nomini quidem λόγου, id est Verbi ὁ adjungens, Dei autem dictioni alicubi adjungens, alicubi detrahens. Adhibet enim articulum, cum Dei nomen in ingenita omnium causa dicitur: eundem autem non adhibet, cum Verbum Deus nominatur. Deiode paulo iofra reddens hujus varietatis rationem, inquit: DICENDUM est, eum quidem, qui per se Deus est, esse τὸν Θεόν, id est Deum ipsum, sicut Salvator in sua oratiooe dixit, ut cognoscant te solum verum Deum: omne autem, quod praeter Deum ipsum, illius divinitatis participatione Deus efficiatur, non τὸν Θεὸν, hoc est Deum ipsum, sed Θεὸν magis proprie dici. Et rursum post pauca, VERUS igitur Deus est ὁ Θεὸς, id est Deus ipse: qui autem ad illum formati, effictique sunt Θεοὶ, id est dii, primae speciei, & exemplaris sunt imagines. De Patris & Filii aequalitate. Joan. 17. a

CHRYSOSTOMUS homilia tertia io Joannem, hanc interpretationem suppresso auctoris nomine redarguens, demonstrat eam nullius esse momenti: quia & Filius in sacris literis interdum cum articulo Deus dicatur, & Pater aliquando sine articulo Deus vocetur. Scribit autem hoc modo: SED dixerit quispiam Patrem articuli adjectione, Filium sine articulo positum: quid ergo? cum Apostolus dicat, τοῦ μεγάλου Θεοῦ, id est magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi. Et iterum, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς, id est, Qui est super omnia Deus, sine articulo. Itidem de Patre ad Philippenses scribeos, ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ, ὑπάρχων, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, id est; Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo. Et ad Romanos, GRATIA vobis & pax ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς ἡμῶν, a Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo: neglexit articulum: supervacaneum nanque est ubique id praeponere: praesertim eum superius eo frequenter usus sit. Quemadmodum enim de Patre loquens inquit, πνεῦμα ὁ Θεὸς, Spiritus est Deus; neque cum spiritui articulum non adjiciat, idcirco Deum esse incorporeum negamus: ita hoc in loco, quamvis Filio articulus non praeponatur, non propterea Patre Filius minor est Deus. Cum igitur hunc & illum appellet Deum, oeutiquam nobis divinitatis ullam facit differentiam, sed prorsus contra. Considera prudens lector, an Origenis dicta benigne ioterpretari possint ex his, quae infra attulimus Annot. 175. Ad Tim. 2. c Rom. 9. a Philip. 2. 6. Rom. 1. 7. Joan. 4. 24.

ANNOTATIO CLXXII.

Omnia per ipsum facta sunt. Joan. 1. a

ORIGENES Tomo in Joan. 2. ex hac particula duos errores deducere videtur: primum, quod creaturae universitas non sit facta per Verbum, nisi tanquam per causam instrumentalem, & per minorem: secundum, quod Spiritus Sanctus sit ipsius Verbi factura: nam utrunque sic exprimit: NUNQUAM primum locum obtinet, Per quod, sed, Secundum semper: veluti in epist. ad Rom. Paulus ait: Per quem accepimus gratiam: &, Quod antea promiserat per Prophetas. Et in De Filio, & Spiritu Sancto. Rom. 1. 5. & 2.

Hebr. 1. 2 epist. ad Hebr. Locutus est nobis in Filio, per quem fecit & saecula, docens nos, Deum fecisse per Filium saecula, quod per unigenitum, qui illud, Per quem, habens, saecula facta sint: ita igitur hoc etiam loco, si omnia per Verbum ipsum facta sunt, non ab ipso Verbo facta sunt, sed a superiore & majore, quam sit Verbum. Quis autem hic est, nisi Pater? considerandum est autem, hoc extante vero, Omnia per ipsum facta sunt, num etiam Spiritus Sanctus per ipsum factus sit: necesse autem ei esse existimo, qui spiritum factum esse concedat, fateaturque illud verum esse, Omnia per ipsum facta sunt, Spiritum Sanctum a Verbo, quod illo antiquius sit, factum esse concedere, & probare. Qui autem nolit Spiritum Sanctum per Christum factum esse concedere; sequitur, ut non factum esse dicat, quod ea, quae in hoc Evangelio scripta sunt, vera esse judicet. Et infra, HAEC autem multum ac diu probata sunt iis, qui planius & apertius videre velint, si omnia per ipsum facta sunt, Spiritum etiam per Verbum factum esse, qui una rerum omnium, inferior eo, per quem factus est, intelligatur, etiam si verba quaedam nos in contrariam partem trahere videantur.

ANNOTATIO CLXXIII.

Et sine ipso factum est nihil. Joan. 1. a

De vere punctuatione particulae sine ipso factu est nihil.

CHRYSOSTOMUS homilia quarta in Joannem, hanc periodum expendens, videtur, ut haereticam, damnare lectionem eorum, qui legunt, sine ipso factum est nihil: & deinde, posito finali puncto, aggrediuntur aliam clausulam, dicentes, Quod factum est in ipso vita erat. Ait enim, Cum dixerimus, Sine ipso factum est nihil; non id perfecto puncto notemus, ut haeretici opinantur: hi enim, cum velint Spiritum creatum esse, sic legunt: Quod factum est in ipso vita erat. Verum nulla profecto ratione haec intelligi potest oratio.

THEOPHYLACTUS in commentariis, Chrysostomo consentiens, haereticorum nomina, qui hac lectione utuntur, explicat his verbis: PNEUMATOMACHI, qui Spiritum Sanctum negant Deum, hanc particulam sic legunt, Et sine ipso factum est nihil: deinde hoc loco facto puncto, legunt quasi ab altero principio, Quod factum est in ipso: & interpretantur locum istum juxta suam mentem, dicentes, quod hoc loco Evangelista de Spiritu Sancto disserat, dicens, Quod factum est in ipso, hoc est Spiritus Sanctus, vita erat. Hoc autem dicunt Macedoniani, conantes ostendere Spiritum Sanctum esse creaturam, & annumerare cum his, quae facta sunt. Nos autem non sic: sed puncto facto, postquam dixit, quod factum est, novum principium legimus, In ipso vita erat.

EUTHYMIUS, utrique subscribens, rationem reddit, cur ea lectio non sit recipienda, his utitur verbis: QUI Spiritui Sancto resistunt, ejusque naturam diminuunt, post id, quod dicitur, Sine ipso factum est nihil, distinctionem statuunt: deinde, quod sequitur, simul legunt, Quod factum est in ipso, vita erat; ut Spiritum Sanctum factum esse demonstrent: nam de ipso loqui dicunt hujusmodi verbum. Facile autem refelluntur: primum, quia pars illa, Quod factum est, indistincte posita, omne, quod factum est, indicat: deinde, quia etiam vita dicitur esse lux: subdit enim, quod Vita erat lux hominum: post paululum autem de Joanne loquens, Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de luce: manifestum est autem quod Joannes non de Spiritu Sancto, sed de Filio tulit testimonium, sicut in sequentibus invenimus.

HAEC EUTHYMIUS, Theophylactus, & Chrysostomus; ex quorum verbis non est inferendum eos esse haereticos, qui punctum statuunt post particulam Nihil; sed qui eo fine id faciunt, ut Spiritus Sancti divinitatem negent: nam & inter Graecos Cyrillus, & inter Latinos Augustinus, posito puncto post dictionem Nihil, aggrediuntur novam sententiam, dicentes: Quod factum est, in ipso vita erat: & hanc sententiam sequitur omnis Latina ecclesia, quae & mihi vera & germana videtur. Congruit enim hujus Evangelistae peculiari sermoni, fere membrum sequens ex praecedentis membri fine inchoare: Factum est nihil, finis est superioris coli: Quod factum est, initium est alterius, cujus formae sunt & illa,

In

In principio erat Verbum; & Verbum erat apud Deum; & Deus erat Verbum: dictio finiens priorem particulam inchoat sequentem: in quarta repetit initium primae: Hoc erat in principio: & ita absolvit periodum. Rursus in hoc, quod sequitur, Quod factum est, in ipso vita erat; & vita erat lux hominum; & lux in tenebris lucet; & tenebrae eam non comprehenderunt: semper ex proximo membro sumitur gradus sequentis.

ANNOTATIO CLXXIIII.

Et sine ipso factum est nihil. Joan. 1. a

AUGUSTINUS tractatu primo in Joannem, expendens dictionem illam NIHIL, asseverat, per NIHIL, intelligi posse malitiam & peccatum, similiter & hominem peccatorem, & idolum, & diabolum, quae quidem a Deo facta non sunt: Explicat autem hanc interpretationem his verbis: VIDETE, ne sic cogitetis, quia nihil aliquid est: Solent enim multi, male intelligentes, Sine ipso factum est nihil, putare aliquid esse nihil: peccatum quidem non per ipsum factum est, quia peccatum nihil est, & nihil fiunt homines, cum peccant: & idolum non per Verbum factum est: habet quidem formam quandam humanam: sed ipse homo per Verbum factus est: (nam forma hominis in idolo non per Verbum facta est) & scriptum est, Scimus, quia idolum est nihil: ergo ista non sunt facta per verbum. An peccatum sit nihil. 1. Corint. 8. 4.

HIERONYMUS capite in Michaeam secundo, explicans illud, Propter immundiciam corrupti corruptione fugistis nullo persequente, &c. videtur quodammodo hanc expositionem, ut violentam, explodere, inquiens: SCIO me in cujusdam commentariis legisse, exponentis Joannis Evangelistae principium, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: hoc, quod dicitur nihil, ad malitiam retulisse: rursumque ipsam malitiam interpretatum esse diabolum: & isto quasi gradu, ipsum, quod factum est sine Christo, Nihil, diabolum intellexisse. Si igitur malitia, vel diabolus nihil est; & fugerunt, qui corruptione corrupti sunt: nullo, id est Nihil, persequente, diabolus est eos persecutus in nihili. Quod si cui videtur nimis coactum, & contra scripturae simplicitatem artificio potius eloquii, quam vera interpretatione dissertum; aliam expositionem sequatur. Haec Hieronymus. Mich. 2. 10.

SUNT, qui putent id etiam cognovisse Augustinum, & idcirco eum aliter hunc locum exposuisse in libro De natura boni contra Manichaeos capite 25. ubi omissa tropologica intelligentia, quam hic secutus est, & germanum literae sensum amplectens, interpretatur, Sine eo factum est nihil, tantundem valere, ac si dicas, Quicquid factum est, non absque eo factum est: vel, Quicquid subsistit in rebus conditis, ab eo factum est.

ANNOTATIO CLXXV.

Vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebrae eam non comprehenderunt. Joan. 1. a

ORIGENES Tomo in Joannem secundo, hanc dilucidans particulam, videtur pronunciasse Filium, quo ad divinitatem esse patre minorem, & a paterna essentia divisum, hoc modo loquens: QUONIAM hoc in loco Salvator simpliciter lux dicitur, in catholica vero Joannis ipsius epistola Deus lux esse dicitur, alius quidem putat hinc colligi patrem non esse a Filio essentia distinctum: sed qui diligentius observabit, & rectius locutus fuerit; dicet natura non idem esse lucem, quae in tenebris lucet, ab ipsis tenebris non apprehensam, & lux, in qua nullo modo sunt tenebrae. Et infra, DICITUR haec lux, Lux vera, qua pater veritatis Deus amplior est Verbo, & major, quam veritas, & quia pater est sapientiae, melior est, atque praestantior ipsa sapientia: & hac ratione vera lux praecellit, &c. Num Filius quantum ad divinitatem sit Patre minor. 1. Joan. 1. 6.

IN HIS Origenicis verbis duo inspicienda sunt, primo Origenem non inficiari filium esse ejusdem cum patre substantiae vel essentiae; quod multis in locis palam affirmat, & constantissime praedicat; sed inquit, non ita aperte, ut quidam existimant, id colligi posse ex hoc loco. Deinde observandum est Graecos Patres non reformidare hanc Origenicam locutionem, qua filius patre minor asseritur, non substantia quidem, sed origine: juxta quam rationem frequentissime apud Graecos theologos pater dicitur principii dignitate, auctoritate, & majestate antecellere filium. Quod si cui non videtur mihi adhibendam esse fidem, legat Cyrillum, Alexandriae episcopum, libro primo Thesauri capite 10. ubi explicans illud ex Joannis Evangelio, Pater major me est, ita scribit: QUODAM loco Christus ait, Pater major est; & de ipso rursum legimus, Non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo; diligenter investigandum est, quomodo simul & aequalis sit, & majorem habeat patrem: haec enim videntur sibi vicissim repugnare. Sed ea nos pie ponderantes, neque filium, quia major sit pater, aequalem negabimus; nec patrem, quod aequalis sit filius, non majorem esse dicemus; sed pia interpretatione utrunque confirmabimus. Cum igitur divinitatis natura simplex sit & incomposita; nunquam in Patrem & Filium cogitatione distingui potuisset, nisi adhibita quadam non ipsa essentia, sed extrinsecus differentia, qua utraque persona, in propria manens hypostasi, propter eandem utriusque naturam in una divinitate conjungeretur, adeo ut nulla patris, filiique confusio, aut permistio fieret: quod quidem accideret, si patris, filiique personae propter exquisitam similitudinem, quae geminas illas videri non fineret, in unam hypostasim concurrerent. Hinc enim jam quidem eundem esse patrem & filium, non duas autem distinctas personas, quidam suspicati sunt. Igitur & naturam gignentem, & ex ipsa genitam hypostasim cognoscere nos oportebat. Iccirco Scriptura patris & filii nomina nobis proposuit, ut lumen ex lumine, & utrunque in sua hypostasi, & eandem in utroque essentiam intelligamus. Nostram vero consuetudinem imitata patrem majorem vocat, ut undique personas distinctas, & unam ex altera cognoscamus: sed testatur eandem aequalitatem, ne quam essentiae patris & filii dissimilitudinem esse suspicemur. Filius ergo cum essentiae ratione aequalis sit patri, & in omnibus similis; majorem ipsum appellat, ut principium fine principio, quo declaret, se ex illo esse, licet unam eandemque cum illo naturam habeat. Haec Cyrillus, cui astipulatur Chrysostomus homilia in Joannem 74. ubi edisserens illud, Pater major me est, inquit: QUOD si quis majorem filio patrem, inquantum principium fim diceret, neque hoc contradiceremus: non tamen hoc facit filium alterius esse substantiae. Neque ab his dissentit Hilarius libro nono De Trinitate: ubi eundem Joannis locum exponens, ait Patrem auctoritate generationis esse filio majorem, Filium tamen divinitatis natura non esse patre minorem. Eodem modo notat Divus Thomas in libro adversus Graecorum errores Basilium dixisse, Filium dignitate esse a Patre secundum, & Spiritum Sanctum dignitate a Filio secundum, hoc est, hypostaseos dignitate, non naturae.

Graeci PP. Filium Patre minorem, nō substantia, sed origine, dicunt.

Joan. 4. 28.

Philip. 2. 6.

OBSERVA haec studiose lector, ut pie interpretari queas omnes hujus generis locos, in quibus Origenes propter inusitatam verborum formam male sensisse videtur de Homousio filio Dei: in caeteris vero locis, qui hujusmodi interpretatione defendi nequeunt, memineris Origenem ab Arrianis in hoc potissimum argumento fuisse pessime depravatum; sicuti luce clarius ostendunt plurima ac luculentissima ejus de filii, patrisque consubstantiali, & coëterna deitate testimonia, in Apologia Pamphili Martyris citata.

ANNOTATIO CLXXVI.

Lux in tenebris lucet. *Joan. 1. c*

De Filio, & Spiritu Sancto.

ORIGENES Tomo in Joannem secundo Filium & Spiritum Sanctum quodammodo inter ea, quae facta sunt, videtur enumerare, dum inquit: SI QUIS consideret multitudinem contemplationum, quae in Deo sunt, ac scientiae, quae a natura humana comprehendi non potest, & ab aliis fortasse, quae fa-

cta

cta sunt praeter Christum & Sanctum Spiritum; is intelliget, tenebras Deum ambire, [a]

ANNOTATIO CLXXVII.

Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine. Joan. 1. a

ORIGENES Tomo in Joannem secundo, hanc particulam enarrans, tria affert praeter communem theologorum sententiam. Origenis paradoxa.

PRIMUM est, Animam Joannis Baptistae fuisse ejus corpore antiquiorem in his verbis: QUI enim observat nihil injustè, nec casu, nec forte fieri, ei necesse est, antiquiorem, prioremque corpore Joannis animum approbare, eundemque animum, cum prius cohaereret, & esset, missum esse ad testimonii de veritate ministeria. Anima Joannis Baptistae ante corpus existens.

SECUNDUM est, plerosque angelos olim incarnatos, & ex iis forte unum fuisse Joannem Baptistam: quam positionem sic explicat: QUONIAM in sermone de Joanne versamur; commode sententiam nostram, quam de eo habemus, addemus: quoniam enim prophetiam de illo hanc legimus, Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te; attendamus, num ipse, qui sanctorum angelorum unus esset, Servatoris nostri praecursor ad ministerium mittatur. Nec mirum est, si cum primogenitus omnis creaturae pro suo in genus hominum amore corpus induisset, Christi aemuli aliqui & imitatores fuerint, qui voluerunt, simili corpore ipsius in homines benignitati ministrare, aliquem vero non imitatum esse, qui veneratus sit gestiens laetitia, tum etiam cum in alvo esset, quasi communem hominum naturam superans. Quod si quis approbat etiam eorum mysteriorum, quae apud Hebraeos feruntur, ascriptam Joseph orationem; is illinc simile huic dogma, decretumque sumet, nempe eos, qui ab initio fuerunt, cum praecipuum aliquid praeter alios homines habuissent, essentque multo meliores caeteris animis, ex angelorum natura in hominum naturam descendisse. Ait enim Jacob: Ego enim vobiscum loquor, Jacob & Israël, Dei sum angelus, & Spiritus principalis: & Abraham, atque Isaac ante omne opus creati sunt. Angelorum incarnatio. Malac.3. a

TERTIUM est, Jacob & Esau existimatos Dei odio & amore dignos propterea, quod animae ipsorum operatae sint in coelo prius, quam in corpora descenderent: hanc sententiam his verbis complectitur. SCITO autem, num vulgatus ille & celebris de Jacob & Esau sermo explicationem habeat, Cum nondum nati fuissent, aut aliquid egissent boni, aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia major serviet minori, sicut scriptum est, Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas apud Deum? absit: si autem cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est; & si non currimus ad opera, quae hanc vitam antecedunt; quomodo illud verum est, non esse iniquum apud Deum, majorem servire minori, & odio haberi ante, quam ea, quae digna sunt, & servitute, & odio fecerit? Lege Annot. 182. libri praecedentis. Electionis Jacob, & reprobationis Esau causa. Rom.9. c Genes.25. a3. Mal.1. a.

ANNOTATIO CLXXVIII.

Ut omnes crederent per illum. Joan. 1. a

JOANNES FERUS in commentariis, hanc sententiam edisserens, VIDES, inquit, nostri causa venisse Joannem; non autem dicit, ut crederent in illum: fides Fides sola an salvandis sufficiat.

(a) De Origene alibi disseruimus: iterum tamen hic repetere lubet quod Angelicus habet *I. P. qu. XXXIV. a.* 1. nimirum, quod Origenes fuerit *fons Arianorum*, seu *Arii pater*, ut Epiphanius scribit in *epistola ad Joh. Hierosolymit. inter opera S. Hieronymi*. Audere etiam lubet, quod „ non in sola V. „ Synodo, sed & in quatuor prioribus Origenis doctrina damnata sit cum Ario, Macedonio, Nestorio, & Eutychete, ut mirum non sit, si magnus ille „ maximi Nepotis S. Cyrilli Alexandrini decessor „ Theophilus pronunciarit epistola 1. Paschali fuisse „ Origenem *Hydram omnium haereseon* „ ut inquit Cl. Card. Henricus Norisius *De quinta Synodo*, quem consulas. Sed ea re iterum clarificata, quid mirum si Origenes aut contra Verbi, aut contra Spiritus S. divinitatem ac consubstantialitatem effutierit?

fides enim in solum Deum referanda est. Si autem Joannes non ob aliud missus est, quam ut credamus per illum: ergo fides est summa justitiae Christianae, quemadmodum & alibi dicitur, Justus ex fide vivit. Dominicus Sotho in Annotationibus suis colligit ex his verbis Ferum cum Lutheranis sentire, quod sola fides ad animae salutem sit satis, & quod opera charitatis non sint necessaria. Vide infra Annot. 212.

Rom.1. 17.

ANNOTATIO CLXXIX.

Erat lux vera. Joan. 1. a

Fides an per peccatum quodcunque amittatur.

JOANNES FERUS in expositione hujus loci, QUI propterea, inquit, impie agit, timens se fame cruciandum, si pie viveret, is non credit Christum esse Deum. Dominicus Sotho, haec verba in suis contra Ferum Annotationibus improbans, VIDETUR, inquit, impie agentes omnes, qui sunt in mortali delicto censere. Nam apparet de illis exempla proferre, qui ne fame crucientur, furantur, ac de illis, qui alio morbo succumbentes, aliud perpetrant malum. Dicere autem, quod omnes ejusmodi delictores Christum non credant esse Deum, error est Tridenti condemnatus, videlicet quod fides per quodcunque mortale delictum amittatur, quia nonnisi per infidelitatem perditur. HAEC ILLE. Hujusmodi censuram Michaël Medina in Apologetico suo refellens, IN HIS, ait, confutandis multa profecto nobis fuissent dicenda, quibus ejus ratiunculas impeteremus, nisi magni voluminis timeremus crementum, & Christianam modestiam nollemus excedere: tantum nobis in hac parte prodendum, quantum a Christiana loquendi phrasi Sotho discedat, qui prima damnat elementa sermonum Dei. Quis, Deum immortalem, vel trimestris Christianus, ignorat recte & Christianissime dici peccatores quoscunque ea potissimum parte, qua obstinatissime peccant, fidem Christianam amittere? non quod fides illa sterilis, cui idololatriae, aut infidelitatis vitium opponitur, peccato mortali commisso evanescat; (hoc enim stulte Lutherani senserunt, scripturarum phrasim ignorantes, quae solam eam fidem appellat, quae dilectioni conjuncta gloriosos operum fructus progignit) sed quod plane loquendi more, quem sancta Scriptura semper observat, languida & enervis illa credulitas, ex qua omnino contrarii actus derivantur, fidei nomine judicetur indigna. Confitentur, inquit Apostolus de quibusdam, se nosse Deum, factis autem negant, cum sint abominabiles, & increduli, & ad omne opus bonum reprobi. Ecce hic incredulos vocat Apostolus peccatores, qui licet ore confiterentur, factis tamen fidei contraria opera producebant. Et alibi, SI quis, ait, suorum, maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior; non quod his locis Apostolus Paulus ex mortali delicto fidem informem evanescere sentiat; sed quod integram fidem, cum perversa in delictis enormibus perseverantia stare non credat; quam tamen solam Christus & sanctio Evangelicae legis exposcit.

Concil. Trid. Sess. VI. Can. XXVII.

Ad Tit.1.16.

1. Timot.5.8.

ANNOTATIO CLXXX.

Et verbum caro factum est. Joan. 1. b

De lectione Sacrae Scripturae.

CHRYSOSTOMUS homilia in Joannem decima neminem excipere videtur a lectione & studio scripturae divinae. Legito, quae superius scripta sunt Annot. 152. libri hujus.

ANNOTATIO CLXXXI.

De cujus plenitudine omnes accepimus. Joan. 1. c

Opera extra gratiam an sint peccata.

JOANNEM FERUM in commentariis super Joannem, hoc explicantem, Dominicus Sotho in Annotationibus, adversus eundem editis, reprehendit, quod

in

in haec verba proruperit: MALEDICTA sunt non solum, quae nos agimus, sed & quae in nos aguntur: maledicta est cordis nostri cogitatio, ratio, os, manus, pedes: maledicta sunt nobis omnia contingentia, sive laeta, sive tristia, &c. Vide supra Annot. quadragesima.

ANNOTATIO CLXXXII.

Deum nemo vidit unquam. Joan. 1.c

CHRYSOSTOMUS homilia in Joannem quartadecima, ex his verbis duo colligere videtur. Primum, quod natura, substantia, & essentia Dei a nulla creatura possit intuitiva mentis visione conspici, sed sola cogitationis & imaginationis abstractione cognosci, id autem enumerat his verbis: ID, quod est Deus, non modo prophetae non viderunt, sed neque angeli, neque archangeli. Si enim eos percontaberis: nihil ab his de Dei substantia audies, sed tantum, Gloria in altissimis Deo. Et paulo post addit, Quod si omnis natura creata est: quanam ratione increatum videre poterit? nam si incorpoream virtutem quamvis genitam non possumus manifeste conspicari; & hoc saepenumero in angelis ostensum est: multo minus incorpoream & ingenitam substantiam: quare Paulus, Quem, inquit, nemo vidit unquam, neque videre potest. Et infra occurrens objectioni, quae his obstare videtur, inquit: QUAENAM ergo illa sententia est, Angeli eorum vident faciem patris mei, qui in coelis est; &: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt? cogitationem nanque, atque imaginationem, quam pro viribus nostris de Deo capimus, eam visionem appellat: neque aliter de angelis intelligendum est, propter puram ipsorum & nullo somno obnoxiam naturam, cum nihil aliud, quam Deum semper mente agitent.

Essentia Dei num ab ulla creatura conspici possit. — Luc. 2. 14 — 1. Tim 6. 16. — Matth. 18. 10. — Matth. 5. 8.

SECUNDUM ex hac Evangelica particula deductum est, Dei filium antequam corpus indueret, fuisse angelis invisibilem: deinde vero postquam carnem induit, ab angelis visum. Exprimit autem hujusmodi sententiam hoc modo: PAULUS de Filio inquit, Qui manifestatus est in carne, manifestatio autem per carnem non est secundum substantiam: Nam quod ipse invisibilis sit non solum hominibus, sed & supernis virtutibus, cum dixisset Paulus manifestatum esse in carne, subdidit, Visum ab angelis. Ergo ex quo carnem induit, tunc visus est ab angelis: antea vero non ita videbatur, cum ipsis quoque invisibilis esset substantia. Hucusque Chrysostomus.

Dei filius ante incarnationem an fuerit Angelis invisibilis. — 1. Tim. 3. 4

THEODORETUS, Cyrensis episcopus, priorem Chrysostomi propositionem apertius explicare videtur, docens Deum videri ab angelis non in substantia, & essentia, sed per similitudines quasdam, eo modo, quo olim visus est a prophetis. Sed praestat huc ipsius verba referre ex dialogo, cui titulus est IMMUTABILIS: in quo Orthodoxus & Eranistes inducuntur hunc in modum loquentes: ERAN. Quomodo intelligemus, quod angeli eorum semper vident faciem patris? ORTHOD. Sicut solemus intelligere ea, quae dicuntur de Hominibus, qui Deum vidisse existimati sunt. ER. Dic clarius; non enim intellexi. ORT. Nunquid potest Deus videri ab hominibus? ER. Nequaquam. OR. Et tamen audimus divinam scripturam dicentem, Visus est Deus Abrahae ad quercum Mambrae: & Esaiam dicentem, Vidi Dominum sedentem in throno alto & sublimi: de Mose autem dicit historia, locutus est Dominus Mosi facie ad faciem, perinde ac si quis loquatur amicus ad amicum suum: quin etiam ipse quoque universorum Deus dicit, Ore ad os ipsi loquar in specie, & non per aenigmata. Quid ergo dicemus, quod divinam naturam viderunt? ER. Minime: ipse enim Deus dixit, Nemo videbit faciem meam, & vivet. OR. Mentiuntur ergo, qui se Deum vidisse dixerunt? ER. Absit: ea enim videbant, quae ab ipsis videri poterant. OR. Ex eorum ergo, qui vident, viribus Deus revelationes meritur. ER. Maxime. OR. Et hoc per prophetam manifestum reddidit. Ego enim, inquit, implevi visiones, & in prophetarum manibus assimilatus sum: non dixit, visus sum, sed, Assimilatus sum. Assimilatio autem non significat eandem ejus, qui videtur, naturam: neque enim regis imago ostendit ipsius regis naturam, etiam si expressos & evidentes

Matth. 18. 10. — Genes. 18. 1. — Isai 6. 1. — Exod. 33. 11. — Num. 12. 8. — Exod. 33. 20. — Osee 12. 10.

evidenres regis characteres referat. ER. Hoc est obscurum, & non satis apertum. OR. Ergo nec Dei substantiam viderunt, qui revelationes illas contemplati sunt. ER. Quis autem ita insanierit, ut hoc dicere audeat? OR. Dictum est tamen, quod viderunt. ER. Dictum est. OR. Nos autem & piis rationibus utentes, & divinis sententiis credentes, quae aperte clamant, Deum nemo vidit unquam, dicimus ipsos nos vidisse divinam naturam, sed quasdam visiones, quae eorum facultati convenirent, nec ejus modum excederent. ER. Ita dicimus. OR. Ita ergo de angelis intelligamus audientes, quod vident faciem patris: non enim vident divinam substantiam, quae nec circunscribi, nec comprehendi, nec mente percipi potest, & quae universa comprehendit, sed quandam gloriam, quae eorum viribus respondeat, sitque eis commoderata. ER. Haec ita habere, in confesso est. Haec Theodoretus.

THEOPHYLACTUS eandem sententiam sequi videtur; in cujus commentariis ad hujus loci expositionem sic legitur: CAETERUM dixerit hic fortasse quispiam, Quomodo hoc loco discimus, quod nullus viderit Deum, cum propheta dicat, Vidi Dominum? vidit quidem propheta Deum, at non ipsam substantiam, sed similitudinem & apparentiam quandam, sicut capere poterat: & alius iterum in alia figura vidit, & alius in alia: unde scilicet non ipsam veritatem viderunt: non enim diversis figuris illam vidissent, quae simplex est, & infigurabilis: quin neque angeli vident substantiam Dei, quamvis dicantur videre faciem ejus: hoc enim indicat semper Deum eis apparere. Filius igitur ex omnibus hominibus semper videt Patrem. Hucusque Theophylactus. (Isai. 6. a.)

EUTHYMIUS, iis consentiens, in commentariis inquit: NULLA creatura Deum videt, non materialis tantum, sed & immaterialis: siquidem ipsis quoque immaterialibus virtutibus invisibilis est Deus in sua natura, licet, prout sibi conceditur, Deum videant.

D. THOMAS in primo Theologicae summae volumine, & in quarto Senten. quaest. prima, art. 2. propositam Chrysostomi sententiam expendens, exhibet regulam ex libro Augustini De videndo Deum, explicandis hujusmodi sententiis aptissimam. Ait enim eas tripliciter fore interpretandas. Primum, ut sentiamus neminem corporeis oculis vidisse unquam, aut visurum esse divinam essentiam: Secundo, neminem spiritali mentis oculo visurum divinae substantiae naturam, quandiu in hac mortali carne vivat: tertio, nullum unquam vidisse, aut aliquando visurum Dei substantiam visione comprehensionis, qua scilicet Deus se ipsum cognoscit, solusque suam ipsius substantiam, qualis quantaque sit, comprehendit. Hoc autem modo censet intelligendum esse Chrysostomum: idque ait eum manifeste significare in sequentibus verbis, dum inquit: MULTI Deum cognoscimus: tamen ipsam substantiam qualis est, solus ejus unigenitus cognoscit, qui certam notionem, visumque, & comprehensionem habet, qualem filium de patre habere par est. Haec Thomas: ad cujus interpretationem Theodoreti, Theophylacti, & Euthymii dicta revocare poteris. Atque haec de prima Chrysostomi propositione satis sint. (S. Thom. 1 P. Qu XII. Ar 1. lege ibi notas marginales N. Iohannis Nicolai.)

DE SECUNDA propositione superius aliqua attigimus Annotatione 142. & infra Annotatione 299.

ANNOTATIO CLXXXIII.

Ego vidi, & testimonium perhibui. Joan. 1. e

(De lectione S. Scripturae.) CHRYSOSTOMUS homilia in Joannem sextadecima quaenam dixerit de lectione sanctae scripturae, omnibus necessaria ad salutem, habes supra Annotat. 152.

ANNOTATIO CLXXXIIII.

Conversus autem Jesus, & videns eos sequentes, dixit eis, Quid quaeritis? Joan. 1. a

(An salutis nostrae initium sit ex nobis.) CHRYSOSTOMUS homilia in Joannem decima septima, haec exponens, putatur esse in ea sententia, quod initium salutis nostrae ita sit nobis a natura insitum

initum, ut fine praevenientis gratiae auxilio possimus propriis viribus justificationem adipisci: quod Pelagianorum dogma resipit. Ita enim eo loci scriptum reliquit: HINC admoneri possumus Deum suis in nos beneficiis nostras non praevenire voluntates, sed a nobis incipiendum esse: sed cum nos prompto, paratoque animo ad suscipiendam gratiam exhibemus; tunc multas nobis offert salutis occasiones.

JOANNES Cassianus, Chrysostomi discipulus, medium se statuens inter eos, qui cum catholicis affirmant nos Dei gratia praeveniri, & inter eos, qui cum Pelagianis asserunt nos Dei gratiam praevenire, docuit quosdam sua voluntate divinam gratiam antevertere, quorundam vero voluntates a divina gratia praeverti. Verba ejus libro Collationum tertio decimo, capite undecimo, sic habent: INTER multos magna quaestione volvitur, utrum quia initium bonae voluntatis praebuerimus, misereatur nostri Deus; an quia Deus misereatur, consequamur bonae voluntatis initium? multi enim singula haec credentes, ac justo amplius asserentes, variis sibique contrariis erroribus sunt involuti. Si enim dixerimus nostrum esse bonae voluntatis principium: quid fuit in persecutore Paulo, quid in Publicano Matthaeo, quorum unus cruori ac suppliciis innocentum, alius violentiis, ac rapinis publicis incubans attrahitur ad salutem? sin vero gratia Dei semper inspirari bonae voluntatis principia dixerimus: quid de Zacchaei fide, quid de illius in cruce latronis pietate dicimus, qui desiderio suo vim quandam regnis coelestibus inferentes, specialia vocationis monita praevenerunt? &c.

PROSPER, Regiensis episcopus, adversus Cassiani opinionem disputavit peculiari volumine, cui titulus est DE LIBERO ARBITRIO; aegreferente tamen Gennadio, qui in catalogo scriptorum illustrium queritur opuscula Cassiani, quae ecclesia Dei salutaria probat, indigne a Prospero infamata. De Chrysostomi sententia quid sentiendum sit, habes supra Annot. 101. libri quinti. Tiro Prosper Aquitanus, Leonis M notarius. laicus potius, quam Episcopus Regiensis.

ANNOTATIO CLXXXV.

Deficiente vino, dicit, vinum non habent. Joan. 2. 3

CHRYSOSTOMUS homilia in Joannem vigesima asserere videtur, Mariam Virginem non semper habuisse de Christi divinitate decentem opinionem, & ob id eam in nuptiis in Cana Galileae humano quodam inanis gloriae affectu intempestive miraculum a Filio postulasse. Ita enim apud eum legimus: DIGNUM hoc in loco quaesitum est, unde in mentem matri veniret magnum aliquid de filio conjectari: nullum enim adhuc signum fecerat: hoc enim fecit initium signorum: manifestari jam coeperat & Joannis testimonio, & ex his, quae discipulis praedixerat, & ante haec omnia, ipsa nativitas, & quae eo tempore evenerant, maximam de puero opinionem concitarant. Audiebat enim, inquit, omnia, & conservabat in corde suo: igitur cum Joannem ad perhibendum de eo testimonium venisse audisset, & discipulos jam videret, coepit audere: & deficiente vino, dicit, Vinum non habent: optabat enim, ut jam hominum gratiam conciliaret, & ipsa clarior filii gratia efficeretur: & fortasse aliquo humano afficiebatur affectu, quemadmodum & fratres ejus, cum dixerunt, Ostende te ipsum mundo, cupidi ejus miraculis sibi famam comparare: idcirco asperius respondit, quid mihi, & tibi mulier? nondum venit hora mea. Nam quod matrem revereretur, testatur Lucas, quod subditus erat parentibus, & hic Evangelista, quantam passionis tempore matris curam habuerit: ubi enim parentes nihil divina impedirent mysteria, nihil offenderent, aequum & necessarium est filio parere, neque negare sine magno periculo potest: contra vero, cum intempestive aliquid petunt, & spiritalem sermonem impediunt, illis obtemperare non est tutum; propterea & hic ita respondet: & alibi rursum, Quae est mater mea, & fratres mei? ajebat: siquidem non adhuc debitam de ipso opinionem habebant, sed more matrum Maria jure omnia filio se praecepturam censebat, cum tanquam Dominum colere, & revereri deceret, ideo in hunc modum respondit. Considera, quam indignum erat universo astante populo, & ad eum, & ejus doctrinam audiendum suspenso,

Maria num semper de Christo decentem opinionem habuerit.

Luc. 2. 19.

Joan. 7. 4.

Luc. 2. 51.

Matth. 12. 48.

suspenso, illam in medium accedentem, publicam impedire utilitatem, & de privatis rebus habere sermonem, & extra ejusmodi concionem evocare. Idem habes supra Annot.58. libri hujus.

THEOPHYLACTUS idem, quod Chrysostomus, huc scribit.

EUTHYMIUS similiter idem.

ANNOTATIO CLXXXVI.

Quadraginta & sex annis aedificatum est templum hoc. Joan.2. e

Corpus Christi an prius in ventre formatum, quam a Deitate assumptum.

AUGUSTINUS in libro 83.Qu.quaest.56.ita hunc locum edisserit,ut affirmare videatur, corpus Christi ante fuisse in utero matris conceptum, quam a divinitate assumptum, sic inquiens: DICITUR conceptio humana sic procedere, & perfici, ut primis sex diebus quasi lactis habeat similitudinem, sequentibus novem diebus convertatur in sanguinem, deinde duodecim diebus solidetur, reliquis decem & octo diebus formetur usque ad perfecta lineamenta omnium membrorum: Quadraginta ergo quinque diebus addito uno, quod significat summam: quia sex, & novem, & duodecim, & decem & octo in unum coactis fiunt quadraginta quinque: addito ergo uno,ut dictum est, fiunt quadraginta sex: non ergo absurde quadraginta sex annis dicitur fabricatum esse templum, quod corpus ejus significat: ut quot anni fuerunt in fabricatione templi, tot dies fuerint in corporis Dominici perfectione.

PETRUS Lombardus libro tertio Sententiarum, distinctione tertia, hanc Augustini interpretationem excutiens, haec scribit: HORUM occasione verborum quidam dicere praesumpserunt, Dominici corporis formam, tot diebus ad modum aliorum corporum perfectam, & membrorum lineamentis distinctam: & mox Verbum dicitur sibi unisse carnem & animam: & hoc modo dicunt illum numerum perfectioni Dominici corporis convenire: sed alia ratio illius dicti extitit, ex qua sana oritur intelligentia verbi. Non enim ideo illud dixit Augustinus, quin mox ut caro illa opere Spiritus Sancti sanctificata, & a reliqua separata fuit, verbo Dei cum anima uniretur, ut perfectus & verus Deus esset perfectus & verus homo: sed quia membrorum illius Dominici corporis distinctio in ipso momento conceptionis & unionis Dei & hominis adeo tenuis erat & parva, ut humano visui vix posset subjici, diebus autem illis, quos Augustinus memorat, perfecta est & notabilis facta.

Vide S.Thomam III. P. Qu. XXXIII. Art. 1. & lege illi notas marginales Joannis Nicolai.

ANNOTATIO CLXXXVII.

Non enim ad mensuram dat Deus spiritum. Joan. 3. g

Spiritus Sanctus num a Patre solo procedat.

THEOPHYLACTUS in commentariis, hanc edisserens clausulam, docet, Spiritum Sanctum non a Patre & Filio, sed a Patre tantum procedere, his verbis: NON intempestivum autem fuerit hoc loco dicere, quomodo habeat Filius Spiritum, & quomodo dicatur Spiritus Filii. Dicit enim & Apostolus, Spiritum Filii sui in corda vestra misit, clamantem, Abba Pater: & iterum, Si autem quis Spiritum Christi non habuerit, hic non est ejus. Sane Latini male haec exponentes, & minus recte intelligentes, dicunt, quod Spiritus etiam ex Filio procedat: nos autem hoc quidem primum dicimus ad eos, quod aliud sit esse ex quopiam, & aliud esse cujusdam: ut Spiritus est quidem Spiritus Filii absque dubio, & ab omni Scriptura approbatum; caeterum esse ex Filio, nulla Scriptura testatur, ut ne duo principia Spiritus introducamus Patrem & Filium. Profecto inquit: nam & inspiravit discipulis,& dixit,Accipite Spiritum Sanctum.O desipientiam,si tunc dedit discipulis Spiritum, quando insufflavit: quomodo postea dixit eis, Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti super vos non post multos dies? vel quomodo in Pentecoste credimus factum descensum Spiritus, si quidem in vespera die resurrectionis dedit illum? tunc enim inspiravit. At haec quidem valde ridicula: manifestum enim, quod tunc illis Spiritum Sanctum non dederit, sed do-

Galat. 4. 6.
Rom. 8. 9.
Joan. 20. 22.
Actor. 1. 8.

num

num unum Spiritus Sancti, remissionem scilicet peccati. Statim enim subdit, Quorum remiseritis peccata. Habet autem Spiritum Filius substantialiter, ut consubstantialem sibi, non a quo operationem recipiat, sicut Prophetae. Dicitur autem Spiritus esse Filii secundum quod veritas, & virtus, & sapientia. Spiritus autem Sanctus & veritatis, & fortitudinis, & sapientiae Spiritus ab Esaia describitur. Et aliter quia per Filium hominibus datur: propterea Filii dicitur. Crede igitur tu Spiritum a Patre quidem proficisci, per Filium autem dari creaturae, atque hic sit tibi canon orthodoxae doctrinae. Isai. 11. a

HANC Theophylacti opinionem Joannes Damascenus, Euthymius, ac plerique alii recentiores Graeci approbant, reclamantibus tamen veteribus Orientalis & Occidentalis ecclesiae patribus, qui clarissime testantur, Spiritum Sanctum a Patre & Filio procedere. Verum quia Theophylactus Latinos hujus sententiae assertores duplici argumento criminatur, nempe quod nullum habeant in divina scriptura assertionis hujus testimonium, & quod duo principia Spiritus Sancti statuant, nempe Patrem & Filium, idcirco utrunque redarguentes, dicimus in primis nos habere in sacris literis Christi testimonium, qui de Spiritu Sancto apud Joannem loquens, ait: CUM venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur a semetipso; sed, quaecunque audiet, loquetur: ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Omnia, quaecunque habet Pater, mea sunt: propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Ex his verbis liquet Spiritum Sanctum a Filio produci: nam quod ait, De meo accipiet, perinde est, ac si diceret: Sicut a me per productionem accipiet substantiam; ita & scientiam omnem: sicut enim Filius dixerat alias se audisse a Patre suo: ita nunc dicit Spiritum Sanctum audire ab eo. Quomodo autem audiat, declarat, subdens, Quia de meo accipiet, hoc est, Quia de mea substantia, & a me productus est, & producitur, & producetur. Quod autem a me illum accepturum dixi, non miremini: quia sicut accipit a Patre, ita accipit a me: omnia enim, quae Pater habet, mea sunt: si ergo de substantia Patris accipit; de mea oportet, ut accipiat. Si itaque de substantia mea Spiritus accipit; fieri non potest, quin a me quoque procedat.

Veteres PP. Graeci docuerunt Spiritū Sanctum a Patre, & Filio procedere.

Joan. 16. b c

ET NE QUIS suspicetur hunc locum aliter ab antiquis ecclesiae Orientalis patribus intellectum, libet huc proferre interpretationes quorundam illustrium Graeciae Pattum, in quibus Didymus libro secundo De Spiritu Sancto, Hieronymo interprete, sic scribit: SALVATOR, qui & veritas, de Spiritu ait, Non enim loquetur a semetipso, hoc est, non sine me, & sine meo, & Patris arbitrio: quia inseparabilis a mea & Patris est voluntate: quia non ex se est, sed ex Patre & me est: hoc enim ipsum, quod subsistit, & loquitur, a Patre, & a me illi est: ego veritatem loquor, id est inspiro, quae loquitur: siquidem Spiritus veritatis est. Epiphanius quoque, Salaminae episcopus, in libro, qui ANCORATUS inscribitur, hoc ipsum Christi testimonium exponit his verbis. ILLE me glorificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis: si ergo a Patre procedit, & de meo accipiet, dicit Dominus, quemadmodum nemo Patrem novit, nisi Filius; & nemo Filium, nisi Pater: equidem proferre audeo, ut Spiritum nemo noverit, nisi Pater & Filius, a quo procedit, & accipiet. Et infra, SPIRITUS Patris est, & Spiritus Filii non juxta aliquam compositionem, quemadmodum in nobis anima & corpus, sed in medio Patris & Filii ex Patre & Filio. Athanasius item ad Serapionem scribens, ita interpretatur: SPIRITUS a Filio accipit, juxta Domini vocem, De meo accipiet, & annunciabit vobis: siquidem talem ordinem & naturam Spiritus habet ad Filium, qualem Filius ad Patrem. Haec ad primum Theophylacti objectum.

Joan. 16. 13.

Luc. 10. 22.

QUOD autem secundo loco addit, nos Spiritum Sanctum ex duobus principiis deducere, tantum abest a vero, ut etiam eos, qui ita sentiunt, execremur, sicut ex anathematismis constat diversarum synodorum, praecipue vero Lugdunensis, & Florentinae. Siquidem in octava sessione generalis concilii Florentini sic legitur: QUONIAM Graeci suspicantur nos duo principia, duasve causas in sancta consubstantiali Trinitate profiteri: idcirco hanc habentes sententiam, vel talia profitentes anathemate notamus: quandoquidem ipsi credimus, Patris & Filii ope-

rationem, potestatemque, unicam Spiritus Sancti causam esse, ita ut Filius non sit diversum a Patre principium, ex quo quidem Spiritus Sanctus procedat, ac esse habeat: nam Patrem unicam causam, & radicem, ac fontem divinitatis profitemur esse; non ita tamen ut Patris & Filii ex eo confundamus personas, quod operationem ipsorum unam esse credimus: (id enim esset impium credere) verum duas Patris, Filiique personas existere, unam autem operationem, ac eorumdem unicam potestatem mittendi; unum denique esse, quod ex ipsorum substantia & hypostasi mittitur, profitemur: idcirco autem divinum symbolum declaratum ac dilucidatum a majoribus nostris fuisse dicimus, ne quisquam ambigens, an Filius Spiritus Sancti causa sit, in aliquam incideret haeresim. Nam credentes Sanctum Spiritum ex Filio nequaquam procedere, necesse est, ut intelligant Spiritum ex solo Patre procedere, ac consequenter non esse Filium: qui autem proferunt Spiritum ex sola Patris persona procedere; hi proculdubio substantiam ab hypostasi separant, & partitionem imaginantur divinae substantiae, quod a ratione, fideque valde alienum pie creditur esse.

PRAETEREO brevitati consulens anathematismos concilii Lugdunensis, & Lateranensis tam adversus illos, qui affirmant Spiritum Sanctum ex Patre & Filio, ut ex duobus principiis produci, quam adversus eos, qui eum negant a Filio procedere. Et ob eandem causam omitto sententias plurimas Athanasii, Basilii, Epiphanii, Chrysostomi, Cyrilli, Maximi, aliorumque Orientalis ecclesiae Patrum, asserentium Spiritum Sanctum a Patre simul ac Filio procedere; quas si quis nosse desiderat, legat sessionem septimam & octavam concilii Florentini. (a)

ANNOTATIO CLXXXVIII.

Spiritus est Deus. Joan. 4. a

De Trinitate — ORIGENES Tomo in Joannem tertiodecimo, super hac particula digrediens, tradit Patrem tanto superiorem esse Filio, ac Spiritu Sancto, quanto Filius & Spiritus Sanctus omnibus creaturis superiores sunt. Loquitur autem hoc modo: OMNIBUS quidem, quae genita sunt, non comparatione, sed eximia praestantia Filium, Spiritumque Sanctum excellere dicimus, qui tanta, aut majore praestantia a Patre superatur quanta ipse, atque Spiritus reliqua non quaelibet superant. Laudatio enim est ejus, qui thronis, dominationibus, principatibus, potestatibus, omnique rei, quae nominatur, non in hoc saeculo tantum, sed etiam in futuro, antecellit, & praeterea sanctis angelis, ac spiritibus & animis justis, etiam dicere. Sed tamen cum ipse tantis ac talibus naturis praestet essentia, antiquitate, & potestate, ac divinitate, (est enim animatum verbum) Patri nulla re comparatur. Est enim imago ejus bonitatis, splendorque non Dei, sed ejus gloriae, ejusque lucis aeternae; & radius non Patris, sed ejus potestatis; synceraque praepotentis ejus gloriae fluxio, & speculum immutabilis ejusdem operationis, per quod

Joan. 14. 9. speculum Paulus & Petrus, eisque similes Deum vident; qui ait, Qui videt me, videt & Patrem meum, qui misit me.

ANNOTATIO CLXXXIX.

Ego misi vos metere, quod vos non laborastis: alii laboraverunt, & vos in laborem eorum introistis. Joan. 4. d

Angeli in corporibus animas inferunt. — ORIGENES Tomo tertiodecimo in Joannem cum ad hunc locum explanando pervenisset, dixit angelorum ministerium esse, ut animas hominum, quorum

(a) Ad pleniorem Catholici dogmatis firmitatem adversus Graecos schismaticos legendus est Cl. Leo Allatius *Concord. Oriental. & Occidental. Eccles.* ubi omnia Graecorum PP. monumenta profert adversus schisma errore sque recentiorum. Circa sententiam S. Joh. Damasceni, quum plures ambigant num hic inficias iverit ex Filii Paracletum procedere, adserantque nonnulli, quos inter Angelicus, dicens fuisse textum S. Johannis Damasceni corruptum ab haereticis, legendus est N. Cl. Michaël Lequien in nova editione Operum S. Johannis Damasceni, praesertim *not. ad lib. I. de Fid. Orthodoxa pag.* 141. Quomodo autem Pater, & Filius procedant ut unicum principium activae spirationis Spiritus Sancti ab utroque procedentis luculenter expendit S. Thomas *I. P. Qu. XXXVI, Art. IV.*

rum custodiae praesunt, corporibus inserant, ipsaque corpora in utero forment, & hunc esse laborem aliorum, in quem Apostoli intrarunt. Sic autem fatur: CONSIDERANDUM est, num, cum angeli semini hominum jactando praefecti sint; perfectionis eorum, quae sata sunt, adjutores Apostoli in aliorum labores ingrediantur, metantque. Quod si ita res habet, videndum est etiam, sitne molestum, laborisque plenum angelorum in inserendis in corporibus animis ministerium & munus, cum duo quaedam natura contraria in una temperatione colligant, certoque & constituto tempore eam, quae unumquenque attingit, incipiant adhibere procurationem, & eum, qui ante fictus est, ad fructum ferendum in lucem proferunt. Verum aliquis his adversari volens dicet, quod Deus ipse formare & fingere dicetur in illo loco, Manus tuae fecerunt me, & plasmaverunt me; & in il- Job 10. 9.
lo, Prius, quam te formarem in utero, novi te. Ad quod respondendum est, fie- Jerem. 1. 5.
ri posse, ut etiam angelis praefectis hominum ortui Deus dicat se illum in utero fingere[a]

ANNOTATIO CXC.

Credidit homo sermoni, quem dixit Jesus, & ibat. Joan. 4. f

JOANNES FERUS in commentariis super Joannem, hanc enarrans pericopen, De fide.
DOCEMUR, inquit, quae sit fidei natura, nempe fiduciam de Deo concipere, quod servaturus nos sit: quomodo autem, quando, & per quas afflictiones, nihil ad nos pertinet, &c. Quid in his verbis cavendum monuerit Dominicus Sotho, habes supra Annot. libri hujus 43.

ANNOTATIO CXCI.

Credidit ipse, & domus ejus tota. Joan. 4. g

JOANNIS FERI expositionem, huc allatam, Michaël Medina a reprehensio- De vera fide.
nibus Sothi defendens, haec scribit; HIC FERUS post multa egregie notata, nonnullum hic latere mysterium docuer[illegible] quod fidem centurionis narrans Evangelista, nihil de fide caeterorum Caparn[illegible]arum narraverit, quemadmodum post miraculum conversionis aquae in vinum sola fides discipulorum narratur,
dum dicitur, Et crediderunt in eum discipuli ejus. Existimat his locis paucitatem Joan. 2. 11.
verorum fidelium insinuari, &, quod rata sit vera fides, doceri. Major, inquit, pars etiam si videat & audiat, tamen manet in peccato. Quae verba Dominicus Sotho interpretatus (ut solet) errorem Lutheranum auctorem hic approbare credit, quo dicitur nullum peccatorem vere credere. Ait itaque: Videtur hic errorem repetere, quod nemo eorum, qui in peccatis est, vere credit, sane cum paucitatem eorum, qui vere credunt, non aliter explicet, quam dicendo, quod sint, qui etiam si videant & audiant, tamen in peccatis maneant, quasi dicat, eo non credunt, quod in peccatis manent. Ita ille. Quae autem Christo & universis Christianis vera fides dicatur, nos in praecedentibus multiplici ratione demonstravimus. Est enim vera fides veritate Christiana, de qua semper Christiani loquimur, quae cum constet etiam fervida & efficaci dilectione, semper, si potest, exit in opera, & denique quam Paulus vocat operantem per dilectionem.
Hinc Christianus lector eliciet peccatores, qui obstinati manentes ex Christiana Galat. 5. 6.
disciplina non vivunt; nullo pacto veram fidem habere, quoniam dilectione, quae est altera pars Christianae fidei, destituuntur. Ut ergo non sunt veri Christiani; ita nec veram fidem Christianam in se possident; quae non tantum vitat peccata, sed fructus aeternae salutis producit. Sed ne sterilis illa fides, quae appellatur daemonica, ab his integra retinetur: nec enim obstinati & obdurati peccatores alterius vitae rationem videntur habere, nec Dei justitiam in homines peccatores

(a) Insulsam hanc ineptamque, ac omnino erroneam falsamque Origenis loquendi formam ceteris ejus adcense commentis. Quomodo autem Angeli praesint huic Orbi, quomodo vero adsistant homini, & quando: si scire exoptas, lege S. Thomam loco saepius laudato, ubi de Angelis angelice proculdubio loquitur. Ceterum animas immediate a Deo creari, atque infundi dogma fidei est. Consule Polemicos.

tores saevituram certo credere. Credunt enim illi, sed languida quadam ac enervi fide, quae, ut in praecedentibus diximus, in hujusmodi hominibus ad opinionis naturam degenerat. De ratione profecto fidei est certitudo, quam hujusmodi peccatores, parvam, aut nullam habent divinarum promissionum, aut comminationum. Notitia autem inevidens, quae in eis manet, certitudine destitura, in opinionis naturam demigrat, ut in praecedentibus diximus: non quod doceam peccato fidem sterilem & informem formaliter extingui (quod Lutherana docet iosania) sed obstioatiooe peccatorum, qua nonnunquam languescit, & in opinionem convertitur, deteri, quio nonnunquam omnino, peccatorum magnitudine pressam, evanescere. Ergo etiam si aperte auctor dixisset, neminem eorum, qui io peccatis est, vere credere, nihil fidei catholicae decreta laedebat, quamvis Sothum laederet, qui has formas loquendi Christianas ignorare se prodat, attendendumque homini fuisset auctorem de his obstinatis loqui, quando noo dixit, qui est in peccato, non vere credere, sed in peccatis, quo modo loquendi peccatorum multorum sordibus inquinatos intelligimus. (a)

ANNOTATIO CXCII.

Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam.
Joan. 6. d

An corporalis labor sit omnibus a Deo praeceptus.

JOANNIS FERI Commentaria talem praesentis loci expositionem habent: NON prohibet Christus laborare pro cibo corporis, imo hoc omoibus praeceptum est, In sudore, inquit, vultus tui vesceris pane tuo: & David, Labores manuum tuarum manducabis: & Paulus, Qui noo laborat, non manducet. Dominicus Sotho hanc Feri doctrinam improbat, quia docere videatur laborem corporalem omnibus sine ullo discrimine esse praeceptum: quod sane condemoare videntur instituta mendicantium monachorum, qui, omisso manuum labore, sola sibi meodicitate victum parant. Hunc Michaëlis Medinae Apologia redarguit his verbis: Hic non est, cur suspicionibus Sotho torqueatur. Praeceptum enim non semper pro lege sumitur: quandoque nanque praeceptum pro doctrina, consilio, aut pro suasione accipitur: qua ratione praecepta conoubialia Plutarchus appellat doctrinam, aut consilia matrimonialia. Qua etiam ratione vocamus militaria, & paterna praecepta militum, aut filiorum institutiones: de quibus Salomon, CONSERVA fili mi praecepta patris tui, ac postea in sequenti capite ait, FILI mi, custodi sermones meos, & praecepta mea reconde tibi. Vocamus deinde praeceptum plano loquendi more quicquid per modum imperativi cuipiam iojungitur, & si peccati non inducat obligationem; quo pacto praeceptum dicimus benedictionem illam, quam primis Parentibus, & universis animantibus primo rerum exordio Deus fuit impertitus, dicens, CRESCITE, & multiplicamini, & replete terram. Quo etiam pacto divinae maledictiones, per modum imperativi contortae, praecepta quoque dicuntur, qualis illa primae foeminae inflicta, IN dolore paries filios tuos; & haec, quam auctor hoc loco adducit, IN sudore vultus tui vesceris pane tuo. Quin & praeter hanc laxiorem praecepti acceptionem, praeceptum quoque Apostolicum secundum propriam ratiooem praecepti, de manibus operando his, qui aliunde non habent, unde vitam sustentent, injunctum est, Paulo Apostolo quibusdam (qui inordinate ambulabant) jubente: QUI furatur, jam non furetur, sed laboret manibus suis: & alibi, QUI non laborat, non manducet. Quod praeceptum, divinum & naturale esse, non est dubitandum. Nihil ergo peccavit auctor: qui, ut ostenderet illis verbis, Operamini non cibum, qui

Genes. 3. 19. Psal. 127. 2. 2. Thessal. 3. 10. Prov. 6. 20. Prov. 7. 1. Genes. 1. 28. Genes. 3. 16. Ibid. 19. Ephes. 4. 28. 2. Thess. 3. 10.

(a) Michaël Medina, dum Johannem Ferum excusare contendit, quinimo dum, ut illum excuset, nostrum Cl. Dominicum Soto accusat & carpit, se ipsum certe coodemnat. Renovans quidem Calvini commentum nigro theta signatum a Tridentina Synodo intolerabile docet sphalma, quod pluries Romanorum Pontificum censuris in idem latis fuit diris devotum, & ab Alexandro VIII. propositione inter illas ab eo damnatas numero XII. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor deficit etiam fides: & etiam si videatur credere, non est fides divina sed humana.* Hunc errorem ubertim exsufflavi *Tom. III. Exercit. VIII.* quam hic eandem reordiri telam est frustra terere tempus. Consule ibi dicta: quum ad operis nostri scopum satis sit Tridentinam indigitasse diffinitionem, & in medium protulisse proscriptam ab Alexandro VIII. Thesim.

qui perit, &c. Laborem corporalem non prohiberi, eundem dixit per praeceptum injunctum, quasi diceret, non tantum non fuisse prohibitum, sed esse praecepti materiam. Praecepti, inquam, largiori illa significatione sumpti, aut strictori, qua peccati inducat obligationem, si vagos & inordinate ambulantes respiciamus: itaque prius videndus fuisset Calepinus, quam auctor in hac parte accusandus. Haec Michaël Medina. Habes huc pertinentia inferius Annotatione 317.

ANNOTATIO CXCIII.

Hoc est opus Dei, ut credatis. Joan 6. d

AUGUSTINUS tractatu in Joannem 25. hoc elucidans, inquit: HOC EST ergo manducare cibum, qui non perit, sed qui permanet in vitam aeternam: ut quid paras dentes & ventrem? Crede, & manducasti. Abutuntur his verbis Sacramentarii ad confirmationem suae haereseos: quibus quid respondendum sit, vide infra Annotat. 196. De Eucharistia.

ANNOTATIO CXCIIII.

Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum. Joan. 6. e

AUGUSTINI expositionem, quae tractatu 26. in Joannem super hoc dicto habetur, Magister Sententiarum libro secundo, distinctione vigesima sexta, annotavit his verbis: NON est ignorandum, quod alibi Augustinus significare videtur, quod ex voluntate sit fides; de illo verbo Apostoli, Corde creditur ad justitiam, ita super Joannem tractans: Ideo non simpliciter Apostolus ait, creditur, sed corde creditur: quia caetera potest homo nolens, credere nonnisi volens, intrare ecclesiam, & accedere ad altare potest nolens, sed non credere. Item super Genes. ubi Laban & Batuel dixerunt; Vocemus puellam, & quaeramus ejus voluntatem, &c. dicit expositor; Quia fides est voluntaris, non necessitatis: ad quod respondentes dicimus, non haec ita accipienda fore, ut ex voluntate hominis fides intelligatur provenire; cum ipsa sit proprie Dei donum, ut ait Apostolus, & ex ea bona hominis merita incipiant. Per hanc enim, ut ait Augustinus super Psalmum sexagesimum septimum, Justificabitur impius, id est, fit de impio pius, ut deinde ipsa fides incipiat per dilectionem operari: unde omnia bona merita incipiunt. Sed potius haec ideo ita dicta sunt, quia non est fides, nisi in eo, qui vult credere: cujus bonam voluntatem fides praevenit non tempore, sed causa & natura: unde Augustinus supra congruenter dixit, quod bona voluntas in eis donis est, quae non praecedit: & ipsa juvat, quibus ea juvat, quibus praevenitur, dum eis consentit ad effectum boni; & in eis est, quia tempore ab eis non praeceditur. Fides an sit ex nobis. Rom. 10. 10. Genes. 24. 57.

THEOPHYLACTUS hunc locum in comment. exponens, videtur & ipse arbitrari quod fidei, & gratiae donum a nobis praeveniatur, & ex bonae voluntatis praeparatione acquiratur. Ibi enim sic loquitur: Illos trahit pater, qui habent voluntatis aptitudinem, eos autem, qui seipsos non faciunt idoneos, non trahit ad fidem, nam sicut magnes non omnia, sed solum ferrum attrahit, ita & Deus ad omnes quidem appropriat, eos autem, qui magis idonei, & familiaritatem erga ipsum praeseferunt, trahit. Rursus in fine commentarii in Marcum, edisserens ea verba: Profecti praedicaverunt ubique domino cooperante, &c. Vides, inquit, ubique nostra primum, deinde Dei adjutorium: cum enim nos operamur, & principium dederimus dominus cooperatur, ita si nos non dederimus occasionem non cooperabitur. Haec Theophylacti verba ex variis Chrysostomi dictis excerpta, intelligi debent quemadmodum ea, quae a nobis sententiis exposita sunt Annotatione 101. libri quinti. Marc. 16. 16.

ANNOTATIO CXCV.

Patres vestri manducaverunt manna. Joan. 6. e

AUGUSTINUS tractatu in Joannem vigesimo sexto, hoc explicans, VIDETE, inquit fratres, panem coelestem spiritualiter manducate, innocentiam ad Num peccata venialia effectum Eucharistiae in mentibus impediant.

altare portate: peccata, & si sint quotidiana, vel non sint mortifera, ante, quam ad altare accedatis, attendite, quod dicatis, Dimitte nobis debita nostra. Divus Thomas in tertia parte Summae, quaestione 79. articulo 8. recenset hunc locum inter eos, quibus scholastici exercitationis gratia demonstrare solent, quod peccata venialia his, qui eucharistiam sumunt, vim & effectum eucharistiae salutarem non impediunt. Diluit autem objectionem, inquiens, ex venialibus culpis non prorsus & omnino impediri sacramenti effectum, sed ex aliqua tantum parte. Licet enim venialia delicta amplioris gratiae & charitatis adeptionem minime tollant: quendam tamen gustum spiritualis dulcedinis adimunt, quem exacte purgati sumpto Dominici corporis sacramento experiuntur.

ANNOTATIO CXCVI.

Ego sum panis vitae. Joan. 6. f

An Eucharistia verum Christi corpus contineat.

AUGUSTINI expositionem, huic loco appositam, Bertramus presbyter, sive quispiam alius ejus nomine in libro De corpore & sanguine Domini detorquet ad haeresim Sacramentariorum asserentium, Eucharistiam nihil aliud esse, quam panis & vini substantiam, quae figuram, similitudinem, & appellationem gerit corporis Christi, quod corporaliter & vere in sacramento non est, sed spiritualiter tantum & mystice. Sunt autem Augustini verba, ex tractatu vigesimo sexto in Joannem citata, hujusmodi:

1. MANDUCAVIT & Phinees, manducaverunt & ibi multi, qui Deo placuerunt; & mortui non sunt: quare? quia visibilem cibum spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter gustaverunt, ut spiritualiter satiarentur. Nam & nos accipimus visibilem cibum; sed aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti. Item in posterioribus, Hic est panis, qui de coelo descendit. Hunc panem significavit manna; hunc panem significavit altare Dei; sacramenta illa fuerunt; in signis diversa sunt; in re, quae significatur, paria sunt. Apostolum Paulum audi: Nolo vos ignorare, fratres, quia Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Mose baptizati in nube & in mari, & omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, & omnes, eundem potum spiritualem biberunt. Spiritualem utique eandem, nam corporalem alteram; quia illi manna, nos aliud, spiritualem vero, quam nos. Et adjungit, Et omnes eundem potum spiritualem biberunt: aliud illi, aliud nos, sed specie visibili, quod tamen hoc idem significaret virtute spirituali. Quomodo enim eundem potum? bibebant de spirituali sequenti petra. Petra autem erat Christus, petra Christus in signo, verus Christus in verbo, & in carne. [I. Cor. 10. s.]

2. HACTENUS Augustini verba: quibus Bertramus in eodem volumine addidit etiam alia ejusdem Auctoris dicta, ad confirmationem erroris sui violenter detorta. Nam, cum vellet ostendere, quod scelus sit credere in eucharistia veram Christi carnem contineri, usurpavit ex libro tertio Augustini De doctrina Christiana capite decimo sexto, haec verba: SI PRAECEPTIVA locutio aut flagitium, aut facinus vetat; aut utilitatem, aut beneficentiam jubet; non est figurata: si autem flagitium, aut facinus videtur jubere; aut utilitatem, aut beneficentiam vetare, figurata est: nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem; non habebitis vitam in vobis; facinus vel flagitium videtur jubere: figura est ergo, praecipiens passioni Domini esse communicandum, & suaviter, atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa est, & vulnerata, &c. [Joan. 6.]

3. ITEM, cum esset demonstraturus, quod eucharistiae sacramentum appelletur corpus Christi, non quia sit, sed quia significet Christi corpus, usus est testimonio ex epistola vigesima tertia ad Bonifacium episcopum; in qua Augustinus innuere videtur sacramentum altaris dici corpus Christi, juxta vulgatam loquendi formam, qua diem commemorationis Dominicae passionis nuncupare solemus passionem Christi; quia similitudinem habeat diei illius, in qua olim Christi passio semel peracta est. Verba epistolae sic habent: SAEPE ita loquimur, ut, Pascha propinquante, dicamus, crastinam, vel perendinam esse Domini passionem,

sionem, cum ille ante tam multos annos passus sit, nec omnino nisi semel illa passio facta sit, nempe ipso die Dominico: dicimus Hodie Dominus resurrexit, cum, ex quo resurrexerit, tot anni transierint: cur nemo tam ineptus est, ut nos ita loquentes arguat esse mentitos, nisi quia istos dies secundum illorum, quibus haec gesta sunt, similitudinem nuncupamus? ut dicatur ipse dies, qui non est ipse, sed revolutione temporis similis ejus, & dicatur illo die fieri, propter sacramenti celebrationem, quod non illo die, sed jam olim factum sit. Nonne simul immolatus est Christus in se ipso, & tamen in sacramento non solum per omnes paschae solennitates, sed omni die populis immolatur? Nec utique mentitur, qui interrogatus, eum responderit immolari. Si enim sacramenta quandam similitudinem rerum earum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent: ex hac ipsa similitudine plerunque jam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quendam modum sacramentum corporis Christi corpus Christi est, sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est; ita sacramentum fidei fides est, &c.

4. RURSUM ostendens, quod in sacramento nihil aliud sit, quam panis, vinique substantia, & mystici corporis repraesentatio fragmentum accipit ex sermone Augustini De sacramento ad infantes ad altare in hacc verba: HOC, quod videtis in altare Dei, etiam transacta nocte vidistis: sed quid esset, quid sibi vellet, quam magnae rei sacramentum contineret, nondum audistis. Quod ergo videtis, panis est, & calix, quod vobis etiam oculi vestri renunciant: quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix est sanguis Christi. Breviter quidem hoc dictum est, quod fidei forte sufficiat, sed fides instructionem desiderat. Dicit enim Propheta: nisi credideritis, non intelligetis. Potestis ergo dicere mihi, Praecepisti, ut credamus: expone, ut intelligamus. Potest enim animo cujuspiam cogitatio talis oboriri. Dominus noster Jesus Christus novimus, unde ceperit carnem, de virgine scilicet Maria, infans lactatus est, nutritus est, crevit, ad juvenilem aetatem provectus est, passus est, interfectus est, sepultus est, tertia die resurrexit, in coelum ascendit, illic levavit corpus suum, ibi est modo sedens ad dexteram patris: quomodo est ergo panis corpus ejus? & calix, vel quod habet calix, quomodo est sanguis ejus? Ista, fratres, ideo dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur: quod videtur, speciem habet corporalem: quod intelligitur, fructum habet spiritualem. Corpus ergo Christi, si vis intelligere, Apostolum audi, dicentem fidelibus: Vos estis corpus Christi & membra; mysterium vestrum in mensa positum est: mysterium Dei accipitis: ad id, quod estis, Amen respondetis, & respondendo subscribitis. Audis ergo corpus Christi, & respondes Amen: esto membrum corporis Christi, ut verum sit tuum Amen.

Seu Sermon. ad recens baptizatos, quē integrum refert S. Fulgentius Lib. 1. de Baptismo Aethiopis capite ultimo.

Isai. 7. b.

1. Cor. 12. 27.

5. BERENGARIUS, Andegavensis ecclesiae diaconus, qui ducentis pene post Bertramum annis eandem haeresim anno Domini M.C.LX. instauravit, cum Apologiam dogmatis sui adversus Humbertum Burgundum, virum Catholicum haereticus ipse conscriberet, protulit praeter haec etiam alia Augustini testimonia, ex quibus insigniora haec sunt. AUGUSTINUS in Psalmum tertium: Christus Judam adhibuit ad convivium, in quo corporis & sanguinis sui figuram discipulis commendavit & tradidit.

6. IDEM AUGUSTINUS in Psalmum 98. SPIRITUS est, qui vivificat: caro non prodest quicquam: quando hoc Dominus commendavit, & de carne sua locutus erat, & dixerat; Nisi quis manducaverit carnem meam, non habebit in se vitam aeternam: scandalizati sunt quidam discipuli ejus, septuaginta ferme; & dixerunt, Durus est hic sermo: & recesserunt ab eo. Durum enim illis visum est, quod ait; Nisi quis manducaverit carnem meam, non habebit vitam aeternam. Acceperunt illud stulte: carnaliter illud cogitaverunt; & putaverunt, quod praecisurus esset illis Dominus particulas de corpore suo; & daturus illis: cum autem remansissent cum illo duodecim discipuli, illis recedentibus, ille instruxit eos, & ait: Spiritus est, qui vivificat: caro non prodest quicquam: verba, quae locutus sum vobis, spiritus & vita sunt: spiritualiter intelligite, quod locutus sum: non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem

Joan. 6. 63.

Joan. 6. f.

fusuri sunt, qui me crucifigent: sacramentum vobis aliquod commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos: etsi oecesse est illud visibiliter celebrari: oportet tamen illud iovisibiliter intelligi.

7. IDEM tractatu in Joannem 25. HOC est manducare cibum, non qui perit, sed qui permaner io vitam aeternam: ut quid paras deotem & veotrem? crede & manducasti. Hisce feoteotiis suadebat Berengarius solum corporis Christi signum esse in sacramento, non autem ipsum corpus Christi; quod etiam contendebat noo posse in coelo & io altari simul esse, allatis in id Augustiui verbis ex epistola 57. ad Dardaoum, quae sic habent.

Epistola ad Dardanum, olim 57 nunc in nova editione 187.

8. NOLI dubitare ibi nunc esse hominem Christum Jesum, unde veoturus est; memoriterque recole, & fideliter tene Christianam confessionem; quoniam resurrexit a mortuis, ascendit in coelum, sedet ad dexteram patris, nec aliunde, quam iode, venturus est ad vivos mortuosque judicandos in eadem carnis forma, atque substantia: cui profecto immortalitatem dedit, naturam oon abstulit. Secundum hanc formam non est putandus ubique diffusus. Cavendum est enim, ne ita divinitatem astruamus hominis, ut ei veritatem corporis auferamus: una eoim persona Deus & homo est, & utrunque est unus Christus Jesus; ubique per id, quod Deus est, io coelo autem per id, quod homo est.

9. HACTENUS quae Bertramus, & Berengarius ex Augustino collegerunt. Nunc addere libet duos alios locos, quorum priorem Bertramus ad suam causam pertraxit ex libro D. Ambrosii ad eos, qui mysteriis initiantur; in cujus octavo & decimo capitibus verba ista sparsim & interpolate leguntur: ISTA esca, quam accipis, iste panis vivus, qui descendit de coelo, vitae aeternae substantiam subministrat: & quicunque hunc panem manducaverit, ooo morietur in aeteroum: & est corpus Christi. Et infra, SERMO Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea, quae sunt, in id mutare, quod non erant? non eoim majus est novas res dare, quam mutare naturas. Et paulo post, QUID hic quaeris naturae ordinem in Christi corpore, cum praeter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex virgioe? vere utique caro Christi est, quae crucifixa est, quae sepulta est: vere ergo hoc carois illius sacramentum est: ipse clamat Dominus Jesus, Hoc est corpus meum: ante benedictionem verborum coelestium, alia species nominatur: post consecrationem corpus Christi significatur. Et infra, QUID edamus, quid bibamus, alibi tibi per prophetam Spiritus Sanctus expressit, diceos: Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus: beatus vir, qui sperat io eo. In illo sacrameoto Christus est, quia corpus est Christi, non ergo corporalis esca, sed spiritualis est: unde Apostolus de typo ejus ait: Quia Patres oostri escam spiritualem manducaverunt, & potum spiritualem biberunt: corpus enim Dei corpus est spirituale; corpus Christi corpus est divini spiritus: quia spiritus Christi, ut legimus, spiritus ante faciem nostram Christus Dominus. His verbis Bertramus patere dicebat, quod licet paois & vioi substantia post consecratiooem eadem consistat, quae prius erat; commutatur tameo ioterius virture verbi Dei io sacramentum, similitudinem, & figuram veri corporis Christi, quod fidelium animas pascit, vitaequae aeternae alimentum subministrat.

Matt. 26. 26.

Psal. 33. 9.

1. Cor. 10. 1.

Thren. 4. 20.

10. HANC Bertrami interpretationem Berengarius confirmavit, afferens alterum testimooium sub nomine Ambrosii ex libro De sacramentis, in haec verba: POST consecrationem altaris fiunt panis & vinum sacramentum religioois, non ut desinant esse quae eraot, sed ut fiot quae erant, & io aliud commuteotur. Haec igitur sunt Augustini & Ambrosii dicta: quibus olim cootra hujus sanctissimi sacrameoti veritatem Bertramus, ac Berengarius, oovissime vero Joannes Calvinus capite septimo suarum Institutionum, atque alii Sacramentarii haeretici perperam abusi sunt.

Joannes Calvinus haec habet Lib. IV. Instit. Cap. XVII.

HORUM pestilentissimum errorem fortissime confutarunt Lanfrancus, Cantuariensis episcopus, in libro De sacrameoto adversus Berengarium, & post eum Petrus Lombardus, Parisiensis episcopus, libro quarto Seoteotiarum: Hi ergo admooent ad exactam horum locorum elucidationem tria fore observanda, & pro regulis habenda.

PRIMA regula erit, quod in Eucharistia tria spectare oporteat, unum, quod

quod ſacramentum, ſive ſignum eſt, & non res: alterum, quod ſacramentum, ſeu ſignum eſt, & res: tertium, quod res eſt, & non ſignum, ſive ſacramentum. Porro Sacramentum & non res eſt panis, ac vini ſpecies, formaque viſibilis; quae duo ſignificant, nempe corpus & ſanguinem Chriſti, verum animae cibum, ac potum, in euchariſtia latentem; & unitatem eccleſiaſtici corporis, quod ex multis fidelibus non aliter, quam panis unus ex multis granis, & idem vinum ex multis acinis colligitur. Sacramentum & res eſt caro Chriſti propria & ſanguis. Res quidem eſt, quia illud idem corpus eſt, quod natum, mortuum, ac redivivum ſedet ad dexteram Dei. Sacramentum vero ac ſignum eſt, quia ſicut hoc ipſum ex multis membris puriſſimis & immacularis conſtat; ita myſticum eccleſiae glorioſae corpus ex multis fidelibus a criminum ſorde liberis conſiſtit. Res & non Sacramentum, neque ſignum eſt unitas eccleſiae in praedeſtinatis, vocatis, juſtificatis, & glorificatis.

SECUNDA regula docet, duos eſſe modos edendi, ac bibendi carnem & ſanguinem Chriſti, ſacramentalem ſcilicet, & ſpiritualem: ſacramentalis eſt, quo verum Chriſti corpus ſumimus, non ſecundum uſitatum edendi morem, quo viſibiles occiſorum animalium carnes in fruſta diſſectas ore premimus, dentibus conterimus, & in ventriculum demittimus ad corporis nutrimentum, ſed ſacramentali ritu, quo Dominicum corpus non in forma viſibili, nec in partes diſciſſum accipimus ad explendam corporis famem, ſed pro animae alimento inviſibiliter ſub ſpecie panis ac vini integrum, impaſſibile, vivens ac divinum comedimus. Spiritualis vero, qui tantum bonis ac piis convenit, eſt, quo non ſolum Chriſti corpus, ſed virtutem quoque ab eo manantem ſuſcipimus, hoc eſt, animae vitam. De priori modo Salvator loquens, dicebat, Caro non prodeſt quicquam: de poſteriori autem, ſpiritus eſt, qui vivificat. Praetereo hic brevitatis gratia geminam hujus ſpiritualis eſus varietatem, quarum altera non ſolum nobis convenit, ſed etiam angelis, & priſcis antiqui Teſtamenti Patribus; quos Paulus & Auguſtinus eandem, quam nos, ſpiritualem eſcam manducaſſe monent: altera vero eſt nobis duntaxat conveniens, qua verum Chriſti corpus, atque ejus virtutis efficaciam ſumimus.

TERTIA regula indicat geminam in Chriſti corpore conſiderari poſſe praeſentiam, videlicet conſpicuam & viſibilem, qua olim in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt; & praeſentiam inviſibilem, & occultam, ſecundum quam inviſibiliter adeſt in ſacramento altaris, forma panis & vini contectus. His hunc in modum conſtitutis, facilis eſt aditus ad apertam objectorum locorum intelligentiam.

PRIMUS itaque locus ex tract. in Joannem 26. ita de ſpirituali manducatione corporis Chriſti juxta ſecundam regulam loquitur, ut ejuſdem ſacramentalem eſum non rejiciat: ſic de ſigno, ſive ſacramento meminit, ut rem & virtutem ſacramenti non excludat, imo ſimul utraque connectens, dicit: NAM & nos hodie accepimus viſibilem cibum: ſed aliud eſt ſacramentum, aliud eſt virtus ſacramenti: petra Chriſtus in ſigno: verus Chriſtus in verbo & veritate.

SECUNDUS locus ex libro De doctrina Chriſtiana tertio non ſic eſt accipiendus, ac ſi Auguſtinus decernat, non poſſe illam Chriſti ſententiam interpretari de ſacramentali eſu corporis Chriſti. Non enim hoc ſenſit: ſed ſignificavit non eſſe intelligendam Chriſti ſententiam juxta duram ac ferinam Capernaïtarum intelligentiam, exiſtimantium, edendam eſſe carnem Chriſti in fruſta diſſectam, ac dentibus laniatam more Leſtrigonum & Antropophagorum, humana carne veſcentium. Hanc inhumanam interpretationem amovens Auguſtinus, ait, locutionem illam ex ſecundae Regulae praecepto figurate intelligendam eſſe, hoc eſt, non de comeſtione exanimati ac dilacerati cadaveris, ſed de manducatione ſacramentali ac ſpirituali viventis ac vivificae carnis Chriſti.

TERTIUS locus ex epiſtola ad Bonifacium non habet, quod ex eo mendaciter collegit Bertramus, nempe ſacramentum altaris nuncupari corpus Chriſti, non ex eo, quod ipſum Chriſti corpus in ſe habeat, ſed ex eo tantum, quod ipſius ſimilitudinem gerat. Abſit ut hoc aſſerat Auguſtinus: ſed quod ipſe oſtendit, hoc eſt. Corpus Chriſti, vere & eſſentialiter in ſacramento exiſtens, ipſum quoque ſecundum

Epiſtola S. P. Auguſtini ad Bonifacium incertae urbis Epiſcopū nunc XXIII.

secundum quendam modum sacramentorum & signum est corporis Christi, videlicet, mystici eo modo, quo in prima Regula praedictum est. Hoc autem corpus mysticum, corpus Christi appellatur secundum quandam similitudinem, qua saepissime res significatae rerum significantium vocabulo nominari solent. Quali rem ratione ipsae quoque Dominici sacramenti species modo quodam corpus Christi nuncupantur, quoniam signa sunt corporis Christi, quod in eis continetur occultum.

Ita luculenter mentem S. P. expendit Algerus lib. 1. cap. 5.

QUARTUS locus ex sermone ad infantes, juxta primi canonis rationem intelligendus est de corpore mystico, quod non solum per verum Christi corpus significatur, sed etiam per ipsas panis & vini species, quas ibi Augustinus panem & vinum appellat, ex vulgato loquendi more, quo rebus relinquere solemus nomina earum rerum, quae prius ipsae fuerant.

QUINTUM locum e Psalmo tertio, prima Regula aperit. Licet enim in eo Psalmo sacramentum eucharistiae figura Dominici corporis nominetur: ipsum tamen corpus Domini ab eucharistia non exploditur.

SEXTUS locus e Psalmo 98. referendus est ad tertiam Regulam, ut secundum eam intelligamus, dictum esse, Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent, id est, non edendum erit vobis hujusmodi corpus in forma visibili, modo passibili & mortali, eo modo, quo carnes pecudum dentibus manduntur: sed invisibiliter sub forma panis & vini gloriosum & impassibile corpus ederis.

SEPTIMUM locum ex tract. 25. in Joannem, Regula secunda elucidat.

OCTAVO loco ex epistola ad Dardanum tertiam Regulam adhibebimus, intelligentes Christi corpus esse in uno tantum loco, secundum visibilem praesentiam nempe in coelo, ubi visibiliter in humana forma apparet: invisibiliter autem, & secundum ejus invisibilem praesentiam in omni altari est, ubicunque eucharistiae mysteria celebrantur.

NONUS Ambrosii locus partim ex prima, partim ex secunda Regula interpretandus est: quod enim statim post illa verba, Quicunque manducaverit hunc panem, non morietur in aeternum, subnectitur, Et corpus Christi est, per primam Regulam de corpore mystico intellige: quod autem addit, Non ergo corporalis est esca, sed spiritualis, sic per secundam Regulam exponitur, quod caro Christi non est esca corporalis, hoc est, de numero corporalium ciborum, quos quotidie ad corporis nutrimentum consumimus, sed spiritualis esca, in qua sine ejus consumptione ac diminutione verum Christi corpus sacramentaliter, & spiritualiter sumitur.

DECIMUM locum Lanfrancus asserit, nusquam apud Ambrosium extare, sed impudenter & impie a Berengario confictum, ut ex ejus auctoritate fides impio ipsius dogmati astrueretur.

HAEC breviter ad propositas Ambrosii & Augustini sententias dixisse sufficiat. Caeterum, ne quispiam ex haereticis conqueratur, eas a nobis esse longe a vero ac germano auctorum suorum sensu expositas; opus est huc subnectere locos aliquot eorundem Patrum, quibus perspicuum fiat eos ita sensisse, ut nos exposuimus, & ea de veritate sanctissimi sacramenti docuisse, quae Catholica & Apostolica ecclesia docet, & praedicat.

AMBROSIUS libro 4. De sacramentis, capit. 4. TU FORTE dicis, Meus panis est usitatus: sed panis iste panis est ante verba sacramentorum: ubi accesserit consecratio de pane fit caro Christi: hoc igitur astruamus, quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? consecratione: consecratio igitur quibus verbis est, & cujus sermonibus? Domini Jesu: nam reliqua omnia, quae dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro regibus, pro caeteris: ubi venitur, ut conficiatur venerabile sacramentum, jam non suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum.

Rursus ibidem, Ergo didicisti, quod ex pane corpus fiat Christi. Et quod vinum, & aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi coelestis. Sed forte dicis, Speciem sanguinis non video, sed habet similitudinem: sicut enim mortis similitudinem sumpsisti, ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis,

ut

ut nullus horror cruoris sit, & pretium tamen operetur redemptionis. Didicisti, ergo, quia quod accipis, corpus est Christi.

Idem libro eodem, cap. 5. QUI pridie, inquit, quam pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem: ante, quam consecretur, panis est; ubi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. Denique audi dicentem, Accipite, & edite ex eo: hoc enim est corpus meum. Et ante verba, calix est vini, & aquae plenus: ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit. Ergo videte, quantis generibus potens est sermo Christi universa convertere. Deinde ipse Dominus Jesus testificatur nobis, quod corpus suum accipiamus & sanguinem: nunquid debemus de ejus fide, & testificatione dubitare?

Idem libro 5. De sacramentis, cap. 4. MEMOR sermonis mei, cum de sacramentis tractarem, dixi vobis, quod ante verba Christi, quod offertur, panis dicatur: ubi verba Christi deprompta fuerint, jam non panis dicitur, sed corpus appellatur, &c. Non iste panis est, qui vadit in corpus, sed ille panis vitae aeternae, qui animae nostrae substantiam fulcit.

Idem libro sexto De sacramentis, capite primo: SICUT verus est Dei filius Dominus noster Jesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi filius ex substantia patris; ita vera caro, sicut ipse dixit, quem accipimus, & verus est potus, &c.

AUGUSTINUS in Psalmum 98. DEI unigenitus filius suscepit de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariae carnem accepit: & quia in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit: inventum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.

Idem lib.3.De Trinitate cap.4. CORPUS & sanguinem Christi dicimus illud, quod ex fructibus terrae acceptum, & prece mystica consecratum, rite sumimus ad salutem spiritualem, in memoriam pro nobis Dominicae passionis. Quod cum per manus hominum ad illam visibilem speciem perducitur, non sanctificatur, ut sit tam magnum sacramentum, nisi operante invisibiliter spiritu Dei, cum haec omnia, quae per corporales motus in illo opere fiunt, Deus operetur.

Idem tract.84. in Joan. LEGITUR in Proverbiis Salomonis, Si sederis coenare ad mensam potentis, considerans intellige, quae apponuntur: & sic mitte manum tuam, sciens, quia talia oportet te praeparare: nam quae mensa est potentis, nisi unde sumitur corpus, & sanguis ejus, qui animam suam posuit pro nobis? & quid est ad eam sedere, nisi humiliter accedere? & quid est considerare, & intelligere, quae apponuntur tibi, nisi digne tantam gratiam cogitare? Prov. 23. 1.

Idem in Psalm.33. MANIBUS aliorum potest portari homo; manibus suis nemo portatur; ferebatur autem Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait: Hoc est corpus meum; ferebat enim illud corpus in manibus suis. Eadem dicit in sermone secundo super eundem Psalmum.

Idem ad Julianum epistola 143. UNUSQUISQUE ante, quam verum corpus, & sanguinem Domini nostri Jesu Christi accipiat, se ipsum probet, & secundum Apostoli praeceptum, Sic de pane illo edat, & de calice bibat: quia qui indigne manducat corpus & sanguinem Domini, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Quando enim eum accipere debemus, antea ad confessionem & poenitentiam recurrere debemus, & omnes actus nostros curiosius discutere, & peccata obnoxia, si in nobis senserimus, cito festinemus per confessionem, & veram poenitentiam abluere, ne eum Juda proditore diabolum intra nos celantes pereamus. S.P. Augustinus Epist. ad Julianū olim 141. nunc 188.

MEMINERIS optime Lector revocare ad regulas, in hac annotatione positas, omnes locos Origenis, Chrysostomi, & aliorum auctorum, ad eucharistiam spectantes, quos in hoc Opere indiscussos reliquimus. Hi habentur Annotat. 120. 121. 152. 164. 194. libri quinti, & Annotat. 21. 66. 112. 193. & 206. libri hujus. (a) Lege S. Thomam III. P. Q. LXXV. cũ notis N. Joannis Nicolai, ubi haec veritas ad miraculum elucidatur.

(a) Bertramus (qui, & Betrannus, nec non Ratramnus, Rotrannus, & Ratrannus fuit dictus) Monachus Corbejensis in Gallia vixit sub imperio Ludovici Pii, & Caroli Calvi, Anno circiter DCCCXL. plures scripsit libros, quos percensent de litteraria Historia Scriptores. An autem fuerit

ANNOTATIO CXCVII.

Nisi manducaveritis carnem Filii hominis. Joan. 6. g

De manducatione Sacramenti.

THOMAM Cajetanum, haec in Commentariis exponentem, Ambrosius libro quinto Annotationum prolixo tractatu redarguens, duplici vitio notat: primum, quod contra communem sanctorum sententiam conatus sit inanibus argumentis ostendere, praesentem locum non attinere ad sacramentalem corporis Christi manducationem: deinde, quod ausus sit hanc interpretationem, quae Luthero & Oecolampadio peculiaris est, adscribere sanctis Doctoribus; cum tamen constet Cyrillum, Augustinum, Cyprianum, Chrysostomum & alios, tam veteres, quam recentiores Patres hunc locum de sacramentali esu corporis Christi interpretatos.

AN-

anthor libri *de corpore, & Sanguine Domini?* dubium est, & discrepant Critici. Petrus de Marca enim *epist. ad Lucam Dacherium*, & doctus Canonicus S. Gennefae in dissertatione edita, quae extat ad finem Tom. I. *de perpetua Ecclesiae fide circa Eucharistiam*, hunc librum Bertramo abjudicant, & tribuunt Johanni Scoto Erigenae, qui Berengario inosphalmate praeluxit. Alii autem tribuunt, & vindicant Bertramo praefatum librum ex Segebetto, & Trithemio lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, praecipue Cll. Johannes Mabillonius *Sec. IV. Benedictin.* & N. Natalis Alexander *Hist. Eccles. Sec. IX. Dissert. XIII.* Sed de fide Anthoris adhuc dissidium non leve. Calviniani Bertramum ut signiferum hujusce haeresis adversus realem Christi praesentiam & transubstantiationem conclamant, nimiumque commendant ejusdem libri authorem, fere ae ex eo, velut ex primi nominis homine, supremique subsellii Magistro, cui nullus obsistere posset, certum reportare possent triumphum, non advertentes, ex hominis & seculi conditione nullum sibi adesse ad erroris patrocinium hujusce libri argumentum, ac authorem, ex adverso stantibus nobilioribus innumerisque ejusdem & posterioris aetatis Theologis, sed praesertim omnibus ab exoriente Ecclesia Patribus, ut ex nostris Polemicis colligere fas est. Alii autem Orthodoxi diris devovent Bertrami librum, utpote eadem haereseos fuligine tinctum, Gretserus, Valentia, Bellarminus, & alii. Alii itidem, praesertim N. Xystus, ab haereticis corruptum interpolatumque adserunt librum Bertrami. Sed N. Natalis dum ultro libenterque Bertramo eum librum vindicat, adfirmatque sic ab eo editum, ut extat, nulliusque opera corruptum, aut adulteratum, Ingenue adserit duriora quaedam & obscuriora alia ibidem extare, quae tamen ex aliis Bertrami clarioribus textibus explicanturquod idem Cl. Theologus adversus Calvinianos peragit ad fidei Orthodoxae de Transubstantiatione, & reali Christi praesentia dogma utiliter clareque firmandum. Verum, quia fidei dogmata clare & distincte absque ulla ambage sunt tradenda, & propugnanda ab Orthodoxis, Bertramus, qui ita obscure, & sic aspere disseruit de tam sacrosancto ineffabiliq; Sacramento, summo jure fuit a ceteris Theologis reprehensus, ejusque opus duritie ac ruditate refertum fuit ventilatum, summoque consilio a S. Romana Ecclesia Apostolica Orthodoxae fidei Magistra fuit nigro theta signatum: quapropter idem N. Cl. Natalis subdit *ibidem* „ *Retramni* tamen seu *Bertrami* liber in Indice jussu *Clementis VIII.* Pontificis Maximi edito inter libros non sanam, aut suspectam doctrinam continentes rejectus est ob duriores quasdam & asperiores sententias, quas expositione aliqua molliri opus erat. Lege doctissimum Cardinalem *Perronium* in opere egregio de *Eucharistia* lib. II. in Auctore XXXIX. cap. I. *Aubertum Miraeum* in Notis ad cap. 95. Sigeberti de Scriptoribus Ecclesiasticis, *Gilbertum Mauguinum* in Historicae & Chronologicae Dissertationis *De Gothescalco* Capite XVIII. ad Annum DCCCL. Illustrissimum Archiepraesulem in Epistola ad Religiosum Spicilegii Editorem *P. Lucam Dacherium*, Praefation. Tom. II. ejusdem Spicilegii subnexam, *Antonium Arnaldum* Tom. I. *De Perpetua Ecclesiae Catholicae Fide circa Eucharistiam* lib. VIII. cap. XII. & Dissertationem *De Bertramo* ad calcem ejusdem voluminis editam, nec non P. *Mabillonii* Praefationem in II. Parte Seculi IV. Benedictini §. VI. & VIII.

Porro quum loca PP. ex Bertramo a N. Xysto relata, abeoque nostro Authore expensa, eadem ipsa sint, quae olim Berengarius adversos realem Christi in Eucharistia praesentiam objecerit, eaque luculenter expenderit Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis libro *de veritate Corporis Domini in Eucharistia*, laudarum sanctissimi ad doctissimi viri opus consuli potest ad dogmatis firmitatem. Quia vero Calviniani, praesertim Matthaeus Larroquanus, Edmundus Albertinus, David Blondellus, aliique Berengarii haeresim, (ab eodem Berengario tandem constanti proposito diris devotam) renovarunt, & pluribus PP. sed frustra, laudatis monumentis confirmare studuerunt, ad detegendam fraudem, ad veritatem acu tangendam consule Polemicos Orthodoxos, praesertim Fratres Walemburgicos, Bellarminum, Peronium, Bossuetum, Albaspinaeum, Arnaldum, Natalem Alexandrum, & Gotti.

Annotandum quoque hic occurrit, & bene ponderandum, quod hic Xystus dicit, dum ait Veteres Patres eandem escam spiritalem manducasse, laudatque propterea Augustinum *Tract. XXVI. super Johannem* Paulo *I. ad Corinthios X.* adclamantem. Non enim Xystus ex laudatis monumentis voluit inferre Patres Veteris Testamenti eandem nobiscum spiritalem Escam, Eucharistiam, nimirum comedisse, eodemque modo, ac nos illius participes sumus, sed dumtaxat in mysterio, in figura, non in re: manna quidem typus fuit Eucharistiae, & petra, ex qua educta fuit aqua, Christum praefigurabat; hinc Augustinus *ibidem* ait „ Sacramenta illa fuerunt, in figuris diversa, sed in re, quae significatur, paria, „ & Apostolus id clarissime manifestat dicens *ibidem v. 6.* „ Haec autem in figura facta sunt nostri „ Spiritalem escam porro Apostolus vocat manna, sed origine, non natura, quia nimirum praeter humanum modum Angelorum ope fuit ministratum, quapropter Psalm. LXXVII. manna dicitur *Panes Angelorum*, quam vero longe abeat Hebraeorum manna ab Eucharistia Christianorum bene norunt qui Christiana professione censentur, & ideo N. Xystus ibidem discrimen adsignat. Legesis Estium, & N. Natalem *in I. ad Corinth. X.*

ANNOTATIO CXCVIII.

Jesus autem perrexit in montem oliveti. *Joan. 8. v*

THOMAS Cajetanus, expositionem praesentis capituli aggrediens, ADVERTE, inquit, quod haec prima pars hujus capituli cum tota historia adulterae non est omnino authentica: quoniam non constat, ipsam esse partem Evangelii, &c. Ambrosius libr. 3. hanc Cajetani sententiam hujusmodi censura notavit: De historia adulterae, quod irrationabile sit illam secare ab Evangelio, aut asserere non authenticam, & hoc tantum, quod in aliquibus codicibus olim non reperiretur, cum tot saeculis, & ab omnibus sanctis Doctoribus recepta sit, & praedicata, ac sermonibus ecclesiasticorum celebrata, ut vera & evangelica, non puto pii ac simul prudentis cordis esse, existimare, ac longe minus docere. Quod vero adjicit, ut illud studeret, quod non sit continuario sequentis historiae cum hac, vere stomachum mihi movit; imo haec interpositio hujus historiae notam fecit nobis rem ipsam, sine qua manca esset narratio. Nam in superiore capite dicitur, quod unusquisque illorum reversus est in domum suam: in hoc vero dicitur de Jesu, quod perrexit in montem oliveti, & postea, quod venit in templum, & quod tunc ex malignitate nonnulli ex malevolis adduxerunt ad eum illam adulteram, ut impedirent ejus doctrinam; sed Dominus elusit eos, & consequenter factus est locus doctrinae: & bene sequitur, ITERUM ergo locutus est eis: ut hic videas ita catenatum sermonem, ut siquid omittas proculdubio mancus appareat, aut saltem sermo non continens, sed initium proprium habens. (a)

An principium VIII. Capituli Joannis sit authenticum.

Joan. 8. b

(a) Aliquam fortasse promerebitur excusationem Card. Cajetanus, promerebuntur quoque qui eum eodem senserunt circa historiam mulieris adulterae, quia nondum eorum tempore procusum erat decretum Sacrosancti Concilii Tridentini *de Canone Scripturarum sess. IV.* nos dum iis ea proparula erant monumenta, quae nobis hodie suppetunt ad dubietatum omnem averruncandam; quinimo vel ex eo forte fortuna majorem promerentur veniam, quia in nonnullis codicibus, iisque vetustis, praesertim in celeberrimo Vaticano deerat praefata Historia, ac plures Graeci PP. Origenes, Clemens Alexandrinus, Chrysostomus, Nonnus, & Theophylactus, qui in Johannem Commentarios scripserunt, nec verbum de ea historia in laudatis commentariis habuerunt, ut adnotavit Cl. Johannes Maldonatus in *cap. 8. Johannis.* Richardus Simonius itidem *cap. 13. Hist. Critic. Novi Testam.* citat multos, quos vidit, MSS. Codices Graecos Bibliothecae Regiae, & Bibliothecae Colbertinae, in quibus haec de muliere adultera historia non extat. At impraesentiarum ea de re nemo Sapiens, nemo recte sentiens (si dumtaxat Samuelem Basnagium cum paucis nequioris Criticos viris excipias) sive ex Romana communione sit, sive extra illam vivat, contraire audet: heihe innumeri ex utraque Acatholicorum schola, imo cujuscumque Sectae, acerrime hanc historiam Johanni Evangelistae Synchrono Authori vindicant, nimirum Johannes Calvinus *in Joh. VIII. cap.* Centuriatores Magdeburgenses cent. 1. Lib. 1. *cap.* 4. & *X.* Theodorus Beza *Annot. in cap. 7. Joh. v. 33.* Franciscus Gomarius *in cap. VIII. Joh.* Federicus Spanhemius *Dub. Evangel. dub.* 108. Johannes Millius Proleg. 25. 233. 552. & 291. Johannes Seldenus *Uxor Hebraic. lib.* 3. cc. Carolus-Aloysius Beausobre *T. X. Disser. Histor. Critic. Theolog. in Vet. & Nov. Test. discurs.* 35. aliique innumeri, qui propterea cavillos adversariorum exsufflant. I. Quia in omnibus Latinis editionibus extat, extatque in Syriaca, Arabica, Coptica, aliisque versionibus; nec non in purgatissimis vetustisque Graecanicis exemplaribus, quae laudant Theodorus Beza, & Robertus Stephanus. II. Quia vetustissimi Ecclesiae PP. uti Canonicae scripturae partem laudarunt historiam praefatam. Tatianus namque, & Hammonius, qui Harmoniam Evangelicam concinnarunt, eam historiam percensuerunt inseruerunt que. Eusebius in suos Canones transtulit, Auctor Constit. Apostolic. *lib. 2. cap.* 24. S. Ambrosius Lib. 3. de *Spir. S. c.* 2. & *Lib.* 7. *epist* 58. & *Lib.* 9. *ep.* 74. Author Synopseos sub nomine Athanasii, S. Joh. Chrysostomus *Hom. LX. in Johan.* Euthymius *Com.* in *Johan.* S. Augustinus *Tract. XXXII. in Joh. Lib. II. de adulter. conjug. c.* 6. & pluribus aliis in locis, S. Hieronym. *Lib. 2. contra Pelagian.* aliique omnes posteriores. III. Quia nil obstat, quod in Templo Christum adierint Judaei illuc deferentes adulteram, quia in exteriori parte id factum fuit, ubi invenit vendentes & ementes columbas &c. ubi Judaei tulerunt lapides, ut jacerent in eum. IV. Quia etsi exterior illa pars fuerit marmoreis lapidibus strata, bene ex concursu populi adventantis, re vera pulvere erat respersum pavimentum, super quem pulverem scribere poterat: nisi dicas signo indigitasse scripturam, & simulasse, non perfecisse. IV. Quia, etsi tunc temporis jus gladii fuisset ab Hebraeis avulsum, (qui tamen occiderunt gladio Jacobum Fratrem Domini, & Stephanum lapidarunt &c.) tamen Christus dum ait: „ qui sine peccato est vestrum primus in „ illam lapidem mittat „ non facultatem fecit Judaeis illam occidendi, quin potius ex adverso ex eo liberavit illam a nece, quia nemo accusantium erat criminis expers. Cetera autem ab Heterodoxis objecta, & ab eruditis ventilata, consule apud Catholicos Scriptores Card. Baronium *ad An. Christi 99. n. 6.* Richardum Simonium *Hist. Critic. Nov. Test.* Calmetum *Comment. in Job.* Maldonatum, Cornelium a Lapide, N. Natalem, aliosque *ibidem*.

ANNOTATIO CXCIX.

Quo ego vado, vos non potestis venire. Joan. 8. c

An peccata omnia aliquando remittenda sint. ORIGENES Tomo in Joanoem decimo octavo, dum exponeret hunc locum, obiter loquens de blasphemia in Spiritum Sanctum, dixit, quod licet peccatum illud non remittatur neque in hoc saeculo, neque in futuro, tamen in saeculis, qui futurum saeculum sequentur, aliquando remittetur. Habet hoc ipsum a catholicis reprobatum dogma compluribus in locis, praecipue vero in primo Periarchon volumine.

ANNOTATIO CC.

Si manseritis in sermone meo, &c. Joan. 8. d

De lectione Sacrae Scripturae. CHRYSOSTOMUS homilia in Joannem 52. hoc enarrans, censet lectionem divinae scripturae omnibus necessariam esse ad salutem. Lege, quae de hoc perscripta sunt, Aonotat. 152.

ANNOTATIO CCI.

Principium, qui & loquor vobis. Joan. 8. c

Principium. THOMAS Cajetanus hoc loco reprehenditur ab Ambrosio, quod pro particula, quae Graece legitur τὴν ἀρχὴν, & io vulgata editione habetur principium, ipse, mutata non solum voce principii, sed etiam ejusdem vocis sensu legat, Imprimis: idque exponat non tanquam nomen, ut exposuerunt Ambrosius & Augustinus; sed ut adverbium, quemadmodum legit Erasmus. Damnavit hoc ipsum in Erasmo Eduardus Leus in Annotationibus & censuris, adversus eundem Erasmum editis; cujus rationes brevitati studens omitto.

ANNOTATIO CCII.

Omnis, qui facit peccatum; servus est peccati. Joan. 8. d

Num Sacerdotes habeant potestatem remittendi peccata. THEOPHYLACTUS io commentariis, hoc interpretans, ait: SED peccati gravior servitus est, a qua solus Deus liberare potest: remittere enim peccata solius est Dei: ideo dicit, Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati: & vos igitur servi estis, quia peccatores. Insuper quia verisimile erat illos dicere, Quamvis tali servituti simus obnoxii; habemus tamen sacerdotes, qui purgabunt

Rom. 3. c. nos a peccatis; dicit, quod & illi servi sunt: Omnes enim peccaverunt, & indigent gloria Dei: & sacerdotes vestri, quoniam & ipsi servi sunt, non habent potestatem aliis dimittendi peccata: quod & ipse Paulus manifestius dicit: Opus

Hebr. 5. a. habet sacerdos pro se ipso offerre, sicut pro populo, quia & ipsi infirmitati obnoxius est. Citatur passim a Lutheranis hic locus, & in Collectaoeis Bodii tecensetur inter eos, qui ab iisdem haereticis obiicitur adversus auctoritatem, quam habent sacerdotes remittendi peccata. Atqui Theophylacti verba palam arguunt, eum non loqui de sacerdotibus Evangelicis, sed de Mosaicis; de quibus etiam

Hebr. 10. b. Paulus dixit non potuisse eos peccata dimittere: nostri vero sacerdotes, nobiliorem sortiti dignitatem, jus habent solvendi ac ligandi; vereque etiam peccata remittunt, non tanquam praecipui auctores hujusmodi remissionis, (solus enim Deus, qui solus creator est, justificantis gratiae hoc modo delicta condonat) sed tanquam ministri ac dispensatores divinae indulgentiae. Vide supra Annot. 62. libri quinti, & 71. libri hujus.

AN-

ANNOTATIO CCIII.

Scio, quia semen Abrahae estis. Joan. 8. e

ORIGENES in principio Tomi vigesimi in Joannem occasione hujus particulae docet, animas, venientes in hanc vitam, adducere secum diversas rationes seminales, tam justas, quam injustas. Scribit autem sic: QUONIAM autem ex moribus & factis, Abrahae filii judicantur; haud scio, an quibusdam rationibus seminis, quae sparguntur & inseruntur, nonnullis, ut arbitror, animis eos, qui Abrahae semen sunt, designari & quasi delineari oporteat: quod si quemadmodum habita ratione corporis, non omnes homines Abrahae semen sunt: sic ex iis, quae modo de illo, quinam sint semen Abrahae, explicabantur, perspicuum est, non omnes homines plane cum iisdem seminis rationibus, quae sparsae & satae sint in eorum animis, in hominum vitam venire. Horum autem causam ex magnis judiciis, & quae aegre exponi possunt, quaeque ab iis cernuntur, qui Christi sensum, mentemque acceperunt, ut ea, quae ipsis a Deo donata sunt, sciant, pauci possunt comprehendere, qui magna cum diligentia & cura ea, quae ante ortum, & quae in ortu eveniunt, de quoque explicaverunt.

Num animae venientes in mundum afferant secum rationes seminales.

ANNOTATIO CCIIII.

Non a me ipso veni, sed ille me misit. Joan. 8. e

ORIGENES commentariorum in Joannem Tomo 20. ita hanc periodum interpretatur, ut innuat, animam Christi prius fuisse in coelo beatam, dein de a patre missam in uterum Mariae, ut inde carnem assumeret. Verba ejus haec sunt: NEC hoc loco praetereunda est de anima disputatio: fortassis enim filii anima, cum in perfectione sua esset, in Deo erat, & in plenitudine: atque illinc profecta, hoc ipso, quod a patre missa est, corpus ex Maria assumpsit. Aliae autem animae non ita a Deo perfectae sunt, id est non missae sunt, nec permissae Dei voluntate. (a)

Anima Christi an prius fuerit in coelo, quam in carne.

ANNOTATIO CCV.

Eamus & nos, & moriamur cum eo. Joan. 11. b

ORIGENEM, hunc locum in Tomis enarrantem, Theophylactus in commentariis deridet his verbis; ORIGENES autem dicit de Thoma somnium quoddam. Thomas enim, cum audisset prophetias de Christo, & didicisset, quia & cum anima in infernum descensurus esset ad liberandas animas, postquam audivit Christum dicentem, Vado, ut exuscitem Lazarum, putavit non aliter suscitari eum, hoc est liberari animam ejus, nisi & ipse, corpore deposito, in infernum descendisset: ideo ut verus Christi discipulus, neque in hoc volens a magistro avelli, vult & se & alios condiscipulos deponere sua corpora, ut descendant cum Jesu, qui positurus erat animam suam, sicut suspicabatur, ut ex inferno reduceret amici animam. Hanc ridiculam enarrationem apposui, ut pudore confunderem eos, qui Origenica commendant.

De Thomae ad condiscipulos exhortatione.

ANNOTATIO CCVI.

Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis. Joan. 12. b

AUGUSTINUS tractatu in Joannem quinquagesimo, praesentem clausulam excutiens, duo habet loca, ab haereticis nostrorum temporum inique usurpata;

An Petrus claves in persona propria receperit.

(a) Quae hic Origenes habet adcensenda sunt ceteris id genus ejus commentis nuper explosis. Videsis pariter S. Thomam III. P. Qu. XXXIII. Art. II. & III.

pata ; unum ad eversionem primatus Petri , alterum ad abolendam veritatem sacratissimae Eucharistiae.

PRIMUS locus innuere videtur Christum non dedisse Petro claves in persona propria , sed in persona totius ecclesiae ; ac si omnes boni , qui in ecclesia sunt , claves habeant , ac parem cum Petro clavium potestatem. Verba ejus haec sunt :

Matth. 16. 18. TIBI dabo claves regni coelorum : quaecunque solveris , &c. Si hoc Petro tantum dictum est ; non facit hoc ecclesia : si autem & in ecclesia fit , ut quae in terra ligantur , in coelo ligentur ; & quae solvuntur in terra , solvantur in coelo ; si hoc in ecclesia fit , Petrus quando claves acccepit , ecclesiam sanctam significavit : sic in Petri persona significati sunt in ecclesia boni,&c.Hunc locum adversus Romani Pontificis primatum adducit Joan. Calvinus Institutionum suarum cap.8.

Haec habet Johannes Calvinus Lib. IV. Initit cap VI. n. 4.

SECUNDUS locus , qui verum Christi corpus videtur ab Eucharistia excludere , habetur in his verbis: PAUPERES semper habebitis vobiscum , mè autem non semper habebitis: loquebatur Christus de praesentia corporis sui ; nam secundum majestatem suam , secundum providentiam , secundum ineffabilem & invisibilem gratiam impletur , quod ab eo dictum est , Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi . Secundum carnem vero , quam verbum assumpsit , secundum id , quod de virgine natus est , secundum id , quod a Judaeis comprehensus est ,quod ligno confixus , quod de cruce depositus , quod linteis involutus ,quod in sepulchro conditus , quod in resurrectione manifestatus, Non semper habebitis me vobiscum . Quare ? quoniam conversatus est secundum corporis praesentiam quadraginta diebus cum discipulis suis , & eis deducentibus videndo,non sequendo ascendit in coelum,& non est hic. Ibi enim sedet ad dexteram patris,& hic est.Non enim recessit praesentia majestatis aliter secundum praesentiam majestatis semper habemus Christum : secundum praesentiam carnis, recte dictum est discipulis , Me autem non semper habebitis . Habuit enim illum ecclesia secundum praesentiam carnis paucis diebus ; modo fide tenet , oculis non videt .

Matth. 28. 20.

DE PRIMO loco , haereticis respondendum est , quod licet Petro datae sint claves in persona totius ecclesiae ; non tamen inde sequitur, ut omnes , qui in ecclesia sunt , claves habeant , & parem clavium cum Petro potestatem : quarum profecto nullus esset usus , si omnes haberent : sed verborum sensus est , claves datas esse non tantum ipsi Petro , sed Petro in persona ecclesiae,hoc est non in unius tantum Petri usum , dignitatem , & commodum , sed ut Petrus iis uteretur in utilitatem ac beneficium totius ecclesiae ; ne sibi uni tantum prospiciens , clavium potestatem in tyrannicam potentiam verteret.Lege Annot.68.& 221. libri hujus.

Quomodo Petro datae sunt claves nomine Ecclesiae.

SECUNDUS locus interpretandus est de praesentia corporis Christi mortali ac visibili , secundum quam non amplius Christum habemus ; quem tamen secundum gloriosam , nobisque invisibilem ejusdem corporis praesentiam in sacramento altaris habemus eo modo , quo supra explicatum est Annotatione 196.

A N N O T A T I O CCVII.

Hi ergo accesserunt ad Philippum . *Joan.* 12. c

De Philippo, qui gentiles ad Christum duxit , quisnam fuerit.

THOMAS Aquinas in commentariis super Joannem , qui ejus esse dicuntur , affirmat Philippum Apostolum , qui Gentiles duxit ad Christum , eum esse, quem Lucas octavo capite Actuum refert Samaritis praedicasse , & Eunuchum reginae Candacis baptizasse . Adversatur huic sententiae Eusebius libro 2. eccl. historiae capite primo ; Chrysostomus homilia 18. in Actus , dicens eum fuisse unum ex septem diaconis secundum a Stephano : idem confirmat in collectaneis Oecumenius , asserens eum Samaritis contulisse baptismum , Spiritum Sanctum vero nequaquam : quia hoc munus non pertineret ad diaconos , sed ad Apostolos , a quibus postea missi sunt Petrus & Joannes , qui spiritum confirmationis manuum impositione Samaritanis tribuerent ; quem Philippus, quia non erat Apostolus, praestare non potuit:id ipsum Beda in commentariis Apostolicorum Actuum comprobat .

AN-

ANNOTATIO CCVIII.

Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis. Joan. 14. b

EUTHYMIO, in commentariis haec interpretanti, Joannes Hentenius, ejusdem scholiastes & interpres, impingit dogma recentium Graecorum de processione Spiritus Sancti a solo Patre, accepta conjectura ex eo, quod auctor, hunc locum exponens, hac forma loquendi usus sit; SPIRITUS Sanctus datur a Patre, utpote ab illo procedens, mittitur vero a Filio, quasi cooperans, & non contrarius. Et rursum in expositione capitis decimi quinti idem repetit, dicens: PROCEDIT itaque Spiritus Sanctus a Patre, tanquam de ejus substantia: ideo, quae Patris sunt, novit, sicut & Filius &c. Caeterum quanti aestimanda sit hujusmodi conjectura, & an propter ipsam Euthymius in errorem Graecorum protrahendus sit, alii me doctiores judicent. Vide Annot. 187.

Spiritus Sanctus num a solo Patre procedat.

ANNOTATIO CCIX.

Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Joan. 13. a

JOANNEM FERUM in commentariis haec explicantem, Dominicus Sotho idcirco vitandum monet, quod Lutherano more sentire videatur, nec baptismo nec alia via tolli omnino peccata, sed post justificationem manere semper originalem culpam & actualia peccata, propter fidem tamen non imputari. Hunc autem errorem air infrascriptis Feri verbis contineri. Caeterum movere aliquem posset, quod Christus addit, Sed est mundus totus. Quomodo enim mundus totus, qui adhuc jubetur pedes lavare? immo quomodo mundus totus, qui baptizatus est, cum scriptura asserat ubique neminem sine peccato esse? Et quidem verissimum est, quod nemo sine peccato est: nihilominus tamen verissimum est, quod totus mundus est, quisquis per fidem purificatus est. Is enim, quia corpori Christi insitus est, Christi sanctitatem & puritatem per fidem participat & possidet. Hinc Paulus credentibus dicit: ABLUTI estis, sanctificati estis per nomen Domini Jesu. Et iterum: NIHIL damnationis est his, qui sunt in Christo Jesu. Hinc iidem Christo insiti dicuntur sancti propter fidem, nomen, & sanguinem Jesu Christi. Interim tamen in se ipsis nihil sunt, nisi peccatores, & multum quidem peccatorum habent adhuc, sed nihil damnationis, quia apud Deum mundi reputantur propter fidem in Christum. Hinc Paulus, MENTE, inquit, servio legi Dei, carne autem legi peccati. Haec auctor: cujus patrocinium Mihaël assumens, ita contra Sothum loquitur: AB HIS verbis quis non videt haereticum sensum procul abesse, quo delicta in peccatore permanere dicuntur? quod hoc loco auctor insinuat, hoc est profecto, quod etiam suscepto baptismi lavacro, si nos ipsos, naturamque nostram consideremus, nihil sumus aliud, quam peccatores, si non vera fide & Christiana, profligata delicta evanescant. Fides enim Christiana est unicum divinae dilectionis aucupium; qua, inquam, una alioqui foedi & abominabiles divinae voluntati placemus. Peccamus ergo quotidie etiam suscepto baptismo: verum per Christi fidem nobis delicta donantur, ita ut quae alias nos aeterno incendio damnarent, nihil in nobis damnationis efficient, dicente Christo: QUI credit ei, qui me misit, habet vitam aeternam, & in judicium non venit; sed transiet a morte ad vitam. Itaque fides Christiana cum universum Christianae justitiae negocium includat, poenitentiam quoque eorum delictorum, quae carnis fragilitate committimus, in se claudit, non tantum apud auctorem, sed apud Paulum, qui millies nos per fidem justitiam acquirere repetit: alioqui, qui potuit auctor hujus erroris accusari, qui eodem verborum contextu, tam catholice de poenitentia loquatur, dicens per illam pedes nostros abluendos quotidie; quoniam illa post post batismum quotidiana peccata emundet, & quoniam sit secunda tabula post naufragium, adducens divinum praeceptum, LAVAMINI,

An post baptismum originale peccatum, & post justificationem actualia peccata remaneant.

I. Cor. 6. 11.

Rom. 8. 1.

Rom. 7. 25

Joan. 5. 24

Isai. 1. 16.

LAVAMINI, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis? &c. Qui etiam Lutherani dogmatis de delictorum permanentia potuit suspectus haberi, qui tot locis tam pie de peccatorum satisfactione praecipit? enimvero qui hoc Lutherano dogmate sunt infecti, poenitentiam rejiciunt, satisfactionem excludunt, merum fidei assensum, & intellectus obsequium peccatorum medicinam sufficientissimam arbitrantur: an qui credit quotidiana delicta per poenitentiam mundari, & lavari, credit delictorum in peccatore permanentiam, praesertim ex pedum ablutione sumpta metaphora, ubi apertum erat in ablutione ipsa sordes detergi?

CUR ergo differentiam corporeae & spiritalis ablutionis, illo loco non prodidit, si spiritales sordes in animo peccatoris manere credebat; pedum vero inquinamenta post ablutionem detergi? sed quid malum? qui apertissime credit ex Esaiae vaticinio per poenitentiam auferri mala a cordibus, (hoc est ab anima) censendus est permanentiam delictorum cum Lutheranis probare? Sed nihil tam bene & exacte dictum, quin quibusdam ad hoc natis calumniandi cuniculus pateat. Habes huc spectantia inferius Annot. 216.

An pedum ablutio sit necessaria ad salutem. REVOCAT mihi in memoriam propositus evangelii locus & praesentis annotationis occasio verba quaedam Ambrosii de peccato originis, post ablutionem sacri fontis adhuc remanere; quae si adhuc adscripsero, arbitror me nihil facturum ab instituto alienum.

S Ambrosius Lib III. de Sacramentis cap. 1. n 4. AMBROSIUS Mediolanensis episcopus, praemissam enarrans evangelii particulam decernere videtur lotionem pedum ita esse post emersionem ex fonte baptismatis necessariam, ut nemo baptizatus sine ea servari possit: quia sicuti aliqua fontis immersione actualia peccata non remittuntur, ita sine pedum ablutione peccatum originale non relaxatur. Ejus verba in tertio libro de sacramentis haec sunt. Ascendisti de fonte, quid secutum est? Audisti lectionem, succinctus est sacerdos, licet enim & presbyteri fecerint, tamen exordium ministerii a summo est sacerdote. Succinctus, inquam, summus sacerdos pedes tibi lavit: Quid istud mysterium? Audisti utique quia dominus cum lavisset discipulis aliis pedes, venit

Joan. 13. 6. ad Petrum, & ait illi Petrus. Tu mihi lavas pedes? vide omnem justitiam, vide humilitatem, vide gratiam, vide sanctificationem. Nisi lavero, inquit, tibi pedes,

Ibid. v. 8. non habebis mecum partem. Non ignoramus quod ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, cujus typum in omnibus sequimur & formam, hanc tamen consuetudinem, non habet, ut pedes lavet: vide ergo ne forte propter multitudinem declinaverit. Sunt tamen qui dicant & excusare conentur, quia hoc in mysterio faciendum est, non in baptismate, non in regeneratione, sed quasi hospiti pedes lavandi sint. Aliud est humilitatis, aliud sanctificationis. Denique audi quia mysterium est & sanctificatio. Nisi lavero tibi pedes, non habebis partem mecum: Hoc ideo dico, non qui alios reprehendam, sed mea officia ipse commendem: In omnibus cupio sequi ecclesiam Romanam, sed tamen & nos homines sensum habemus. Ideo quod alibi rectius servatur, & nos recte custodimus, ipsum sequimur Apostolum Petrum, ipsius inhaeremus devotioni. Ad hoc ecclesia Romana quid respondet? utique ipse auctor est nobis hujus assertionis

Ibid. v. 9. Petrus Apostolus, qui sacerdos fuit ecclesiae Romanae. Ipse Petrus ait: Domine non solum pedes, sed etiam manus, & caput. Vide fidem, quod antea excusavit humilitatis fuit: quod postea se obtulit, devotionis & fidei. Respondit illi dominus

Ibid. v. 10. quia dixerat manus & caput. Qui lavit, non necesse habet, iterum lavare, nisi ut solos pedes lavet: Quare hoc? quia in baptismate omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa; sed quia Adam supplantatus a Diabolo est, & venenum ei effusum est supra pedes, ideo lavas pedes, ut in ea parte, in qua insidiatus est serpens, majus subsidium sanctificationis accedat, quo postea te supplantare non possit: lavas ergo pedes ut laves venena serpentis. Eandem sententiam clarius comprobat in libro de iis, qui mysteriis initiantur, cap. 6. haec scribens. Ascendisti de fonte, memento evangelicae lectionis; etenim dominus Jesus lavit pedes discipulis suis: & quando venit ad Symonem Petrum, ait Petrus: non lavabis mihi pedes in aeternum. Cui respondit Dominus: Si non lavero tibi pedes non habebis partem mecum: Quo audito, Petrus, Domine non tantum pedes, inquit, sed manus, & caput.

Respondit

Respondit Dominus: Qui lotus est non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Mundus erat totus, sed plantam lavare debebat: habebat enim primi hominis de successione peccatum, quando eum supplantavit serpens, & persuasit errorem: Ideo planta ejus abluitur; ut haereditaria peccata tollantur; nostra enim propria per baptismum relaxantur. Hactenus ille. Exploditur haec opinio cum ecclesiarum omnium inveterata consuetudine, cum communi assensu theologorum, quibus in confesso est, omnia simul peccata eodem temporis momento dimitti, & uno dimisso remanere alterum non posse. Quia & ipse Christi sermo, & actio palam arguunt eum pedes discipulorum non eo fine lavisse, ut sacramentum baptismatis, quod illis antea integre, & absolute contulerat, veluti nondum absolutum compleret nova pedum ablutione, sed ut eis exemplum eximiae humilitatis suae proponeret imitandum. Atque huc tendit postremus ille verborum Christi epilogus, si ego lavi pedes vestros Dominus & magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes: exemplum enim dedi vobis ut quemadmodum ego feci ita & vos faciatis. Quod autem prius a Servatore dictum fuerat, Qui locus est, non indiget nisi ut pedes lavet, non est ad corpoream pedum ablutionem referendum, sed, quemadmodum Augustino placet, ad spiritualem emundationem humanorum affectuum, quibus humi assidue inhaeremus ac terrae sordibus inquinamur. Caeterum ut Ambrosiana dicta, quemadmodum par est, amice interpretemur, verisimile est Ambrosium per peccatum illud, quod is ex successione haereditarium vocat, & venenum serpentis Adae pedibus infusum appellat, non significasse culpam originalis peccati, sed ejusdem peccati fomitem, qui delata culpa adhuc in baptizatis remanet: hunc enim & Paulus peccati appellatione frequenter designat: praesertim cum de seipso jam regenerato, & sanctificato iterum atque iterum repetit: Scio quod peccatum in me habitat. Credibile est etiam ipsum existimasse pedum ablutionem esse a baptismate necessariam, ac non ad eam sanctificationem, quae in baptismo donatur, suscipiendam, sed ad sanctificationis jam in baptismo susceptae praesidium, & incrementum. Neque hunc sensum respuere videtur auctor ipse cum inquit, In baptismo omnis culpa diluitur, recedit ergo culpa, & caetera quae deinceps sequuntur.

Ibid. 14. 15.

Rom. 7. 20.

ANNOTATIO CCX.

Et alium Paracletum dabit vobis. Joan. 14. b

JOANNES FERUS in commentario loci hujus, expendens, qua ratione Spiritus Sanctus paracletus appellatur, inter alia, quae in hanc sententiam adduxerat, illam etiam causam assignarat, quod credentes certificet, velut arrhabo & pignus. Quam assertionem Dominicus Sotho reprehendit eeu ablandientem Lutheranis, asserentibus, quod omnes credentes certi sint se esse in gratia. Michaël vero ejus reprehensionem infrascripta confutatione refellit.

Num omnes credentes certi sint se esse in gratia.

HANC sententiam Censor noster Lutheranam perversionem appellat, quasi mitiori vocabulo, & qui sua novitate zelum non exprimeret, in catholici viri sententia (quaecunque illa foret) censenda non fuisset usurus: Sed ita habet jamdudum hominis ingenium, ut prius, quam rem intelligat, in pejorem sententiam praeciperet: at jam audi rationes, quibus auctori insultat triumphandus. LICET, inquit, quotquot habent fidem, habeant aliquod testimonium, quod sint filii Dei, non tamen certitudinem. DEINDE haeretici securius putant se esse in gratia, quam aliqui justi, licet fallantur. TERTIO denique, quoniam licet Spiritus Sanctus, auctore Paulo, testimonium perhibeat spiritui nostro, quod simus filii Dei: an tamen testimonium illud sit ab angelo Sathanae, qui se quandoque transfigurat in angelum lucis nescimus. Haec Sotho. Nobis vero quot modis certitudo distinguitur prius, deinde vero, de qua certitudine Paulus & auctor loquantur, est differendum.

Rom. 8. 16.

ERGO cum certitudo nihil sit aliud, quam quaedam animi firmitudo, qua cognitivae virtutes suis cognoscibilibus adhaerentes redduntur stabiles ex triplici medio, quo id fieri solet, triplicem certitudinem invenerunt sapientes. Est enim quaedam,

Variae species certitudinis. quaedam, quam, quoniam ab evidentia conquiritur, certitudinem evidentiae vocarunt: quam subinde distinxerunt triplicem, nimirum principii, conclusionis, & illam, quae non ab evidentia rationis, sed a sensu recte disposito derivatur. Primam talem dicunt, qualis de hoc principio, Omne totum est majus sua parte, habetur. Secundam, qualis ea, quam post discursum ex hac conclusione, quae ab illo principio derivatur, Terra major est totus mundus, possidetur. Tertiam demum eam dicunt, quae de sensibili debite approximato producitur, ut quod paries sit albus, quem proxime video, aut ferrum calidum, quod attrecto. Secundi generis certitudo est, quam quoniam a credulitate descendit, sine rei evidentia certitudinem fidei nostris theologis appellare complacuit: nec enim haec, sicut caeterae, a rei cognitione prius, deinde ab adhaesione, sed immediate ab adhaesione, producitur, qua animus auctoritate coactus credibili adhaeret. Hanc vero & duplicem ex duplici fide sanxerunt; quandam, quae a divina auctoritate, quandam vero, quae ab humana descendit. Primae exemplum proferunt certitudinem, quae de articulis fidei a Christianis habetur. Secundae vero eam, quae de Romae existentia propter hominis fide digni auctoritatem possidetur. Est demum & tertii generis certitudo, quam moralem & humanam certitudinem dicunt; quae cum sit multo praecedentibus imperfectior & debilior, ideo tamen certitudo vocatur, quoniam in suo genere animum in cognoscibili confirmet, & sanciat. Nec enim in rebus moralibus exacta illa certitudo potest heberi, quae vel a rei perfecta cognitione producitur, vel ab ipsa animi constitutione, & firmitudine manat, quales praecedentes habentur: sed moralis haec certitudo, quanto res naturales constantia, & invariabilitate rebus moralibus praestant, tanto est inferior evidentiae certitudine, quae manat ab illis; fidei autem certitudine omnino est inferior, quoniam inter utriusque certitudinis medium nulla est proportio. Naturalis certe certitudo & moralis, tantum a se distant, quantum evidentia moralis & naturalis, a quibus immediate pariuntur. Caeterum fidei certitudo cum ab evidentia non derivetur, nec ab aliquo naturali principio dependeat; ratione cujus sit comparabilis, nulla ratione eidem est comparabilis. Dividitur vero moralis haec certitudo in eam, quae a fortissimis argumentis, & firmissimo testimonio descendit, quae moralis evidentia, retento generico nomine, appellatur, & in eam, quae ab apparentibus indiciis derivatur. Prima certi sumus adulterium malum esse, quoniam tum humana ratiocinatione, tum humani generis auctoritate ejus pernicies & malitia probatur. Secunda vero, hominem post inveterata odia, a Socrate occisum certi sumus; quoniam licet eundem Socratem invadentem non viderimus, vidimus tamen juxta recens prostratum cadaver Socratem evaginato gladio consistere.

ATQUE haec de primo sint dicta: ex quibus parvo labore secundum habetur, de qua, inquam, certitudine auctor & sancta scriptura loquantur in hac parte, & quoties nobis de nostra praedestinatione, aut de assequenda divina amicitia propter aliqua opera nostra, certitudinem tribuunt. Certitudo enim illa evidentiae, quoniam a sensu, vel ab evidenti ratiocinio descendit, quae in credibilibus non habent locum, haud dubium procul est ab auctoris & Pauli sententia. Illa enim propria est illarum rerum, quas ratio sola metitur. SED nec illa, quae certitudo fidei vocatur, certi pro statu isto possumus esse, quod fuerimus nacti justitiam, aut divinam filiationem. De hac enim verissime traditur, quod nesciat
Eccles. 9. 10. homo an odio vel amore dignus sit, contra Germanorum haereticorum perfidiam.
Job 9. 21. Et alibi: SI simplex fuero, dicebat Job, hoc ipsum ignorabit anima mea. Species demum illa certitudinis moralis, quae non conjecturis, sed argumentis & rationibus innititur, licet alias sit usitatissima, & in sancta scriptura creberrima; tamen illa certi non valemus esse, quod in nobis spiritum Dei habeamus, quoniam hujus nulla sunt digna fide argumenta, nec testimonia, quibus in hominis mente causetur. Sive igitur Paulus Spiritum Sanctum testificari, &c. sive Ferus certificari nos per Spiritum Sanctum de divina filiatione tradiderint, quoniam non futilibus conjecturis Spiritus Sancti praesentiam, & specialem quendam divinae filiationis instinctum, justi interna quadam inspiratione persentiunt. Quod autem probabilissima conjectio & animi persuasio (qualis est haec) certitudo in scripturis

tis vocetur, quod tamen censor non satis calluisse videtur, ex multis tum veteris, tum novi testamenti locis colligitur. Pro multis tamen pauca quaedam adduxisse sufficiat, quando humana etiam loquendi consuetudo id reddit apertum. Judith ergo illa sapiens, Holophernem deceptura, ita de Bethulianis verba faciens, apud eundem dicebat: ET quoniam sciunt se offendisse Deum suum filii Israel, tremor [Judith. 11. 9. & seq.] tuus super ipsos est: insuper etiam fames invasit eos, & ab ariditate aquae jam inter mortuos computantur: denique hoc ordinant, ut interficiant pecora sua, & bibant sanguinem eorum, & sancta Domini Dei sui, quae praecepit Deus non contingi in frumento, vino & oleo: ac subinde, ERGO quoniam haec faciunt, certum est, quod in perditionem dabuntur. Ad Timothaeum praeterea scribens Apostolus, GRATIAS, inquit, ago Deo meo, cui servio, &c. & postea, ME- [2. Tim. 1. 3. 4. 5.] MOR lacrymatum tuarum ut gaudio implear, recordationem accipiens ejus fidei, quae est in te non ficta, quae & habitavit prius in avia tua Loide, & matre tua Eunice, Certus sum autem, quod & in te.

HIS haud dubium locis certitudo, quaedam conjectura vocatur, quae non a naturali evidentia, aut per fidem firma animi adhaesione, sed a conjectura probabili derivatur. Ex his ita jam adversus censorem licebit exurgere. Firmitas illa & animi adhaesio, quae manat a probabilibus conjecturis, catholica phrasi loquendi certitudo vocatur; quod ergo consequendae salutis probabilia signa contribuit, de ejusdem salutis consecutione certificat: Spiritus vero Sanctus dat nobis ea signa & conjecturas: certificat nos ergo de divina filiatione, & quod simus consecuturi salutem, quod auctor docebat. Et quid? an non id Apostolus ubique locorum insinuat? Profecto huc tendit, quod ad Galatas dicit: MISIT Deus Spiritum filii [Galat. 4. 6.] sui in corda nostra, clamantem, Abba pater. Et quod ex eodem Apostolo censor attulerat, Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod simus filii [Rom. 8. 16.] Dei. Quid enim est aliud Spiritum filii mitti in corda nostra, clamantem, Abba pater, quam interno quodam paterno susurro in nobis filialem quandam confidentiam progigni, quod simus in filiorum sortem & haereditatem vocati? Non auderemus (inquit Hieronymus in haec verba) dicere, Pater noster, qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum, nisi de conscientia spiritus habitantis in nobis. Et rursus, Quid est aliud spiritum testificari spiritui nostro, quod simus filii Dei, quam ex occulta quadam insinuatione divino quodam praesagio, nos in divinam filiationem & coelestem haereditatem (quae filiorum est sors) accitos esse conjicere?

AT INQUIT CENSOR, Non est homo certus, an illa testificatio sit ab angelo Sathanae. Verum multum diverse sentiebat, qui dicebat, Scimus, quia ve- [Joan. 21. 24.] rum est testimonium ejus. Et quomodo, quaeso, creatura creatoris sui amorosum eloquium non cognoscet? Aut quomodo Christi oves sui pastoris vocem, & internum sibilum non audient? aut quo pacto filius carissimi parentis non cognoscit loquelam? profecto apud Joan. Christus clamabat, QUI ex Deo est, verba Dei [Joan. 8. 47.] audit. Quibus ergo Spiritus, quod sint filii Dei, testificatur, internum Dei clamorem exaudient, ejusdem testimonium dignoscent a Sathanico murmure, quemadmodum balantis matris balatum agnellus a caeterarum ovium balatu dignoscit: quin & huc haud dubium spectare videtur, quod apostolica confidentia Paulus jactabat, certum se esse, quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque [Rom. 8. 38.] principatus, &c. eundem a Christi charitate moverent & abjungerent. Ex his enim affectibus, quos Christo crucifixus in se experiebatur, e strictissima illa cum eodem animi conjunctione, ex admiranda illa divinaque metamorphosi, qua totus fuerat in Christum conversus & transformatus, & denique ex veteris hominis antiquatione & interitu, quem in se certissime experiebatur, tanta divinae adoptionis & assequendae salutis certitudo manabat, ut illum in has stupendas hyperboles truderent. Atque in hunc sensum hunc locum exponit Augustinus libro De moribus ecclesiae, Theophylactus, in eorundem verborum commentario dicen- [Haec epistola nᵒ est Liberii R P. Vide quae supra dicta sūt de epistolis RR PP.] tes, ea e summo Christi amore, quem in se experiebatur, provenisse. In nostrum sensum profecto eadem Apostoli verba Liberius Pontifex in epistola ad omnes fideles usurpat ad se & ad alios eadem transferens, & Apostolum simul exponens, cum dicit: CONFIDIMUS autem de vobis, fratres charissimi, meliora & vicinio- [Hebr. 6. 9.]

ra

ra saluti, quia neque mors, neque vita, oeque angeli, neque principatus, neque instanria, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque creatura alia(magistro gentium docente) poterit vos separare a charitate Domini nostri Jesu Christi, & , quae est in ipso, recta fide. Hactenus Liberius, Ubi vides in eandem sententiam allatum locum apostoli ad Hebraeos.Nec mirum, est enim utriusque idem sensus, nisi quod ad Romanos de se ipso, ad Hebraeos vero de aliis Apostolus loquebatur. Verbum enim πείθω, quod utroque loco ponitur, idem est, quod confido, certus sum, &c. & de morali hac certitudine Apostolum verba facere videas, statim causam subdit, quare sibi hoc persuaserit. NEC enim, inquit, injustus est
Hebr. 6. 10. Deus, ut obliviscatur operis vestri, & laboris, & dilectionis: qui ministrastis sanctis & ministratis. Ex divinae justitiae rectitudine, haud dubium, persuasus erat Apostolus, Hebraeos vicina & propinqua saluti possidere, quae sunt illa, quae nos ad perpetuae salutis statum disponunt. Quod si hoc de integro populo pronunciare licebat Apostolo: cur absque Lutheranae perversionis suspicione, viro catholico de justis dicere, quod per spiritum certificentur de divina filiatione, praesertim cum apostolicae doctrinae suffragio, non licebit pronunciare? &c. Hucusque Medina.

ANNOTATIO CCXI.

Spiritus veritotis, qui a Patre procedit, &c. *Joan. 15. d*

EUTHYMIUS, quid hoc loco de processione Spiritus Sancti a solo patre sensisse putetur, vide supra Annotatione 187.

ANNOTATIO CCXII.

De peccato quidem quia non crediderunt, &c. *Joan. 16. a*

Num sola fides ad salutẽ sufficiat. JOANNES FERUS in commentariis, haec verba elucidans, SOLIS, inquit, meritis Christi salvamur: horum autem meritorum per solam fidem participes efficimur. In hac sententia Dominicus Sotho particulam illam, PER SOLAM FIDEM, cavendam esse admonet, quoniam ex ea colligi possit, solam fidem sufficere ad salutem,qui Lutheranorum est error. Huic censurae occurrens Michaël, sic scribit. VERUM, quam sit haec catholica phrasis in praecedentibus, ex multis auctoribus in lucem produximus: unde quod ex dicto auctoris concludit, quod per solam fidem salvemur, libenter concedimus, dum de fide Christiana, quae dilectionem & opera includit, de qua semper vel nolens videt, auctorem loqui id intelligat. Lutherani autem non de hac fide, sed de infoecunda & informi credulitate loquuntur, quando haeretici justitiam, aut felicitatis consecutionem fidei attribuunt: quin & auctor, ut ex ejus verbis colligitur, hoc sensu per solam fidem participes meritorum Christi nos fieri docet: quod nec natura, nec aliquo alio praeter Christi fidem eorundem participatio contingat: sola enim fides Christi est, per quam Christo inseri, & unum cum ipso effecti, ejus virtutem & merita participamus. Quem sensum, cum tamen planissime ex auctoris verbis colligeretur, nescio quo pacto Lutherana suspicione potuit maculari. Carpit deinde aliud auctoris dictum, quo docuerat incredulitatem omnia etiam in specie bona facere ingrata, quasi dicat omnia infidelium opera esse peccata: dicuntur enim ingrata quaecunque a Christiaoa fide non producuntur, non quia displiceant Deo, quod ad rationem peccati requiritur, sed quia oon placeant juxta illud, Sine fide impos-
Hebr. 11. 9. sibile est placere Deo.

ANNOTATIO CCXIII.

Clarifica me pater claritate, quam habui prius, quam mundus esset. *Joan. 17. a*

Num Christus inceperit esse. AUGUSTINUS tractatu in Joannem 105. PRIUS, quam mundus, inquit, esset, nec nos eramus, nec ipse mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus,

Jesus, &c. Hunc locum disputationis gratia a scholasticis inductum D. Thomas in tertio Summae volumine, quaestione 16. art. 9. examinans, inquit eam propositionem, quam ex his verbis quidam astruunt, nempe Hic homo, demonstrato Christo, incepit esse, abhorrere a Christiana pietate, si nihil ei addatur, & Arianum dogma resipere; quia cum Christum dicimus, aeternam ejus hypostasin designamus, cujus aeternitati repugnat incipere esse. Censet igitur Augustini sententiam intelligendam esse cum additione quapiam, ut dicamus, hominem Christum Jesum non fuisse ante, quam mundus esset, secundum humanitatem.

ANNOTATIO CCXIIII.

Manifestavi nomen tuum hominibus. Joan. 17. a

JOANNES FERUS in commentario docet his Christi verbis insinuari, non omnes homines credituros, sed eos solos, qui aeterna praedestinatione fuerant electi. Michaël Medina, praesentem expositionem a Sothi reprehensionibus vindicans, haec in Apologetico scribit: Hanc doctrinam sive de informi credulitate, sive de fide operante per dilectionem accipiatur, non minus, quam manifestariam haeresim, Dominicus Sotho pronunciat, cum reprobi etiam saepissime sint in gratia & charitate Dei, a qua postmodum lapsi perditum eunt: verum hoc damnare est aperte damnare Pauli doctrinam, qui ad Thessalonicenses scribens ita inquit: De caetero fratres orate pro nobis, ut sermo Dei currat, & clarificetur, sicut apud vos, & liberemur ab importunis & malis hominibus: non enim omnium est fides. Hic locus haud dubium de malis Christianis, qui cum fidem (ut inquit beatus Thomas in hunc locum) videantur habere, tamen non habent, intelligitur: quin & pro eodem sensu illud ad Romanos ibidem adducit, Non omnes credunt Evangelio; & illud, quod illic Paulus ex Esaia profert, Domine qui credit auditui nostro? Itaque cum perpetuo tenore auctor de vera fide veritate Christiana loquatur, & hac veritate vera fides tantum illa judicetur, quae habet efficaciam consequendae salutis, juxta illud, Qui credit in me, haber vitam aeternam, & in mortem non venit, &c. recte potuit dicere solos praedestinatos credituros, quoniam illi soli vera fide & stabili sint credituri. Hac enim veritate (quae tamen plana ac theologica phrasi est frequentissima) fides, quae ad horam est, etiam si mutabili & inconstanti dilectione formetur, qualis est reproborum fides, vera fides non appellatur. Vera profecto fides vera dilectione constat: vera autem dilectio illa tantum dicitur veritate morali, quae perseverantiam habet & permanentiam: ergo vera fides tantum electorum fides dicetur. Credunt, fateor, reprobi, sed ad horam: tempore enim tentationis recedunt: quam fidem, utpote quae radices non egit, veram fidem sancta scriptura non vocat: de verae etiam fidei ratione est fructus producere: fructus vero, Christo docente, alius trigesimus, alius quinquagesimus, alius sexagesimus, per quam differentiam diversi beatitudinis gradus signantur: quae igitur fructum gloriae fides non profert, vera fides Christo non erit. Demum hac ratione de incredulitate in sancta Scriptura reprobi accusantur, quoniam licet secundum externam faciem credidisse videantur: vere tamen non crediderunt, quia vel dilectione vera caruerunt aut constantia, quae, uti diximus, adeo est fidei verae connexa, ut in Scriptura fides pro fidelitate sumatur. Ecce, inquit Apostolus Petrus, ponam in Sion lapidem summum angularem probatum, electum, pretiosum: & qui crediderit in eum, non confundetur: vobis igitur credentibus honor & gloria; non credentibus autem lapis, quem reprobaverunt aedificantes, factus est in caput anguli, lapis offensionis, & petra scandali his, qui offenderunt verbo, nec credunt. Hic certe fides non pro quacunque fide, sed pro ea, quae aeternae foelicitatis efficaciter conferat praemium, accipitur: nec enim de alia potest intelligi, quod inquit, Qui credit in eum, non confundetur. Peccatores enim horaria fide credentes, tandem confunduntur. Idemque subinde apertius docet, cum inquit: Vobis igitur credentibus honor & gloria: temporariae enim fidei nequaquam honor & gloria debetur, sed constanti & fideli juxta illud, Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam gloriae. Cre-

Margin notes: Non soli praedestinati credant. — II Thes. 3. 1. — Rom. 10. 16. — Esai. 53. 7. — Joan. 5. 24. — Matth. 13. 23. — 1. Petr. 2. 6. ex Esaia cap. 28. v. 16. — Apoc. 2. 10.

dere igitur absolute, aut fides absolute, cum pro perfecto credere aut constanti fide sumatur, tantum erit eorum, qui ex divino decreto sunt ad coelestem beatitudinem accersiti: nam etiam si reprobi aliquando credant, aut diligant; quoniam tamen usque ad finem non credunt, aut diligunt, non vere credere, aut vere diligere dicuntur: unde recte subditur, Non credentibus autem lapis, quem reprobaverunt, &c. Non credentes illos appellat, quibus Christus factus est lapis offensionis, & petra scandali, qui haud dubium sunt reprobi. Paulus etiam, de reprobis quibusdam ad Timotheum scribens, Et destruet, inquit, illustratione adventus sui eum, cujus est adventus secundum operationem Sathanae, in omni virtute & signis & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis his, qui pereunt, eo quod charitatem veritatis non receperint, ut salvi fierent: ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, & judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. Non credentes veritati eosdem hic appellat Apostolus, qui consenserunt iniquitati; hos vero reprobos vocat. Et denique Judas Apostolus, Commonere, inquit, vos volo scientes semel omnia, quoniam Jesus populum de terra salvans, secundo eos, qui non crediderunt, perdidit. Hic profecto de reprobis loquitur, quos tamen absolute non credidisse pronunciat. Itaque quaerendus hic esset Sotho, an coargutio illa Spiritus Sancti, de qua Christus loquitur apud Joannem dicens, Arguet mundum de peccato, quoniam non crediderunt in me, de cunctis peccatoribus sit accipienda: quod si sit accipienda, peccatores igitur, teste Christo, in Christum non credunt. Deinde rogandus, an fidelis ille dicatur, aut amicus, qui horaria amicitia, aut fide illi fuisset conjunctus: quod si non diceretur, quoniam de ratione verae fidei & verae charitatis est permanentia & constantia; nec ergo vere credentes in Christum peccatores vocabuntur. Sed homo utique eodem morbo laborat, defectu nimirum humanae phrasis: omnia enim physica, aut metaphysica locutione confundit. Non igitur manifestaria haeresis est in hac parte Auctoris doctrina, sed Christi, & Apostolorum expressa sententia.

Haec habet Apostolus II. ad Thessalonicens. cap. 2. v. 8. & sequ.

Jud v. 5. Canonic. Epist.

Joan. 16. 8.

ANNOTATIO CCXV.

Tui erant, & mihi eos dedisti. Joan. 17. 6.

Num omnes credentes certi sint de gratia.

IOANNES FERUS, hanc periodum in Commentariis enarrans, NOLI, inquit, te in Deo, sed in Christo, in quo si te per fidem, & dilectionem inveneris, certus esto, te a Deo esse praedestinatum. Michaël Medina, Sothum haec verba damnantem, ita refellit: SOTHO hoc loco Ferum accusat erroris de certitudine gratiae in Tridentina synodo damnati: verum cum hic Auctor de morali certitudine more suo & omnium humane loquentium verba faciat, quae ab actibus, quos in nobis experimur, dependet, non est, cur illi error impingatur, nisi etiam sit impingendus omnibus, quos jam ostendimus multos hac phrasi usos: imo nisi sit damnandum universum genus humanum, quod certa ea vocat, quae ex humanis conjecturis deprehenduntur: verum est profecto ex viva fide, quam in nobis experimur, posse per conjecturas cognoscere, nos aeterni praemii consortes, quando scimus, a veraci magistro dictum, Qui credit in filium, habet vitam aeternam; & qui diligit me, diligetur a patre meo, & ad eum veniemus. Veram autem dilectionem & fidem nos in nobis posse cognoscere, nemo est qui dubitet, licet gratos nos esse Deo, aut gratiam infusam in nobis habere non possimus deprehendere. Itaque error Tridenti condemnatus non est, quod conjecturis & humanis rationibus dilectionem divinam, aut gratiam nos habere, possimus cognoscere, aut de divina praedestinatione praesumamus, divinis promissionibus applaudentibus; sed quod certitudine fidei quispiam hominum, seclusa divina revelatione, possit esse certus de divina gratia, aut praedestinatione.

Concil. Trid. Sess. VI. Ca. 16.

Joan. 6. 40.

AN-

ANNOTATIO CCXVI.

Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit, consummatum est. Joan. 19. e

JOANNI Fero hunc locum in Commentariis exponenti Dominicus Sotho Germanorum errorem impingit, quod scilicet docuerit remanere peccatum post justificationem, non tamen imputari. Id vero ex his dictis Auctoris conjicit: SIC & nostra salus consummata est, non pleno jure, sed in spe: coeptus est enim justificari & sanari homo, interim tamen dum justificatur & sanatur, non imputatur illi, quod reliquum est in carne peccatum propter Christum; qui cum sit sine omni peccato, jam unum cum homine factus interpellat pro eo apud patrem. Haec Ferus pro cujus defensione Michaël Medina Sothum his verbis redarguit: QUAM longe absit auctor ab hac calumnia, jamdudum docuimus: appellat profecto peccatum Paulino more singulari numero, naturalem eam peccandi libidinem, quae quotidie nos ad peccandum impellit; quam peccatum & non effectum peccati vocari, de Paulo quaeratur; qui eam loquendi consuetudinem primitus intulerit. Si tamen, inquit, quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Forsan Paulus nesciebat peccandi fomitem & carnalem concupiscentiam, non peccatum, sed effectum peccati vocandum. Jam quòd suspicionem illi confirmat, quod verbo imputandi Auctor utatur, eadem ratione Spiritum Sanctum suspectum illi efficiet, qui per os David beatum virum pronunciat, cui non imputavit Dominus peccatum: & per Ezechielem poenitentiam agenti & facienti judicium, & justitiam peccata non imputanda promittit: imo cur non illi fuerit suspectus Paulus, ex quo haec verba desumpsit, cum dicat, usque ad legem peccatum fuisse in mundo, non autem imputari. Jam inferat Sotho peccati permanentiam a Paulo, a David, ab Ezechiele post justitiam receptam probari, & eos protinus haereticos habebimus. Itaque Catholicis vitiis Catholica phrasi semper uti licebit. Haec Medina. Vide supra Annotationem 109. libri hujus.

An peccatum remaneat post justificationē. Rom. 7. 17. Psalm. 31. 2. Ezech. 33. 16. Rom. 5. 7.

ANNOTATIO CCXVII.

Cum esset sero die una Sabbatorum. Joan. 20. e

GREGORIUS Papa in principio homiliae vigesimae septimae in Evangelia, FIDES, inquit, non habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum. Hanc propositionem usurpatam ab his, qui negabant rationes humanas ad confirmationem divinorum inducendas esse, Divus Thomas in secunda secundae elucidat his verbis: GREGORIUS, hoc dicens, loquitur in casu illo, quando homo non habet voluntatem credendi ea, quae sunt fidei, ex sola auctoritate divina, si habeat rationem demonstrativam ad aliquid eorum, puta ad hoc, quod est Deum esse, non propter hoc tollitur, aut diminuitur meritum fidei.

Num fidei mysteria sint humanis rationibus cōprobanda. S. Thom. 2. 2. Qu. 2. Art. 10. ad 2. Lege ibi etiā notas marginales Johannis Nicolai.

ANNOTATIO CCXVIII.

Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Joan. 20. f

THOMAE Cajetano, hanc sententiam in Commentariis explicanti, Ambrosius libro quinto Annotationum duos imputat errores, haec adversus illum scribens: FATETUR Cajetanus apud Joannem capite 20. a Domino institutam fuisse confessionem, non tamen auricularem, sed hoc Ecclesiae arbitrio relictum, an ad aurem, an publice facienda esset. Quod absurdissimum est: non enim Ecclesia statuere, ut occulta peccata publice quisque prodat, ob innumera scandala, quae inde orirentur: ergo instituta a Domino confessione sua sponte venit institutio quoque modi confitendi, videlicet ut publica publice, occulta occulte:

Num confessio auricularis sit a Christo instituta.

& morosum est omnia velle explicata esse in Scripturis: si enim Dominus confessionem instituit, credibile est etiam confitendi modum docuisse, nec alium, quam qui servatus semper fuit, & quem suadet ipsa ratio, videlicet ut publica publice, & occulta occulte confiterentur. Illud quoque non placuit, quod cum confiteatur a Domino institutam fuisse confessionem; non tamen fatetur esse praeceptam, ego vero ex ipsa institutione praeceptam quoque interpretor, ne frustra tantum remedium institutum dicamus: & cum quilibet teneatur suam salutem quaerere, & hic sit modus a Domino institutus, &, ut ait Hieronymus, secunda tabula post naufragium, videlicet ut per confessionem solvatur peccator a Sacerdote: quomodo dici potest non esse praeceptum? licebit ergo contemnere bonitatem & gratiam Dei, & salutem propriam absque crimine? absit a fidelium mentibus, ut haec absurda persuadeantur. Haec Ambrosius: cujus sententiae adjiciendus est canon Tridentinae Synodi adversus utrunque errorem: is habetur sessione decima quarta, canone sexto, in haec verba: SI QUIS negaverit confessionem sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino, aut dixerit modum secreta confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, & observat, alienum esse ab institutione & mandato Christi, & inventum esse humanum, Anathema sit. (a)

A N N O T A T I O CCXIX.

Pasce oves meas. Joan. 21. c

Non soli praedestinatorum cura Petro commissa sit.

THOMAE Cajetani expositionem Ambrosius libro tertio tali censura castigat: CIRCA datam Petro curam Cajetanus sic ait: Quamvis omnium Christianorum cura commissa intelligatur Petro: soli tamen praedestinati, qui soli agni & oves Jesu Christi sunt, explicantur pascendi & regendi a Petro: quia huc tendit institutio pastoralis officii. Haec ille: quae non dubito & falsa esse, & periculosa. Si enim Petro non est a Domino mandata cura, nisi super praedestinatis; profecto super aliis non habebit: quod est falsum & haereticum. Ad haec ignoraremus, imo ipse ignorasset, super quibus mandata esset ei cura: non enim sciebat, qui essent praedestinati: quod est stultum fateri. Ad haec, Angelorum cura est indifferentior pro omnibus, etiam non praedestinatis: quia unicuique est Angelus datus ad salutem; sunt enim administratorii spiritus, ut haereditatem salutis capiamus. (Hebr. 1. 14.) Ad haec, si solum super praedestinatos ei mandatum est; non habuisset potestatem ligandi, sicut & solvendi, ut essent ligati & in Coelis, quod tamen ei explicite datum est a Domino, (Matth. 16. 19.) ne possit dicere Reverendissimus, quod forte sensit, quod super non praedestinatis habuit curam indirecte, aut implicite. Ad haec: Petrus est Vicarius Christi perfecte; Christus autem habuit a Deo potestatem omnis carnis, ita super Judam, sicut & super Petrum; & eadem doctrina, & cura pavit ambos: quod autem non resipuerit Judas, a sua malignitate effectum est, non a Domini (quod horreo vel dicere) aut negligentia, aut derelictione. Ita igitur Petrus super omnes curam accepit, ut si quis sua negligentia, aut socordia perderetur, de sua manu sanguis ejus exquireretur, ut apud Ezechielem minitatur Dominus: (Ezech. 3. 18. & 20.) mandato enim Domini citra differentiam omnibus debet curam & vigilantiam Petrus, tam non praedestinatis, quam praedestinatis: vanae autem sunt hujusmodi & scandalosae meditationes, & super falso aedificatae fundamento.

AN-

(a) Potest benigne explicari mens Card. Cajetani, nimirum, quod dilucida confessio omnium criminum etiam occultorum, cordis quoque, & animi sit facienda Sacerdotibus ex divino praecepto; sed quod haec non secrete tantum facienda sit & uni dumtaxat, ex eodem divino praecepto: bene vero posse in consessu Ecclesiae fieri, aut alio recento ritu. Hoc, inquam, modo, expensa Cajetani sententia, ut ex ejus verbis colligi potest, nonne catholica est, & eum probatum respicit ritum, seu ad eam adpellat disciplinam, quae olim fuit in Ecclesia recenta, quando, nempe, in consessu Ecclesiae, seu coram Episcopo & Sacerdotibus crimina etiam occulta fuerunt enunciata sacramentali absolutione delenda? Vide Cl. Johan. Morinum *Lib. de administrat. Poenit. lib. II. Cap. XI.* & ea, quae nos adnotavimus *Tom. I. in Proscript. Theses Exercit. XI. pag.* 85. Neque absolute Cajetanus adserit haud fuisse a Christo praeceptam auricularem confessionem, sed dumtaxat quod ex Joh. XX. solum colligatur ejusdem Sacramenti institutio, secus autem praeceptum. Plus aequo igitur hic Catharinus in amplissimum S.R.E. Cardinalem exarsit, quod & non semel etiam agit, ut notum est cunctis.

ANNOTATIO CCXX.

Sic enim volo manere, donec veniam. *Joan.* 21. f

AUGUSTINUM tractatu in Joannem 124. hanc periodum enarrantem, Laurentius Valla in Annotationibus novi Testamenti acerbis conviciis incessit, quod, omissa Graeci fontis veritate falso in Evangelium intruserit particulam, SIC, legens, *Sic eum volo manere*, pro eo, quod sincera Graecorum exemplaria habent, Ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν *Si eum volo manere*. Erasmus in Annotationibus novi Testamenti adversus Vallam, Augustini patrocinium suscipit, sed ita, ut longe odiosior sit Erasmi defensio, quam Vallae accusatio. Sic enim illum tuetur, ut dicat, ignoscendum esse hominis imperitiae, & simplici credulitati: qui etsi vir fuerit sanctus, integer, & acuto praeditus ingenio; fuit tamen credulus, & linguarum destitutus praesidio; sine quibus divinae Scripturae, ut par est, tractari non possunt. His addit, quod sero venerit ad Christianismum, & mox juvenis ad episcopale munus raptus sit, ut docendo discere cogeretur, quod doceret, & scribendo disceret, quod scriberet: ac proinde tolerandum esse, sicubi non assequitur, quod affectat. An legendum sit SI, vel SIC

NON possum non magnopere mirari, quod Erasmus, vir sua existimatione doctissimus, existimare potuerit Augustinum huc lapsum ex ignorantia Graecae linguae, quasi adeo is fuerit expers Graecanicae literaturae, ut Graecum Joannis Evangelium legens, nequiverit discernere ἐὰν ab οὕτως; cum ipsum non omnino Graecas literas ignorasse, tam multa ejus scripta testentur: sed & ipse in primo Confessionum volumine fatetur, se Grammaticam Graecam adhuc puerum didicisse, & Homeri carmina in ludo literario cecinisse. Invenio etiam sententias aliquot Chrysostomi, a Pelagianis corruptas, Graecae integritati ab eo restitutas. Septem quoque locutionum veteris Testamenti volumina, in quibus sacras locutiones ad Graecam fidem emendat, & Aristotelis praedicamenta, ab ipso Latine versa, palam ostendunt eum non ita fuisse destitutum Graecis literis, quin potuerit scire ἐὰν significare SI,

GEORGIUS Trapezuntius Graecus, & Graecae linguae eruditissimus in libro, quem in hunc Joannis locum ad Eugenium Pontificem scripsit, Augustinum, caeterosque Latinos Patres ostendit non ex inscitia, sed ex industria vertisse Ἐὰν SIC; quia sicut particula SI apud Latinos, sic eadem apud Graecos indicativo quidem verbo conjuncta, affirmative capitur: subjunctivo autem, suspensiva dubitativeque: cum vero Ἐὰν hoc loco jungatur indicativo; idcirco non SI, sed SIC Latini Patres interpretati sunt, ne scilicet particula SI Latinae Graecaeque linguae sciolos propter duplicem potestatem turbaret, SIC vero affirmando, expresse dixerunt, ut nemo ambigeret eam quoque Graecam particulam, non aliter, quam affirmative ibi positam esse. Sunt & qui putent, Augustinum legisse ac scripsisse SI, & non SIC, sed vitio librariorum accidisse, ut pro SI repositum SIC; idque nituntur eo ipso Augustini contextu suadere. Lege editionem Operum S. Augustini studio PP.BB.

ANNOTATIO CCXXI.

Tu me sequere. *Joan.* 21. f

AUGUSTINUS tractatu in Joannem centesimo vigesimo quarto, hoc enarrans inquit: HOC agit Ecclesia spe beata in hac vita aerumnosa, cujus Ecclesiae Petrus Apostolus propter Apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam: quod enim ad ipsum proprie pertinet, natura unus erat homo, gratia unus Christianus, abundantiori gratia unus idemque Petrus Apostolus: sed quando ei dictum est, Tibi dabo claves regni coelorum: & quodcunque ligaveris, &c. tum universam significabat Ecclesiam. Hunc locum inducunt Lutherani, ut ostendant, quod cum Christus dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram, aedificabo Ecclesiam meam, &c. locutus est ad Petrum, non tanquam ad ejus particularem personam, sed ad totam Ecclesiam, cujus ipse figuram gerebat, sicuti quando ad omnes Num Petrus habuerit claves in persona propria. Matth. 16. 19.

omnes Apostolos locutus est directa responsione ad Judam.

HIS occurrens Joannes Bunderius in libro Concertationum, sic ait, SI DOMINUS sermonem ad Apostolos direxisset, plurali numero enunciasset; sicuti quando soli Petro ioterroganri; Ecce nunc reliquimus omnia; quid ergo erit oobis? mox Dominus, ad omnes Apostolos sermones dirigens, ait: Vos, qui secuti Matth.19.27. estis me,&c. sed nunc ad Petrum propter ejus singularem dignitatem sermonem direxit, dicens: Tibi dabo claves, &c. quod examinans ibidem Augustinus, ait, claves regni coelorum primus Apostolorum accepit. Nec inficiamur claves dari Ecclesiae: nam Ecclesia finis est donationis: dantur enim propter Ecclesiae utilitatem: & hoc affirmat Augustinus tractatu 124. in Joao. dicens: Ecclesia, quae fundatur in Christo, claves ab eo regni coelorum accepit in Petro. Hoc schemate dicimus imperium esse apud Germanos, non quia singuli Germanorum, sed quia unus ex eis imperii titulo insignitus est. Sunt igitur, in Petro claves auctoritative, in Ecclesia finaliter. Vide ad hoc argumentum spectantia Annotat. libri hujus 68. & 206.

ANNOTATIO CCXXII.

Suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus. Act.1.c

Judas an suspendio interiit. OECUMENIUS in Collectaneis Apostolicorum actuum huic loco talem affixit explanationem: JUDAS suspendio e vita noo discessit, sed supervixit: dejectus est enim prius, quam praefocaretur: idque Apostolorum acta indicant, quod pronus crepuit medius: hoc autem planius scripsit Papias, Joannis Apostoli discipulus, dicens: Ad magnum impietatis exemplum io hoc mundo permansit Judas: io tantum enim corpore inflatus, ut progredi noo posset; cum currus levi cursu pertransiret, curru compressus est, ita ut effunderentur ejus intestina. ALIO MODO. Corpore enim adeo inflatus est, ut neque posset progredi, qua currus levi cursu pertransibat, immo ne solum quidem capitis tumor: siquidem & palpebras oculorum ejus adeo intumuisse ferunt, ut lumen omnino videre non posset: oculi vero illius neque διοπτρας, nempe instrumenti medicorum adminiculo apparere possent: tanta profunditate ab exteriori aspectu erant separati: genitale vero illius membrum omnem excedebat obscoenitatem ac magnitudinem: porro sanies ac vermes contumeliose confluentes ex toto ipsius corpore ferebantur, egredientes per sola loca secretiora: post multa vero tormenta & ultiones, cum in suo praedio, ut ajunt, mortuus esset, prae foetore praedium illud desertum permansit, & non habitatum usque in hodiernum diem: sed neque ad hoc usque tempus locum illum quisquam praeterire potest, nisi obturatis manu naribus. Haec Oecumenius: a cujus narratione Theophylactus exponens 27. Matthaei caput videtur noo prorsus abhorruisse. Rejicit hanc opinionem communis consensus omnium patrum, scribentium Judam juxta evangelicam sententiam laquei praefocatione interiisse: quin & ipse Oecumenius, haec ex aliorum monumentis referens, testatur Judam protinus a proditione facta suspendio interiisse: quod & Juvencus, vetustissimus poëta libro quarto Evangelicae historiae, his carminibus complexus est.

Proditor at Judas, postquam se talia cernit,
Accepta sceleris precio, fecisse furentem,
Infelix aegris damnant sua gesta querelis,
Argentum & culpant, sacram projecit in aedem;
Exorsusque suas laqueo sibi sumere poenas,
Informem rapuit ficus de vertice mortem.

Sed & Arator diaconus libro primo Apostolicae historiae ejusdem mortis formam his versibus fusius descripsit.

Sic venerandus ait: Nostis, quia proditor amens
Mercedem sceleris solvit sibi, taedia noxae
Horruit ipse suae stringens in gutture vocem
Exemplo cessante ream, qui parte necari
Promeruit, qua culpa fuit; crimenque retractans

Indicio

Indicio tali permisit membra furori
Aëris in medio, communi ut poneret hosti
Debita poena locum; coelum terramque perosus
Inter utrumque perit: nullis condenda sepulchris
Viscera rupta cadunt, tenuesque elapsus in auras
Fugit ab orbe ciuis &c.(a)

ANNOTATIO CCXXIII.

Ut convertat se unusquisque a nequitia sua. Act.3.d

CHRYSOSTOMUS homilia in Actus nona, hoc enarrans, detestatur eos, qui in judiciis forensibus, in contractibus, in fidejussionibus, & hujusmodi publicis, vel privatis actibus juramenta, sive justa, sive injusta aut praestant, aut exigunt. Consule Annotationem libri hujus 26. Juramentum.

ANNOTATIO CCXXIIII.

Non possumus, quae vidimus & audivimus, non loqui. Act.4.b

CHRYSOSTOMUS homilia decima in Actus, dogma de juramento sibi uni peculiare inculcans, innuit omne juramentum esse contra evangelicam legem, quae juxta di morem, Judaeis olim permissum, Christianis omnino interdicit. Vide Annotationem libri hujus 26. Juramentum.

ANNOTATIO CCXXV.

Elegerunt Stephanum, & Philippum, & Prochorum. Act.6.a

THOMAE Cajetano graviter indignatur Ambrosius, Compsae episcopus, quod contra omnium sanctorum traditionem in commentariis Actuum scripserit septem viros, quos Apostoli mensis praefecerunt, non fuisse vere diaconos & ministros sacri altaris. Ego, hanc rem diligentius perquirens, inveni apud ecclesiasticos scriptores ab utraque parte graves auctores ac testes. Pro Thoma sunt omnes fere Graeci patres; in quibus Chrysostomus homilia in Actus quartadecima de his septem viris loquens, QUANTAM, ait, dignitatem habuerunt hi, & qualem acceperunt & ordinationem necessariam, erit dicere: nunquid eam, quae est diaconorum? & profecto hoc in ecclesiis non est: sed presbyterorum est haec dispensatio: tametsi nullus adhuc esset episcopus, sed Apostoli soli: unde neque diaconorum, neque presbyterorum nomen hoc esse opinor. Oecumenius in Collectaneis explanationum in Actus, id clarius explicans hoc modo scribit: APOSTOLI electos crearunt diaconos, non juxta gradum, qui nunc est in ecclesia, sed διακόνους, id est, ministros, ut omni cum diligentia & non neglectim distribuerent viduis simul & orphanis ea, quae ad alimentum reposita erant; idque potissimum viduis & orphanis, propter quos maxime exortum erat murmur. Vocat autem ministerium quotidianum eleemosynam, ut quae & facientibus medicinae loco fit, & beneficio affectos honoret: non erat autem malitiae, quod viduae contemnerentur, sed ignaviae multorum: ideo quoque ubi dignum visum est, ut cura adhiberetur, sedatus est animi dolor. Vel etiam publicam dicunt administrationem: nam hoc significare vult nomen διακονία: siquidem Graeci publicum penu λεῖτον appellant, quod quisque magno studio contendit liberaliter in illud inferre ad communem impensam, quae sibi abundant. In sententia Ambrosii cunctos pene Latinos invenio, de quorum numero Arator diaconus libro primo Apostolicae Num septem Diaconi fuerint vere Diaconi.

(a) De genere mortis Judae consule Expositores Cap. I. Actorum: Cornelium a Lapide, Augustinum Calmetum; & alios: C. Baronium ad *Ann. Christ.* XXXIV nu.74. Nicolaum Serarium Opusc. de Juda. Et ex Acatholicis Andream Austen *de genere mortis Judae* in Thesauro Critic. Sacr. ex quibus colliges historiolam de genere mortis proditoris ab Oecumenio, Theophylacto, Euthymio, aliisque Graecis relatam ad fabulas fore amandandam.

ftolicae hiftoriae horum diaconorum munus his carminibus expreffit:

Jura miniſterii ſacris altaribus aptis
In ſeptem ſtatuere viris, quos undique lectos
Levitas vocitare placet, quam ſplendida coepit
Eccleſiae fulgere manus, quae pocula vitae
Miſceat, & latices cum ſanguine porrigat agni.
Hoc numero delatus honor, ſublimia ſecum
Sacramenta gerit, per quae nie longius ire
Non patitur menſura viae, &c.

Aratori diacono presbyter Beda ſubſcribens, HINC jam, inquit, decreverunt Apoſtoli, vel ſucceſſores Apoſtolorum per omnes eccleſias ſeptem diaconos, qui ſublimiori gradu eſſent caeteris, & proximi circa aram quaſi columnae altaris aſſiſterent, & non ſine aliquo ſeptenarii numeri myſterio. (a)

ANNOTATIO CCXXVI.

Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. *Actor. 9. a*

De vera lectione hujus periodi.

THOMAS Cajetanus hoc loco, Eraſmi judicium ſecutus, ait in textu Graeco non haberi hanc ſententiám, Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare, ſimiliter neque clauſulam, quae ſequitur, Et tremens, ac ſtupens dixit, Domine quid me vis facere? Caeterum hoc falſum eſſe convincunt omnia Graeca exemplaria typis excuſa, in quibus haec ita leguntur, Σκληρόν σοι πρὸς κέντρα λακτίζειν. Τρέμων τε καὶ θαμβῶν εἶπεν, κύριε, τί με θέλεις ποιῆσαι. Oportere autem hoc loco hujuſmodi verba poni, confirmat ipſa Pauli narratio Actorum 26. capite: ubi nar-
Act. 26. 14. rans Apoſtolus, quid ſibi in itinere Damaſci acciderit, ſic ait: CUM cecidiſſemus in terram, audivi vocem loquentem Hebràica lingua, Saule Saule quid me perſequeris? durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Sic adamuſſim quadrat narratio Lucae cum narratione Pauli: quod ſi praeteriiſſet haec verba, non plene narraſſet verba Dei ad Paulum.

ANNOTATIO CCXXVII.

Factum eſt, ut diebus multis moraretur in Joppen. *Act. 9. f*

Suffragia pro defunctis.

CHRYSOSTOMUS in fine homiliae 21. in Actus videtur alludere ad ſententiam eorum, qui exiſtimant oblationes, eleemoſynas, & ſuffragia vivorum etiam ſanctis ac vita functis proficere ad gloriae incrementum. Vide Annotationem libri hujus 47.

AN-

(a) Verum non eſt, quod omnes univerſim PP. Graeci adſeruerint Diaconos fuiſſe ab Apoſtolis delectos ad inſerviendum profanae, ſecus autem ſacrae menſae. Subobſcure nimium locutus eſt Chryſoſtomus in *Act. Apoſtolorum*, etſi alibi oppoſitum potius clariſſime doceat. Patres Quini-Sextae Synodi, *erraticae* dictae, Oecomenius, Theophilactus, & Euthymius (qui longe poſteriori aetate ſcripſerunt) ex Chryſoſtomo docuerunt ſphalma, quod renovarunt aliqui Heterodoxi, praeſertim Marcus Antonius de Dominis Archiapoſtata Spalatenſis, nimirum ad hoc fuiſſe ab Apoſtolis adſumtos ſacratoſque Diaconos, ut profanum miniſterium obirent. At longe aliter, & e diametro oppoſitum docuerunt S. Ignatius Martyr *Epiſtolis ad Magneſianos, & Trallianos* S. Polycarpus *Epiſt. ad Philippenſes*, S. Juſtinus Martyr *Apolog. 2.* S. Epiphanius *Heref. LXXIX.* Author Conſtitutionum Apoſtolicarum *Lib. VIII. cap.* 18. & alibi, ſicut & ceteri, cum Graeci, tum Latini PP. Et quidem ex Occidentali Eccleſia nec unum eſt adinvenire, qui aliter ſentiat. Quapropter ex eiſdem dilucida traditio habetur de Sacro Diaconatus Ordine ad Eccleſiaſticam Hierarchiam pertinente, & ex conſtanti utriuſque Eccleſiae, Graecae, nimirum, & Latinae ad praeſentem diem uſque praeſcriptione catholicum dogma firmatur. Legendi ſunt propterea qui rem hanc ex profeſſo pertractant, Card. Bona *Rer. Liturgic. Lib. II.* Ludovicus Thomaſſinus *Diſciplin. Eccleſ. P. I. Tract. 2.* Edmundus Martene de *Antiqu. Eccl. Rit. Lib. I.* Joannes Morinus *de Sacr. Ordinat. P. III. Exercit. IX. De Diaconatu Cap.* 3. Johannes Harduinus *in Embolo* poſt Chryſoſtomi epiſtolam ad Caeſarium. Nicolaus Nourry Apparat. in *S. Ignatium*. Franciſcus Hallierus *de Hierarchia*, Sebaſtianus Tillemontius *T. I. p.* 538. Johannes Baptiſta Cotelerius *in Lib. II. Conſtit. Apoſtolic.* Ex NN. vero Dominicus Gravina *De Sacram. Ord.* Natal. Alexander *T. I. Hiſt. Eccl. N. T. Diſſert. VII.* & Card. Gotti *Verit. Chriſt. Relig. T. V.* Ex extraneis autem a Romana communione non omittendi occurrunt ad majorem veritatis triumphum Guillelmus Beveregius *in Can. II. Apoſtol.* Joannes Pearſon *Lect. III. in Acta Apoſtolor.* Joſephus Binghamus *Origin. Eccleſiaſt. Lib. II. cap.* 20.

ANNOTATIO CCXXVIII.

Respondit Jacobus, dicens, Viri fratres. Act. 15. c

OECUMENIUS hoc loco scribit Jacobum, Hierosolymorum episcopum, fratrem autem Domini secundum carnem, filium fuisse Joseph, sponsi Mariae Virginis. Vide Annotationem libri hujus quinquagesimam nonam.

ANNOTATIO CCXXIX.

In quibus erat & Dionysius Areopagita. Act. 17. g

BEDA in Commentariis Actuum, hoc explicans, tradit hunc Dionysium fuisse illum Corinthiorum episcopum, qui insignia volumina ad utilitatem ecclesiae scripsit. Caeterum Eusebius libro 6. Ecclesiasticae historiae palam ostendit alium fuisse Dionysium Corinthi episcopum, qui multa scripsit: ibique etiam citat hujus Dionysii Corinthiaci episcopi auctoritatem; qui in epistola quadam, quam scripsit ad Athenienses, ostenderit Dionysium Areopagitam, a Paulo conversum, primum fuisse Athenis episcopum ab eodem Apostolo institutum: praeterea constans fama est Dionysium hunc Areopagitam eum esse, qui apud Lutetiam Parisiorum martyrio coronatus occubuit: cujus etiam putantur esse libri, qui nunc de Hierarchiis & divinis nominibus habentur; de quibus Thomas Cajetanus, ac plerique alii dubitant, an ejus sint, cujus titulo inscribuntur, eo quod Hieronymus in libro De viris illustribus nullam Dionysii hujus fecerit mentionem. At de his in hoc Opere dictum est libro secundo in Dionysio. (a) Dionysius Areopagita quis fuerit.

ANNOTATIO CCXXX.

Segregatus in Evangelium Dei. Rom. 1. a

ORIGENES libro primo Commentariorum in epistolam ad Romanos, segregationis hujus causas inquirens, putatur asserere, praescientiam meritorum esse causam praedestinationis aeternae: quod quidem Pelagiano errori occasionem praestare videtur. Verba ejus sic habent: NOS AUTEM dicimus, quod neque Paulus fortuitu, aut naturali differentia electus est, sed electionis suae causas in semetipso dedit ei, qui scit omnia ante, quam fiant: ergo Paulus, quod segregatus in Evangelium dicitur, & segregatus a ventre matris suae, causas in eo & merita, quibus segregari deberit, vidit ille, quem non latet mens. Praevidit enim, quod abundantius, quam caeteri omnes laboraturus esset in Evange- Galat. 1. 15. lio, quod in fame & siti, in frigore & nuditate praedicaturus esset Evangelium; ne forte, cum aliis praedicaret, ipse reprobus efficeretur. Haec ergo, & his simi- 1. Cor. 9. 27. De causa praedestinationis.

(a) Quae N. Xystus de Dionysii Areopagitae Parisiensi Episcopatu tradit, ejusdemque martyrio Lutetiae consummato, ex Veteribus, iisque pluribus, praesertim Hilduino, nec non ex Breviario, & Martyrologio Romano excepit, habuitque post se Clarissimos Viros, qui eidem sententiae utroque pollice subscripserunt. Ex horum coetu sunt Card. Baronius *ad An. Christi LXI.* Germanus Milletus Monachus Benedictinus *Lib. de unico Dionysio*, Ex Societ. Jesu Petrus Halloix *Tom. I. Script. Orient. Eccles. I. Secul.* Martinus del Rio *Vindic. Areopagitic.*, Petrus Lanselius, & Balthasar Corderius *in editione Oper. S. Dionys.* Similiter ex aliis Emmanuel Schelstrate *in Antiquit. illustrat.* Aubertus Miraeus *in Biblioth. Ecclesiast.* NN. Natalis Alexander *Tom. I. Hist. Eccles. Dissert. XVI.* & Card. Gotti *Tom. V. Verit. Christ. Relig.* Verum ex adverso quamplures alii, iique doctissimi Viri, asserunt Dionysium Areopagitam Atheniensium Episcopum nunquam fuisse a S. Clemente I. Gallias ad praedicandum Jesu Christi Evangelium missum, neque Parisinam rexisse Cathedram, neque Lutetiae martyrio coronatum conscendisse Coelum; plurimisque monumentis momentisque id probant. Sunt autem ii Johannes Launojus opere *de duobus Dionysiis*, Johannes Morinus *de Sacr. Ordin. Praef. Cap. 2.* Ludovicus Helliens Dupin *Biblioth. Nov. PP. Lat. T. I.* & ibidem Matthaeus Petitdidierus O. S. B. Franciscus Bosquetus Episcopus Montispessulani *Lib. 1. cap. 2. Hist. Eccles. Gallican.* Andreas Dochenius *in notis ad Bibliothecam Cluniacensem*, & alii. E Jesuitis autem Dionysius Petavius *in Theologic. Dogmatib.* & alibi, Jacobus Sirmondus *Dissert. de duplici Dionysio*, & Philippus Brietius *Tom. IV. Annal. Decad. IV. cap. 6.* Et ex extraneis a Romana communione quamplures Critici, praesertim Casimirus Oudin, *T. I. Sec. I. col. 48.* Hos ergo Authores consulere poteris ad criterium veritatis.

lia, & alia multa in eo de ventre matris praevidens Jesus, pro his segregavit eum in Evangelium: quod & ipse Paulus in consequentibus latius differens, ait, Quia quos praescivit, & praedestinavit conformes fieri imagini filii sui, &c. evidenter ostendens, quod eos, quos praescivit Deus tales futuros, ut Christo se in passionibus conformarent, ipsos etiam conformes, ac similes imaginis ejus praedestinavit & gloriae. Praecedit ergo praescientia Dei, per quam noscuntur, qui in se labores & virtutes habituri sint; & ita praedestinatio sequitur: nec tamen rursus praedestinationis causa putabitur praescientia: quod enim apud homines uniuscujusque meritum pensatur ex praeteritis gestis, hoc apud Deum judicatur ex futuris. Vide infra Annotat. 251.

Rom 8. 29.

ANNOTATIO CCXXXI.

Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem. Rom. 1. b

Num damnandi sint qui divina mysteria scrutantur.

CHRYSOSTOMUS sub fine homiliae secundae in epistolam ad Romanos, QUOD si periculosum est, inquit, ea indagare, quae Deus praecepit, & curiosos homines ultimum manet supplicium: quam tandem defensionem habebunt hi, qui longe ista occultiora, ac magis verenda scrutari praesumunt? hoc est, Quo pacto, & qua ratione Deus filium genuit, & quae sit illius substantia. Et homilia in epistolam ad Romanos octava, QUOD si haec inferiora scrutantes, ac exquirentes honorem Deo non damus: multo magis ortum Domini supervacanea curiositate indagantes, tanquam qui contumeliis Deum affecerimus, extrema passuri simus. Si enim figuram resurrectionis discutere nefas est: multo magis arcana illa horrenda ac reverentia plena. Lucianus Monachus, scholasticae theologiae prorsus expers, & ob id scholastici nominis perpetuus hostis, in Annotationibus super Chrysostomum, a synodo Tridentina reprobatis, horum occasione verborum theologos scholasticos insectatur, & temeritatis accusat, quod sacratissimae Trinitatis penetralia ingredi audeant, & in quibus persona quaeque ab aliis differat, in quibus conveniat certa asseveratione definiant. Nec animadvertit ineptus hic & miserabilis homuncio, Chrysostomi verba in eos potissimum ferri, qui ambitiosa & inani quadam curiositate, & arroganti supercilio hujusmodi rimantur; non autem adversus pios & catholicos theologos, qui haec ad Dei gloriam, ad fidei defensionem, & haereticorum eversionem humili ac verendo vestigant studio.

Lege Cl. N. Melchiorem Canum de Locis Theologicis Libr. VIII.

ANNOTATIO CCXXXII.

Nam circumcisio quidem prodest, si legem observes. Rom. 2. d

An circumcisio gratiam conferat.

CHRYSOSTOMUS homilia in epistolam ad Romanos septima, hunc locum tali expositione planum facit: LICEBAT Paulo aliter ipsam circumcisionem excludere, ac dicere, Quid est circumcisio? num illius est meritum, qui eam habuerit? num bonae mentis, atque propositi demonstratio? etenim in aetate immatura fit: & qui in solitudine vixerunt, multos annos incircumcisi manserunt: & aliunde multis argumentis ostendi potest ipsam non admodum necessariam esse. Veruntamen non inde ipsam repudiat: sed unde maxime oportebat, ab ipso scilicet Abraham. Haec est enim excellens victoria, inde ipsam facile contemnendam ostendere, unde videbatur praecipue veneranda: tametsi etiam dicere potuisset, Judaeos quoque incircumcisos a prophetis vocari. Verum hoc nondum circumcisionis vitium est, sed ejus, qui ipsam habet merito: quod autem quaeritur, illud est, ut videlicet ostendatur, nec in optima vita vim ullam eam habere: hoc igitur jam ipse molitur. Lucianus Monachus in Annotationibus super Chrysostomum, a Concilio Tridentino damnatis, ex his verbis colligit Chrysostomum in ea fuisse sententia, quod circumcisio nullam gratiam circumcisis attulerit, nihilque eis profuerit ad salutem. Invehitur etiam adversus scholasticos, quod de hoc articulo secus decernant. Verum, quo pacto intelligenda sint dicta Chrysostomi superius admonuimus Annot. 96. libri quinti.

AN-

ANNOTATIO CCXXXIII.

Ubi est gloriatio tua? Rom.3.d

An fides sola justificet.

ORIGENES libro in epistolam ad Romanos tertio, hoc enarrans longa digressione, ostendit peccatores ex sola fide sine ullis operibus justificari. Citatur hujus digressionis fragmentum in Collectaneis Lutheranorum, adversus decretum synodi Tridentinae, quo statuitur juxta Jacobi Apostoli sententiam hominem non ex fide sola, sed ex operibus etiam justificari. Sed observandum est, Origenem de prima justificatione loqui, non de secunda, sive de primordio & initio justificationis, & non de profectu, atque incremento justificationis. Ipsum enim justificationis incrementum perseverantiam & consummationem Catholici tradunt, non ex fide solum, sed ex cooperantis hominis laboribus adipisci, eo modo, quo Jacobus Apostolus dixit, Vis scire o homo inanis, quod fides sine operibus otiosa est? Abraham, pater noster, nonne ex operibus justificatus est, offerens filium suum super altare? vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est. Quod igitur ait Origenes peccatores sola fide sine ullis operibus justificari, eo sane spectat, ut excludantur opera, quae sint justificationis meritoria: si enim ex operibus; gratia non esset gratia: non autem quod velit explodere liberam hominis cooperationem & praeparationem ad gratiam justificantem, vel jam adeptae justificationis incrementum, de quibus sacrosancta synodus Tridentina, sessione sexta, in hunc modum decernit: SI QUIS dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse eum suae voluntatis motu praeparari, atque disponi, anathema sit. Et canone vigesimo quarto, SI QUIS dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo, & signa esse justificationis adeptae, non autem ipsius augendae causam, anathema sit.

Concil. Trid. Sess. VI Can. IX & Capit. VIII.

Jacobi ca. 2. v.20. & sequ.

ANNOTATIO CCXXXIIII.

Et non infirmatus est in fide. Rom.4.d

Lucianus hostis Scholasticorum.

CHRYSOSTOMI expositionem, huic loco adhibitam, Lucianus Monachus in Annotationibus detorquet adversus scholasticos, quod personas divinas certis relationibus alteram ab altera distinguere audeant. Vide supra Annot.231. libri hujus.

ANNOTATIO CCXXXV.

Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Rom.5.a

An charitas, qua Deum diligimus, sit Spiritus Sanctus inhabitans.

ANSELMUS Cantuariensis episcopus, in Commentariis epistolae ad Romanos, hunc locum excutiens, asseverat charitatem diffusam in cordibus nostris, qua Deum & proximum diligimus, non esse donum aliquod Spiritus Sancti in nobis creatum, sed ipsam Spiritus Sancti personam habitantem in nobis: quam rem Petrus Lombardus in Commentariis ejusdem epistolae, & in primo Sententiarum libro, distinctione decima septima, constantissime confirmat, allatis multis Augustini testimoniis; e quibus praecipuum, & ad hanc potissimum Apostoli particulam spectans habetur libro decimo quinto De Trinitate, capite decimo sexto, in his verbis: DEUS Spiritus Sanctus, qui procedit ex Deo, eum datus fuerit homini, accendit eum in dilectione Dei & proximi, & ipse Spiritus Sanctus dilectio est. Non enim habet homo, unde Deum diligat, nisi ex Deo: unde Apostolus Paulus: dilectio, inquit, Dei, diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Et infra, Dilectio igitur, quae ex Deo est, & Deus est, proprie Spiritus Sanctus est, per quem diffunditur in cordibus nostris Dei charitas,

De Commentariis Anselmi Vide sup. fol.316.

charitas, per quam nos tota inhabitat Trinitas: quocirca rectissime Spiritus Sanctus cum Deus sit, vocatur etiam donum Dei: quod donum proprie, quid, nisi charitas intelligenda est, quae perducit ad Deum, & sine qua quodlibet aliud donum Dei non perducit ad Deum? Huic opinioni reclamant unanimi consensu omnes fere scholares theologi, docentes Spiritum Sanctum illabi quidem animis nostris, secundum substantiam deitatis suae, vel hypostasin personae suae: attamen longo intervallo discerni a charitatis dono, quo in amorem Dei & proximi accenditur.

ANNOTATIO CCXXXVI.

Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, &c. Rom.5. b

An peccatū Adae ad posteros transierit, non culpa, sed poena.

CHRYSOSTOMUS, edisserens hunc locum, & alios huic affines locos, tria de peccato originis videtur sentire, a vulgaris theologorum placitis aliena: quorum Primum est, quod peccatum Adae ad posteros transierit, non culpa, sed poena: quia licet alter ob alterius delictum aliquando poenas luat; nullus tamen ex alieno peccato peccator existit, sed unusquisque ex suo tantum scelere sceleratus efficitur. Secundum vero est, quod poena peccati hujus non sit animae damnatio, sed sola corporis infirmitas, corruptio & mors. Siquidem mors animae illos tantum consequitur, qui ex libera electione voluntarie peccant: mors autem corporis, tam peccantes, quam non peccantes comprehendit. Tertium est, quod peccatum primi parentis nihil nobis detrimenti attulerit, sed maxima lucra.

PRIMAM & secundam assertionem astruere videtur homilia 10. in epistolam ad Romanos his verbis: QUID igitur sibi vult, In quo omnes peccaverunt? respondetur, quod illo lapso, & illi item, qui de ligno non comederunt, effecti sunt ex illo rempore omnes mortales. Et paulo infra in expositione illius sententiae, Per inobedientiam unius hominis peccatores multi effecti sunt, &c. in hunc modum loquitur: VIDETUR quidem quaestionem non parvam habere, quod dictum est, videlicet multos ob unius inobedientiam peccatores extitisse. Illo enim peccante, ac mortali effecto, & qui ex eo orti sunt, eos tales esse nihil absurdum: at ex illius inobedientia alterum peccatorem extitisse, quam, obsecro, congruentiam & consequentiam haber? invenitur enim sic, nec poenas quidem debere, qui talis fuerit: siquidem non ex se ipso peccator extiterit: quid igitur hoc loco verbum hoc PECCATORES significat? mihi videtur tantundem significare, quantum illud supplicio obnoxii, ac mortis rei, quod porro Adam mortuo omnes sunt mortales effecti. Rursum in enarratione prioris epistolae ad Corinthios, homilia trigesima nona, explicans ea verba capitis decimi quinti, Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur, idem confirmare videtur, ita, inquiens: QUID igitur? dic mihi, num omnes in Adam morte peccati mortui sunt? quomodo ergo Nohe, vir justus, saeculo suo fuit? quomodo Abraham, quomodo Job, quomodo multi denique alii? & quomodo, dic mihi, omnes vivificabuntur in Christo, & hi praesertim, qui in gehennam abducendi sunt? itaque si hoc de corpore dictum esse velimus; constabit oratio: si autem de justitia & peccato; nequaquam. Et homilia decima septima, in caput sextum ejusdem epistolae, ostendens, mortem animae non ex primi parentis culpa, sed ex actualibus duntaxat cujusque peccatis accidere, sic fatur: QUID igitur faciam, inquis, propter illum scilicet Adam, pereo? minime propter illum: neque enim tu sine peccato permansisti: quod si non idem peccatum; aliud tamen commisisti. Et homilia vigesima quarta in epistolam ad Ephesios, exponens postrema verba ultimi capitis, idem apertius refert, dicens: CORRUPTIBILE nobis corpus est, sed incorruptibilis anima: ne igitur & ipsam corrumpamus. Hoc illud primum (id est, primi hominis) peccatum fecit: quod autem post lavacrum, & animam corrumpere potest, & immortalis vermis susceptibilem facere. Huc etiam pertinet, quod in homilia, quae inscribitur ad Neophytos, tradere existimatur, nempe infantulos ante baptismum neque ulli culpae esse obnoxios, neque in remissionem culpae ullius baptizari, sed tantum justificationis & haereditatis consequendae gratia baptizari. Ejus autem verba sic habent. VIDES, quot sunt baptismatis largitates?

Rom.5. 19.

1. Cor.15. 22.

Ephes.4. 24.

tes? sed multis quidem videtur baptismi gratiam in peccatorum tantum remissione consistere, nos autem baptismi honores jam computavimus decem: hac de causa & infantulos baptizamus, quamvis non sint coinquinati peccato, nempe, ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, haereditas, & fraternitas Christi, ut ejus membra fiot omnes, & spiritus habitatio fiat. Ex his itaque dictis Chrysostomus duas priores propositiones videtur ostendisse.

TERTIAM quoque propositionem suadet his verbis: QUOD porro Adam mortuo omnes simus mortales effecti, aperte & multis demonstravit: quod autem in quaestionem cadit, est, qua id de causa factum est? Quod si quis vestri quaerat discere, id dicemus, quod non solum nihil nocumenti accepimus a morte hujusmodi & condemnatione si sapuerimus; sed mortales effecti lucrum etiam fecimus: primum hoc, videlicet, ut mortali in corpore non peccemus, deinde, ut infinita habeamus philosophiae argumenta: nam & modum ut servemus, & temperantes, compositi, ac sedati simus, itemque viriositate omni liberati, & praesentanea & expectata mors suadet. Cum hisce autem, seu potius ante haec ipsa, & plura alia attulit bona, &c. Hucusque Chrysostomus.

EX CUJUS auctoritate Julianus, Celanensis episcopus, Pelagianae sectae praecipuus assertor, in sine quatuor librorum, quos edidit adversus originale peccatum, contendebat Chrysostomum in eorum sententia fuisse, qui credunt nullum esse peccatum originis a parentibus in filios transfusum. Quod etiam aetate nostra eidem tribuit Lucianus Monachus, in Annotationibus super Chrysostomum, a Tridentina synodo reprobatis; & Erasmus Roterodamus, in Annotationibus quinti capitis ad Romanos, & Jacobus Faber, Viennensis episcopus, hac in parte Pelagii sectator, in Apologia suorum Commentariorum in Paulum: in qua ex praedictis Chrysostomi testimoniis annititur defendere id, quod ipsemet in expositione quinti capitis ad Romanos, de peccato originis perperam scripserat, affirmans peccatum originis nihil aliud esse, quam obligationem humani generis ad mortem corpoream ex noxa primi parentis contractam. An ullum sit originale peccatum.

CAETERUM non ita Chrysostomum sensisse, apparet ex his, quae passim scripta reliquit de infectione humanae naturae in primis parentibus corruptae, praesertim homilia in epistolam ad Romanos duodecima, in qua habentur haec verba: QUANDO peccavit Adam, tum & illius corpus mortale effectum est, ac patibile, receptis naturae vitiis permultis, equo praeterea graviori, atque effraeni reddito: at Christus, ubi advenit, per baptismum nobis illum leviorem fecit, alis spiritus eundem excitans. Et homilia in eandem epistolam undecima, idem latius persequens, ait: CORPUS nostrum ante Christi adventum facile expugnabatur: una enim eum morte magna etiam affectuum, veluti examen introierat: itaque corpus idem non valde agile erat ad eum cursum, qui ad virtutem ferret: neque enim spiritus aderat, qui opem afferret; neque baptisma, quod mortificare posset: sed effraenis equi ritu currebat, aberrabatque. Et rursum homilia in eandem epistolam 13. id ipsum paulo immutatis verbis, inculcans, ait: IN homine una cum morte & affectuum turba introiit. Cum enim corpus mortale effectum est, tum denique necessario admisit & concupiscentiam, & iracundiam, & dolorem, & caetera omnia, quae magnae admodum constantiae, ac sapientiae indigebant, ut ne inundantis aestus vis, ac tempestas, rationem in nobis obrueret, in peccati voraginem demersam: illi enim affectus peccatum haud quaquam erant; sed illorum immoderatio effraenata peccatum efficiebat. Iterum homilia in priorem ad Corinthios quadragesima, manifeste pronunciat in baptismi regeneratione auferri peccatum originale, quod ipse προῤῥιζον ἁμαρτίαν, hoc est, radicale peccatum, utpote a radice primi parentis haustum appellat, sic dicens; DEUS in regenerationis lavacro mentem gratia tangit, radicale peccatum evellit, & hominem, qualis erat, jam olim dum conderetur, imo illustriorem facit.

EX HIS clarissime colligitur, quod ex peccato Adae, juxta Chrysostomi sententiam, transierit ad posteros, non solum poena corporeae corruptionis & mortis, sed etiam animi jam vitiati languor, & immoderatus quidam effraenatae concupiscentiae aestus, abducens animum a virtutis itinere, & ad mortiferas voluptatum illecebras, & spiritus interitum pertrahens: quapropter Augustinus, refellens

refellens Julianum, quod ex superioribus Chrysostomi dictis peccati originalis traducem evertere conaretur, haec in primo adversus eum volumine pro defensione Chrysostomi scribit: ITANE nobis verba Sancti Joannis episcopi audes opponere? absit, absit hoc malum de tanto viro credere, aut dicere: absit, inquam, ut Constantinopolitanus Joannes loqueos de baptismate parvulorum, qui paterni chirographi liberationem habent per Christum, tot ac tantis coëpiscopis suis, maximeque Romano Innocentio, Carthaginensi Cypriano, Cappadoci Basilio, Gregorio Nazianzeno, Mediolanensi resistat Ambrosio: quod enim illi senserunt, hoc sensit, hoc credidit, hoc docuit & Joannes. Haec Augustinus.

PROINDE cum Chrysostomus inquit, neminem ex peccato primorum parentum peccatorem constitui, & a regno coelorum excludi, & damnationi aeternae obnoxium fieri, non simpliciter & omnino abstulit peccatum humani generis, ex prima Patrum nostrorum transgressione contractum, sed nisi fallor, significare voluit, quod Adae posteri non ea ratione peccatores sint, quia primi tantum parentes actualiter peccaverint; sed quod etiam ipsi posteri in ipso Adam, & una cum ipso Adam peccaverunt, quatenus omnes ob humanae speciei participationem unus idemque homo sunt cum progenitore Adam; & sicut eandem naturam, sic ejusdem corruptae naturae vitium participant: nisi enim & illi in primo parente, in quo, ceu in radice, olim virtualiter inerant, deliquissent; profecto ex Adae peccato peccatores non essent. Nullus enim (ut recte dixit Chrysostomus) ex alieno & a se non participato scelere sceleratus existit.

AD ILLUD vero, quod Chrysostomus in homilia ad Neophytos prorulit, nimirum Infantes, neque esse peccato coinquinatos, neque in remissionem peccatorum baptizari, Augustinus in libro jam citato respondens, annotavit hanc Joannis sententiam fuisse a Pelagianis corruptam, aut male versam. Illi enim pro eo, quod Chrysostomus dixit, *Infantes non habere peccata*, immutatis aliquantulum verbis posuerunt, *Infantes non esse coinquinatos peccato*, ut magis loqui videretur de uno illo peccato ex Adam traducto, quam de aliis: sed incorrupta Graecorum codicum lectio sic habet: *διὰ τοῦτο καὶ τὰ παιδία βαπτίζομεν, καὶ τοι ἁμαρτήματα οὐκ ἔχοντα*. Hoc est, Ideo & infantes baptizamus, quamvis peccata non habentes. Quibus quidem verbis, ut Augustinus inquit, non negat Joannes parvulos coinquinatos esse peccato, sed habere peccata, id est, non inficiatur parvulos primi parentis peccato inquinatos esse, & pro hujus peccati purgatione baptizari: sed asserit eos neque peccata habere actualia & propria, neque propter peccata propria & actualia baptizari. Atque haec dicta sint ad elucidationem primae & secundae propositionis Chrysostomi.

Lege S. Tho. 1.2. Q. LXXXI & ibi notas N. Johannis Nicolai. Lege itidem Cardin. Norisium Histor. Pelagian.

TERTIA nunc superest ejusdem propositio, affirmans nihil nobis detrimenti accidisse ex Adae condemnatione, sed emolumenta innumera & amplissima: cui sententiae ex diametro adversari videntur Augustinus, caeterique ejus asseclae; qui ex solo peccato, & condemnatione Adae sentiunt, omne humanum genus aeterno supplicio damnatum. Suor igitur Chrysostomi verba sic accipienda, ut intelligamus, eum non loqui de condemnatione spirituali animae ad mortem aeternam, sed de condemnatione mortis corporeae, quae nobis omnia ab eo jam enumerata lucra progenuit. Quod si quis contendat haec ipsa verba etiam ad animae damnationem respicere: dicemus ea interpretanda fore eo sensu, quo beatus Pontifex Gregorius pronunciavit foelicem fuisse primi parentis culpam, quia talem ac tantum habere meruit redemptorem. Haec pro Chrysostomi defensione satis esse arbitror: nunc subnectere libet verba quaedam D. Ambrosii ad hoc argumentum spectantia, sed ab haereticis perperam usurpata.

AMBROSIUS, hanc ipsam Pauli pericopen in Commentariis explicans, MORS, inquit, dissolutio corporis est, cum anima a corpore separatur. Est & alia mors, quae secunda dicitur in gehenna, quam non peccato Adae patimur, sed ejus occasione propriis peccatis acquiritur, a qua boni immunes sunt, tantum quod in inferno erant, sed superiori, quasi in libera, quia ad coelum ascendere non poterant. Servetus Anabaptista in suis Locis communibus, ex his colligit, Ambrosium sensisse, Adam suo peccato solam corporis mortem posteris intulisse,

se, non animae: sed aperte repugnant huic sententiae, quae Ambrosius non solum in aliis compluribus locis, sed in proxime praecedentibus ac sequentibus verbis asserit omne humanum genus in Adam peccante corruptum, & in eo, tanquam in massa, omnes homines morte peccati correptos, ita scribens: MANIFESTUM itaque est in Adam omnes peccasse, quasi in massa: ipse enim per peccatum corruptus, quos genuit, omnes nati sunt sub peccato: ex eo igitur cuncti peccatores, quia ex eo sumus omnes. Et rursus post praedicta verba, a Servero inducta, addit: SENTENTIA tenebantur omnes data in Adam, quod chirographum in decretis morte Christi deletum est: sententia autem decreti fuit, ut unius hominis corpus solveretur super terram; anima vero, vinculis inferni detenta, exitia pateretur. Haec ille. Sciendum est itaque, secundam mortem duplicem esse: alteram, qua infernus inferior animam a Deo separat, & gehennae suppliciis alligat; alteram, qua inferus superior animam a Deo, sive in aeternum, sive ad tempus disjungit; sicut olim sanctorum animas ante Christi mortem in sinu Abrahae detinuit, & adhuc post Christi mortem infantium, sine baptismo decedentium, animas Limbo continet in perpetuum Dei visione carentes. Ambrosius itaque illam priorem secundae mortis speciem negat ex peccato Adae sequi, sed ex propriis & actualibus cujusque delictis contingere docet: quod & omnes fere theologi comprobant. Posteriorem vero, quae animas a visione duntaxat divina separat, palam fatetur esse humano generi Adae peccato inflictam. Lege sequentem Annotationem.

ANNOTATIO CCXXXVII.

In quo omnes peccaverunt. Rom. 5. b

THEODORETUS in Commentariis epistolae ad Romanos, praesentem locum elucidans, subindicare videtur, quod peccatum primi parentis non pertransierit in posteros secundum culpam, sed secundum solam occasionem peccandi, ita ut nihil aliud sit peccatum Adae in nos transfusum, quam occasio quaedam & incitatio ad peccandum, quae nos veluti per quatuor gradus ad peccatum deducit hoc ordine. In primis Adae peccatum omnibus ex eo genitis passibilitatem, corruptionem & mortalitatem corporis inducit: deinde mortalitas indigentiam & privationem affert rerum omnium, quae ad vitae mortalis conservationem necessaria & utilia sunt: tertio loco, indigentia & privatio appetitum & concupiscentiam gignit acquirendi & tractandi res mortali vitae proficuas. Demum appetitus tractatio & usus rerum mediocritatis excessum persuadet: cui persuasioni quicunque consenserit, statim peccat, & spirituali morte damnatur: atque hoc pacto non propter Adae peccatum, sed propter proprium peccatum unusquisque spiritualiter plectitur. Theodoreti verba, quae hujusmodi sensum referre videntur, haec sunt: CUM Deus Adam fabricatus esset, dedit ei praeceptum: is deceptus, mandatum transgressus est: cum itaque propter hoc mortis decreto factus fuisset obnoxius, ita Caio, & Seth, & alios genuit: hi vero omnes, utpote ex eo geniti, habebant mortalem naturam: ejusmodi autem multis indiget, & cibo, & potu, & indumentis, & habitatione, & diversis artibus: eorum autem usus saepe ad mediocritatis exuperantiam incitat: mediocritatis autem exuperatio peccatum generat. Dicit itaque divinus Apostolus, quod cum Adam peccavisset, & mortalis propter peccatum factus esset, utrunque ad genus pervenit: ad omnes enim homines mors pervasit, quatenus omnes peccaverunt: non enim propter primi parentis peccatum, sed propter suum, unusquisque mortis decretum suscipit. Haec Theodoreti verba sunt, quibus ea concordant, quae de hac re scripsit in enarratione Psalmi quinquagesimi, super illud, Ecce in iniquitatibus conceptus sum, a nobis superius observata, libro quinto, Annotatione centesima septuagesima nona. Huc etiam spectat, quod in Epitome divinorum decretorum, capite decimo tertio, idem Auctor docet, videlicet multos fuisse viros sanctos, qui viventes in lege naturae ab initio conditae, non fuerunt obnoxii Adae peccato. Exprimit autem hujusmodi sensum his plane verbis: SICUT

Num peccatum Adae transierit ad posteros, non culpa, sed occasione.

CUT per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi; & per obedientiam unius, justi constituentur multi. Valde autem necessario illud, Multi in utroque posuit Apostolus: etenim cum Adam peccasset, & plurimi divinas leges transgressi essent; permanserunt nonnulli in decretis naturae, & virtutis curam gessere, sicut Abel, Enoch, & Nohe, & Patriarchae, & Prophetae, & alii plurimi, non solum apud Judaeos, sed etiam apud alias gentes, de quibus

Rom. 2. 14.

dixit Apostolus: Quando enim gentes, quae legem non habent, quae legis sunt, natura faciunt; ii, legem non habentes, sibi ipsis sunt lex: ea de causa & in exemplari & in imagine illud, MULTI, posuit. Conferas te ad Annotationem praecedentem, & huc etiam revocabis dicta Arnobii, in hanc sententiam, quae invenies libro quinto, Annotatione 177.

ANNOTATIO CCXXXVIII.

In quo omnes peccaverunt. Rom. 5. b

Nam peccatum Adae transierit ad posteros, non propagatione, sed imitatione.

AUCTOR Commentariorum in Paulum, qui Hieronymi nomine inscribuntur, in interpretatione capituli hujus non longe abesse creditur ab errore Pelagii: docet enim peccatum primorum parentum non per propagationem corruptae originis, sed per exemplum & imitationem duntaxat emanasse ad posteros, non quidem omnes, sed ad eos tantum, qui ad similitudinem praevaricationis Adae sponte sua peccaverunt: quam quidem assertionem ipse Auctor ex-

Author Commentar. in Epistol. ad Romanos non est Hieronymus, sed Pelagius.

pressit his verbis: ITAQUE in hunc mundum peccatum intravit, & per peccatum mors exemplo vel forma: & ita in omnes homines mors pertransiit, dum ita peccant, & similiter moriuntur. Non enim in Abraham, Isaac, & Jacob pertransiit: de quibus dicit Dominus, Omnes illi vivunt: hic autem ideo dicit, omnes mortuos, quia in tanta multitudine peccatorum non excipientur pauci ju-

Rom. 3. 4.

sti, Sicut ibi, Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum: &, Omnis homo mendax, Sive in eos omnes pertransiit, quod humano, non coelesti ritu vivebant. Item nunc Apostolus hic per mortem, mortem animae significat, qua Adam

Ezech. 18. 20.

praevaricans mortuus est, sicut Propheta dicit: Anima, quae peccaverit, ipsa morietur: & deinde addit Apostolus, in quo omnes peccaverunt, hoc est, in eo, quod omnes peccaverunt, exemplo Adae peccant. Haec Auctor habet in expositione quinti capitis: postea vero in expositione septimi capitis ejusdem epistolae super illud,

Rom. 7. 8.

Sine lege peccatum mortuum erat, in eandem sententiam apertius descendit, ita scribens: ITEM si cum lex non erat, peccatum mortuum erat; insaniunt qui de Adam per traducem asserunt ad nos venire peccatum: propterea dicit hic, Peccatum mortuum est, quia in infantibus, qui sine lege sunt, non vivit, id est, impune committitur: nam maledicente infante parentibus, videtur esse peccatum, non tamen vivum, sed mortuum: puer enim licet peccet, mortuum est in eo peccatum, quia non est legi subjectus. Damnantur, & hic error, & haec Apostolicae sententiae interpretatio decreto Concilii Africani, quod in capite septuagesimo septimo diffinitionum ejus habetur, his plane verbis: QUICUNQUE parvulos dixerit, nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur, unde in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur, Anathema sit: quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus,

Rom. 5. 12.

Per unum hominem peccatum intravit, & per peccatum mors, & in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt, nisi quemadmodum ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit. Subscribit huic decreto sacrosancta Synodus Tridentina sessione quinta, canone secundo, cujus verba haec sunt: SI QUIS Adae praevaricationem sibi soli, & non ejus propagini asserit nocuisse, & acceptam a Deo sanctitatem, & justitiam, quam perdidit, sibi soli, & non nobis etiam eum perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum mortem, & poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod mors est animae, Anathema sit; cum contradicat Apostolo, dicenti, Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.

AN-

ANNOTATIO CCXXXIX.

Ut serviamus in novitate spiritus, & non in vetustate literae. Rom.7.a

Utrum abstinentia juramenti, & dilectio inimici sint consilia, vel praecepta.

CHRYSOSTOMUS homilia in epistolam ad Romanos 12. in expositione loci hujus talia posuit verba: QUO tempore Adam peccavit, tunc ejus corpus mortale factum est, & patibile; ac plurimos inde morbos accepit, unde & ponderosior & effraenatior equus redditus est: verum Christus adveniens, moderatiorem eum nobis per baptisma restituit, pennis spiritus ipsum allevians & accommodans, unde nec eadem nobis & antiquis stadia proposita sunt, quod non tam facilis cursus esset: quamobrem quoque non tantum perit a nobis, ut mundi simus a caede, sicut ab eis petebat; verum etiam ne irascamur. Nec solum ab adulterio, sed ab impudico etiam aspectu cavere nos jubet: & non modo a perjurio, sed etiam a quovis juramento nos prohibet; atque una cum amicis & inimicos diligere praecipit: sicque in aliis omnibus rebus cursus nobis longiores instituit: ac nisi pareamus, gehennam minatus est: ostendens haec ipsa, non magnificentiae, aut liberalitatis certantium esse, quemadmodum virginitas & inopia; sed quod omnino perfici debent. Urgentia enim & necessaria sunt: & quisquis ea non fecerit, ultimas poenas daturus est.

LUCIANUS Monachus in Annotationibus super Chrysostomum, a Concilio Tridentino damnatis, arrepta ex his verbis ansa mordendi scholares theologos, impingit eis, quod inter Evangelica consilia collocaverint abstinentiam a juramento, & dilectionem inimicorum, quae Chrysostomus ita demonstrat esse praecepta necessaria & urgentia, ut extrema supplicia luiturus sit, qui ea non peregerit. Atqui apparet eum in hanc opinationem incidisse ex inscitia scholasticae theologiae, quam nec a limine quidem salutaverat. Nullus enim scholasticorum unquam docuit interdictionem juramenti esse prorsus, & omni ex parte consilium, imo statuunt ab iis in prohibitione veri juramenti tres gradus: quorum primus est, ut nullo modo, nec etiam vere, nec in causa justa juremus per creaturas, quasi eis divinam reverentiam exhibentes, ne creaturas inter Deos referre videamur. Secundus est, ne dubii & ambigui faciliter & leviter ac temere juremus, etiam vere, & in re licita. Tertius est, ut hi, qui summum Christianae perfectionis statum profitentur, nullo modo in causis inter ipsos versantibus jurent. Scholastici duos priores gradus vim praecepti habere fatentur: tertium inter consilia, perfectis tradita, enumerant, ducti auctoritate quorundam non contemnendi nominis Patrum; qui hunc postremum non jurandi gradum ad consilia retulerunt. Ex horum numero est D.Bernardus, qui in sermone 65. super Canticum Canticorum invehens contra quosdam haereticos, dicentes, non esse licitum jurare, esse tamen licitum pejerare, ne secreta sectae suae ab aliis scirentur, sic ait: PATET vos & superstitiose observare de juramento, & flagitiose praesumere de perjurio. O perversitatem! quod ad cautelam consultum est, videlicet non jurare, hoc isti mandati vice tam contentiose observant, & quod immobili jure sancitum est, non pejerandum scilicet, hoc tanquam indifferens pro voluntate dispensant. In eandem sententiam fuerat ante Bernardum Christianus Druthmanus in Commentariis super 5. Matth. cap. inquiens: NE Judaei per idolorum nomina jurarent, permisit eis Dominus jurare per nomen suum: nec nobis etiam inhibuit, sed perfectionem nos docuit, &c.

Lege S.Thomam 2.2 Qu. LXXXIX & ibi notas marginales N Cl Johannis Nicolai.

EODEM quoque modo scholastici legem de inimicis diligendis triplici distinguunt gradu, nempe in dilectionem communem, indifferenter amicis & inimicis omnibus, & omni tempore exhibendam; in dilectionem particularem, inimicis necessitatis tempore exhibendam, & in dilectionem particularem, inimicis extra necessitatis discrimina demonstrandam. Primum, & secundum gradum inter praecepta locant: ultimum inter consilia reponunt: & juxta hanc distinctionem interpretandus est quidam Chrysostomi locus in 1. lib. De compunctione cordis, ubi auctor ille dilectionem inimicorum ait non esse cohortationem, sed jussionem: quem quidem locum Joannes Calvinus cap. 3. suae Institutionis scholasticorum

Lege S Thomam 2.2 Qu. XXV. Artic. VIII. & IX.

Haec habet Johann Calvinus Lib II. Institut Cap. VIII. nu. 57.

Sermo olim de Tempore LXI sub nomine S. Augustini, non est S. Patris, & nunc in Appendicem rejectus est a PP. SS. Bordin. CCLXXXIII.

Matth. 5. 44.

sententiae opponit. Solvitur item ex hac distinctione dictum illud Augustini, quod Lutherani adversus scholasticos allegant ex sermone ejus De tempore 61. ubi sic legitur: DOMINUS in Evangelio, ut inimicos diligere debeamus, non dedit consilium, sed praeceptum: aliud est consilium, aliud est praeceptum. Consilium datur, ut virginitas conservetur, ut a vino & carnibus abstineatur, ut vendantur omnia, & pauperibus erogentur: praeceptum datur, ut justitia custodiatur, ut omnis homo divertat a malo, & faciat bonum: & sic praecepit Dominus, Diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui vos oderunt, &c. Regredere ad Annotat. libri hujus 26. & 27.

ANNOTATIO CCXL.

Sine lege peccatum mortuum erat. Rom. 7. b

Peccatum originis an ex traduce.

AUCTOR Commentarii Hieronymiani in epistolam ad Romanos asserit eos insanire, qui putant, peccatum Adae ad nos per traducem transisse: deinde addit, peccata puerorum parentibus maledicentium, nullam mereri poenam, sed impune committi, quia adhuc sine lege sunt, & donec adolescant, non sunt legi subjecti. Vide Annotat. 238.

ANNOTATIO CCXLI.

Scimus, quia lex spiritualis est. Rom. 7. c

Expositio loci hujus retractata.

AUGUSTINUS in libro Propositionum ex epistola ad Romanos, exponens haec verba, Scimus, quod lex spiritualis est: ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato: quod enim operor, non intelligo: non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, hoc facio, *Usque ad eum locum*, Infoelix ego homo, &c. censuit non ex persona Apostoli accipiendum esse illum, qui spiritualis erat, sed ex persona hominis sub lege positi, & nondum sub gratia constituti, qui bene facere volens concupiscentia victus male facit. Recensuit hunc locum Augustinus primo Retractationum, cap. 23. volens haec verba Apostoli melius & rectius exponi, si intelligantur de persona hominis sub gratia constituti propter carnis corpus, quod spirituale nondum est, & propter carnis concupiscentiam, cujus motibus sancti in hac vita non carent, quanquam ipsis resistant, nec eis in malum consentiant.

ANNOTATIO CCXLII.

Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Rom. 7. c

Num passiones naturales fuerint in homine ante peccatum.

CHRYSOSTOMUS homilia in epistolam ad Romanos tertia decima subindicare videtur, naturales concupiscibilis & irascibilis facultatis affectiones ante peccatum non fuisse in homine; sed statim post peccatum ex necessitate mortalitatis in hominem intrasse. Ita enim fatur: IN homine una cum morte, & affectuum turba introiit: cum enim corpus mortale effectum est, tum denique necessario admisit & concupiscentiam, & iracundiam, & dolorem, & caetera omnia, quae magnae admodum constantiae, ac sapientiae indigebant, ut ne inundantis aestus vis, ac tempestas rationem in nubis obrueret, in peccati voraginem demersam: illi enim affectus, peccatum haud quaquam erant; sed illorum immoderatio effraenata hoc efficiebat. Eodem spectat, quod homilia decima octava in Genesim scripsit, concupiscentiam rei venereae subintrasse in hominem post peccatum, cum antea nulla fuisset. Ejus verba sic habent: ANTE inobedientiam, primi parentes angelicam vitam imitabantur, & nullus de re venerea sermo erat: quomodo enim potuit, cum neque corporalibus necessitatibus obnoxii fuerint? itaque ab initio virginitas palmam principatus accepit: sed postquam per desidiam peccatum intravit, & aditus patefactus est his, quae peccati sunt, & illa quidem avolavit, utpote ab his, qui indigni tantae virtutis magnitudine facti erant. Subintravit autem rei vene-

reae

reae lex. Et infra, POSTQUAM enim per inobedientiam intravit peccatum, & sententia mortales illos fecit, consequenrer omniporens Deus, secundum suam sapientiam humani generis durationem gubernaos, concessit per coïtum auctum iri nostrum genus. Haec Chrysostomi dicta non de ipsis naturalibus affectibus intelligenda sunt, qui etiam ante peccatum in homine fuerunt, utpote ipsi homini in prima naturae conditione indiri, sed de affectuum perturbatione & excessu, qui peccatum securus est: unde prudenter Chrysostomus non dixit, post peccatum introisse affectus, sed affectuum turbam, hoc est, perturbationem & excessum. Possunt etiam haec ipsa verba aliqua ex parte ad usum & exercitium naturalium passionum referri: nam & rei venereae usum, & irae stimulos, ac doloris sensum post Adae lapsum incepisse constat.

LUCIANUS Monachus in damnatis super Chrysostomum Annotationibus, excutiens praedicta verba ex homilia tertia decima, videlicet Affectus illi haud quaquam peccatum erant, &c. impingit Chrysostomo, quod contra communem theologorum definitionem docuerit affectus mortalium inordinatos, & innatam concupiscentiam peccati non esse peccatum. Sed perperam exposuit sancti viri dictum, quod quidem referendum est non ad affectus mortalis hominis post lapsum Adae corruptos, sed ad illos adhuc integros affectus, quos homo in prima sua formatione acceperat. Lege S. Thomam 1.2. Qu. LXXXII. Artic. 3.

ANNOTATIO CCXLIII.

Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Rom. 7. d

CHRYSOSTOMUS homilia in epistolam ad Romanos tertiadecima in enarratione hujus clausulae, tantam, inquit, fuisse Dei indulgentiam, ut in lege Mosaica minora ac leviora praecepta dederit, quam in lege naturae: quam sententiam duplici argumento demonstrat in his verbis: DEUS in lege scripta homines non ad summam pertraxit politiam; sed permisit pecuniis illos frui, pluribus uxoribus uti non prohibens, & irae gratificari, quoad justum esset, & voluptatum moderatarum usum habere. Denique tanta erat indulgentia, ut scripta lex minora etiam exigeret, quam naturalis lex dictaret: nam naturae lex virum unum mulieris unius consuetudine contentum esse jussit: quod & Christus indicans, ait: Qui ab initio fecit, marem & foeminam eos fecit: at Mosis lex neque hanc repudiari, neque illam repudiatae in locum admitti prohibuit; neque duae, quo minus eodem haberentur tempore, interdixit. Praeter id autem videas, qui ante Mosis legem vixere, sub naturali lege eruditi, eos plura praestitisse, quam in Mosis lege contenta essent. Num lex Mosis minora praecipiat, quam lex naturae. Matth. 19. 4.

IN GRAECO Chrysostomi codice, quem Sanctes Pagninus, vir doctissimus posuit in bibliotheca Praedicatorum Lugdunensi, legimus in margine hujus loci Graecum scholion, ipsius Pagnini manu sic ascriptum: Σκλήρον τοῦτ' ἐστί, καὶ παρὰ τῶν σχολαστικῶν δόγματα: id est, Durum hoc est, & praeter scholasticorum placita.

ANNOTATIO CCXLIIII.

Deus filius suum mittens in similitudinem carnis peccati, &c. Rom. 8. a

AUCTOR commentariorum Hieronymi in Paulum, hoc dilucidans, videtur innuere, quod in carne Christi fuerit inclinatio ad peccandum, inquiens: FILIUS Dei, suscepta carne, quae ad peccandum esset proclivior, ipse tamen absque peccato eam suscepit. Et idcirco dicitur, in similitudinem carnis peccati suscepta carne venisse, & peccatum in eadem carne damnasse, quoniam carnem, quam susceperat, innoxiam servavit ab omni contagione peccati. Henricus Hassius in librum tertium Sententiarum, distinctione tertia ait haec verba non ita esse accipienda, quasi filius Dei carnem susceperit proclivem ad peccandum; sed quia carnem illam, quam filius Dei assumpsit ab omni peccati inclinatione immunem, de massa carnis suscepit, quae erat ad peccandum proclivior. Num caro Christi inclinationem habuerit ad peccatum.

ANNOTATIO CCXLV.

Vanitati creatura subjecta est non volens. Rom. 8. d

An Coeli ob peccatum Adae corruptibiles, ac dissolubiles effecti sint. CHRYSOSTOMUS homilia in epistolam ad Romanos quartadecima, propositam sententiam explicans, sentire videtur, quod elementorum & coelorum corpora, ob lapsum primi hominis in peccatum & mortem, facta sint senectuti, corruptioni, & interitui obnoxia; quodque rursus hominis gratia incorruptionem & immortalitatem recipient, cum in ultima resurrectione homines gloriosi corporis immortalitate donabuntur. Verba ejus haec sunt: QUID hoc sibi vult, Vanitati creatura subjacet? corruptibilis effecta est, inquit: cujus rei gratia, & quamobrem? propter te hominem: nam, postquam corpus tuum mortale fecisti, atque patibile; terra ipsa quoque maledicto subjacuit, & spinas protulit, & tribulos. Quod autem & coelum una cum terra senescens, tandem in meliorem statum sit transferendum: audi Prophetam, dicentem, Ab initio tu Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt coeli: ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes, ut indumentum, veterascent: & tanquam vestem mutabis eos, & mutabuntur. Esaias quoque eadem asserit, dicens: Suspicite coelum, & respicite terram: quoniam coelum, ut fumus, deficiet; terra, sicut vestimentum, senescet: qui autem ipsam incolunt, instar illorum peribunt. Videsne, ut vanitati serviat universitas? & quo pacto liberanda sit a corruptione? ille enim ait, Tanquam vestem mutabis eos, & mutabuntur: Esaias autem dicit, Qui vero terram incolunt, instar illorum peribunt: non penitus abolenda significans, (non enim qui terram incolunt, id est homines, hoc pacto peribunt) sed temporarius eorum interitus erit: per quem etiam ad immortalitatem transibunt; quemadmodum & natura omnis condita, quae quidem omnia simul exposuit in eo, quod ait, Instar illorum: sicut & Paulus in sequentibus dicet: nunc autem usque eo de illius disserit servitute, dum nobis aperiat, qua de causa ejusmodi facta sit: quam causam nos esse asserit. Quid igitur? injuria affectus est mundus, alterius culpa haec sustinens? nequaquam: nam & propter me factus est: quod si propter me factus est; quomodo injuriam pati dicitur ob meam correctionem haec sustinens? alioquin nec justi, nec injusti ratio quaerenda est in hisce rebus, quae animo ac sensibus carent: verum Paulus postea, quam mundo semel personam attinxerat, nulla earum rerum, quas polui, voluit uti, alia quadam ratione, tanquam auctario lectorem sublevare festinans. Quanam vero ratione? quid ais? inquit, male habitum est universum tui causa, & dissolubile factum? sed nihil injuriae patitur: nanque indissolubile rursus propter te fiet: hoc est enim, quod ait in spe. Quod vero dixit, Subjecta est non sponte: non ideo dixit, quo propriae sententiae dominum mundum ipsum efficiat, sed ut intelligas rem totam Christi providentia geri, non illius virtute. Quae sit autem spes illa, subjunxit, cum ait: Quoniam & ipsa natura liberabitur. Quid est ipsa? Non tu solus, inquit, verum etiam quod te deterius est; quod rationis capax non est, & sensibus vacat: hoc ipsum, inquam, bonorum illorum particeps erit: liberabitur, inquit, a servitute corruptionis, hoc est non amplius corrumpetur: sed tui corporis naturam imitabitur: ut enim ipso corrupto, simul corrupta est: ita & incorruptibile factum ipsa sequetur. Quam rem indicans ait, In libertatem gloriae filiorum Dei. Hoc est, propter libertatem: sicut enim nutrix, quae puerum regium educavit, una cum illo bonis potitur in paternum solium elevato: sic, & mundus, inquit, bonis illis fruetur. Cernisne hominem ubique praestare? cujus & gratia facta sunt omnia? vides, quemadmodum consolatur certantem: ac simul ostendit ineffabilem erga nos Dei benignitatem? Quid doles, inquit, in rebus adversis? An non tu tui solius causa pateris: mundus autem propter te omnis? non modo autem consolatur certantem, verum etiam fide digna facit, quae dicta sunt? si enim mundus ipse sperat, loquit, atque confidit, qui propter te conditus est, factusque omnia: multo magis & tu spem alere debes, ob quem mundus bonis illis fruetur, sic & parentes facere consueverunt, ubi filius in altiori gradu spectandus sit: servos enim

Psal. 101. 26. 27.

Isai. 51. 6.

novis

novis & splendidioribus vestibus induunt ad gloriam ejus: sic igitur & Deus fabricam hanc induet immortalitate, in libertatem gloriae filiorum.

HUCUSQUE Chrysostomi sermo: cui consona sunt, quae idem scripsit homilia ad populum Antiochenum decima his verbis: DEUS mirabilem & magnum fecit mundum, sed & corruptibilem & marcescibilem, & ipsius imbecillitatis multas miscuit demonstrationes. David enim demonstrans, quod etsi pulchrum & magnum, tamen est corruptibile, sic inquit: Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt coeli: ipsi peribunt; tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent; & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur. Et iterum de Sole inquit idem: Tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit, ut gigas, ad currendam viam. Psalm. 18. 6. Vidisti ipsius pulchritudinem? vidisti magnitudinem? vide & imbecillitatis ejus demonstrationem: etenim & hoc demonstrans, sapiens dicebat: Quid lucidius Sole? & hic deficiet. Eccles. 17. 30. Iterum de scripturis vobis demonstrabo, quod non solum Sol, sed & omnis mundus corruptibilis est: sed quoniam tenuitate nostra altior hic est sermo; age ad dulcem nos scripturarum fontem agentes, aures nostras mulceamus: Non enim de coelo & terra sigillatim vobis dicemus, sed de omni pariter creatura, & hoc ipsum vobis demonstranrem Apostolum ostendemus, sic manifeste dicentem; quod omnis Rom. 8. 18. 19. 20. creatura corruptioni nunc servit, & quare servit, & quando mutabitur, & in qualem transibit finem: postquam enim dixit, Non sunt condignae passiones Ibidem 18. praesentis temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis: intulit, quod Expectatio creaturae revelationem filiorum Dei operitur: vanitati enim creatura subjecta est non sponte, sed propter eum, qui subjecit eam in spe. Quod autem dicit, hujusmodi est: Corruptibilis creatura facta est: hoc enim est, Vanitati subjecta est: corruptibilis autem facta est, Deo sic jubente: jussit autem sic Deus propter genus nostrum: quoniam enim hominem nutrire debebat corruptibilem, & ipsa talis esse debebat: non enim corruptibilia corpora decebat incorruptibili uti creatura. Sed inquit, Non tamen talis remanet: sed & ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis. Deinde demonstrans, quando hoc erit, & per quos, intulit: In libertatem gloriae filiorum Dei: cum enim resurrexerimus, inquit, & incorrupta sumpserimus corpora; tunc & coeli corpus, & terrae, & mundi totius incorruptum erit, & immarcescibile. Hactenus Chrysostomi verba recensui.

HUJUS sententiae omnis recentium theologorum schola adversatur, praesertim vero in his, quae spectant ad corpora coelestia: haec enim idcirco perpetua & incorruptibilia esse ostendunt, quoniam substantiam habeant a quatuor elementorum substantia diversam, omnisque peregrinae impressionis expertem: & quia tot saeculorum lapsibus ita permanserint incorruptibilia, ut nullum senescentiae praebuerint indicium, nihilque de eorum magnitudine, aut pulchritudine temporis injuria consumpserint. (Lege S. Thomam Suppl. ad III. P. Qu. XCII.) Atqui D. Ambrosius libro primo Hexaëmeron, cap. 6. refellens eos, qui coelos ponunt incorruptibiles, & ex quinta quadam substantia constantes, ita scribit: ALII aetereum corpus coeli, stellarumque esse arbitrati sunt, quintam quandam naturam corporis introducentes, quo diuturnam coeli putarent mansuram esse substantiam: sed non ista opinio propheticae potuit obviare sententiae, quam divina quoque Domini Jesu Christi majestas Dei nostri in Evangelio comprobavit: dixit enim David: principio terram tu fundasti Domine, & opera manuum tuarum sunt coeli: ipsi peribunt, &c. (Psal. 101. 26.) quod adeo probavit in Evangelio Dominus, ut diceret, Coelum & terra praeteribunt; mea autem verba non praeteribunt. (Luc. 21. 33.) Nihil ergo agunt, qui propter coeli asserendam perpetuitatem quintum corpus aethereum introducendum putarunt. Haec Ambrosius: cui omnes fere Graeci Patres consentiunt, affirmantes coelum suapte natura corruptibile & caducum; non corrumpendum tamen providentia & gratia Dei conservantis. His affinia habes infra Annot. 340.

AN-

ANNOTATIO CCXLVI.

Et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, &c. Rom. 8. d

Adam utrum peccando amiserit imaginem Dei.

AUGUSTINUS lib. 83. Quaestionum, quaest. 67. duo dixisse videtur, unum, quod primus homo peccando amisit Dei imaginem; alterum, quod infimi angeli animaliter vivant: utrunque retractavit lib. 1. Retract. cap. 26. his verbis: CUM exponerem, quod scriptum est, Et ipsa creatura liberabitur a servitute interitus, dixi: Et ipsa creatura, id est ipse homo, signaculo imaginis propter peccatum amisso remansit tantummodo creatura. Quod non ita accipiendum est, quasi totum amiserit homo, quod habebat imaginis Dei: nam, si omnino amisisset, non esset, propter quod diceretur: Reformamini in novitate mentis vestrae: & In eandem imaginem transformamur: sed rursum, si totum amisisset, nihil maneret, unde diceretur: Quanquam in imagine ambulet homo; tamen vane conturbatur. Item quod dixi, Spiritaliter summos angelos vivere, infimos vero animaliter; audacius dictum est de infimis, quam ut possit, vel scripturis sanctis, vel ipsis rebus ostendi: quia etsi forsitan potest, difficillime potest.

Rom 12. 2. II. Cor. 3. 18. Psalm. 38. 7.

ANNOTATIO CCXLVII.

Secundum Deum postulat pro sanctis. Rom. 8. e

Aeternae gloriae privatio.

CHRYSOSTOMUS non longe a fine homil. 14. in epist. ad Romanos, ad peculiarem sibi sententiam recurrens, ait: DIVINAE gloriae privationem quavis gehenna graviorem, & alienationem ab aeterna quiete quibuslibet suppliciis deteriorem. Vide supra Annot. 41. libri hujus.

ANNOTATIO CCXLVIII.

Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Rom. 8. e

Num omnes homines eliguntur, ac destinentur ad aeternam vitam.

AMBROSIUS, Compsae episcopus, totum hunc locum usque ad finem praesentis capituli pertractat, & particulatim exponit juxta doctrinam dogmatis De Praescientia & Praedestinatione; quod ipse primus omnium (nisi fallor) invenit, & peculiari volumine evulgavit. Summa vero dogmatis est, Deum ab aeterno sua gratuita bonitate omnes homines, nemine eorum excluso, novisse, dilexisse, elegisse, destinasse, & in tempore ad vitam aeternam vocasse, non tamen eodem modo & ordine. Distinxit enim Deus omne genus hominum in duas partes, sive classes: in quarum priore ac praestantiore assumpsit eos, quos recte appellare queas praescitos, praedilectos, praeelectos, praedestinatos, & praevocatos: quia Deus eximia quadam amoris praerogativa illos prae aliis dilexit, prae aliis elegit, prae aliis destinavit, & singulari quodam privilegio magis ac fortius, quam caeteros, vocavit; quales sunt Maria virgo, Apostoli, Paulus, & alii, quos Deus tanto gratiae munere donavit, tantisque ad salutem praesidiis instruxit, ut, salva etiam arbitrii libertate, a salute excidere nequeant, qui immutabili quodam & infallibili divinae providentiae decreto, stante semper liberae voluntatis arbitrio, ad vitam aeternam praedestinati sunt. In secunda vero classe aptavit Deus reliquam humani generis multitudinem; quam non fixo & inevitabili decreto, sed sub conditione quadam mutabili salvos esse voluit, & ob id eos nec tanta gratiarum affluentia dignatus est, nec tot ac talibus ad beatitudinem consequendam adminiculis juvit. Ambrosius igitur ad primam salvandorum classem referens, quaecunque in fine hujus capituli recensentur, ait ad eam pertinere illos, quos Paulus scribit, secundum propositum vocatos esse; quibus omnia cooperantur in bonum; quos Deus praescivit, hoc est praecaeteris scivit, & approbationis notitia novit; quos Deus praedestinavit, hoc est prae omnibus & ante omnes

omnes destinavit ad conformitatem imaginis filii ejus; quos prae aliis purius justificavit, potentius vocavit, splendidius magnificavit; quos nemo accusare, nemo damnare, nemo a Christi charitate & gloria separare potest, quia immobiliter praedestinati sunt ad gloriam, nec augeri potest eorum numerus, nec minui; quibus denique tanta inest de futura gloria, & praesenti gratia certitudo, ut unusquisque eorum una cum Paulo fidentissime dicere queat, Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque ulla creatura poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo. Rom. 8. 37. 38.

HANC AMBROSII, praeceptoris mei, sententiam ipse olim adeo veram credidi, & adeo aptam existimavi ad evellendas duras quasdam & atroces de praedestinatione opiniones, quibus haeretici nostrorum temporum animos simplicium desperatione impleverant, ut eam ab anno aetatis meae vigesimo usque ad trigesimum in multis ac praecipuis Italiae urbibus pro concione explicaverim, non sine audientium plausu, ac perturbatarum mentium fructu: sed cum postea animadvertissem hujusmodi assertionem difficultatibus & angustiis non paucis premi, & ob id a plerisque doctis ac piis theologis non probari; satius duxi ab ejus praedicatione desistere, quam pio eruditorum judicio improbata docere. Scripsit adversus hanc opinionem Dominicus Sotho Segobiensis in commentariis, quos edidit in epistolam ad Romanos cap. nono. Lege infra Annot. 251.

ANNOTATIO CCXLIX.

Quos praescivit, & praedestinavit. *Rom. 8. f*

ORIGENES libro septimo commentariorum in epist. ad Rom. tradere videtur, quod praescientia Dei non sit causa rerum futurarum, sed quod res futurae sint causa praescientiae Dei, sic scribens: NAM etsi communi intellectu de Praescientia sentiamus, non propterea erit aliquid, quia id scit Deus futurum: sed quia futurum est, scitur a Deo ante, quam fiat: nam etsi verbi gratia fingimus Deum non praenoscere aliquid; futurum sine dubio erat, quod ita ut puta Judas proditor factus est: & hoc ita futurum prophetae praedixerunt. Non ergo, quia prophetae praedixerunt, idcirco prodidit Judas: Sed quia futurus esset proditor, ea, quae ille ex proposito sui nequitia gesturus erat, praedixerunt prophetae. Augustinus huic sententiae adversari existimatur libro 15. De Trinitate, cap. 13. inquiens: UNIVERSAS creaturas & spiritales & corporales, non quia sunt, ideo novit: non enim nescivit, quae fuerat creaturus: quia ergo scivit, creavit; non quia creavit, scivit; nec aliter scivit creata, quam creanda, non enim ejus sapientiae aliquid accessit eis; sed, illis existentibus, sicut oportebat, & quando oportebat, illa mansit, ut erat: unde in Ecclesiastico, Ante, quam crearentur, omnia nota sunt illi: sic & postquam consummata sunt. Divus Thomas in primo Summae volumine, quaest. 14. artic. 8. inquit Origenem loqui de scientia simplicis notitiae, cui nondum adjuncta sit voluntatis approbatio; Augustinum vero esse locutum de scientia, adjuncto voluntatis proposito. Quod autem ab Origene dictum est, ideo Deum praescire aliqua, quia futura sunt, ait intelligendum fore secundum causam consequentiae, & non secundum causam essendi: sequitur enim, si aliqua sunt futura, quod Deus ea praesciverit: non tamen res futurae sunt causa, quod Deus sciat. (a)

Num res futurae sint causa divinae praescientiae, vel contra.

Eccles. 23. 29.

ANNOTATIO CCL.

Quos praedestinavit, hos & vocavit. *Rom. 8. f*

JACOBUS Sadoletus, Carpentoractis episcopus, libro secundo commentariorum in epistolam ad Romanos haec expositione illustrans, ait, quod Deus neminem ex solo divinae voluntatis arbitrio aut eligit, aut reprobat; sed hunc eligit,

Electio, & reprobatio, an ex operis praevisione sint.

(a) Consule S. Thomam loco ab Authore laudato, nec non *I. Sent. Qu. XXXVIII. Art. I.* & *Contra Gent. lib. 1. cap. 61. 62.*, & *Qu. II. de Verit. Art.* 14. & adtende notas marginales Cl. N. Johannis Nicolai cum in Summa, tum in lib. Sententiarum.

eligit, quia praenovit eum non aspernaturum divinam vocationem, & fidei lumen non aversaturum: illum vero reprobat, quia praevidit ipsum oppositurum obicem divinae vocationi, & divinam gratiam repudiaturum. Quam opinionem prolixo tractatu prosequitur, Augustini sententiam de praedestinatione & reprobatione ex solo Dei beneplacito confutans. Vide Annotationem proxime sequentem.

ANNOTATIO CCLI.

Jacob dilexi, Esau autem odio habui. *Rom. 9. b*

An praedestinatio fit ex meritis praedestinatorum a Deo praevisis.

CHRYSOSTOMUS homilia in epistolam ad Romanos, hunc locum pertractans, indicare videtur aeternam Dei erga suos, dilectionem, electionem, praedestinationem, & temporalem vocationem, oriri ex meritis electorum, ab aeterno in divina praescientia praevisis. Ita enim scribit: QUA igitur de causa Jacob quidem amori, Esau autem odio habitus erat? qua de causa hic serviebat, ille autem imperabat? quoniam quidem hic malus erat, ille autem bonus erat, quanquam illis nondum natis, alter quidem honorabatur, alter autem condemnabatur. Adhuc enim nati cum non essent, dixerat Deus, Major serviet minori. Et infra comparans divinam electionem electioni artificum, qui res eligunt, quas norunt suo usui aptiores, ait: MULTI Matthaeo meliores esse videbantur, ab apparenti operum argumento. Verum qui arcana novit, quique cogitationis aptitudinem probare potest; is & in coeno margaritam jacentem novit; omissisque aliis, admiratus hujus pulchritudinem, illum elegit: voluntatisque nobilitati suam cum adjunxisset gratiam, probatum illum esse pronunciavit: si enim in artibus his fragilibus, qui judicare valent, non ab iis argumentis, per quae imperiti calculum ferunt, quae proposita sibi sunt, eligunt; sed ab iis, quae probe ipsi norunt: & equorum domitores hoc idem persaepe in equis factitant, & qui lapidum preciosorum judices sunt, & qui caeterarum artium opifices: multo magis benignus Deus, qui solus omnia apetre novit, a propria sapientia de omnibus calculum feret. Propterea sane publicanum elegit, & latronem, & meretricem: sacerdotes autem, & senes, & magistratus reprobavit, & ejecit.

Rom. 9. 12. Et Genes. 25. 23.

ET HOMILIA in epist. ad Ephesios prima, de electione loquens, ait: QUOD si homines quando eligunt, optima sibi deligunt: multo magis Deus: eligi enim & divinae benignitatis indicium est, & virtutis eorum, qui eliguntur.

RURSUS hom. ad Eph. 2. ELEGIT omnino juxta delectum liberumque propositum praedistinatos, hoc est praedestinavit, quos sibi ipsi delegerat, juxta quod nos vidit ante, quam in sortem ascisceremur.

ITEM homilia in Matthaeum 31. causam vocationis Matthaei, & Pauli, & aliorum Apostolorum ascribens obedientiae, quam Deus in illis futuram praeviderat, haec prodit: CUJUS rei gratia non cum Petro simul & Joanne & aliis discipulis ipsum Matthaeum vocavit? certe quemadmodum tunc, ad illos accessit, vocavitque, quando obtemperaturos sciebat: sic Matthaeum quoque tunc vocavit, quando minime reluctaturum videbat. Qua de causa etiam Paulum post resurrectionem piscatus est: nam qui corda scrutatur, etiam quando unusquisque ad obediendum paratus erat, non ignoravit.

ET HOMILIA in Matthaeum 56. vocationem operariorum ad vineam eorum bonae voluntati his verbis attribuit: OMNES quidem ille ab initio conduxisse voluisset, sed a voluntate vocatorum haec differentia resultavit. Idcirco alii mane, alii tertia, alii sexta, alii nona, alii undecima hora vocantur, quia tunc obtemperaturi erant: quod & Paulus aperte significavit, dicens: QUANDO autem visum est Deo, qui me segregavit ex utero matris meae: quando autem ei visum est? quando certe obtemperaturus erat: nam ipse a primis etiam incunabulis voluisset: sed quia illum renixurum sciebat; tunc voluit, cum animum ipsius penetraturam vocationem non ignorabat: sic & Latronem postea vocavit. Potuisset antea ipsum vocasse, sed vocatus ille non paruisset: nam si Paulus ab initio non paruisset, multo minus ipse Latro.

Galat. 1. 15.

ITEM homilia in Psalmum 115. de vocatione Centurionis loquens, id ipsum confirmans,

confirmans, ait: SI PATER trahit, Filius deducit, Spiritus illuminat; quid peccant, qui neque tracti sunt, neque deducti, neque illuminari? quoniam non praebent se ipsos dignos, ut eam suscipiant illuminationem. Vide ergo hoc evenisse Cornelio: neque enim hoc ille domi apud se invenit, sed cum Deus vocavit, quoniam ipse praeoccupans se ipsum dignum: etsi enim ejus est trahere & inducere; animam tamen requirit, quae morem gerat, & tunc suum adhibet auxilium. Quocirca alibi dicit Paulus, Secundum propositum vocatis. *Actor. 10.* *Rom. 8. 28.*

HUCUSQUE Chrysostomus: in cujus sententia plerique veterum Patrum fuisse videntur; quorum singula testimonia huc libet inserere, ne mihi deinceps ad hoc ipsum argumentum redire opus sit.

ORIGENES libro in epistolam ad Rom. septimo, exponens illud, An non habet potestatem figulus luti, &c. haec scripsit: ILLUD, quod paulo ante de Jacob & Esau proposuit, apertius explanatur. Ut enim Jacob esset vas ad honorem sanctificatum, & utile domino ad omne opus bonum paratum; anima ejus emundaverat semetipsam, & videns Deus puritatem ejus (potestatem enim habens ex eadem massa facere aliud vas ad honorem, aliud ad contumeliam) Jacob quidem, qui, ut diximus, emundavit semetipsum, fecit vas ad honorem: Esau vero, cujus animam non ita puram, nec ita simplicem vidit, ex eadem massa fecit vas ad contumeliam. Ut autem scias, quod pro puritate & simplicitate animae Jacob factus fuerit ad honorem vas; audi, quale ei divina scriptura simplicitatis testimonium perhibet. Et erat, inquit, Jacob homo simplex: ideo ergo Apostolus dicit de eis: quia prius, quam nascerentur, dicitur de eis, Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Idem libro primo in epistolam ad Romanos, causam referens, ob quam Paulus electus sit a Deo; loquitur ad hunc modum: Nos autem dicimus, quod neque Paulus fortuitu, aut naturali differentia electus est, sed electionis suae causas in semetipso dedit ei, qui scit omnia ante, quam fiant. Ergo Paulus, quod segregatus in Evangelium dicitur, & segregatus a ventre matris suae, causas in eo, & merita, quibus segregari debuerit, vidit ille, quem non latet mens. Praevidit enim, quod abundantius, quam caeteri omnes, laboraturus esset in Evangelio; quod in fame & siti, in frigore & nuditate praedicaturus esset in Evangelium, ne forte, cum aliis praedicaret, ipse reprobus efficeretur. Haec ergo, & his similia, & alia multa in eo de ventre matris praevidens Jesus, pro his segregavit eum in Evangelium. Quod & ipse Paulus in consequentibus latius differens, ait: quia quos praescivit, & praedestinavit conformes fieri imagini filii sui: evidenter ostendens, quod eos, quos praescivit Deus tales futuros, ut Christo se in passionibus conformarent, ipsos etiam conformes, ac similes imaginis ejus praedestinavit & gloriae. Praecedit ergo praescientia Dei, per quam noscuntur, qui in se labores & virtutes habituri sint; & ita praedestinatio sequitur. Nec tamen rursus praedestinationis causa putabitur praescientia: quod enim apud homines uniuscujusque meritum pensatur ex praeteritis gestis, hoc apud Deum judicatur ex futuris. *Rom. 9. 21.* *Genes. 25. 27.* *Rom. 9. 13.* *Rom. 8. 29.*

AMBROSIUS in commentariis epist. ad Rom. explicans illud, Iis, qui secundum propositum vocati sunt, ILLI, inquit, secundum propositum vocantur, quos credentes praescivit Deus, ut ante, quam crederent, scirentur: quos enim praescivit futuros sibi devotos, ipsos elegit ad aeterna praemia. Item declarans illud, Miserebor, cui miserebor, sic scribit: ERGO miserebor, inquit, ejus, cujus misertus ero: hoc est, Ejus miserebor, cujus praescius eram, quod misericordiam daturus essem, sciens conversurum illum & permansurum apud me: & misericordiam praestabo ei, cui misericordiam praestitero: id est ei misericordiam dabo, quem praescivi post errorem recto corde reversurum ad me. Hoc est dare illi, cui dandum non est, neque non dare illi, cui dandum est, ut eum vocet, quem sciat obaudire; illum autem non vocet, quem sciat minime obaudire. *Seu verius Hilarius Sardus, de quo saepius.* *Rom. 9. 15.*

HIERONYMUS quaestione ad Hedibiam decima, exponens illud, Nunquid iniquitas apud Deum? VASA, inquit, misericordiae non solum populus gentium est, sed etiam hi, qui ex Judaeis credere voluerunt. Ex quo ostenditur non gentes eligi, sed hominum voluntates. Et libro in epistolam ad Galatas primo *Rom. 9. 14.*

Galat. 1. 15. mo ſuper illud, Cum autem placuit ei, qui me ſegregavit, &c. ſic ait: EX DEI praeſcientia evenit, ut quem ſcit juſtum futurum, prius diligat, quam oriatur ex utero: & quem peccatorem, oderit ante, quam peccet, non quo & in amore, & in odio iniquitas Dei ſit; ſed quoniam non aliter eos habere debeat, quos ſcit vel peccatores futuros eſſe, vel juſtos. Nos ut homines tantum de praeſentibus judicamus: ille, cui futura jam facta ſunt, de fine rerum, non de exordiis
Malac. 1. 2. 3. fert ſententiam. Item in commentario Malachiae, capite primo, exponens illud, Jacob dilexi, Eſau odio habui, PORRO, ait dilectio, & odium Dei vel ex praeſcientia naſcitur futurorum, vel ex operibus. Alioquin novimus, quod omnia Deus diligat, nec quicquam eorum oderit, quae creavit: ſed proprie eos ſuae vindicet charitati, qui vitiorum hoſtes ſunt & rebelles: & e contrario illos odit, qui a Deo deſtructa cupiunt rurſus extruere.

AUCTOR commentariorum, Hieronymi inſcriptionem praeferentium, elu-
Rom. 8. 29. cidans illud, Praedeſtinavit conformes fieri imagini Filii ejus, PRAEDESTINARE, inquit, idem eſt, quod praeſcire: ergo quos praevidit conformes futuros in vita, voluit, ut fierent conformes in gloria. Et paulo poſt, QUOS praeſcivit credituros, hos vocavit. Vocatio enim, volentes colligit, non invitos. Et rur-
Rom. 9. 15. ſus in illud, Miſerebor, cui miſerebor, HOC, ait, recto ſenſu ita intelligitur: Illius miſerebor, quem praeſcivi poſſe miſericordiam promereri, ut jam tunc illius ſim miſertus.

AUGUSTINUS in libro propoſitionum ex epiſtola ad Romanos ſuper illud, Jacob dilexi, affirmat Deum elegiſſe Jacob ex fide, quam in eo praevidit, his verbis: NON ergo elegit Deus opera cujuſque in praeſcientia, ſed fidem elegit in praeſcientia; ut quem ſibi crediturum eſſe praeſcivit, ipſum elegerit, cui Spiritum Sanctum daret, ut bona operando etiam vitam aeternam conſequeretur: Idem Deus, qui operatur omnia & in omnibus: nuſquam autem dictum eſt, Deus credit omnia in omnibus. Quod ergo credimus, quod autem bonum operamur, illius eſt. Idem in libro 83. Quaeſtionum, quaeſt. 68. CUI vult, inquit, miſeretur Deus; &, quem vult, indurat: ſed haec voluntas Dei injuſta eſſe non poteſt. Venit enim de occultiſſimis meritis, quia & ipſi peccatores non propter generale peccatum unam maſſam fecerunt; tamen nonnulla inter eos eſt diverſitas. Praecedit ergo aliquid in peccatoribus, quo quamvis non dum ſint juſtificati, digni efficiantur juſtificatione: & idem praecedit in aliis peccatoribus, quo digni ſint obtuſione. Rurſus in libro ſex Quaeſtionum contra Paganos, quaeſtione 2. refert cauſam divinae vocationis in fidem vocatorum a Deo praeviſam. Ibi enim reſpondens ad quaeſtionem Porphyrii, quaerentis, cur Chriſtus prioribus ſaeculis non venerit vocare omnes homines ad viam ſalutis, ita ſcribit: HOC SOLUM brevitatis gratia in hujus quaeſtionis ſolutione dicamus, tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos praedicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & ubi ſciebat eſſe, qui in eum fuerant credituri. His enim temporibus & his locis, quibus Evangelium non eſt praedicatum, tales omnes in ejus praedicatione futuros eſſe praeſciebat, quales multi in ejus corporali praeſentia fuerunt, qui in eum nec ſuſcitatis ab eo mortuis credere voluerunt.

THEODORETUS in commentariis epiſt. ad Rom. ſuper, Jacob dilexi, DEUS, inquit, cum propoſitum Eſau & Jacob praeſciviſſet, utriuſque differentiam praedixit. Dei enim electio hominum propoſito convenit. Et in expoſitione octavi capitis ejuſdem epiſtolae, QUORUM, ait, propoſitum Deus praeſcivit, eos ab aeterno praedeſtinavit.

SEDULIUS in Collectaneis epiſtolae ad Romanos in illud, His qui ſecun-
Rom. 8. 28. dum propoſitum vocati ſunt, QUOS, ait, praeſcivit futuros devotos ſibi, ipſos elegit ad promiſſa praemia capeſſenda. Et infra, QUOS praeſcivit credituros, hos vocavit: vocatio enim volentes colligit. Aliud eſt praeſcire, aliud praedeſtinare: praeſcientia gerenda praenoſcit: poſtmodum praedeſtinatio retribuenda deſcribit: illa praevidet merita, haec praedeſtinat praemia. Et infra JACOB & Eſau, qui ex uno ſunt de Rebecca nati concubitu, ante quam naſcerentur, fidei ſunt merito ſeparati, ut propoſitio jam maneret: ita ergo & nunc, & quos praeſcivit de Gentibus credituros, elegit, & ex Iſraël rejecit incredulos.

THEOPHY-

THEOPHYLACTUS in commentariis epist. ad Rom. explanans illud, Quos praescivit & praedestinavit, sic loquitur: PRAECOGNOSCIT, vel scit Deus eos, qui vocatione digni sunt; deinde sic praedestinat. Prior itaque est praescientia, postea sequitur praedestinatio. Praedestinationem autem intelliges impermutabilem Dei voluntatem: praenovit itaque Paulum vocatione dignum esse, sicque praefinivit, seu praedestinavit, hoc est impermutabiliter decrevit, adeoque statuit vocare ipsum. Idem in Matth. cap. 22. cum exponeret illud, Multi sunt vocati, &c. PAUCI quidem, inquit, sunt, qui salvantur, & qui digni sunt, ut eligantur a Deo; ita ut Dei quidem sit vocare: electos autem fieri, vel non, nostrum est. Matth. 20. 14

OECUMENIUS in Collectaneis explanationum in Paulum, exponens illud, Quos autem praedestinavit, SUBAUDITO, inquit, ubique, Qui secundum propositum vocati sunt. Quoniam quos praescivit, hos etiam praedefinivit; quia secundum propositum sunt: & quos vocavit, eosdem & justificavit; quia secundum propositum sunt. Et nihil absurdi occurrat, si quibusdam Deus benefaciat, quibusdam vero non. Cum enim subditur Secundum propositum; statuitur illorum virtus, qui secundum proprium propositum crediderunt: & sic a personarum respectu Deus liberatur.

THEODULUS in Collectaneis epistol. ad Romanos id ipsum exponens, eadem ferme reperit, inquiens: UBIQUE, Secundum propositum vocati sunt, subaudi: nam absurdum colligitur, si Deus in quosdam beneficium contulit, in quosdam vero non contulit: si autem, Secundum propositum, subaudiatur; ipsorum virtus statuitur, Deusque a personarum respectu liberatur.

JACOBUS, Carpentoractis episcopus, libro secundo comment. in epistolam ad Rom. planum faciens illud ex 8. cap. ejusdem epistolae, Quos praedestinavit, hos & vocavit, longo sermone suadet, Deum non ex voluntatis suae arbitrio aliquos eligere, sed quia praenoverit eos neque spreturos divinam vocationem, neque oblatam Dei gratiam rejecturos.

HAEC igitur sunt Patrum dicta, ex quibus colligi videtur, Praescientiam meritorum esse causam divinae Praedestinationis, quae quidem sententia in Pelagio damnata est.

DIVUS AUGUSTINUS, cum prius huic dogmati constanter adhaesisset, demum, re diligentius perspecta, opinionem innumeris pene locis retractavit, praesertim libro primo Retractationum, cap. 25. quo loco restatur se nunquam hoc fuisse dicturum, si scivisset electionem sine ullis praecedentibus meritis esse ex sola gratia, & fidem ipsam inter Dei munera, quae dantur per Spiritum Sanctum, reperiri. Nam quamvis credere & operari utrunque nostrum sit propter liberum voluntatis arbitrium, & quod nonnisi volentibus nobis fiunt: utrunque tamen Dei donum est, qui & credere, & velle, & perficere subministrat.

CAETERUM ne altius ac prolixius, quam pro annotandi ratione propositas Patrum sententias excutiam, & in re tam abstrusa, tantisque disputationum labyrinthis implicita & me ipsum, & legentium animos obvolvam, satis superque sufficere arbitror, si illud unum annotavero, quod D. Thomas ex Augustini doctrina observari monuit in primo Theologicae summae volumine, quaestione 23. nimirum, In operibus electorum, a divina praescientia praevisis, duplicem causae rationem spectari posse, Meritoriam scilicet, ac Finalem. Primum ergo, si causam meritoriam inspexerimus, nosse oportet, Ordinem divinae providentiae erga electos gemina graduum varietate distingui: quorum alii praecedunt gratificantis gratiae susceptionem, ceu sunt Dilectio, Electio, Conscriptio, Praedestinatio, Vocatio, Justificationis inchoatio; alii vero gratificantis gratiae receptionem sequuntur, quales sunt Gratiae auctio, Justitiae incrementum, & Aeternae felicitatis adeptio. Si igitur quaeratur, an operum nostrorum praevisio sit causa meritoria praecedentium graduum: negandum est prorsus; ne videamur connivere Pelagianis, dicentibus, Deum merita nostra in sua praescientia elegisse: & juxta hanc sententiam interpretandi sunt omnes patres, qui aeternam Dei electionem, ac praedestinationem ex sola Dei gratia nullis praevisis meritis

ritis desinunt. Si vero interroget quispiam, utrum sequentes divini ordinis gradus in divina praevisione causam habeant meritoriam: proculdubio respondendum est, Deum ab aeterno decrevisse daturum se incrementa amplioris justitiae his, qui bene usuri essent primo justificantis gratiae dono, ac deinde ob merita bene servatae justitiae redditurum se eis perpetuae beatitudinis coronam. Atque ad hunc sensum conabimur, quoad fieri poterit, accommodare aliquas ex praemissis Patrum sententiis, quae praevisioni meritorum ascribere videntur electionem & praedestinationem, hoc est praedestinationis & electionis complementum, sive sequentes ac posteriores gradus divini ordinis; quod interdum patres, totum a parte denominantes, Electionem, vel Praedestinationem appellarunt.

RURSUM si nos ad contemplationem Finalis causae convertamus, recte quidem affirmare poterimus praevisionem operum, subsequentium divinae gratiae receptionem, esse causam electionis ac praedestinationis finalem. Deus enim, ut Ephes. 1. 4. Paulus ait, elegit nos ante mundi constitutionem, & praedestinavit nos, ut essemus sancti & immaculati coram eo, in laudem gloriae gratiae ejus: hoc est nos sibi ab aeterno ascivit in suos, & praeparavit nobis vocationis & justificationis gratiam, in eum videlicet finem, ut ea bene uteremur, & ex ejus bono usu gloriam sempiternae felicitatis adipisceremur. Nec dubium est aliquos ex praedictis Patribus secundum hunc loquendi modum pronunciasse, opera nostra, a Deo praevisa, causam esse divinae praedestinationis finalem quidem, non autem meritoriam. Haec sunt, candide lector, quae hic breviter annotanda existimavimus: tu, si qua habes explicandis Patrum sententiis aptiora, his utere; & haec nostra, qualiacunque sint, boni consule. (a)

ANNOTATIO CCLII.

Cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat. Rom. 9. e

An Deus ex solo voluntatis suae proposito aliquos reprobet.

AUGUSTINUS libro primo quaestionum ad Simplicianum, quaestione secunda, cum in expositione loci hujus de causa Praedestinationis ac Reprobationis loqueretur, visus est asserere, quod cum Deus praescivisset omne genus humanum in Adam peccante, ceu in massa quadam iniquitatis ac perditionis perditum ac mortuum, aliquos inde eripuit, & ad vitam aeternam praedestinavit, non ex eorum praevisis meritis, sed ex suae voluntatis beneplacito, ad ostensionem misericordiae suae: caeteros vero in eadem massa reliquit a coelesti regno reprobatos, non ex eorum singularibus demeritis praevisis, sed ex suae voluntatis beneplacito ad ostensionem divinae justitiae perditos in sua perditione justo judicio deserentis. Quam sententiam his verbis expressit: SUNT igitur 1. Cor. 15. 22. omnes homines (quandoquidem, ut Apostolus ait, in Adam omnes moriuntur, a quo in universum genus hominum origo ducitur offensionis Dei) una quaedam massa peccati supplicium debens divinae summaeque justitiae; quod sive exigatur, sive donetur, nulla est iniquitas: a quibus autem exigatur, & quibus donandum sit, superbe judicant debitores. Hoc ipsum clarius pronunciat libro Hypognosticôn sexto in hunc modum: JAM igitur apertius disseramus, quomodo erga humanum genus praescientia sua & praedestinatione Deus, in quo iniquitas non est, generaliter utatur: massae namque humani generis, quae in Adam & Eva praevaricatione damnabilis mortalisque facta est, non conditione divina, sed ex debito, poena, cruciatusque gehennae debetur: venia vero non merito, sed Dei justi judicis misericordiae largitate confertur. Quia vero justus & misericors Dominus, praesciusque futurorum ex hac damnabili massa non personarum acceptione,

(a) Massilienses, qui & Semi-Pelagiana labe fuerunt infecti, asseruerunt a Deo ante constitutionem mundi praevisos ac praescitos eos, „ quos gratis vocatos dignos futuros electione, & de vita „ bono fine excessuros esse praevidisset „ Deus: ut Augustino significavit S. Prosper. Consule idcirco quae contra hunc errorem scripsit laudatus Prosper *contra collatorem*, nec non M. P. Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione *cap.* 18. lib. 1. ad Simplicianum *qu.* 2. & alibi pluries. Consule itidem S. Thomam 1. *P. Qu.* 23. *Art.* 5. Et 1. *Sent. Dist. XLI. Art.* 3. necnon *Lib. XXXI. contra Gent. cap. ultim.* Et *Quaest. XXVI. de Verit. Art.* 2. item in *Cap. XV. Johann. Lect.* 3. Et in *Epist. ad Ephes.* 1. *Lect.* 1. & *Lect.* 4. sed observa etiam notas marginales N. Cl. Johannis Nicolai, apud quem reperies innumera alia monumenta PP. ad rem penitius adcurate rimandam.

acceptione, sed judicio aequitatis suae irreprehensibili, quos praescit, misericordia sua gratuita praeparat, id est praedestinat ad vitam aeternam; caeteros autem (ut praedixi) poena debita punit: quos ideo punit, quia, quid essent futuri, praescivit; non tamen ipse fecit, vel praedestinavir puniendos, sed tantum, ut dixi, in damnabili massa praescivit.

RURSUS in libro Soliloquiorum, capite 28. id ipsum apertioribus exprimens verbis, haec scripsit: OMNES nos quasi pannus menstruatae de massa corrupta Isai. 64. 6. & immunda venientes maculam immunditiae nostrae, quam celare saltem tibi, qui omnia vides, non possumus, in frontibus enim portamus, quia mundi esse non possumus, nisi tu mundaveris, qui solus es mundus. Mundas autem de nobis filiis hominum eos, in quibus tibi complacuit habitare: quos inaccessibilibus profundis secretis judiciorum incomprehensibilium sapientiae tuae, semper justorum, licet occultorum, sine eorum meritis praedestinasti ante mundum, vocasti de mundo, justificasti in mundo, & magnificas eos post mundum. Non omnibus autem hoc facis: quod admirantur tabescentes omnes sapientes terrae: Et ego, Domine, hoc considerans, expavesco, & obstupesco de altitudine divitiarum sapientiae & scientiae tuae: ad quam ego non pertingo, & incomprehensibilia judicia justitiae tuae, quoniam ex eodem luto alia quidem facis vasa in honorem, alia vero in contumeliam sempiternam. Quos igitur tibi elegisti de multis in templum sanctum tuum, ipsos mundas, effundens super eos aquam Ezech. 36. 25. mundam: quorum nomina, numerumque tu nosti, qui solus numeras multitu- Psal. 146. 4. dinem stellarum, & omnibus eis nomina vocas: qui etiam scripti sunt in libro Apoc. 3. 5. vitae: qui nequaquam perire possunt, quibus omnia cooperantur in bonum, Rom. 8. 28. etiam ipsa peccata: cum enim cadunt, non colliduntur: quia tu supponis ma- Psalm. 36. 14. num tuam, custodiens omnia ossa eorum, ut unum ex his non conteratur. At- Psal. 33. 21. tamen mors peccatorum pessima: illorum, inquam, quos ante, quam faceres Ibid. 22. coelum & terram, secundum abyssum multam judiciorum tuorum occultorum, semper autem justorum praescivisti ad mortem aeternam: quorum dinumeratio nominum & meritorum pravorum apud te est, qui numerum arenae maris dinumerasti, & dimensus es profundum abyssi; quos reliquisti in immunditiis suis: quibus omnia cooperantur in malum: & ipsa etiam oratio vertitur in peccatum: ut si etiam usque ad coelos ascenderint, & inter Sydera coeli collocaverint nidum suum, quasi sterquilinium in fine perdentur.

HAEC Augustini sententia est: quae olim plerisque veterum Patrum vehementer displicuisse videtur.

PROSPER, Regiensis episcopus de hac re Augustinum epistola admonuit in haec verba: MULTI servorum Christi, qui in Massiliensi urbe consistunt in sanctitatis tuae scriptis, quae adversus Pelagianos haereticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni & ecclesiastico sensui, quicquid in eis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti. Hoc enim propositum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum & rejiciendorum dicitur facta discretio, ut secundum quod placuit creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliae, sint creati, dicunt & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem torporis afferre: eo quod in utranque partem superfluus labor sit, si neque rejectus ulla industria possit intrare, neque electus ulla negligentia possit excidere.

HILARIUS, Arelatensis episcopus, eandem rem Augustino per epistolam significans, ita ad eum scribit: Domine beatissime, ac toto affectu desiderande. Haec sunt, quae Massiliae, vel aliis etiam locis in Gallia ventilantur: novum & inutile esse praedicationi, quod quidam secundum Dei propositum eligi dicantur. Et infra, ET hoc non solum aliorum catholicorum testimoniis, sed etiam sanctitatis tuae disputatione antiquiore se probare testantur.

FAUSTUS, Galliarum episcopus, suppresso Augustini nomine, ejus opinionem insectatur libro secundo De gratia Dei, & humanae mentis arbitrio, cap. 6. his verbis: NON ex operibus, sed ex vocante dictum est, Jacob dilexi, Esau autem odio habui. In his verbis hoc vult intelligi gentilitiae persuasionis impietas, quod Deus absque ullo inter bonum & malum moderatoris examine, non ordine

regentis,

regeotis, sed jure dominaotis, illum affectu dignum reddat, hunc odio, illum recipiat studio, hunc excludat imperio: & inter duos perditos nulla consideratio laboris, nulla devotioois habeatur: sed unus fine ratione cessantibus officiis assumatur, alter fine discretione damnetur: ac sic, dum in alterutro oec meriti existit materia, nec delicti, aufertur omoino futuri causa judicii.

AMBROSIUS, Compsae episcopus, licet profiteatur se Augustinum summopere venerari, taotumque ei tribuere, quantum ulli ex illustribus ecclesiae doctoribus ausit concedere: tamen hanc sententiam de massa perditionis, ab ipso primum Augustino (ut ille ait) inventam, quinque ac viginti objectiooibus oppugnat: quas si quis nosse desiderat, legat ejus Commentarios io 9.cap. epist. ad Rom. ubi in compendium redegit, quae prius adversus hanc opinionem prolixo volumine scripserat.

AD HORUM, & hujusmodi locorum intelligentiam animadversione dignum est, quod quemadmodum Anootatiooe praecedenti diximus, divioae providentiae ordinem erga beandos duplici graduum discrimine distingui, priore scilicet ac posteriore: ita ounc dieimus, ordinem divinae providentiae erga reprobos bina graduum varietate concludi: quorum alii priores sunt & aeteroi, ceu Odium, Neglectio, Deletio, & Reprobatio; quae prioribus divioi ordinis gradibus, hoc est Dilectioni, Electioni, Conscriptiooi, & Praedestinationi ex diametro opponuotur. Hi quidem nullam in divina praescientia causam habent, nisi Dei ita volentis animum ad ostensionem divinae justitiae prospicientem. Et in hunc, ut arbitror, sensum intelligendae sunt Patrum senteotiae, quae nullam statuuot Reprobationis causam. Alii vero suot ejusdem Postpositioois, sive Repulsionis posteriores ac temporales gradus, nimirum Obtusio, Excaecatio, Iodura-tio, & Aeteroa damnatio: quorum causa meritoria sunt reprоborum incredulitas, ioiquitas, & obstioatio; quas cum Deus ab aeterno praeoosset, merito illis debitas poenas constituit, oempe Obtusionem, Excaecationem, Obdurationem, & Aeterni supplicii damnationem: juxta quarum considerationem dictum est a plerisque Patribus mala opera praevisa esse causam meritoriam divinae Reprobationis & Repulsionis, hoc est posteriorum effectuum divinae Postpositionis, qui nonnisi ex malis reproborum meritis producuntur, dicente propheta: Perditio tua ex te Israël, tantummodo ex me auxilium tuum.

Lege S Thomam I P Qu. XXIII Art.3. & 5 & I.I notas marginales Johan. Nicolai.

Ose. 13. 9.

ANNOTATIO CCLIII.

Nam & ego Israëlita sum. Rom.11. a

An Paulus Petro dignitate par fuerit.

CHRYSOSTOMUS homilia in epistolam ad Romanos decima octava in expositiooe praesentis particulae, NEQUE enim, ait, si populum suum Deus repulsurus fuisset, Paulum sibi ex Israëlitis elegisset, cui omnem praedicationem, cui res orbis, mysteria cuncta, universamque dispeosationem concederet. Germaous Brixius, homiliarum Chrysostomi in Paulum interpres, hunc locum in margine annotans, VIDE, inquit, quid Chrysostomus Paulo tribuat. Lege infra Annot.269.

ANNOTATIO CCLIIII.

Reliquiae secundum electionem salvae factae sunt. Rom.11. a

Ignis expiatorius.

ORIGENES libro in epistolam ad Romanos octavo haec interpretans, videtur esse in ea opinione, ut omnes tam boni, quam mali post hanc vitam adituri siot gehenoae ignem. Haber enim haec verba: OMNIA tamen finis perurget, & eos quidem, qui beati suot, sive illi ex Israël, sive ex gentibus, &c. Vide supra Annot.170. & 171. libri quioti.

ANNOTATIO CCLV.

Omne, quod non est ex fide, peccatum est. Rom. 14. g

Num omnis infidelium vita peccatum sit.

ANSELMUS Laudunensis io Glossa ordinaria, haoc particulam explicans, innuere videtur omnia infidelium opera esse peccata, nihilque ab eis fieri posse,

se, quod bonum sit. His autem utitur verbis: OMNIS infidelium vita peccatum est: & nihil bonum sine summo bono, ubi deest agnitio veritatis aeternae: Falsa virtus est etiam in optimis moribus. Opera, quae videntur probabilia, praeter fidem sic sunt, ut magnae vires, & cursus celerrimus extra viam. Consentit huic sententiae, quae ex Augustino ad verbum desumpta est, Anselmus, Cantuariensis episcopus, qui in commentariis hujus loci haec ipsa verba repetit: CONCINIT his Ambrosius libro primo De vocatione gentium capit. 3. sine cultu inquiens veri Dei, etiam quod virtus videtur, peccatum est, nec placere ullus Deo sine Deo potest. Neque ab his dissentit Auctor commentariorum Origenis in Job; qui capite primo ita scribit: UT breviter, atque audenter dicam, Omnia, quaecunque fecerint homines, sive in virginitate, sive in abstinentia, sive in corporis castitate, sive in bonorum suorum distributione, omnia gratis faciunt, si non in fide fecerint. Omnem enim severitatem, & omnem justitiam, quam fecerit quis foris a vera Dei fide, frustra facit, in perditione facit, non prodest ei, non adjuvat eum in die irae. Ad quod testis est Paulus, dicens: Omne, quod non est ex fide, peccatum est. Haec ille. Secutus est horum verba ac sensum Joannes Ferus in Matthaei commentariis, quemadmodum superius notatum est Annotatione quadragesima libri hujus. Divus Thomas in secunda secundae, quaestion. 10. artic. 4. edisserens propositum Anselmi locum, ait eum bifariam intelligi posse, hoc est, vel quod vita infidelium non potest esse sine peccato, cum peccata sine fide non tollantur: vel quia quicquid agunt ex infidelitate, peccatum est. Unde ibidem subditur, quia omnis infideliter vivens, vel agens vehementer peccat. Hinc autem non consequitur infideles in quolibet opere peccare, cum in eis naturalis illa rationis bonitas, quae deprecatur ad optima, non sit penitus extincta & abolita. Vide infra Annotationem 278. (a)

Author libri de vocatione gentium est S. Leo M.

ANNOTATIO CCLVI.

Salutate Priscam, & Aquilam. Rom. 16.

CHRYSOSTOMUS in homilia, quam separatim edidit in hunc locum, verba quaedam habet, quibus Erasmus abutitur contra jus & aequitatem justi belli, contendens non licere Christianis ulla ratione pugnare. Legito Annotationem 156. libri hujus.

Bellum.

ANNOTATIO CCLVII.

Obsecro vos per nomen Domini nostri Jesu Christi. 1. Cor. 1.

CHRYSOSTOMUS homilia tertia in priorem ad Corinthios hoc enarrans, sentire videtur, quod multi gentilium philosophorum, sola naturali ratione adjuti, praecepta legis divinae non solum impleverint, sed etiam transcenderint. Sic enim fatur: NONNE Deus legem tulit & scriptam & naturalem? nonne filium misit? nonne signa fecit? nonne coeli regnum pollicitus est? nonne praecepta ejus adeo levia sunt, ut multi philosophica tantum ratione ea excesserint? Hanc assertionem Augustinus in libro De haeresibus, cap. 88. inter primos ac praecipuos Pelagianorum errores collocare videtur, inquiens: PELAGIANI in tantum inimici sunt gratiae Dei, quae diffunditur in cordibus nostris, ut sine hac posse hominem credant facere omnia divina mandata. Sunt, qui existiment Chrysostomi verba per hyperbolem prolata, ut ab eo, qui exemplo inertiae gentilium vellet socordiam Christianorum confundere, & desides eorum animos ad executionem Evangelicae legis provocare. Possumus etiam haec ipsa verba sic interpretari, ut dicamus, philosophos non quidem omnia, sed quaedam praecepta divina, cum implesse, tum etiam excessisse quo ad ipsam duntaxat operis actionem, & solam externam rei gestae executionem: multi enim Gentiles voluntariam paupertatem,

An praecepta legis divinae ex solis naturalibus viribus possint impleri.

(a) De hac re ubertim egi Tom. III. Exercit. VI. in VIII. Thes. ab Alex. VIII. damnat. *Necesse est infidelem in omni opere peccare*, ibique laudavi cuncta monumenta PP. ad rem catholicam firmandam, diluique cuncta, quae ab adversariis opponuntur. Consule ibi dicta.

Consule Cl. C. Henricum Norisium in Vindiciis Augustinianis, & N Exerc. VI. T. III ubi S. P Augustini, & Angelici Magistri doctrinam ad dilucidam veritatis notitiam invenies.

pertatem, abjectis prorsus divitiis, elegerunt; & multi virginitatem ita servaruot, ut occidi maluerint, quam ipsam prodere. At si eadem haec opera coosideremus juxta interoum agendi modum, & rectum operandi scopum, qui a nobis secundum Christianae charitatis regulam exigitur, negandum est ullum gentilium ex philosophica tantum ratione praecepta legis implesse, ne dum excessisse: nam ut Joannes Cassianus, Joannis Chrysostomi discipulus, in tertiodecimo Collationum volumine scribit, nequaquam credendum est philosophos talem animi castitatem, qualis a oobis exigitur, assecutos: quibus injungitur, ut non solum fornicatio, sed ne immunditia quidem nominetur in oobis. Habuerunt autem illi quaodam μερικὴν, hoc est portiunculam castitatis, id est abstinentiam carnis; ut rantum a coïtu libidinem coërcerent: hanc autem internam mentis ac perfectam corporis puritatem non solum corpore, sed oec cogitatione assequi potuerunt. Habes huc alludentia Annotatione ceotesima prima libri quioti.

A N N O T A T I O CCLVIII.

Si quis autem superaedificat supra fundamentum hoc, &c. 1. Cor. 3. c

Purgatorium probat San. Thomas testimonio Theodoreti.

THEODORETI testimonium pro igne purgatorio ex expositione epistolae ad Corinthios allegat D. Thomas in libro adversus errores Graecorum & Armenorum his plane verbis: DICIT Apostolus, Qui salvabitur, sic, tanquam per conflatorium ignem purgantem, quicquid intervenit per incautelam praeteritae vitae ex pulvere saltem pedum terreni sensus, in quo tandiu manet, quandiu quicquid corpulentiae, & terreni affectus inhaesit, purgetur, pro quo mater ecclesia hostias & dona pacifica devote offert. Haec quidem verba nusquam, nec in Latinis, nec in Graecis Theodoreti commentariis extant: credi potest ea vel a Graeculis quibusdam, purgatorio infensis, subtracta, vel ex alio quopiam opere, ubi Theodoretus hunc locum sic exposuit, a D. Thoma desumpta.

A N N O T A T I O CCLIX.

Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. 1. Cor. 3. c

Purgatorium in ignoverit Chrysostom.

CHRYSOSTOMUS homilia in priorem ad Corinthios 9. hunc locum explanans, de perpetuo gehennae igne, & de his, qui aeterno ignis supplicio punientur, sic scribit: IPSE autem salvus erit, sic ramen quasi per ignem: hoc significat, quod ipse non ita peribit, quemadmodum opere in nihilum rediens, sed manebit in igne. Salutem igitur rem hanc appellat non simpliciter: propterea addidit, Quasi per ignem: etenim nobis consuetudo dicendi est, in igne salva esse, quae non comburuntur, neque in cinerem convertuntur. Noli igitur, cum ignem audis, in nihilum redire ardentes, arbitrari. Quod si salutem tale supplicium appellat; noli admirari. Solet enim in male significantibus rebus, bonis uti nominibus, & in bene malis: ut, exempli gratia, captivitatis oomen, malae significationis nomen videtur: sed in bona eo Paulus his verbis utitur: In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Cootra in re mala praeclaro utitur verbo, Regnavit peccatum: atqui regni nomen laudabilibus est. Itidem hoc in loco, cum inquit, Salvus erit, nihil aliud, quam supplicii incrementum significat: quasi dicat, Ipse perpetuo in supplicio permanebit.

2. Cor. 10. 3.
Rom. 5. 21.

MARCUS, Ephesi episcopus, in Apologia, quam pro Graecis, purgatorium rejicientibus, in concilio Basileae obrulit, examinans haec verba Chrysostomi, asseverat eum nihil unquam, aut verbis expressisse, aut cogitasse de purgatorio, ad quem Latini praesentem Pauli locum applicant, reclamante Chrysostomo, qui ipsum de sempiterno gehennae igne vere, atque admodum germane exposuit. Caeterum cum Ephesini reprehensio duas habeat partes, unam, qua asserit Chrysostomum nihil unquam de purgatorio scriptis prodidisse aut cogitasse; alteram, qua expositionem Chrysostomi Latinorum expositioni praefert: ostendam hominem & in hac parte errare, & in illa impudenter meotiri. Habentur enim apud

Chrysostomum

Chrysostomum loca plurima, ex quibus liquet beatum illum virum credidisse post hanc vitam esse locum, ubi maculis inquinati purgentur; ubi extra aeternam requiem tribulationem patiantur; ubi ex suffragiis & orationibus nostris refrigerium accipiant; ubi pro eis iratus judex placetur: quem locum Latini purgatorium nuncupant. Quod ita esse, ut dicimus, infrascripti loci, ex ejus homiliis decerpti, apertissime demonstrant.

HOMILIA 32. in Matthaeum, CUR post mortem, ait, tuorum pauperes convocas? cur presbyteros, ut pro eo velint orare, obsecras? non ignoro te responsurum, ut defunctus requiem adipiscatur, ut propitium judicem inveniat. Et infra, NAM si multae barbarae gentes una cum defunctis res eorum cremare solent; quanto aequius tu, defuncto filio, tua tradere debes, non ut in cinerem redigantur, sed ut gloriosum magis illum reddas: puras eum, maculis inquinatum, abiisse: da ipsi sua, ut illis se a maculis detergat. *Chrysostomi varia monumenta ad firmandum dogma de Purgatorio.*

HOMILIA in epistolam ad Corinthios 41. Opitulemur igitur defunctis fratribus pro ipsis memoriam faciamus. Nam si Jobi illius liberos patris victima purgavit, quid dubitas e nobis quoque si pro dormientibus offeramus solarii quiddam illis accessurum? Gratificari Deus propter alios aliis solet, &c.

HOMILIA tertia in epistolam ad Philippenses, & homilia ad populum Antiochenum 69. DEFLEAMUS, ait, istos mortuos, juvemus eos pro viribus, procuremus illis aliquid auxilii, modici quidem, attamen juvemus eos: quomodo, qua ratione? precantes adhortemur & alios, ut pro illis orent, pauperibusque indesinenter pro illis eleemosynas demus. Habet res ista nonnihil consolationis: audi quippe, quid Deus dicat: Protegam civitatem istam propter me, & propter David servum meum. Si memoria duntaxat justi tantum valuit: quando & opera pro tali vivunt quid non poterunt? non frustra ab Apostolis sancitum est, ut in celebratione venerandorum mysteriorum memoria fiat eorum, qui hinc discesserunt: noverunt illis multum hinc emolumenti fieri, multum utilitatis. Stante siquidem universo populo, manus in coelos extendente, coetu item sacerdotali, verendoque posito sacrificio, quomodo Deum non placatemus pro istis oraotes? Verum istud quidem de illis dicimus, qui in fide abscesserunt: Catechumenos vero neque isto solatio dignamur, sed omni hujusmodi destituti sunt auxilio, uno quodam dempto. Quo nam illo? pauperibus illorum nomine dare licet, unde illis nonnihil refrigerii accedit, &c. *IV. Reg. 19. 34* *Orationes pro defunctis in S. Sacrificio Missae ex Apostolico decreto.*

HOMILIA quarta in epistolam ad Hebraeos, DIC mihi, quid sibi volunt (in funere) lampades istae festivae? nonne sicut athletas eos (defunctos) producimus? quid etiam hymni? nonne ut Deum glorificemus, & ei gratias agamus? quid jam coronavit discedentem, quid jam a laboribus liberatum de servitute ducens, apud se habet? nonne propter hoc psalmi, & hymni? nonne propter hoc psalmodia? Omnia ista gaudentium sunt, &c. Et post pauca, QUID psallis illo tempore, Revertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi: non timebo mala, quoniam tu mecum es? & iterum, Tu es refugium meum a tribulatione, quae me continet? intelligis, quid sibi volunt isti psalmi? &c. Et iterum, PRO qua re, dic mihi, presbyteros vocas, & psallentes? nonne ut consolationem recipias? nonne ut honores discedentem? *Psal. 114. 7.* *Psal. 22. 4.* *Psal. 31. 7.*

EX HIS igitur, atque aliis locis, quos, ne volumen in majorem molem assurgat, de industria omitto, perspicuum fit Chrysostomum eadem, quae nos, plane de Purgatorio sensisse.

JAM VERO ad id, quod Ephesius addit Chrysostomi interpretationem Latinorum expositioni contradicere, & eam vere ac sincere Pauli mentem exprimere, meum certe non est excutere, ac decernere, quis rectius Pauli sententiam intellexerit, an ex Graecis Chrysostomus, quem nemo pius contemnit, an ex Latinis Augustinus, quem omnes docti probant. Maneat, quantum ad me attinet, suus utrique honos: illud tamen pace tanti viri dicere ausim, Chrysostomi interpretationem duram esse ac violentam. Quis enim unquam sic locutus est, ut diceret, salvus erit, sed sic, quasi per ignem: pro eo quod est, aeterno igni cruciabitur, nec unquam ab eo consumetur. Quid igitur agit illa exceptio, *Sed sic*, quae sonat eum fore salvum aliquo modo, sed non absque cruciatu? Mihi verisimile

 sit

sit Chrysostomum fuisse hoc loco abusum, non ut expositioni Latinorum, quam nec forte viderat, contradiceret, sed ut hinc arriperet occasionem deterrendi quosdam, qui id temporis credebant gehennae supplicia aliquando juxta Origenis dogma finem habitura. [a]

ANNOTATIO CCLX.

Praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam. 1. Cor. 7. b

Num liceat marito adulteram uxorē, & uxori adulterum maritum repudiare.

AMBROSIUS, Mediolani episcopus, in commentariis, hunc locum excutiens, duas habet sententias ab ecclesia non receptas; primam, Licere viro dimittere adulteram uxorem, & ea vivente accipere aliam; secundam, Imparia esse jura conjugii, & ob id non licere uxori virum adulterum dimittere, nec ab eo discedere. Utranque propositionem his exprimit verbis: NON permittitur mulieri, ut nubat, si virum causa fornicationis, aut apostasiae, aut si illicite impellente lascivia usum quaerat uxoris: quia inferior non omnino hac lege utitur, qua potior. Si tamen apostatet vir, aut usum quaerat uxoris invertere; nec aliis potest nubere mulier, nec reverti ad illum. *Et virum uxorem non dimittere*, subauditur autem excepta fornicationis causa: & ideo non subjecit sicut de muliere, Quod si discesserit, manere sic: quia viro licet ducere uxorem, si dimiserit uxorem peccantem: quia non ita lege constringitur, sicut mulier. Harum sententiarum eam, quae posterior est, reprehendit Hieronymus in Epitaphio Fabiolae, inquiens: PRAECEPIT Dominus uxorem non dimitti, excepta causa fornicationis; & si dimissa fuerit, manere innuptam. Quicquid viris praecipitur, hoc consequenter redundat ad foeminas: non enim adultera uxor dimittenda est, & vir moechus tenendus. Apud nos enim quod non licet foeminis, aeque non licet viris: & eadem servitus pari conditione censetur. Id ipsum sentit Augustinus libro primo De sermone Domini in monte cap. 26. quorum auctoritatem pontifices, atque omnes theologi scholastici sequentes, decernunt in causa divortii parem esse viri & uxoris conditionem. Prior quoque sententia nuper damnata est in Concilio oecumenico Tridentino, sessione 24. canone 7. de qua supra copiose scripsimus Annotatione 81. libri hujus.

Hic error tribuendus est Hilario Sardo, cujus sunt hi Commentarii, secus autem Ambrosio Mediolani Episcopo, ut pluries est adnotatū.

THOMAS Cajetanus in expositione loci hujus priorem Ambrosii sententiam sequitur. Vide ibidem.

AMBRO-

(a) Laudatum Apostoli locum ad purgatorium ignem facere ex Latinis PP. nc dum Augustinus *de Genesi contra Manichaeos lib. 2. c. 20.* & alibi, praesertim *Enarrat. in Psalm. XXXVII.* ostendit, verum & alii ejusdem Ecclesiae Doctores adstruunt, nimirum Gregorius M. *Lib. IV. Dialog. c. 39.* Hilarius Sardus *in I. ad Cor. c. 3.* Alcuinus *Lib. 3. de Trinit.* Rupertus *in Cap. V. Genes.* Angelicus *in I. ad Corint. III.* Et validum quidem est argumentum ad probandas contra Novatores purgatorias poenas, qua de caussa Latini PP. in Concilio Florentino, seu Ferrariae, contra Graecos dimicantes, locum Apostoli ad veritatem firmandam in medium produxerunt; At invictum certe non est, ut diserte Cl. N. Natalis ostendit, quum non in eam unamque explicandi rationem abeant utriusque Ecclesiae PP. Et alii quidem de igne extremi judicii interpretentur, ut Chrysostomus ibidem, & ante eum Nanzianzenus *Orat. XLIII.* aliique post ipsum; qui nimo non desint ex Latinis, qui in eandem explicationem descendant, videlicet Ambrosius *in Psalm. CXVIII.* Rupertus *lib. 2. in Genes.* aliique, quibus etiam adstipulatur Angelicus, & post ipsum interpretes ac Theologi plures, praecipue Cornelius a Lapide *ibidem I. ad Corint.* Alii itidem, & ex Latinis etiam, de igne tribulationis eundem locum Apostoli expendant, ut Augustinus *lib. de fide & operibus cap. 16.* Gregorius M. *Lib. IV. Dialog. c. 39.* & alii, quos apud Collectores est consulere. Loca vero utriusque Divini Foederis, quae laudari possunt ad invicte probandum purgatorium ignem apud Polemicos legi possunt, sicut apud eosdem est adinvenire unanimem PP. hac de re sententiam, & ego indigitavi *T. I. Exerc. ultima*. In Synodo Florentina vero hanc veritatem haud inficiati sunt Graeci, neque etiam qui schismatici audiunt ab eadem recedere possunt ex concordi ac invariata Orientalis Ecclesiae traditione, ut praeceteris videre est apud Leonem Allatium *de consens. utriusq; Eccles. Lib. XIII.* Petrum Arcudium *Concord. Orient. & Occid. Eccles. de Purgator.* & N. Lequien modo laudandum. Ad pleniorem autem hujusce dogmatis notitiam consuli possunt Polemici, sed prae ceteris clariores C. Bellarminus *de Purgator. lib. 1. c. 4.* Fratres Walemburgici *De Controv. fid. T. II. lib. XIII* Johannes Mabillonius *Praefat. in Lib. III. Annal. Benedict.* Johannes Baptista Cotelerius *Lib. VIII. Constit. Apostol.* Helias Du-Pin *Dissert. in Analys. Apocalyps.* aliique. Ex nostris autem praecipue Natalis Alexander *Sec. VI. Dissert. 46.* Michael Lequien *Dissert. V. Damascenic.* Card. Gotti *Ver. Eccles. Christ. T. II. p. 1.* & alii bene plures. Quid autem etiam ex iis, qui extranei sunt a Romana communione colligi possit ad Heterodoxos ventilandos habetur in Exercitationibus nostris *loc. cit.* ubi ex Hugone Grotio, & Davide Blondello id ipsum firmavimus. Consule etiam Cl. Jacobum-Benignum Bossuet ad rimandam Protestantium varietatem.

AMBROSIUS, Compsae episcopus, in commentariis haec exponens, eandem amplectitur opinionem. Vide ibidem.

ANNOTATIO CCLXI.

Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat. 1. Cor. 11. f

THOMAS Cajetanus in commentariis hujus loci, PAULUS, inquit, dicendo, Et sic, significat quod ad non indigne sumendam eucharistiam, sufficit, quod homo se ipsum probaverit. Et hinc trahitur argumentum, quod non est necessarium simpliciter & absolute hominem probatum esse a confessore ad hoc, ut sumat non indigne Eucharistiam. Ambrosius Compsae libro quinto Annotationum reprehendit hominem, quod & hic innuerit, & in Summula de peccatis apertius scripserit non esse necessarium, ut quis peccati mortalis sibi conscius illud confiteatur ante eucharistiae susceptionem, etiam si copiam confessoris habeat. Quam assertionem idem Ambrosius longa disputatione, ut rem nimis periculosam refellit. Synodus vero Tridentina, sessione 13. canone sexto eundem errorem damnat in haec verba: NE tantum sacramentum indigne, atque ideo in mortem, & condemnationem sumatur; statuit, atque declarat ipsa sancta synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcunque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario praemittendam esse confessionem sacramentalem: si quis autem contrarium docere, praedicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus existat.

Num ante communionē necessarium sit confiteri peccata.

ANNOTATIO CCLXII.

Posuit Deus in ecclesia primum Apostolos. 1. Cor. 12. d

THOMAS Cajetanus in commentariis, SUPREMA, inquit, membra Apostolos explicat: ad eos enim spectat universale ecclesiae regimen, non solum verbo & actione, sed etiam scriptura: unde sola scripta ab Apostolis, seu ab eis approbata, sacrae scripturae auctoritatem habeant. Ambrosius libro primo Annotationum ait postremam hujus sententiae partem adversari ecclesiae auctoritati, quae nonnullas scripturas, quas non constat vel editas ab Apostolis, vel ab eis unquam probatas, recipit ut canonicas, & inter sacra volumina collocat.

Num solae Scripturae ab Apostolis approbatae sint canonicae.

ANNOTATIO CCLXIII.

Si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est: caeterum qui supplet locum idiotae, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem? quoniam quid dicat, nescit. 1. Cor. 14. c

THOMAS Cajetanus in commentariis, EX HAC, inquit, Pauli doctrina habetur, quod melius ad aedificationem ecclesiae est orationes publicas, quae audiente populo dicuntur, dici lingua communi clericis & populo, quam dici Latine. Hanc sententiam Ambrosius Compsae libro Annotationum damnat his verbis: MIRATUS sum Cajetanum non esse deterritum a fructu hujuscemodi traditionis: quae primum a Luthero, immo a diabolo, in Luthero loquente, inventa est; qui hac vafritie plebejos ac rudes homines jam theologos fecit, atque adeo profecit, ut qui in sua ignorantia facile in ecclesiae fide sustinebantur, nunc in sua ista sapientia miserabiliter a Christi gremio exciderint. Quod ergo consilium hoc a spiritu veritatis non veniat, illud satis argumenti erat, quod ab iis profectum est, qui spiritu erroris aguntur. Quod vero desiderat Apostolus intelligi ea, quae in ecclesiis proferuntur, non cogit, ut credamus, quod debeant ab omnibus intelligi: non enim quicquam detrimenti est, quod singuli nequeant respondere, Amen, super benedictione. Providet enim sapienter ecclesia, ut ministri vice totius populi respondeant: immo hoc est, quod ibi Apostolus ait, cum subdit, Qui

Num Missa, & publicae preces lingua vulgari dicēdae sint.

supplet locum idiotae, sive indocti, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem? ecce quod error, qui supplebant locum vulgi, & respondebant, quos intelligere oportebat, quae dicebantur. Illud ergo potius vituperandum erat, quod non solum, qui supplent locum idiotae, plerumque non intelligunt, quid oretur: verum etiam saepenumero nec ipsi presbyteri, aut diaconi, qui orant, aut legunt. At hic abusus est, & contra id, quod etiam canones ecclesiastici praecipiunt, qui certe deberet emendari.

HAEC Ambrosius adversus Cajetani opinionem: cui quodammodo similia dixisse videntur Basilius, Chrysostomus, & Theophylactus in subscriptis sententiis.

S. Basilius in Regulis brevioribus Qu. 278. ubi fusius loquitur, vide textum. Has ergo Regulas Xystus Quaestiones ex variis Scripturae locis appellat ex argumento rei, quae ibi pertractatur.

BASILIUS in libro Quaestionum ex variis scripturae locis, quaest. 278. sic loquitur: QUOMODO Spiritus alicujus, ut ait Paulus, orat, mens vero infructuosa est? Respondeo: hoc de his, qui in lingua audientibus ignota orationes edunt, dictum est: quia cum ignota fuerint praesentibus verba orationis, infructuosa est mens orantis, cum nemo utilitatem capiat: cum vero praesentes intellexerint orationem prodesse audientibus potentem; tunc is, qui orat, fructum habet, quod hi, qui utilitatem capiunt, meliores reddantur.

CHRYSOSTOMUS homilia in priorem ad Corinthios trigesima quinta Basilio consona scribit, inquiens: IDIOTAM vero promiscuam plebem vocat, monstratque non leve incommodum esse, si Amen dicere non possit: est autem, quod dicit, hujusmodi: Si peregrina lingua gratias agas, quam nec intelligas ipse, nec caeteris interpreteris, subjicere Amen plebejus non potest: & illud in saecula saeculorum, qui finis precum est, audiens, Amen non dicet.

THEOPHYLACTUS in Commentariis haec eadem Chrysostomi verba repetit.

SOLENT his auctoritatibus uti, qui astruunt sacras Missas, Psalmos, Hymnos, & alias preces, vulgari cujusque gentis lingua in templis recitandas, ut ab omni plebis multitudine queant intelligi. Quibus respondendum est, Basilium non loqui de his, qui psalmos, aut preces, aut missas, in templo recitant, sed de his, qui in ecclesia orationes ad populum habent, & de sacris rebus verba faciunt. Hoc enim est apud eum orare, quod & ad coetum loqui. Sic & Chrysostomus per eum, quem Paulus Idiotam vocat, non intelligit promiscuam plebem, ut Latinus vertit interpres, sed ministrum ecclesiasticum, qui locum suppleat idiotarum non intelligentium, & respondeat Amen pro tota illiteratorum ecclesia. Hunc Chrysostomus laïcum, id est, popularem, vel plebejum appellat, ἰδιώτην δὲ, inquiens, λαϊκὸν λέγει. Cum igitur ex horum Auctorum sententiis colligi nequeat sacras liturgias, caeterasque divinas laudationes peculiari cujusque nationis eloquio enunciandas, jure damnandi sunt, qui ex illorum auctoritate moliuntur evertere & abrogare vetustissimam ecclesiae traditionem, non solum longa consuetudine receptam, sed & prudenti ratione firmatam. Visum est enim ecclesiae pastoribus, ut missarum & divinarum laudum officia iis potissimum linguis celebrentur, quibus primum editae sunt ab earum auctoribus, nempe a sanctis Apostolis, eorumque discipulis, ac successoribus, cum ob eximiam, quae illis debetur, observantiam, tum ob majorem sacrorum mysteriorum venerationem, ne possint in foro & compitis divinae Scripturae oracula, & mystica sacramentorum verba, omni & reverentia & silentio digna, irridere & in ludibrium vertere profani & impuri homines. Quod si quis non satis his contentus, alias adhuc hujus rei causas nosse cupiat, ei legendus erit Joannes Ecchius Titulo 37. Locorum communium.

ANNOTATIO CCLXIIII.

Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. 1. Cor. 15. c

Num animae ante diem judicii sint beatae.

CHRYSOSTOMUS homilia 39. in priorem ad Corinthios delabi videtur in errorem Armenorum, & Anabaptistarum, qui dicunt, Nullam animam ante diem judicii fore beatam ea beatitudinis foelicitate, quae in divinae essentiae intuitu collocatur. Ibi enim expendens illationem ratiocinationis ab Aposto-

lo propositae, ait illam ex eo vim accipere, quod necesse sit animam, quoad fuerit a corpore separata, permanere extra coelestis gloriae foelicitatem. Ejus sententia ad verbum expressa haec est: QUID ais Paule? supereritne fiducia sola, si corpus non excitetur? an non animus superstes erit? erit: & immortalis quidem: quanquam vero vel fexcenties sit, ut sane est, immortalis: tamen sine carne ipsa admirandis illis bonis non fruetur, quemadmodum neque poenis punietur. Omnia enim coram tribunali Christi manifestabuntur, inquit Paulus, ut unusquisque ferat, quae per corpus seu bona, seu mala fecit: nam si corpus non resurgat, anima nostra incoronata jacebit, & extra coelestem beatitudinem erit. Quod quidem si concedimus, nulla illic jam re in universum fruemur. 2. Cor. 5. 10.

HANC sententiam idem Auctor longiori verborum ambitu & exemplis adhibitis circumscribit homilia 28. in epistolam ad Hebraeos; ubi cum enodaret particulam illam ex undecimo capite; Hi mercedem non receperunt, ne sine nobis consummarentur, &c. haec protulit: NONDUM, inquit Apostolus, receperunt mercedem, sed adhuc permanent, & ita mortui, & in tanta tribulatione: nec dum receperunt mercedem: tantum tempus habent, ex quo vicerunt, & nec dum receperunt: vos autem in certamine constituti moerore afficimini: intelligite & vos, quale & quantum est Abraham sedere, & Apostolum Paulum expectantes, quando & tu consumeris, ut possint tunc mercedem recipere: nisi enim etiam & nos illuc venerimus, tunc praedixit eis Salvator non dare mercedem. Sicut pater bonus, amator filiorum, probis & genuinis filiis, & opus perficientibus, dicit, non se daturum comedere, nisi venerint etiam alii fratres: tu autem anxius es, quia nondum mercedem accipis? quid itaque faciet Abel, qui ante nos vicit, & adhuc sine corona sedet? quid Nohe? quid caeteri illorum temporum, qui te & alios, qui post te futuri sunt, praestolantur? vides, quia nos in hoc superamus eos? de nobis enim, inquit Paulus, melius praevidit Deus, ne aliquid prae nobis plus habere viderentur, si primi ante nos coronarentur: unum definivit tempus omnium coronarum: & qui ante tantos vicit annos, tecum accipiet coronam. Contemplaris curam & dilectionem divinam? non dixit, Ne sine nobis coronarentur, sed, Ne sine nobis consummarentur. Praevenerunt nos in certaminibus, sed non praevenient in coronis: nec Deus ob id illis injuriam intulit, sed nos honoravit: nam & ipsi fratres libenter nos expectant. Si enim corpus unum omnes sumus, major ex hoc efficitur corporis jocunditas, cum simul & communiter coronatur, & non per partes. Etenim justi etiam in hoc sunt mirabiles, quod sicut de propriis bonis, sic gaudent & de bonis fratrum. Proinde etiam in illis hoc juxta votum procedit, ut cum fratribus coronentur: simul enim glorificati magna jocunditas est, & caetera. Hebr. 11. 39. Hebr. 11. 40.

HAEC CHRYSOSTOMUS de statu animarum sanctarum sine corpore. De loco autem, in quo ipsae detineantur animae nondum coronatae, idem in Commentariis Pauli indicare videtur, hunc esse Abrahae sinum. Siquidem homilia septima, super illud, ex 4. capite ad Hebraeos, Accedamus ergo cum fiducia, &c. sic fatur: NEMO nunc de se ipso desperet: tunc desperationis tempus erit, cum thalamus fuerit clausus, cum intraverit rex videre discumbentes, cum venerint ad sinum Abrahae, qui eo facti fuerint digni: nunc autem adhuc agon permanet, adhuc palma pendet. Et homilia ad populum Antiochenum 33. ELEEMOSYNA, inquit, non sinit nos eo decidere, ubi dives ille, nec audire verba illa tremenda; sed in Abrahae sinum nos deducit. Et homilia in Matthaeum 53. MISERICORDIA, inquit, non patitur eo nos detrudi, ubi dives ille cruciatur; sed in sinum Abrahae certo itinere ducit. Et homilia in Genesim quadragesima, AUDI, ait, quod omnes justi ab illo tempore Abrahae usque nunc, & usque ad consummationem ipsius Abrahae; opus orationis faciunt, ut in sinus Patriarchae occurrant. Quin & in aliis sermonibus suis eundem locum aliquando appellare solet τῶν ἱερῶν προθύρων, hoc est, sanctum vestibulum, vel sanctorum vestibula, accepta, ut Graeci credunt, hujusce appellationis occasione ex eo, quod animae ibi demorentur ad similitudinem eorum, qui prae foribus principum in aedium vestibulis expectant intra aedium penitiora ad principis conspectum admitti: unde etiam homilia 24. in priorem ad Corinthios sic pronunciat: SI hinc euchatistiae sacrificio Hebr. 4. 16.

cio

cio communiti migrabimus; maxima cum fiducia sanctum ascendemus vestibulum, tanquam aureis vestibus undique conrecti.

HIS CHRYSOSTOMI testimoniis Cornelius Agrippa, Anabaptistarum assecla, libro De occulta philosophia tertio, astruere conatur pias defunctorum animas usque ad diem judicii divinitatis visione carere. Qui quam longe distet a mente Chrysostomi, testantur infrascripta ejusdem sancti viri loca; quae apertissime praedicant, sanctorum animas statim, ut ex hac vita migraverint, divini conspectus gloria potiri.

Sapien. 3. 1. HOMILIA in illud Sapientiae tertio, Justorum animae in manu Dei sunt, &c. JUSTI, inquit, in aliam vitam translati beati sunt, eo quod ad Christum abierunt, & propius ad regem, non per accessum & fidem, sed facie ad faciem. Et homilia ad populum Antioch. 69. JUSTI, ait, cum hinc migraverint, foelices omnino sunt: ad Christum enim transierunt: illic cum rege sunt, & illic amplius & propinquius, non per introitum, non per fidem, sed facie ad faciem. Homilia 16. in epistolam ad Romanos, MORS, ait, non separat nos a Christo, sed magis ad eum chorum conjungit, qui cum Christo est, gloriaque illa potiri facit. Et homilia in epistolam ad Romanos 32. PAULI, inquit, vocem audiamus; ut postquam hinc abscesserimus, athletam hunc videre mereamur. Illic enim ipsum omnino videbimus, licet non e propinquo stantes: videbimus tamen prope ad regalem thronum splendentem: ubi Cherubin Deum glorificant: ubi Seraphin volant: illic Paulum videbimus, in sanctorum choro existentem; genuinaque illic dilectione fruemur. Homilia ad Philippenses quarta super illud,

Philip. 1. 22. Quid eligam, ignoro, &c. sic scribit: QUID inquis Paule? cum hinc abiens in ipsum coelum migraturus sis, atque cum Christo futurus, ignoras, quid eligere debeas? Et homilia de cruce & latrone loquitur in hunc modum: PARADISUM quinque & eo amplius annorum millibus praeclusum hodie nobis Christus patefecit, & latronem in Paradisum introduxit, & amoenitates ejus ostendit, & uno tempore duo beneficia vidimus esse concessa; unum, quod paradisus patefactus est; aliud quod latro in eam meruit introduci. Hodierna dies antiquam nobis patriam reddidit, paternam civitatem ostendit, domum pristinam redonavit. Et ne putes, Chrysostomum loqui de paradiso terrestri, haec post aliqua intulit: CHRISTO non injuriae fuit, sacram ingredienti patriam, facere ingressus sui latronem participem, nam secum eum perduxit, non confundens calcantibus latronis pedibus paradisum, sed honorem praestans paradiso: nam cum publicanos & fornicarios ad coelorum regnum introduxit, non coelorum regnum infamavit; sed etiam magis honoribus ampliavit, ostendens talem Dominum regni esse coelorum, qui & indignas in tantum fecerit meliorari personas, ut etiam illius dignitatis gloriam mererentur. Et paulo infra addit, VIDISTI latronem, & latronem: uterque furacis vitae: sed non eis similis dominatur eventus: unus beatitudinem coeli haereditario jure promeruit; alter ad gehennam mittebatur, & poenam.

INTERPRETATIONEM locorum Chrysostomi, ab his ultimis locis diffidentium, quaere infra Annot. 345. ubi Catalogum habes auctorum, qui in hoc articulo ambiguas sententias protulerunt.

A N N O T A T I O CCLXV.

Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. 1. *Cor.* 15. *g*

Num omnes homines morituri sint. CHRYSOSTOMUS homilia in priorem ad Corinth. 42. hunc locum contrario fere sensu legit hoc modo: πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα. Hoc est, Omnes quidem non dormiemus, sed omnes immutabimur. Quam sententiam sic exponit, ut asserat non omnes esse morituros, haec scribens: NON moriemur omnes, omnes tamen immutabimur, & hi, qui non moriuntur: mortales enim etsi. Ne igitur, si mori, inquit, contingat, ob id terreare, tanquam non resurrecturus: sunt enim quidam, sunt qui etiam hoc subterfugient: quibus ad resurrectionem illam non erit tamen hoc satis, verum

illa

illa corpora nondum mortua etiam immutari, & incorruptibilitatem consequi, nihilominus oportebit.

THEODORUS, Heracleae episcopus, in Commentariolis Apostoli eandem hoc loco adhibet expositionem.

DIODORUS, Tarsensis episcopus, in explanatione hujus epistolae idem habet.

APOLLINARIUS, Laodiceae episcopus, in Commentariis Apostoli eodem modo explanat.

THEODORETUS, Cyrensis episcopus, hoc ipsum habet.

THEOPHYLACTUS, Bulgariae episcopus, idem.

OECUMENIUS in Collectaneis explanationum in Paulum similiter scribit.

E CONTRARIO alii veteres tractatores sunt, qui hanc Pauli sententiam sic legunt: *πάντες μὲν κοιμηθησόμεθα, ἀλλὰ ὐκ πάντες ἀλλαγησόμεθα*: id est, Omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur: quae quidem lectio parum distat a vulgata editionis nostrae scriptura, imo eundem reddit sensum, quia si omnes dormient, omnes etiam resurgent. Qui vero juxta hanc lectionem omnes asseverant morituros, ac deinde resurrecturos, sunt hi, videlicet.

ORIGENES in tertio volumine epistolae Pauli ad Thessalonic. exponens illud, NOS, qui vivimus, & qui residui sumus.

ACACIUS, Caesariensis episcopus, in libro 4. Selectarum quaestionum.

DIDYMUS Alexandrinus in Commentario prioris epistolae ad Corinth.

AMBROSIUS, Mediolan. episcopus, ibidem.

AUGUSTINUS De civitate Dei, lib. 20. cap. 20.

AMBROSIUS Compsae in Comment. praesentis epist. scribit, Chrysostomum, falsa lectione deceptum, cum rem non exacte considerasset, adhaesisse priori opinioni; quam & falsam esse ait ac periculosam, nec nisi proterve sustineri posse. Caeterum apud Graecos Oecumenius, & apud Latinos Auctor lib. De ecclesiasticis dogmatibus, & Augustinus quaest. 3. ad Dulcitium pronunciant, aeque Catholicos esse, qui tam istam, quam illam lectionem & opinionem sequuntur. Hieronymus in epistola ad Minerium & Alexandrum in arbitrio ponit Lectoris, ut harum eligat, quam ipse maluerit.

ANNOTATIO CCLXVI.

Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. 1. Cor. 15. f

HIERONYMUS in epistola ad Minerium & Alexandrum, cum ad hujus particulae explicationem plures veterum expositiones attulisset, demum excusans se, quod in his etiam haereticorum sententias enumerasset, eorumque damnata scripta legisset, haec intulit: SI QUIS immurmurat, quare eorum explanationes legam, quorum dogmatibus non acquiesco; sciat me illud Apostoli libenter audire, Omnia probate: quod bonum est, retinete; & Salvatoris verba, dicentis, Estote probati nummularii; ut si quis nummus adulter est, & figuram Caesaris non habet, nec signatus est moneta publica, reprobetur. Qui autem Christi faciem claro praefert lumine, in cordis nostri marsupium recondatur. Ego & in dolescentia & in extrema aetate profiteor, & Eusebium, & Origenem viros esse doctissimos, sed errasse in dogmatum veritate: quod etiam de Theodoro, Acacio, & Apollinario possumus dicere: & tamen omnes in explanationibus Scripturarum sudoris sui nobis memoriam reliquerunt. In terra aurum quaeritur, & de fluviorum alveis splendens profertur glarea. Pactolusque ditior est coeno, quam fluento. Cur me lacerant amici mei; & adversus silentem crassae sues grunniunt? meum propositum est antiquos legere, probare singula, retinere, quae bona sunt, & a fide Catholicae ecclesiae non recedere.

An haereticorum scripta sint legenda.

1. Thess. 5. d

Matth. 22. 24. & 25.

Lege integrè epistolam S. Hieronymi ord. CLII. juxta editionē Mariani Victorii.

EX HIS Hieronymi verbis colligunt Oecolampadius, ac plerique alii nostrorum temporum haeretici, injuste a Romanis Pontificibus interdictam esse haereticorum voluminum lectionem, contra multorum gravissimorum Patrum judicium, qui senserunt haereticorum lucubrationes, cum propter intelligentiam

Socrates Lib. VI Hist. Eccl. cap 17. affert Theophili excusationem in lectione Origenis non ademptam a Concilio, sed propterea illum fuisse damnatum. Lege, si textum.

tiam Scripturarum, tum ob variam multarum rerum eruditionem, quae apud Catholicos non habetur, legendas. Inter alios vero Patres Theophylum, Alexandriae episcopum, inducunt; qui cum in synodo Hebdomiana una cum caeteris episcopis, qui aderant, universa Origenis volumina damnasset, & editis etiam scriptis, publice confutasset: nunquam tamen lectionem ipsorum intermisit: cumque ab amicis interrogaretur, cur libros illos iterum complecteretur, quos antea rejecisset; Socrates in lib. Historiae Ecclesiast. cap. 17. refert eum respondisse ad hunc modum: Origenis libri similes sunt prato omnis generis floribus ornato: itaque si quid boni in illis reperio, illud excerpo: si vero spinosum quid visum fuerit, hoc tanquam aculeatum praetereo.

S. Dionysius Epistol. 3. ad Philem. de baptismo, quam refert Eusebius Libr. VII. Hist. Eccles. cap. 7. Quam consulas praecipue ex editione Valesiana.

HUIC Theophili testimonio adjiciunt Dionysii Martyris, & ejusdem ecclesiae episcopi, auctoritatem, qui longe ante ipsum de legendis haereticorum libris, in epistola ad Philemonem, Romanum presbyterum, ita ad verbum scripserat: EGO vero, & jam haereticorum commentarios, & traditiones legi, parumper quidem animum meum impurissimis illorum cogitationibus commaculans; verum id utilitatis inde capiens, ut eas apud me ipsum redarguam, & multo amplius abominer; & cum a fratre quodam presbytero prohiberer, qui verebatur, ne malitiae illorum scriptorum coeno involverer, unde anima mea perderetur; qui, ut sensi, verum dicebat: visio quaedam divinitus oblata est, quae me confortaret, & sermo ad me factus perspicue praecepit, dicens: Lege omnia, quae in manus tuas veniunt: valebis enim omnia expendere, & probare: & hinc tibi data est initio fidei occasio. Acceptavi visionem hanc, tanquam Apostolicae voci conformem, ad potentiores dicenti, Sitis probati dispensatores. Haec igitur sunt, quae ab Ocolampadio pro defensione haereticae lectionis inducuntur.

I. Petr. 4. 10.

QUIBUS respondemus, neque a Romanis Pontificibus, neque ab una unquam Synodo fuisse omnino, prorsusque prohibitum, ne haereticorum scripta legerentur; sed ne sine majorum concessione legerentur, maxime vero ab ineruditis, qui facile eorum lectione falli possent, & ab eruditis etiam, quos nulla hujusmodi lectionis urgeret necessitas. Nam & Carthaginensis quarta synodus canone 17. concedit episcopis eruditione & fide conspicuis lectionem haereticorum voluminum, quo facilius possint illorum insidias agnoscere, & validius confutare. Quapropter omnes, sive indocti, sive docti, gravissime peccant, qui sine scitu & auctoritate majorum libros ab ecclesia rejectos legunt, praesertim vero nulla ad id necessitate adducti. Neque eos Dionysii, Theophili, & Hieronymi dicta & exempla ullo modo excusant, cum utrinque inter illos & istos longe dispar sit causa. Illi enim erant viri undequaque eruditi, & in fidei sinceritate constantissimi: Hodie Christianorum vulgus majori ex parte indoctum est, & quovis novae doctrinae vento circumagitur: illi cum non longe ab exordio nascentis ecclesiae, & Apostolicae scholae distarent, ob inopiam catholicorum interpretum cogebantur haereticorum Commentaria consulere, ut inde haurirent explanationes multarum divinae Scripturae partium, quas orthodoxi Doctores, vel nondum tentaverant, vel nondum satis foeliciter attigerant. Nos cum tot innumeris veterum ac recentium Doctorum piis ac doctissimis commentationibus affluamus, & in his habeamus omnes ac singulas utriusque Testamenti partes longe verius, doctius, & elegantius, quam in libris haereticorum explicatas: quanam venia digni erimus, si, relictis purissimae doctrinae fontibus, paludres, ac mortiferas haereticorum aquas perquiramus? Illi demum nulla generalis synodi sanctione arcebantur ab haereticorum voluminum lectione: nos plurium conciliorum auctoritate, & ad ultimum Oecumenicae Tridentinae synodi decreto sub anathematis animadversione ab omnibus haereticis scriptis jubemur omnino abstinere. Vide nonnulla, quae ad hoc argumentum pertinent, libro secundo, in dictione Curiosarum artium, & in dictione Sennacherib, & libro quarto in Juliano episcopo Celanensi. (a)

AN-

(a) De lectione haereticorum librorum, aliorumque id genus vetitorum voluminum affatim egi *Tom. I. Exercit. XXXVIII.* quam videsis ad pleniorem notitiam ac eruditionem.

ANNOTATIO CCLXVII.

Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, Anathema sit. 1. *Cor.* 16. *d*

Num liceat vel vivos, vel mortuos anathemate plectere.

CHRYSOSTOMUS in homilia, quae DE ANATHEMATE inscribitur, occasione hujus sententiae videtur asserere, & longo sermone demonstrare, quod neque vivi, neque mortui sint anathemate plectendi, etiam si haeretici fuerint. Verba ejus haec sunt: APOSTOLI admodum diligentes fuere, haereses quidem redarguendo, & ejiciendo, nulli autem haereticorum hanc anathematis poenam adhibendo. Porro Apostolus in duobus duntaxat locis vocem hanc quasi coactus affert, nec tamen certae ac determinatae personae illam intentat: nam Corinthiis scribit, Si quis non amat Dominum Jesum Christum, anathema sit: &, Si quis vobis evangelizaverit praeter id, quod accepistis, anathema sit. (Galat. 1. 9) Cur igitur quod nullus eorum, qui potestatem acceperunt, vel facere, vel declarare ausus fuit, tu facere audes, plane adversarius mortis Dominicae, & praeoccupans judicium regis? Et infra, HAERETICUS, ajunt, ille factus est, inhabitantem habet diabolum, adversus Deum injustitiam loquitur, multos in profundum perditionis abducit eloquentiae suae efficaci suadela & deceptione. Sane Paulus, hos redarguens, Doce, air, in lenitate, erudiens, eos, qui obsistunt; (II. ad Timot. 2. d) si quando det eis Deus poenitentiam ad agnoscendam veritatem, ut resipiscant a diaboli laqueis capti in voluntatem illius: extende sagenam charitatis, ut non subvertatur claudicans, sed potius sanetur. Et infra, IS, quem tu anathematizare decrevisti, vel vivit, & adhuc in mortali vita hac superest, vel mortuus est: quod si adhuc superest; impie agis, qui eum, qui a malo in bonum se vertere potest, crudeliter abscecas: si mortuus est; multo magis crudelis es: cur nam? quia Domino suo stat, vel cadit, non jam sub jure humano existens. Et post pauca, EA propter vos oro, ne vobis verba haec mente excidant: dogmata enim impia, & quae ab haereticis profecta, arguere & anathematizare oportet: hominibus autem parcendum, & pro salute ipsorum orandum.

HAEC Chrysostomi dicta repugnare videntur Apostolicae ecclesiae potestati, quae auctoritate Christi excommunicationis poenam non solum vivis infligit, sed & aliquando etiam defunctis, praesertim haereticis: de quorum excommunicatione post mortem extat determinatio quintae synodi Constantinopolitanae in decretis Pontificiis, causa 24. quaestione 2. capite ultimo. Porro cum tot locis Chrysostomus excommunicationis ecclesiasticae auctoritatem defendat; verisimile non est, ut, mutata sententia, voluerit eam hoc loco damnare: sed hoc magis credendum est, eum hanc homiliam protulisse adversus quosdam temerarios & indoctos, qui cum nec essent ecclesiae pastores, nec ullam haberent excommunicandi potestatem: tamen odio & contentione inducti dogmata ab ipsis non intellecta, una cum auctoribus eorum temere damnabant, & anathemate notabant. Hoc & ipsa Chrysostomi verba satis aperte indicant, in hunc modum habentia: EN specto viros, qui nullum ex sacris literis germanum sensum, imo nihil omnino sacrarum literarum tenent; &, ut pleraque transeam, non erubesco dicere furibundos, nugaces, contentiosos, qui neque sciunt, quae dicunt, neque de quibus affirmant, in hoc uno tantum audaces, quod dogmata statuunt, & anathema declarant ea, quae maxime ignorant: hinc est, quod exteris, hostibusque fidei nostrae ludibrio sumus. Et infra, HEUS, quis tu tantae auctoritatis, qui tantam tibi usurpas anathematizandi potentiam? cur dignitatem tantam assumis, quae Apostolis tantum communicata, & his, qui illorum idonei sunt successores? &c.

Vide Chrysostomum Homil XV. in I ad Corinth. & Homil IV. ad Hebraeos.

Lege S. Thomam Suppl. ad III. P. Qu. XXI. Art. 2.

SED adhuc superest dilemma illud Chrysostomi, quod nostrorum temporum haeretici adversus ecclesiasticam anathematis disciplinam objectant, nempe, Aut is, quem anathematizas, vivit; aut obiit: si vivit, impie agis, qui eum, qui converti potest, ab ecclesiae corpore abscindis: sin obiit; multo crudelior es, qui in eum, qui sub humano jure non est, poenam inferre anniteris. Ad priorem ergo

dilemmatis partem respondendum est, Chrysostomum eo dicto non damnare anathematis poenam, qua ecclesia viventes cohercet, sed impiam eorum mentem, qui pium & ecclesiasticum anathematis finem pervertebant. Cum enim ecclesia excommunicatione pio quodam affectu utatur, tanquam pharmaco salutari, ut is, qui ea notatur ignominia, culpam suam agnoscat, & ad ecclesiam, unde ejectus fuerat, supplex revertatur; crudeles illi homines eo fine anathematizabant viventes, ut eos ab ecclesia irrevocabiliter ejicerent, non ultra ad poenitentiam recipiendos. Merito igitur Chrysostomus, crudelitatem hujusmodi redarguens, Impie, inquit, agis, qui eum, qui a malo in bonum se vertere potest, crudeliter abscas.

AD alteram dilemmatis partem similiter respondetur, Chrysostomum refellere eosdem impios & indoctos, quod mortuos anathematizarent, sensu & intentione plane diversa ab ecclesiastica traditione. Siquidem ecclesiae pastores, cum in eos anathemata pronunciant, qui ex hac vita in haeresi decesserunt, non id agunt, quasi tum primum velint excommunicare, & a communione fidelium animarum in Christo quiescentium excludere haereticorum animas: illae enim jam antea, cum in corporibus viverent, & cum de corporibus migrarent, alligatae fuerant eodem anathematis nexu, quo ecclesia Dei haereticos omnes obstrinxit, statimque, ut a corpore exierunt, in regnum ac potestatem diaboli traditae sunt. Ecclesiae igitur pastores, cum haereticos post mortem anathematizant, eorum animas non tum primum excommunicant, sed quia in erroris pertinacia migrarunt, jam excommunicatas, & a coetu fidelium animarum exclusas pronunciant; eorumque cadavera, ac cineres ad evidentiorem ejus rei demonstrationem longe arcent ab ecclesiastica sepultura, non ut his, qui obierunt, noceant, sed ut eo demonstrationis aspectu viventes ab haeresibus deterreant. Hunc igitur ecclesiasticum anathematizandi mortuos ritum non improbat Chrysostomus; sed imperitos ac furibundos illos accusat, qui quasi jus haberent etiam in mortuos, existimabant se anathematismis suis animas defunctorum ex loco quietis & statu salutis deturbare, & in locum aeternae damnationis dejicere. Horum insanum furorem compescens Chrysostomus, eos omnium crudeliores esse ait, quod etiam in eos, qui sub humano jure non essent, saevitiam exercere cuperent.

ANNOTATIO CCLXVIII.

Ostensionem ergo, quae est charitatis vestrae, ostendite. 2.Cor.8.d

An necesse sit Eucharistiam sub utraque specie laicis exhibere.

CHRYSOSTOMUS homilia in posteriorem ad Corinthios decima octava, indicare videtur, Eucharistiam sub utraque specie panis & vini laïcis exhibendam, sic inquiens: EST autem, ubi nihil differt sacerdos a subdito, ut quando fruendum est horrendis mysteriis: similiter enim omnes, ut illa percipiamus, digni habemur: non sicut in veteri lege partem quidem sacerdos comedebat, partem autem populus, & non licebat populo participem esse eorum, quorum particeps erat sacerdos: sed nunc non sic: verum omnibus unum corpus proponitur, & poculum unum. Joannes Calvinus capite decimo octavo Institutionis suae hac Chrysostomi sententia nititur astruere dogma recentium Graecorum & Lutheranorum, asserentium eucharistiam sub utraque specie omnibus Christianis necessario tradendam. Id etiam confirmat dicto Hieronymi: qui in Commentariis Malachiae capite secundo: SACERDOTES, ait, qui eucharistiam conficiunt, & sanguinem Domini populo distribuunt. His addit Gelasii Papae decretum, quod in decretis Pontificum distinctione secunda, capite Comperimus, allegatur his verbis: COMPERIMUS, quod quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione, a calice abstineant, qui proculdubio, quoniam nescio, qua superstitione videntur astricti, aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur. Divisio enim istius mysterii sine grandi sacrilegio non admittitur, &c. Hi igitur sunt ecclesiae Patres, ad comprobationem damnati dogmatis, a Calvino inducti: qui quanquam primo aspectu videantur recentioribus Graecis, & novis Lutheranae sectae haereticis favere; ab utriusque tamen triplici discrimine differunt. Primo

Haec habet Johan.Calvinus Lib. IV. Institut. cap. XVII. nu. 48.

enim,

enim, quod Gelasius, ac plerique alii Pontifices, de sumenda utraque sacramenti portione solis sacerdotibus injunxere, hi etiam laicis mandatum esse volunt, repugnante tamen ejus decreti titulo, quo soli sacerdotes comprehenduntur, & contradicentibus historicis aliquot; in quibus Philippus, Chronici supplementi auctor, refert sanctionem a Gelasio latam, qua cautum erat, ut sacerdotes nec eucharistiam sub una tantum specie consecrarent, nec sub utraque specie populo distribuerent. Secundo, quod Chrysostomus, Hieronymus, & alii quidam ecclesiarum pastores, ex indulgentia & benigna dispensatione populo concesserunt, isti in praeceptum & obligationem verterunt. Tertio, quod illi ante, quam secus ea de re statuisset ecclesia, aut permiserunt, aut concesserunt; isti etiam post synodicas & Oecumenicas prohibitiones ita necessarium faciunt, ut definiant, ac decernant ex Dei praecepto, & ex necessitate salutis omnibus fidelibus utranque speciem eucharistiae sumendam, eosque graviter peccare, qui alteram sine altera sumant. Proinde haereticos istos merito damnatunt Concilium Basiliense, Sessione 30. Concilium Constantiense, Sessione 13. & nuper Concilium Tridentinum, Sessione 21. canone primo, secundo, & tertio, in haec verba:

1. Si quis dixerit, ex Dei praecepto, vel necessitate salutis omnes & singulos Christi fideles utranque speciem sanctissimi Eucharistiae sacramenti sumere debere; Anathema sit.

2. Si quis dixerit, sanctam ecclesiam Catholicam non justis causis & rationibus adductam fuisse, ut laicos, atque etiam clericos non conficientes sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse; Anathema sit.

3. Si quis negaverit, totum & integrum Christum, & omnium gratiarum fontem, & auctorem sub una panis specie sumi, quia, ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi constitutionem sub utraque specie sumatur; Anathema sit. (a)

ANNOTATIO CCLXIX.

Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, &c. Gal. 1. a

HIERONYMUS, principium Commentariorum epistolae ad Galatas, a tituli hujus expositione aggrediens, videtur sentire, quod Petrus auctoritate & dignitate non fuerit Paulo superior, sic scribens: POTEST oblique in Petrum & in caeteros dictum accipi, quod non ab Apostolis ei sit traditum Evangelium, sed ab ipso Jesu Christo, qui & illos & Apostolos elegerat: hoc autem totum ideo praeparat, ut nemo sibi, contra legis onera pro Evangelii gratia disputanti, possit opponere, Sed Petrus hoc dixit, Sed Apostoli hoc statuerunt, Sed praecessores tui aliud decreverunt. Quod quidem in sequentibus nunc quasi occulto sermone praeludens, manifestius facit, dum ab eis, qui videntur esse aliquid, nihil in se collatum refert: & ipsi Petro in faciem restitisse se scribit, nulla se dicens necessitate compulsum, ut hypocrisi cederet Judaeorum. Et infra exponens illud, Evangelium ab homine non accepi, neque didici, &c. idem repetit, inquiens: POTEST autem, sicut in principio diximus, cum exponeremus, Paulus Apostolus non ab hominibus, ita & in praesenti loco oblique in Petrum accipi, & in caeteros praecessores ejus, quod nullius pro lege auctoritate moveatur, qui Christum solum Evangelii habeat praeceptorem. Item in aliis Commentariis, ejus nomine inscriptis, super illud ex capite secundo, Qui operatus est Petro in Apostolatu, &c. loquens sub persona Pauli, ait: EGO in nullo sum Petro inferior, quia ab uno Deo sumus ambo in ministerio ordinati. Rursus libro primo adversus Jovinianum indicare videtur, Petrum non esse caeteris Apostolis majorem, sed parem cum caeteris habere potestatem, his verbis: ECCLESIA licet fundetur super omnes Apostolos, & cuncti claves regni coelorum accipiant, & ex aequo super eos ecclesiae fortitudo

[Margin: An Petrus fuerit Paulo, ac ceteris Apostolis dignitate superior.]

[Margin: Galat. 1. 12.]

[Margin: Galat. 2. 8.]

(a) Innumera pene extant Veterum PP. & Ecclesiasticae historiae monumenta, quinimo, & Novi Divini Foederis testimonia, quibus aperte ostenditur contra heterodoxos communionem sub utraque specie haud necessariam fore laicis communicantibus, sicut & Sacerdotibus non celebrantibus, quae certe obvia sunt apud Polemicos, eos praesertim qui adversus Boëmorum errores scripserunt. Consule, si lubet, Tom. II. Exercitationum nostrarum *Exercit. XXXI.* ubi plura suppetunt ad catholicam veritatem firmandam, ibique laudantur Theologi, qui hac de re ex professo egerunt.

fortitudo solidetur: tamen propterea inter Duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio. Sed cur non Joannes electus est virgo? aetati delatum est: quia Petrus senior erat: ne adhuc adolescens, ac pene puer, progressae aetatis hominibus praeferretur: & magister bonus, qui occasionem jurgii debuerat auferre discipulis, in adolescentem, quem dilexerat, causam praebere videretur invidiae. Iterum in epistola ad Evagrium videtur adimere successoribus Petri potestatem super alios episcopos, & Romano Pontifici quemlibet episcopum aequare, hoc modo scribens: NON altera Romanae urbis Ecclesia, altera totius orbis existimanda est: & Galliae, & Brittanniae, & Africa, & Persis, & Oriens, & India, & omnes barbarae nationes unum Christum adorant, unam observant regulam veritatis. Si auctoritas quaeritur: Orbis major est Urbe; ubicunque fuerit episcopus, sive Romae, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriae, sive Tanis; ejusdem meriti, ejusdem est sacerdotii. Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem episcopum facit: caeterum omnes Apostolorum successores sunt. HIS HIERONYMI dictis abutitur Calvinus, atque nostrorum temporum haeretici adversus Petri primatum, & Apostolicae sedis ac Romanae ecclesiae primariam potestatem, reclamante Oecumenici concilii Florentini definitione; cujus decretum, communi Latinorum, Graecorumque omnium consensu receptum, & in ultima Sessione promulgatum, sic habet: Definimus sanctam Apostolicam sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum; & ipsum Pontificem Romanum, successorem esse beati Petri principis Apostolorum, & verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiae caput.

S. Hieronym. epist. ad Evagriū LXXXV

Johan. Calvinus Lib. IV. Institut. cap. 7. num. 3.

VERUM si quis evolvat Hieronymi scripta, inveniet eum libera & constanti asseveratione Petri, ejusque Apostolicae sedis fidem, auctoritatem, & sententiam praetulisse ecclesiarum omnium judicio, idque praesertim in epistola ad Damasum Papam, cujus initium est, Quoniam oriens, &c. in epistola ad Pammachium, in epistola ad Theophilum, Alexandriae episcopum, in Invectiva adversus Rufinum, & in Dialogo adversus Luciferianos.

PROINDE, ne quis existimet eum inter se scripsisse pugnantia, sciendum est, triplicem in Petro fuisse potestatem, nimirum Ordinis, Apostolatus, ac Regni: Si Apostolatum spectemus, hoc est, docendi officium, & Evangelicae praedicationis curam, recte dixit Hieronymus in Commentariis ad Galatas, Paulum non esse Petro inferiorem, quia Paulus ad Evangelicum munus non a Petro, sed a Deo, aeque ut Petrus, electus est, ut ipse Evangelizaret in Gentibus, sicut ille in Judaeis. At si ad potestatem inspicimus, quae in ordinis sacramento confertur, scite in Jovinianum pronunciavit Hieronymus omnes Apostolos ex aequo claves accepisse, & ecclesiae fundamenta solidasse. Verissime etiam ad Evagtium scripsit omnes episcopos pares esse: quia omnes Apostoli in eodem sacerdotii ordine, & in eadem sacramenti praestantia pares erant; & omnes episcopi eorum successores, sive Eugubii, sive Tanis, sive cujuslibet vilioris oppiduli aequales sunt Romanae urbis episcopo, sacramenti scilicet ordine, & spiritali ejusdem ordinis potestate. Demum si de potestate Regni, deque illa primaria super omnes episcopos & ecclesias auctoritate sit sermo, optime contra Jovinianum, & contra Luciferianos, & alibi scripsit Hieronymus unum Petrum inter duodecim Apostolos electum, & caput omnium constitutum, ut ejus suprema auctoritate, & eminentiori prae caeteris potestate contentiones ecclesiae dirimantur, & omnis schismatum occasio tollatur. Annotavimus huic argumento affinia inferius Annot. 271.

PRIMASIUS in Collectaneis primi capitis epistolae ad Galatas excerpsit ex commentariis, Hieronymo ascriptis, hanc periodum: QUI operatus est Petro in apostolatu, operatus est & mihi inter gentes: non illo sum inferior, quia ab uno sumus ambo in unum ministerium ordinati. Hujus clausulae sensus patet ex his, quae dicta sunt.

AN-

ANNOTATIO CCLXX.

Cum autem placuit ei, qui me segregavit, &c. Gal.1.c

HIERONYMUS libro in epistolam ad Galatas primo super his verbis sentire videtur, quod Deus nec elegit, nec reprobat quenquam nisi ex praescientia meritorum, inquiens: HOC ex Dei praescientia evenit, ut quem scit justum futurum, prius diligat, quam oriatur ex utero: & quem peccatorem, oderit ante, quam peccet; non quo & in amore, &c. Vide supra Annot.251.

Electio, & reprobatio an ex meritis.

ANNOTATIO CCLXXI.

Deinde post annos tres ascendi Hierosolymam, ut viderem Petrum. Gal.1.d

CHRYSOSTOMUS in commentario epistolae ad Galatas, hoc explicans, QUID hoc, inquit Pauli animo possit esse modestius? post tanta, taliaque benefacta eum nihil opus haberet Petro, nec illius egeret, sed honore par esset illi; (nihil enim hic dicam amplius) tamen ascendit velut ad majorem ac seniorem; solusque Petri conspectus commovit illum, ut eo proficisceretur. Ad eandem sententiam alludere videtur Chrysostomus homilia in epistol. ad Romanos 18. inquiens: NEQUE enim si populum suum Deus repulsurus fuisset, Paulum sibi ex Israëlitis elegisset: cui omnem praedicationem, cui res orbis, mysteria cuncta, universamque dispensationem concederet. Germanus Brixius, interpres homiliarum Chrysostomi in Paulum, & Erasmus, interpres commentarii Chrysostomiani in epistolam ad Galatas, monuerunt hos locos caute legendos, existimantes, ut arbitror, ex his labefactari supremam Petri in omnes Apostolos potestatem. Atqui ipse verborum sensus, & occasio palam arguunt Chrysostomum hic non loqui de primaria Petri auctoritate, ac jurisdictione super omnes Apostolos, & in omnem ecclesiam; sed de honore apostolatus, & dignitate Evangelicae praedicationis, quibus Paulus nihil Petro fuit inferior: nam de Petri monarchia mentionem faciens homilia in Matth.55. ECCLESIAE, ait, quae tot tantisque fluctibus irrumpentibus immobilis manet, pastor & caput, piscator homo est. Huc pertinent, quae habes Annot.269. libri hujus.

Petrus an ceteris Apostolis superior.

ANNOTATIO CCLXXII.

Nisi Jacobum, fratrem Domini. Gal.1.d

AMBROSIUS in commentariis praesentis capituli asserit Jacobum, fratrem Domini, fuisse filium Joseph. Vide supra Annot.64. libri hujus.

ANNOTATIO CCLXXIII.

Ne forte in vacuum currerem. Gal.2.a

AMBROSIUS in commentariis sub expositione hujus periodi, obiter attingens locum illum Act.15. ubi legitur, Apostolos praecepisse gentibus, ut abstinerent a quatuor, videlicet ab idolothitis, a scortatione, a sanguine, & suffocato, monet ab Apostolis non fuisse praescripta, nisi tria, quartum vero a Graecis ejus loci corruptoribus additum. Ejus verba sic habent: DENIQUE tria haec mandata ab Apostolis & senioribus data reperiuntur, quae ignorant leges Romanorum, id est, ut observent se ab idololatria, & sanguine, sicut Nohe, & fornicatione. Quae sophistae Graecorum non intelligentes, scientes tamen a sanguine abstinendum, adulterarunt scripturam, quartum mandatum addentes, & a suffocato observandum: quod puto, nunc Dei nutu intellecturi sunt, quia jam supra dictum erat, quod addiderunt. Ambrosio quantum in hac parte tribuendum sit, alii

De quatuor praeceptis Apostolorum ad eos, qui ex Gentibus.

alii viderint: certe Irenaeus libro adversus haereses tertio, cap.12. refert hunc locum, nec addit mentionem suffocatorum. (a)

ANNOTATIO CCLXXIIII.

Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quoniam reprehensibilis erat. Gal.2. b

An Petrus, & Paulus simulatione usi sint, & an simulando peccaverint.

ORIGENES in commentariis epistolae ad Galatas, & in decimo Stromatum volumine, hunc locum exutiens, duas reliquit sententias, a posteris longa disputatione agitatas. Harum prior est, Petrum & Paulum non vero, sed simulato dissidio invicem ad utilitatem discipulorum summa animi concordia contendisse; ut dum Petrus, de simulatione legalium a Paulo simulata reprehensione objurgatus, non contradicit, sed quasi delictum suum agnoscens obticescit, hi, qui legalia putabant servanda, resipiscerent, & a legalium observatione desisterent. Altera sententia est, Neutrum illorum simulando peccasse; quia liceat, immo etiam oporteat simulationem pio juvandi studio multis in rebus adhibere. Utranque Origenis sententiam omnes infrascripti patres sequuntur.

THEO-

(a) Qui ab Authore N. laudatur Ambrosius in Commentariis Epistolae ad Galatas, ut non semel adnotavimus, certe non est magnus ille Mediolanensium Episcopus, quem universa suspicit Ecclesia, sed Ambrosiaster, seu qui, detecta larva, Hilarius Sardus omnibus Criticis audit: quare vel ejus notitia posset dilui impostura de additione quarti praecepti de abstinentia a suffocato, velut posteriori manu a Graeculo quodam adjecti. Verum quia Xystus Ambosiastri mendacium non ensufflat, sed solum quantum sit illi tribuendum Eruditorum criterio committit, additque insuper reapse Irenaeum solummodo abstinentiam a sanguine in Actibus Apostolicis indictam laudare, operosius, esto breviter, Ambrosiastri audacia retundenda, & veritas aperienda occurrit. Apostolicum canonem de abstinentia etiam a suffocato dilucide in Divino eloquio, eoque puro, extare clarissime constat, cum ex veteribus, iisque selectis, Graecis, Latinisque Codicibus, tum etiam quia ita laudatur a PP. utriusque Ecclesiae, & qui ante Hilarium Sardum, & qui post eum floruerunt, quique tantae non erant obesae naris, ut nequiverint vitilitigatoris fraudem subodorari. Ante Ambrosiastrum quidem Apostolicum praeceptum de abstinentia a morticiniis, seu a suffocatis, Actorum XV. indictum laudarunt, & iisdem pene verbis, ac in nostra Vulgata legitur, Clemens Alexandrinus *Lib.III.Paedagogi Cap.7.* Tertullianus *Lib. de Monogamia, & de Pudicitia*, Origenes *in Epist. ad Romanos Cap. 2. lib. 2.* Patres Concilii Gangrensis sub S. Silvestro I. R. P. coacti *Canone II.* His adde circa idem tempus Authorem Constitutionum Apostolicarum *Lib. VI. cap.12.*, & si lubet, etiam Authorem Canonum Apostolicorum *Can. LXII.* apud Balsamonem *Can. LXIII.* Qui vero post Hilarium Sardum claruerunt, eique suppares, ac posteriores, & eodem pariter modo Apostolicum Canonem laudarunt, praeceptum de abstinentia a suffocatis indictum promulgantes, sunt Chrysostomus *Hom. XXXIII. in Act. Apost.* Hieronymus *in Cap. XLIV. Ezechielis*, Augustinus *Lib. XXXII. contr. Faust. c. 3.* PP. Concilii Trullani Anni DCXCII. *Can. 69.* Beda, Theophylactus, & Oecumenius *in Cap. XV. Actor.* aliique universim omnes, quos hic laudare est soli facem addere.

Non inficior quidem in aliquibus Codicibus defuisse olim *τοῦ πνικτοῦ a suffocatis*, ut etiam Hieronymus observavit, & ita legerunt ex Graecis Irenaeus *loc. cit.* & Cyprianus *Lib.III. Testim. Cap.119.* Verum ex eo non licet colligere verum esse, quod Ambrosiaster pessime mentitur. Rati enim illorum Scriptores per expressionem praecepti prohibentis abstinentiam a Sanguine interdici etiam usum suffocatorum, seu morticiniorum, cum utrumque cibum ex Adami ac Nohemi praecepto vetitum universim adstruant Hebraei &, videri potest apud Flavium Josephum *Antiquit.Lib.I.cap.4.* imo de utriusque exclusione ex Hebraeorum mensis diluciда leges extent Genesis IX. Levitici III. & Deuteronomii XII. legem abstinentiae a suffocatis veluti in priori praecepto de abstinentia a sanguine inclusam retinuerunt; sed reticentes non eliminarunt, quin potius luculenter indigitarunt. Quapropter S. Gaudentius Brixiensis Episcopus IV. labente Seculo clarus ita hujusce Codicum textum expendit *Serm. XV.* „ Et idcirco „ B. Jacobus cum ceteris Apostolis decretum sale „ constituit in Ecclesiis observandum: *Ut abstineatis vos*, inquit, *ab immolatis, & a fornicatione* „ *& a sanguine*, idest a suffocatis „, eodem praecepto indicans vetitum utrumque, nimirum, sanguinis, & suffocati cibum; & in priori posterius inclusum. Quinimo advertit etiam Hugo Grotius in *Act. Apost.* quod in aliquibus Codicibus olim deerat *τοῦ αἵματος a sanguine*, eodem nempe ex momento, quia nimirum facta ibi prohibitione morticinii, sanguinis cibus ex eadem lege prohibente vetitus censebatur. Et quidem id exigebat tunc temporis Oeconomia ad unionem Hebraeorum & Gentilium, ut ne dum abstinentia a sanguine, verum & a suffocato praescriberetur: cum utrumque Hebraeis foret immundum; in utriusque cibo Ethnicorum superstitio extaret, ut videre est apud Origenem *Lib.VII.contra Celsum*, & Cyrillum Hierosolymitanum *Catechef.IV.* Cum ergo universim in potioribus Graecis Codicibus habeatur *καὶ τοῦ πνικτοῦ, καὶ τοῦ αἵματος*, & in Latinis *& a suffocatis, & a sanguine*; & ita de utraque abstinentia lex servata fuerit ab antiquis retro diebus, & diu post IV. Seculum, saltem alicubi, ut constat ex Tertulliano *in Apologetico*, Eusebio Caesariensi *Lib.V. Hist.Eccles. cap.1.* Minutio Felice *in Octavio*, Concilio Aurelianensi II. An. DXXXIII. *Can. 20.* aliisque innumeris monumentis, quam crasse erraverit Ambrosiaster apertissime dignoscitur. Ad pleniorem notitiam legesis Interpretes Actorum Cornelium a Lapide, Guillelmum Estium, Augustinum Calmetum, &c. N. Natalem *T. I. Hist. Eccles. Dissert. X.* Card. Baronium *ad Ann. Christi LI. num.16. & seq.* Ex extraneis vero Grotium *ubi sup.* Geverhartum Elmenhorstium *Com. in Minut. Felic. pag. 300. & seq.* Johannem Seldenum *De Jur. Natur. & Gent. juxt. disciplin. Ebraeor. lib. VII. c. 1.* Stephanum Curcellaeum *Diatrib. de sanguinis usu*, & Johannem Spencerum *Dissert. in Act. XV. 20.*

THEODORUS, Heracleae episcopus, in comment. epist. ad Galatas.
EUSEBIUS, Emesae episcopus, in comment. epist. ad Gal.
DIDYMUS Alexandrinus in comment. epist. ad Gal.
APOLLINARIUS, Laodiceae episcopus, in comment. epist. ad Gal.
CHRYSOSTOMUS in comment. epist. ad Gal. & libro primo De sacerdotio.
HIERONYMUS libro in epist. ad Gal. primo, & in epist. ad Augustinum.
THEODORETUS, Cyri episcopus, in commentar. epist. ad Galat.
THEOPHYLACTUS in commentar. epist. ad Galat.
JOANNES Cassianus libro Collationum XVII.
OECUMENIUS in Collectaneis explanationum ad Galatas.

Hi igitur sunt, qui in utraque sententia cum Origene consentiunt.

AUGUSTINUS, ab his dissentiens, affirmat Petrum non ficte, sed vere ac juste reprehensum a Paulo; quia simulatio, quam is in remedium suae gentis assumpserat, in scandalum & perniciem Gentilium vergeret. Hac de re quanquam docte & pie scripserit Augustinus in tribus epistolis ad Hieronymum, & in aliis quoque locis: videtur tamen aliquando Petrum durius tractare, quam par sit, subiodicans eum superstitiosa ac prava quadam simulatione voluisse imponere legalia onera gentibus. Sic enim fatur in commentariis epistolae ad Galatas: PETRUS autem, cum venisset Antiochiam, objurgatus est a Paulo, non quia conservabat consuetudinem Judaeorum, in qua natus, atque educatus erat; quanquam apud gentes eam non servaret: sed objurgatus est, quia gentibus eam volebat imponere. Et in libro De agone Christiano, cap.30. hanc Petri simulationem inter gravia ejus crimina admiscens, ait: DEBET ecclesia catholica correctis filiis libenter ignoscere; quia ipsi Petro, personam ejus gestanti, cum in mari titubasset; & cum Dominum carnaliter a passione revocasset, & cum aurem servi gladio praecidisset; & cum ipsum Dominum ter negasset; & cum in simulationem postea superstitiosam lapsus esset, videamus veniam esse concessam. Et infra, Hos, inquit, ecclesia catholica materno recipit sinu, tanquam Petrum post fletum negationis, per galli cantum admonitum, aut tanquam eundem post pravam simulationem Pauli voce correctum. Praetereo brevitatis studio rationes & argumenta, ab utriusque opinionis defensoribus utrinque allata. Utrum vero virum bonum juvandi gratia aut mentiri, aut simulare liceat, habes supra Annotat.107. libri quinti.

ANNOTATIO CCLXXV.

Dixi Cephae coram omnibus, Si tu, cum Judaeus sis, &c. Gal.2.c

OECUMENIUS in Collectaneis explanationum hoc loco scribit ex sententia Eusebii Caesariensis in 1.histor.eccles. & Clementis Alexandrini in 4.Dispositionum volumine Cepham hunc, cui in os restitit Paulus, non fuisse Petrum Apostolum, sed alium quempiam ex septuaginta Christi discipulis, qui idem cum principe Apostolorum nomen habuerit. Quam opinionem Oecumenius hoc argumento comprobat, quia non opus erat, ut Petrus sese a convivio subduceret ob interventum Judaeorum, cum multo ante satisfecerit omnibus expostulantibus, quod cum Cornelio incircuncifo commercium habuisset; & adeo satisfecerit, ut illi, cognito negocio, concorditer gratias egerint Deo, praesertim cum hujusce rei nulla mentio fiat in actibus Apostolorum. Sed hanc opinionem, ceu commentitiam ac frigidam, fortiter rejicit Hieronymus, cum ipsa res doceat, totum hunc sermonem, ad Petrum, & illius collegas pertinere. Negat autem ullum Cepham notum nobis praeter Apostolum, qui Syrorum lingua Cephas dicitur, quod illis Cephas idem sonet, quod Graecis ac nobis Petrus. Deinde non mirum, si hoc omisit Lucas, a quo tam multa praeterea sint praetermissa, velut illud, quod Petrus primum sederit Antiochiae, deinde Romam sedem suam transtulerit. Postremo non oportere nobis tanti esse Porphyrium sycophantam, ut in illius gratiam novum Cepham fingamus: alioqui, si conemur e Scripturis eradere, quicquid haereticorum calumniis obnoxium sit, plura alia forent eradenda.

An Cephas, a Paulo reprehensus, fuerit Petrus Apostolus.

AN-

ANNOTATIO CCLXXVI.

O insensati Galatae, quis vos fascinavit? Gal. 3. a

Num striges possint infantulos fascinare.

HIERONYMUS libro primo in epistolam ad Galatas huic loco talem adhibet expositionem: DICITUR fascious proprie iofantibus oocere, & aetati parvulae, & his, qui nec dum firmo vestigio figant gradum: unde & quidam e Gentilibus dixit,

Virgilius Eclog. 3. vers. 103.

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Hoc utrum verum, necne sit, Deus viderit: quia potest fieri, ut & daemones huic peccato serviaot: & quoscunque in Dei opere vel coepisse, vel profecisse cognoverint, eos a bonis operibus avertant. Nunc illud in causa est, quod ex opinioce vulgi sumptum putamus exemplum: nt quomodo tenera aetas noceri dicitnr fascino, sic etiam Galatae, io Christi fide nuper nati, & outriti lacte, veluti quodam fascinante siot nociti; & stomacho fidei oauseante, Spiritus Saocti cibum evomueriot. Quod si aliquis cootradicit; exponat, quomodo de commuoi opinione sint sumpta, vallis Titaoum in Regnorum libris; Syrenae, & Onocentauri in Esaia, Arcturns, & Orion, & Pleïades in Job; &c. his similia, quae utique vocabula Gentilium fabularnm & causas, & origioes habent.

1. Reg. 23. Esai. 14. 14. Job. 9. 9.

CORNELIUS AGRIPPA, homo haereticus, io libro adversus Lamiarum inquisitores a se edito, occasionem ex his verbis arripiens laceraodi ioquisitores haereticae pravitatis, accusat eos, quod inter caetera hoc etiam calumniae genns invenerint adversus simplices & innoxias mulierculas, quas Striges vocant, nempe eas faciei objectu poetos fascinare, & oculorum intuitu corrumpere. Quam rem, ut ipse ioqnit, Hieronymus in commentariis epistolae ad Galatas, & Chrysostomus in homiliis epistolae ad Colosseoses, ceu fabulam ex superstitione Gentilium profectam, explodunt. Caeterum si quis syncere inspiciat scholasticorum opinionem, aperte cogooscet Cornelium inique & impndenter mentiri. Sentiuot enim scholastici Fascioationem duobus fieri modis, hoc est animali virtute, ac daemonis maleficio: & quidem animali virtute fieri dicunt, cum ab oculis animalium noxii quidam spiritus, & maligni afflatus prodeunt ad res visas: quo pacne modo tradunt physici speculum aeneum menstruatae mulieris obtutu maculari pene indelebili foedari, & infectis ac tabidis quorundam senum oculis aërem inftci, flores plantarum corrumpi, & animalcula quaedam delicatula eorum intuitu necari: quemadmodum Hieronymus, Albae episcopus, in secundo Bombycum volumine his elegantissimis numeris expressit:

Quondoquidem memini Tusci alta in rupe Viterbi
Ipse senem vidisse ferum, cui dira rigebant
Ora, grovesque oculi suffecti sanguine circum,
Fronsque obscoena situ, hirtique in vertice cani.
Ille truci (scelus) obtutu genus omne necabat
Reptantum, tenues animas, parvasque volantes.
Quin etiam si quando hortos ingressus, ubi annus
Exuit expleto turpem novus orbe senectam,
Floribus, & passim per ogros incanuit arbor,
Ille hortis stragem dedit, arboribusque ruinam,
Spemque anni agricolae maesti flevere caducam.
Nam quocunque aciem horribilem intendisset, ibi omnes
Cernere erat subito afflatos languescere flores.

Hac itaque ratione censent scholastici infantes, improbarum anuum aspectu adeo laedi posse, ut sensim contabescant, ac pereant. Alter fascinandi modus, ac priore deterior est, cum eaedem pessimae foeminae defluxiones illas ab oculis emissas doemonum imprecatione & eooperatione reddunt pestileotiores, & ad occidendum potentiores efficiunt. Haoc itaque scholasticorum senteotiam oon improbat Hieronymus, immo confirmat, dum inquit fieri posse, ut daemones huic peccato serviant. Nec ab Hieronymo dissentit Chrysostomus, fascinationem

nem deridens; sed eos damnat, qui in aegritudinibus suorum infantium, relicto Christi auxilio, & medicae artis remediis, confugiunt ad incantatrices mulierculas, adversus quas loquens in homilia a Cornelio citata, (ea est ad Colossenses octava) sic ait: CHRISTUS ejicitur, & inducitur temulenta & nugatrix anus: mysterium crucis conculcatur, & seductio diaboli tripudiat. Quid vero & alia ridicula commemorem? cinerem, salem, fuliginem, & rursus vetulam in medium productam? revera ridiculum, & dedecus. Et oculus quisque, inquis, fascinavit puerum. Quousque Satanica ista? quomodo non ridebunt nos Graeci? quando illis dicimus magnam esse crucis virtutem, cum videant nos istis egere, quae ipsi derident? nonne Deus medicos dedit, & pharmaca? Haec Chrisostomus.

ANNOTATIO CCLXXVII.

Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro Legis. Galat. 3. a

HIERONYMUM in commentariis epistolae ad Galatas, haec verba excutientem, Lutherus reprehendit, quod tam audacter neget in scripturis inveniri quenquam a Deo maledictum, & nunquam Dei nomen cum maledictione adjunctum: cum in Genesi legisset Deum maledixisse serpenti; & terram in opere Adae a Deo maledictam; & Cain divina maledictione percussum; & Deum in Malachia dicentem, Maledicam benedictionibus vestris; & Eliseum maledixisse in nomine Domini pueris Bethel. Ambrosius, Compsae episcopus, libro quinto adversus Lutherum ejus calumniam redarguens, ait, Hieronymum non negasse, quod Martinus ex divinis literis astruit, videlicet Deum maledicere, aut maledixisse, vel sanctos homines in Dei nomine maledictionem protulisse: sed hoc tantum affirmasse, quod nomen Dei nusquam inveniatur adjunctum maledicendi verbo. Quanquam enim in sanctis scripturis legamus Deum aliquibus maledixisse, & aliquos a Deo maledictos: nullibi tamen divina maledictio exprimitur sub hac forma verborum, Deus maledixit huic, sive, A Deo maledictum est hoc. Hanc autem fuisse Hieronymi sententiam idem Ambrosius comprobat ex eadem Hieronymiana explanatione, cujus verba sic habent: AUDACI itaque pede in hoc procedo certamen, ut ad libros sanctos provocem, nullo loco scriptum a Deo quenquam esse maledictum: & ubicunque maledictio ponitur, nunquam Dei nomen adjunctum. Maledictus tu ab omnibus bestiis, dicitur ad serpentem: & ad Adam, Maledicta terra in operibus tuis: & ad Cain, Maledictus tu super terram: & alibi, Maledictus Chanaam puer: nec non in alio loco, Maledictus furor eorum, qui audax. Longum est, si universas maledictiones enumerem, quas in Levitico, & in Deuteronomio, & in Jesu Nave scribuntur: & tamen in nulla earum nomen Dei est additum. Haec ille. Non desunt, qui hanc periodum una cum aliquot sequentibus lineis affirment non esse Hieronymi, sed vitio scriptorum ex margine in contextum transivisse; quibus ego nec abnuo, nec annuo. Lege, quae de hoc Hieronymi loco scripta sunt libro 8. hujus operis in confutatione haereseos secundae.

An in sacris literis legatur Deum aliqui maledixisse

Genes. 3. 14.
Genes. 3. 18.
Genes. 4. 11.
Malach. 2. 2.
IV. Reg. 2. 24.
Genes. 9. 25.

ANNOTATIO CCLXXVIII.

Si enim data esset lex, quae posset vivificare, &c. Galat. 3. d

AUGUSTINUS in sermone de verbis Apostoli 13. haec exponens, ADJUTORIUM, inquit, Spiritus Sancti prorsus si defuerit, nihil boni agere poteris: agis quidem illo non adjuvante libera voluntate, sed male: ad hoc idonea est voluntas tua, quae vocatur libera; & male agendo fit damnabilis ancilla. Gregorius Ariminensis in 2. Sententiarum, dist. 26. hinc elicit Augustini mentem esse, quod absque peculiari gratiae auxilio nullum opus secundum virtutem moraliter bonum, rectaeque rationi consonum fieri possit ex humani arbitrii libertate. Hinc ipsum confirmat ex ejusdem epistola ad Hilarium Syracusanum: ubi

Num libertas nostra sine gratia possit bonum facere.

sic legitur: VALET itaque liberum arbitrium, si divinitus adjuvetur, quod fit humiliter petendo & faciendo: desertum vero divino adjutorio qualibet scientia legis excellat, nullo modo habebit justitiae soliditatem, sed inflationem impiae superbiae, & exitiosum tumorem. Item in libello De praedestinatione Dei, in quo ita scriptum est: LIBERUM, quod a Deo habemus, arbitrium, ad nequitiam lapsu fluit: & cum ad virtutis indolem, Dei auxilio deferente, nihil possit ad genus omne peccati idoneum, falsum virtute subsistit. Martinus Lutherus in compendio articulorum suorum, art. 36. hanc ipsam sententiam acrius Augustino impingit ex dictis, quae apud eum habentur cap. 3. libri De spiritu & litera, in haec verba: NAM neque liberum arbitrium quicquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via: & cum id, quod agendum, & quo nitendum est, coeperit non latere, nisi etiam delectet & ametur, non agitur, non suscipitur, non bene vivitur. Rursus idem Lutherus in disputatione adversus Ecchium, SANCTUS, inquit, Augustinus in libro 3. adversus Pelagianos, cap. 8. dicit, Liberum arbitrium captivatum non nisi ad peccandum valet; ad justitiam vero, nisi divinitus liberatum, adjutumque non valet. Sed absit, ut hoc senserit Augustinus, quod ei a Luthero imponitur: nam si posito illo generali influxu divini auxilii, quo Deus omni naturae opitulatur, homo nihil prorsus boni secundum moralem virtutem possit, consequens esse videtur, eum in operibus suis, quantumlibet malis, nunquam peccare: quia, ut Augustinus inquit, Dicere peccati reum teneri quenquam, quia non fecerit, quod non potuit, summae iniquitatis est, & insaniae. Quapropter idem doctor multis in locis manifeste demonstrat, homines etiam pessimos absque justificante gratia quaedam peccata vitare posse, & quaedam bona opera facere, quemadmodum videre licet in libro De spiritu & litera, cap. 28. ubi inquit: SICUT non impediunt a vita aeterna justum quaedam peccata venialia, sine quibus haec vita non ducitur: sic ad salutem aeternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur. Joannes Roffensis episcopus in libro, quem edidit adversus Lutheranos articulos, ait omnes propositos locos, & his similes, qui hominibus nondum per gratiam justificatis videntur adimere omnem facultatem agendi opera bona, intelligendos esse de operibus beatificantibus; hoc est aeterna beatitudine dignis: quae quidem sine gratificante gratia nec incipi, nec perfici ullo modo queunt: de caeteris vero omnibus moralibus operibus non item. Est enim in potestate hominis, etiam justificante gratia destituti, bona quaedam moralia peragere: sicut ipsa demonstrat experientia. Atque hanc sententiam confirmare videtur sacrosancta synodus Tridentina, sessione sexta, canone septimo in haec verba: SI QUIS dixerit, opera omnia, quae ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri; aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare, Anathema sit. Vide supra Annotat. 40. & 255. libri hujus.

Libellus de Praedestinatione Dei nō est S. P. Augustini, sed incerti authoris in Appendicem T. X. rejectus a PP. BB.

ANNOTATIO CCLXXIX.

Misit Deus spiritum filii sui in corda nostra clamantem, Abba pater. Galat. 4. a

HIERONYMUS libro 2. in epist. ad Galatas in explanatione commatis hujus creditur improbasse piam monachorum consuetudinem, qui praefectos suos honoris gratia Abbates ac Patres appellant: praeter hoc autem, etiam juramenti jus Christianis videtur ademisse: Habet enim eo loco verba hujusmodi: CUM autem Abba pater, Hebreo Syroque sermone dicatur, & Dominus noster in Evangelio praecipiat, nullum patrem vocandum nisi Deum; nescio, qua licentia in monasteriis vel vocemus hoc nomine alios, vel vocari nos acquiescamus. Et certe ipse praecepit hoc, qui dixerat non esse jurandum: si non juramus; ne patrem quidem quempiam nominemus: si de patre interpretabimur aliter; & de jurando aliter sentire cogemur. Haec ille. Arbitror hanc periodum a seditiosulo quopiam monacho in fronte paginae descriptam; & inde postea ab oscitantibus librariis

An liceat praefectos coenobiorum Abbates, vel Patres vocare.

Matth. 23. 3.

librariis in contextum translatam. Nec me falli, argumento sunt, quae Hieronymus sententia plane contraria, & ex professo scripsit libro 4. in Matthaeum: ubi inquirens, quomodo intelligendum sit illud Servatoris mandatum, Nolite vocari magistri; & patrem nolite vocare vobis super terram, &c. sic ait: QUAERITUR, quare adversus hoc praeceptum, Doctorem gentium Apostolus se esse dixerit; aut quomodo vulgato sermone, maxime in Palaestina, & Aegypti monasteriis, se invicem patres vocant? quod sic solvitur, Aliud esse natura patrem, vel magistrum: aliud indulgentia: nos si hominem patrem vocamus, honorem aetati deferimus; non auctorem nostrae ostendimus vitae. Magister quoque dicitur ex consortio veri magistri. Et ne infinita replicem, quomodo unus per naturam Deus, & unus filius non praejudicat caeteris, ne per adoptionem Dii vocentur, & filii: ita & unus pater, & magister non praejudicat aliis, ut abusive appellentur patres, & magistri. Matt. 23. 8. 9.

ANNOTATIO CCLXXX.

Quae sunt per allegoriam dicta. Gal. 4. c

AUCTOR commentariorum Hieronymi in Paulum,(a) hoc explicans, taxat eos, qui vitia quaedam sanctorum Veteris testamenti ad pias allegorias detorquent, & allegoricis rationibus defendunt ea peccata ad significandum futura ecclesiae mysteria fuisse in veteri testamento permissa. Sic autem scribit: DEDIT regulam hoc loco Apostolus intelligendi allegoricas rationes, scilicet ut, manente historiae veritate, figuras veteris testamenti exponamus: & hoc ipsum ibi fecit, ubi aliqua sanctorum honesta gesta referuntur: non ubi peccata norantur. Caeterum delicta dicere per mysteria, aut impossibilitatis, aut ignorantiae Deum est criminari, qui aut aliter sua non potuerit monstrare sacramenta, aut certe putans sibi quorundam peccata necessaria; prius illa generaliter condemnet, sed & postea reprehendendo atque vindicando ostendat, illa non propter sua mysteria fieri voluisse. Augustinus censet peccata sanctorum, quae in veteri testamento recensentur, juxta allegoricam legem exponenda esse de futuris ecclesiae mysteriis: quia in sanctis illis non solum virtutes, sed etiam vitia figuram & prophetiam continuerint futurorum, sic tamen in his differendis allegoria utendum esse monet, ut sanctorum crimina vere fuisse crimina fateamur, non Deo praecipiente commissa, sed Deo non impediente permissa ad significationem & praemonstrationem futurorum. Hac regula Augustinus libro 22. contra Faustum pertrahens aliquot veterum Patrum errata ad figuram & praedictionem venturae ecclesiae, inter caetera quoque incestum filiarum Loth cum patre suo hunc in modum allegorice exposuit: IN Loth, quando cum eo filiae concubuerunt, aliquid figuratum est: videtur enim futurae legis gestasse personam, quam quidem ex illa procreati, & sub lege positi, male intelligendo quodammodo inebriantes, atque non legitime utendo infidelitatis opera pariunt: non ideo tamen hoc factum, vel ipsius Loth, vel filiarum ejus justificamus: quia significavit aliquid, quod futuram quorundam perversitatem praenunciaret. Aliud enim illae, ut hoc facerent, intenderunt: aliud Deus, qui hoc fieri permisit, ut etiam inde aliquid demonstraret, manente recto judicio super peccatum hominum tunc praesentium, & vigilante providentia sua pro significatione futurorum. Proinde illud factum cum in sancta scriptura narratur, prophetia est: cum vero in illorum vita, qui hoc commiserunt, consideratur, flagitium est. Num peccata Sanctorū liceat ad pios sensus deflectere.

ANNOTATIO CCLXXXI.

Spiritus pugnat adversus carnem. Gal. 5. c

AUGUSTINUS in expositione epistolae ad Galatas, hoc edisserens, asseruit eos esse sub lege, & non sub gratia, quorum spiritus ita concupiscit adver- Num qui sub gratia vivunt impeccabiles sint.

(a) Author hic, qui certe Pelagius est, nil officit veritati catholicae, quae alibi fuit propugnata.

ſus carnem, ut non ea, quae volunt, faciant, id eſt, non ſe teneant invictos in charitate juſtitiae; ſed a concupiſcente adverſus ſe carne vincantur. Excuſat Auguſtinus hanc ſententiam in 24. cap. primi libri Retract. inquiens, ſe hoc dixiſſe, quia nondum intellexerat haec verba etiam illis, qui ſub gratia ſunt, convenire: quia & ipſi concupiſcentias carnis habent, contra quas ſpiritu concupiſcunt nolentes eas habere, ſi poſſent: & ideo non quaecunque volunt, faciunt; quia volunt eis carere, nec poſſunt: tunc autem eas non habebunt, quando nec corruptibilem carnem. Conſimilem retractavit Auguſtinus libro Propoſitionum epiſtolae ad Romanos, cap. 7. & ex libro 83. Quaeſtionum, quaeſtione 66.

ANNOTATIO CCLXXXII.

Fructus autem ſpiritus eſt charitas. Gal. 5. d

Num damnati aliquando ſalvandi ſint.

HIERONYMUS libro 5. commentar. ad Galatas, hoc declarans, alludere videtur ad Origenicum dogma de damnatis aliquando ſalvandis in haec verba: NOTANDUM, quod poſt dilectionem gaudium ſequitur: qui enim diligit quempiam, ſemper in ejus felicitate laetatur: & ſi eum viderit aliquo errore deceptum, & peccatorum lubrico concidiſſe; dolebit quidem, & eruere feſtinabit: ſed non poterit gaudium mutare triſtitia, ſciens nullam rationabilium creaturarum apud Deum perire perpetuum. Videnda tibi eſt Annot. 131. & 225. & 229. libri praecedentis.

ANNOTATIO CCLXXXIII.

Unuſquiſque onus ſuum portabit. Gal. 6. a

Sancti defuncti an pro nobis poſſint orare.

HIERONYMUS libro in epiſtolam ad Galatas tertio huic dicto talem ſubdit expoſitionem: OBSCURE licet docemur per hanc ſententiolam novum dogma, quod latitat, dum in praeſenti ſaeculo ſumus, ſive orationibus, ſive conſiliis invicem poſſe nos coadjuvari: cum autem ante tribunal Chriſti venerimus, non Job, non Daniel, nec Nohe rogare poſſe pro quoquam: ſed unumquenque portare onus ſuum. Videtur haec expoſitio nonnihil difficultatis pati: nam ſi verum eſt ſanctos poſt hanc vitam non poſſe pro nobis orare: cur hoc aſſertum novi, ac latitantis, ſive ſuſpecti dogmatis appellatione notat? & ſi novum ac ſuſpectum eſt dogma: cur Paulum facit ſuſpecti dogmatis auctorem, ac doctorem? Veriſimile eſt Hieronymum verba haec per antiphraſim & ironice protuliſſe adverſus novum dogma Vigilantii, qui in latibulis ſuis docebat ſanctos, qui ex hac vita migrarunt, neminem poſſe orationibus ſuis adjuvare: nam & verba hujus loci alludere videntur ad verba Vigilantii, quae Hieronymus in declamatione contra Vigilantium ex libro ejuſdem refert, inquiens: DICIS in libello tuo, quod dum vivimus, mutuo pro nobis orare poſſumus: poſtquam autem mortui fuerimus, nullius ſit pro alio exaudienda oratio, praeſertim cum martyres ultionem ſui ſanguinis obſecrantes, impetrare non quiverint.

ANNOTATIO CCLXXXIIII.

Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei. Gal. 6. a

Num omnes pari charitatis affectu ſint diligendi

AUGUSTINUS in expoſitione epiſtolae ad Galatas innuere videtur, omnes homines pari dilectionis affectu diligendos eſſe, licet in effectu, id eſt in exhibitione obſequii diſtinctio ſervanda ſit. Omnibus enim, inquit, pari dilectione vita aeterna optanda eſt, & ſi non omnibus eadem poſſunt exhiberi dilectionis officia. Quam ſententiam clarius exprimens libro primo de doctrina Chriſt. cap. 28. OMNES, inquit, homines aeque diligendi ſunt: ſed cum omnibus prodeſſe non poſſis, his potiſſimum conſulendum eſt, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus, conſtrictius tibi quadam ſorte junguntur: & in octavo libro De Trinitate, cap. 8. affirmans omnes aeque amandos eſ-

ſe,

se, ut nos ipsos, ait: NEC illa quaestio moveat, quantum charitati fratris debeamus impendere, quantum incomparabiliter plus Deo, quam nobis; fratri vero quantum nobis. Videtur huic sententiae adversari Origenis & omnium fere theologorum definitio, statuens ordine charitatis primum diligendum esse Deum, secundo parentes, inde filios, postea vero domesticos. Magister Sententiarum libro 3. dist. 29. haec loca discutiens, haec scribit: QUOD Augustinus dicit pariter omnes esse diligendos, & pari dilectione omnibus vitam optandam, ita accipi potest, ut paritas non ad affectum referatur, sed ad bonum, quod eis optatur: quia charitate omnibus optare debemus, ut paria bona mereantur, sicut Apostolus dicit, Volo omnes homines esse, sicut me. Optanda est enim minoribus perfectio majorum, ut ipsi fiant perfecti; & sic parem mereantur beatitudinem: vel pari dilectione; id est eadem dilectione omnes diligendi sunt. Item quod ait, Ut tantum diligamus fratres, quantum nos, ita intelligi potest, id est, ad tantum bonum diligamus fratres, ad quantum nos: ut tantum bonum eis optemus in aeternitate, quantum nobis, etsi non tanto affectu: vel ibi, Quantum, similitudinis est, non quantitatis.

1. Cor. 7. 7.

Lege S. Thomam 2. 2. Qu. XXVI.

ANNOTATIO CCLXXXV.

Elegit nos ante mundi constitutionem. Eph. 1. a

CHRYSOSTOMUS homilia ad Ephes. prima ait, quod quemadmodum homines eligunt sibi optima; ita multo magis Deus eligit sibi optima. Et homilia 2. ad Ephes. super illud, Praedestinavit nos, addit: PRAEDESTINAVIT, seu praedefinivit homines secundum opera, quae praevidit in eis, quos elegerat: unde electionis gratia non solum est ex Deo, sed ex nobis est. Quae sententiae Pelagianum quid resipere videntur: Verum de harum intelligentia dictum est a nobis Annot. 251.

Electio an ex meritis praevisis.

ANNOTATIO CCLXXXVI.

Elegit nos ante mundi constitutionem. Eph. 1. a

ORIGENES libro primo commentariorum ad Ephesios, clausulam hane enarrans, docuit, animas ante hunc mundum visibilem conditas, ac deinde propter ipsarum peccata fuisse in corporibus detrusas: quam sententiam Hieronymus, suppresso Origenis nomine, recenset in primo ad Ephesios commentario his verbis: ALIUS vero, qui Deum justum conatur ostendere, quod non ex praejudicio scientiae suae, sed ex merito electorum unumquenque eligat, dicit ante visibiles creaturas coelum, terram, maria, & omnia, quae intra ea sunt, fuisse alias invisibiles creaturas: in quibus & animas, quae ob quasdam causas, soli Deo notas, dejectae sint deorsum in vallem istam lacrymarum, in locum afflictionis & peregrinationis nostrae; in quo sanctus constitutus orabat, ut ad sedem pristinam reverteretur, dicens: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar: multum peregrinata est anima mea. Et in alio loco, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis? &, Melius est reverti, & esse cum Christo: & alibi, Ante, quam humiliarer, ego peccavi: & caetera his similia. Itaque prius, quam animae, inquiunt, praecipitarentur in mundum, & mundus ex animabus fieret, cum habitatricibus suis in infimum ipse dejectus, elegit Paulum Deus, & ei similes coram se, qui erant sancti & immaculati. Nemo autem eligitur, nisi de pluribus: & ubi sunt aliqui viliores, ibi electio perpetratur. Quomodo autem in Babylonica captivitate, quando a Nabuchodonosor in Chaldaeam abductus est populus, missi sunt prophetae Ezechiel, Daniel, tres pueri, Aggaeus, Zacharias, non quo & ipsi meruerint captivitatem, sed ut essent in solatio captivorum: ita & in illa dejectione mundi eos, qui ante, quam mundus fieret, electi erant a Deo, missos esse in eruditionem & magisterium animarum peccatricium; ut ad praedicationem eorum reverterentur ad eum locum, unde corruerant. Et hinc esse, quod a Mose in octogesimo

Animae ante mundū conditae, & ob delicta sua in corpore detrusa.

Psal. 119. 5.

Rom. 7. 24.

Phil. 1. 23.

Psal. 118. 67.

mo nono Psalmo dicatur, Domine refugium factus es nobis in generatione & generationem. Ante, quam montes firmarentur, & fieret terra, & orbis terrarum: quod scilicet ante, quam mundus fieret, & universa generatio principium sumeret, sanctis suis Deus refugium fuerit. Haec igitur est Origenica sententia; quam, ut refert Hieronymus, idem Origenes confirmavit, & latius explicavit super illud Ephes. 1. Secundum beneplacitum voluntatis suae; & super illud Ephes. 1. in laudem gloriae, gratiae, & in illud Ephes. 1. ut simus in laudem gloriae ejus, & in illud Ephes. 1. In cognitione ejus illuminatos oculos; & Ephes. 3. in illud, Ego Paulus vinctus in Domino; & Ephes. sexto in illud, Pro quo legatione fungor in catena. Confutationem hujus erroris ex Cyrillo habes libro quinto, Annotatione 185.

ANNOTATIO CCLXXXVII.

Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem. Ephes. 1. 4

Animae non ante mundū conditae, & postea in corpora ob suas culpas dejectae.

HIERONYMUM longa & acerba invectiva objurgat Rufinus, quod in Commentariis epistolae ad Ephesios secutus sit errorem Origenis, affirmans, Omnes animas ante hunc mundum corporeum, in invisibili mundo conditas, & post conditionem hujus visibilis mundi fuisse dejectas in vallem istam lacrymarum, & in corporibus detrusas, alias quidem ob poenam peccatorum, quae ante commiserant, alias vero non propter earum delicta: sed in eruditionem & magisterium animarum peccatricium. Loca autem, in quibus Rufinus haec Hieronymum scripsisse conqueritur, haec sunt:

PRIMUS super illis verbis Eph. 1. Elegit nos ante mundi constitutionem.
SECUNDUS super illud Eph. 1. Secundum beneplacitum voluntatis suae.
TERTIUS super illud Eph. 1. In laudem gloriae gratiae suae.
QUARTUS in illud Eph. 1. Ut simus in laudem gloriae ejus, qui ante speravimus.
QUINTUS in illud Eph. 1. In cognitione ejus illuminatos oculos cordis nostri.
SEXTUS in illud Eph. 3. Hujus rei gratia, ego Paulus vinctus in Domino.
SEPTIMUS in illud Eph. 6. Pro quo legatione fungor in catena.
OCTAVUS in illud ad Philemonem, Salutat te Epaphras, concaptivus meus.

HIS omnibus locis Rufinus asseverat, Hieronymum hujusmodi errorem sub alterius innominatae personae figura vafre docuisse ad imitationem rhetorum; qui cum aliquos aut offendere metuunt, aut invidiam declinare cupiunt, tunc rhetorico quodam artificio sententiam suam sub alterius persona proferunt. Astruit autem hoc quatuor indiciis, primo, quod auctorem opinionis illius non nominet, sed tantum dicat. Alius, inquit, &c. Secundo, quia non exprimat, utrum ille alius sit sibi contrarius, aut concors, neque ostendat, an illi ipse discors sit, vel concors. Tertio, quia illius dicta non destruit, nec impugnat, nec auctorem ipsum reprehendit; sed laudat eum, & diligentem vocat. Quarto, quia sententiam sub alterius persona propositam non solum non refellit, nec damnat; sed validis rationibus, & multis divinae Scripturae testimoniis munit.

HANC Rufini accusationem Hieronymus in prima adversus eum Apologia confutans, ad primam conjecturam respondet, se non potuisse auctorum ejus erroris nomina, quia superfluum erat per singula Apostoli dicta eorum expositorum nomina ponere, quos jam in Praefatione totius Operis abunde nominaverat. Secundae suspicioni satisfacit, inquiens in fine capituli satis aperte ostendisse discordem se esse ab ea sententia, quam sub alterius persona retulerat, & eodem quoque loco redarguerat. Tertiam conjecturam sic diluit, ut dicat, se modestiae & Christianae verecundiae studio non reprehendisse auctores illos, quia cum commentatoris officio fungeretur, non debebat eos carpere, quos imitabatur ex parte, & quorum sententias in linguam Latinam transferebat, quod si eos diligentiae laudavit, diligentes appellans, parum id refert: quandoquidem & fures etiam appellari soleant diligentes. Ad quartam conjecturam ait, se una cum Origenicis erroribus etiam attulisse rationes & argumenta, quibus illi innitererentur errores, ut Lectoribus omnem sententiam Origenis aperiens, & nihil ab eo dictum praetermittens, malevolorum

lotum calumnias devitaret: ne dicerent Hieronymum, quae ab Origene fortiter dicta fuerant, tacuisse, & illum in Graeco robustius disputare.

ANNOTATIO CCLXXXVIII.

In laudem gloriae gratiae ipsius. Ephes. 1. a

CHRYSOSTOMUS homilia 2. ad Ephesios, videtur una cum Novatianis poenitentiam lapsis denegare, sic in principio moralis adhortationis inquiens: DEUS ad salutem provehit illos, qui ubi semel amici ipsius facti sunt, perseverant: quod si denuo ad priores recurrant inimicitias; omnia frustra & in cassum: non enim alterum regenerationis lavacrum conceditur: neque rursus superest secundaria reconciliatio, sed terribilis quaedam expectatio judicii & ignis aemulatio, quae consumptura est adversarios. Et paulo post, OSTENDIT tibi Deus lumen verum: quod si, ipso depulso, tenebras rursus incurreris: quis tibi relinquitur excusationi locus? quam speres veniam? ne una quidem speranda est deinceps. Et paulo infra, SI necessitatem pateris peccandi, aut vim: veniam utique consequeris: si autem per ignaviam aut torporem laberis, non item. Quae verba non sunt intelligenda de poenitentia privata, ad quam ita frequenter Chrysostomus invitat peccatores, ut quemadmodum Annotatione 173. superioris libri monuimus, graviter a Novatianis reprehensus sit; sed de solenni poenitentia exponenda sunt, quae secundum antiqua jura non iterabatur, ut testis est Augustinus in epistola ad Macedonium 54. ne medicina pluries iterata vilesceret. Idemque habetur in decretis De poenitentia, distinct. 3. Num lapsis poenitentia deneganda.

ANNOTATIO CCLXXXIX.

In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius. Ephes. 1. a

HIERONYMI interpretationem ex hoc loco usurpat Bertramus presbyter in libro De corpore & sanguine Domini, ut ostendat, in eucharistia nec esse veram ac realem Christi carnem, quae pro nobis crucifixa est, nec verum illum sanguinem, qui pro nobis effusus est, sed sanguinem mysticum & carnem spiritualem & typicam non in veritate, sed in figura propositam. Verba Hieronymi sic habent: DUPLICITER sanguis Christi & caro intelligitur: vel spiritualis illa, atque divina, de qua ipse dixit, Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus, &, Nisi manducaveritis carnem meam, & sanguinem meum biberitis, non habebitis vitam aeternam: vel caro & sanguis, quae crucifixa est, & qui militis effusus est lancea. Juxta hanc divisionem & in sanctis ejus diversitas sanguinis & carnis accipitur, ut alia sit caro, quae visura sit salutare Dei; alia caro & sanguinis, quae regnum Dei non queat possidere. Haec Hieronymi sententia alludere videtur ad ea, quae Clemens Alexandrinus scripsit libro secundo Paedagogi, capite secundo, in haec verba: DUPLEX est sanguis Domini: alter enim est carnalis, quo redempti sumus ab interitu; alter vero spiritualis, quo scilicet uncti sumus. Et hoc est bibere Jesu sanguinem, esse participem incorruptionis Domini. Verbi enim virtus est spiritus, quemadmodum sanguis carnis: commoderata itaque proportione & convenientia, vinum aquae, homini vero spiritus admiscetur: ac temperatum quidem vinum ad fidem convivio excipitur: spiritus autem deducitur ad incorruptionem: amborum autem temperatura, potus scilicet & verbi, dicitur Eucharistia; cujus qui per fidem sunt participes, sanctificantur corpore & anima. Magister Sententiarum libro quarto, distinctione octava, ait, Hieronymi verba esse interpretanda per regulam de sacramento & re sacramenti, qua docemur duplicem esse carnem Christi, alteram Eucharistia contentam & significatam, quae crucifixa & mortua est, & post mortem rediviva in coelum ascendit, alteram vero Eucharistia significatam, & non contentam, quae est unitas ecclesiae in praedestinatis & glorificatis: & juxta eandem regulam Clementis dicta accipienda sunt. Tractatum est hoc argumentum copiosius Annotatione 196. libri hujus. De Eucharistia. Joan. 6. 56. Ibid. 54.

AN-

ANNOTATIO CCXC.

Ut simus in laudem gloriae, qui ante speravimus in Christo. Ephes. 1. b

Num finienda sint damnatorum supplicia. HIERONYMO obiicit Rufinus, quod in Commentariis epistolae ad Ephesios, haec exponens, asseruerit finienda esse damnatorum supplicia, & quod diabolus & angeli ejus, omnesque peccatores & increduli post diem judicii, expletis aliquot annorum saeculis, non solum veniam accipient delictorum, sed etiam coelestia praemia consequentur. Hoc idem scribit illum sensisse in exposi-
Ephes. 2. 7. tione secundi capitis ad Ephesios, super illud, Ut ostenderet in saeculis superve-
Ephes. 4. 16. nientibus, &c. & in illud ex quarto capite ad Ephesios, Ex quo totum corpus compactum & conglutinatum, &c. Stanislaus Pannonius, Anabaptisticae sectae minister, in libello De divina philantropia, quo Origenis errorem tuetur, inter caetera, quae ad ejus defensionem affert, Hieronymi quoque utitur auctoritate, affirmans eum partim hac in re Origeni abnuisse, partim vero annuisse. Ac primum abnuisse quidem, quia crediderit, tam daemonum, quam infidelium impiorum aeterna fore tormenta. Annuisse autem, quia putaverit improborum ac damnatorum fidelium peccata non fore aeternis suppliciis in aeternum punienda, sed ex divina clementia post certam poenarum mensuram condonanda. Hoc autem perspicuum esse dicit ex his, quae in fine Commentariorum Esaiae scripsit, in his verbis: QUAE omnia replicant asseverare cupientes, post cruciatus atque tormenta, futura refrigeria, quae nunc abscondenda sunt ab his, quibus timor utilis est; ut dum supplicia reformidant, peccare desistant: quod nos Dei solius debemus scientiae derelinquere; cujus non solum misericordiae, sed & tormenta in pondere sunt: & novit quem, quomodo, aut quandiu debeat judicare: solum-
Psalm. 6. 1. que dicamus, quod humanae convenit fragilitati: Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me: & sicut diaboli, & omnium negatorum,
Psalm. 13. 1. atque impiorum, qui dixerunt in corde suo, Non est Deus, credimus aeterna tormenta: sic peccatorum, atque impiorum, & tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt, atque purganda, moderatam arbitramur, & mistam clementiae sententiam judicis. Haec Hieronymus: quibus idem Pannonius alterum ejusdem testimonium subdit ex libro primo adversus Pelagianos: ubi ita scriptum est: DENIQUE Esaias, de quo ponis testimonium, Comburentur, inquit, peccatores, & iniqui simul, non addidit, in aeternum, & qui relinquunt Deum, consummabuntur: proprie hoc de haereticis loquitur, qui rectum fidei tramitem relinquentes consummabuntur, si noluerint reverti ad Dominum. Et post multa addit, SI Origenes omnes rationabiles creaturas dicit non esse perdendas, quid ad nos? qui & diabolum & satellites ejus, omnesque impios dicimus perire perpetuo; Christianos vero, si in peccato praeventi fuerint, salvandos esse post poenas. Haec de Hieronymo Pannonius: cujus imposturam & impudens mendacium Hieronymus ipse in Apologia adversus Rufinum, & in plerisque aliis scriptis refellens, constantissime fatetur, damnatos etiam Christianos nunquam ab inferni suppliciis liberandos, & opinionem eorum, qui aliter sentiunt, omnino detestandam, & a Christianorum mentibus abjiciendam probat multis argumentis, ex quibus in Commentario 3. cap. Jonae haec summatim perstringit.

PRIMO quia opinionem hanc de finiendis damnatorum suppliciis nusquam divina Scriptura doceat.

SECUNDO, quia in Evangelio ignis aeternus dicitur, & supplicium aeter-
Isai. 66. 24. num; & apud Esaiam, Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.

TERTIO, quia haec sententia evertit penitus timorem Dei, dum facile homines labuntur ad vitia, putantes omnes improbos aliquando post poenas fore salvandos.

QUARTO, si post longum saeculorum circuitum omnium rerum restitutio fiat, ut una dignitas animarum, nulla distantia erit inter virginem, & prostibulum; inter matrem Domini, & inter victimas libidinum publicarum; idem erit

Gabriel,

Gabriel, & diabolus; Apostoli, & daemones; idem prophetae, & pseudoprophetae; idem martyres, & persecutores.

QUINTO, si finis omnium similis est, finge infinitas aetates cruciatuum; praeteritum omne pro nihilo est: quia non quaerimus, quod aliquando fuerimus, sed quod semper futuri sumus.

EX HIS igitur apparet Hieronymum, hujus dogmatis hostem, ea, quae in Comment. ad Eph. scripsit, non ex sua, sed ex aliorum sententia retulisse: quod autem in fine Commentariorum Esaiae, & adversus Pelagianos asseverat, Christianos post poenas & ignis tormenta salvandos, referendum est non ad ignem aeternum inferni, sed ad ignem temporalem purgatorii; in quo eum animae fuerint ad tempus purgatae, salvabuntur. Vide huc spectantia Annot. 131. & 229. lib. 5.

ANNOTATIO CCXCI.

Det vobis spiritum sapientiae, & revelationis in agnitione ejus. Ephes. 1. c

ORIGENES in Commentariis, hunc locum elucidans, dixit Agnitionem, qua nunc Deum noscunt animae a corporibus sejunctae, esse reminiscentiam quandam agnitionis divinae; quam olim ante quam in corpora descenderent, in coelo habuerunt. Hanc sententiam Hieronymus, suppresso Origenis nomine, in Commentariis suis prodidit his verbis: QUOD Paulus ait, In agnitione ejus, id est, ἐπιγνώσει αὐτοῦ, quidam sic intelligunt; ut inter γνώσει καὶ ἐπιγνώσει, hoc est, inter notionem & agnitionem, illud intersit, quod notio eorum sit, quae ante non scivimus, & ea postea scire coepimus: agnitio vero eorum, quae prius scientes deinde scire desivimus, eorumque postea recordamur, & priorem quandam vitam in coelestibus suspicamur, postquam in corpora ista dejecti & obliti Dei patris, nunc eum per revelationem cognovimus, secundum illud, Reminiscentur, & convertentur ad Dominum omnes fines terrae, & caetera his similia replicantes. Haec Hieronymus, quem Rufinus reprehendit, quod hujusmodi Origenicam sententiam Commentariis suis absque ulla ipsius confutatione inseruerit.

Animarum scientia an ex reminiscentia.

Psalm. 21. 28.

ANNOTATIO CCXCII.

Super omnem principatum, & potestatem & virtutes. Ephes. 1. d

HIERONYMUS hoc loco a Rufino taxatur, quod secutus Origenem, posuerit in angelis profectus & honores, ascensiones & descensiones, incrementa & imminutiones. Hanc accusationem refellens Hieronymus, dicit se his verbis non significasse ascensiones ac descensiones illas, quibus Origenes fingit angelos descendere ad hominum & daemonum naturam, & viceversa homines, ac daemones in angelorum attolli naturam; sed exprimere se voluisse his dictis diversa angelorum officia, ac dignitates juxta intelligentiam ecclesiasticae doctrinae.

Angelorum crementa, & decrementa.

ANNOTATIO CCXCIII.

Et omnia subjecit pedibus ejus. Ephes. 1. d

HIERONYMO vitio vertit Rufinus, quod hunc locum interpretans, affirmaverit, astra esse animantia rationabilia, & delicti capacia, Christum quoque eorum peccata purgasse, dum haec scriberet: CUR autem omnia, id est, angeli, throni, dominationes, potestates, & virtutes caeterae, quae nunquam fuerunt contrariae Deo, ejus pedibus subjiciantur, videtur obscurum. Potest itaque responderi, quod absque peccato nullus sit; & sydera ipsa non sint munda coram Deo; omnisque creatura paveat creatoris adventum: unde & crux Salvatoris, non solum ea, quae in terra, sed ea, quae in coelis, purgasse perhibetur. Loquitur, ut jam praedictum est, ex Origenis sententia.

Astrorum animae an fuerint purgatae sanguine Christi.

ANNOTATIO CCXCIIII.

Secundum principem potestatis aëris hujus spiritus. Ephes. 2. a

Doemonum corpora. THOMAS Cajetanus in Commentariis, CREDIDERIM, inquit, ego daemones esse spiritus aëreos, & id consonare verae philosophiae rationi: ut quemadmodum invenitur vegetativum sine sensitivo, & sine secundum locum motivo, & intellectivum sine secundum locum motivo; ita inveniatur secundum locum motivum sine sensitivo: quod est ponere hujusmodi aëreos spiritus constantes ex intellectivo, & secundum locum motivo. Ambrosius Compsae libro Annotationum quarto rejicit hanc opinionem, quod olim a patribus fuerit in Origene damnata. Lege Annotationem octavam libri quinti.

ANNOTATIO CCXCV.

Ut ostenderet in saeculis supervenientibus. Ephes. 2. b

Doemones juvandi aliquando an sint. HIERONYMUS a Rufino taxatur, quod huic loco apponat expositionem Origenis, dicentis, daemones in futuro saeculo a sanctis beneficia recepturos, & sub cura eorum futuros, praeterito auctoris nomine, & sine ulla erroris improbatione. Responsum est supra Annotat. libri hujus 290.

ANNOTATIO CCXCVI.

Veniens evangelizavit pacem. Ephes. 2. d

Angeli purgati an sint. HIERONYMUS hoc loco a Rufino reprehensus est, quod Origenem imitatus affirmaverit omnes creaturas, tam homines, quam angelos sanguine Christi purgatas, inquiens: Crux Domini, non solum terrae, sed & coelo profuit, non solum hominibus, sed & angelis: & omnis creatura Domini sui cruore purgata est. Vide Annotat. 170. 293. & 302. hujus libri.

ANNOTATIO CCXCVII.

Paulus vinctus Jesu Christi. Ephes. 3. a

Animae carcer an sit corpus. HIERONYMO impingit Rufinus, quod hoc loco tradiderit, corpus esse animae carcerem: quam calumniam devitans Hieronymus, ait, se id non ex sua, sed ex Origenis mente scripsisse.

ANNOTATIO CCXCVIII.

Ut innotesceret principatibus, & potestatibus. Ephes. 3. b

Doemones an reparandi. AMBROSIUS in Commentariis, clausulam hanc elucidans, ita scribit: TANTUM de hoc, scilicet Paulo, bene sensit Deus, ut non solum gentibus hunc magistrum daret, verum etiam, ut per eum veritas Christi innotescat spiritibus in coelestibus, qui sunt principes & potestates. Potestates, ideo, quia potentiores sunt inter caeteros spiritus: principes autem, eo quod principentur potestatibus, ut agnoscentes per ecclesiam, quae multifarie ad vitam attracta est, in Christo unius Dei manere mysterium, desinant ab errore. Id enim agitur, ut praedicatio ecclesiastica etiam his proficiat, & deserant assensum tyrannidis diaboli, qua se adversus Dei unius fidem impia praesumptione armavit. Qui sensus in Psalmo vigesimo tertio praescriptus est: ubi Deus universitatis Dominus demonstratur, dicente Dei spiritu per David: Domini est terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, ut universi, qui habitant in eo, & in subjectis, Tollite portas principis vestri, & elevamini portae aeternales, & introibit rex gloriae. Quis est iste rex gloriae? Psalm. 23. a

gloriae? Dominus virtutum, ipse est rex gloriae. Dicitur ergo his principibus, qui in errore sunt in coelestibus, sive ministris ejus in terris, ut auferant portas principis, id est, diaboli, de mentibus suis, per quas multorum deorum asserendorum error intravit. Anonymus, Origenis scholiastes, in scholiis libri primi Periarchion annotavit, Ambrosium hoc loco non dissentire a dogmate, quod Origenes in sexto ejusdem libri capitulo scripsit, affirmans angelos quosdam, qui de statu beatitudinis non sunt irremediabiliter amoti, posse iterum per ecclesiasticas praedicationes, & salutares admonitiones ad pristinam foelicitatem revocari, & restitui. Hoc autem dogma Catholica damnat ecclesia.

ANNOTATIO CCXCIX.

Ut innotesceret nunc principatibus, & in coelestibus per ecclesiam multiformis sapientia Dei. Ephes. 3. b

HIERONYMUS libro secundo in epistolam ad Ephesios, haec edisserens videtur sentire, quod angeli ante passionem & resurrectionem Christi non cognoverint mysterium Verbi incarnati, & humanae redemptionis sacramentum: quippe sic fatur: CRUX Christi non solum nobis, sed & angelis, cunctisque in coelo virtutibus aperuit sacramentum, quod ante nesciebant. Denique ad coelum cum corpore revertentem mirantur, & dicunt, Quis est iste, qui ascendit de Edom, fulvida vestimenta ejus ex Bosor? & in alio loco, Quis est iste rex gloriae? Haec ille.

Angeli an ante passionē Christi mysterium redēptionis agnoverint.

Isai. 63. 1.

Psalm. 23. 8.

SEDULIUS, Hieronymo consentiens, in Collectaneis loci hujus ita scribit: Ex QUO intelligimus, quia Crux Christi non solum nobis, sed & angelis profuit; quia aperuit sacramentum, quod ante nesciebant: unde interrogant, Quis est iste rex gloriae?

PETRUS LOMBARDUS libro Sententiarum secundo, distinct. 11. hunc locum animadvertens, ita scribit: HIERONYMO videtur contradicere Augustinus, super eundem locum epistolae, dicens, Non latuit angelos mysterium regni coelorum, quod opportuno tempore revelatum est pro salute nostra. Illis ergo a saeculis innotuit supra memoratum mysterium: quia omnis creatura non ante saecula, sed a saeculis est. Attende Lector, quia videntur dissentire in hac sententia illustres Doctores: ideoque ut omnis repugnantia de medio tollatur, praedicta verba, Haymonem sequentes, ita determinemus, ut illis angelis, qui majoris dignitatis sunt, & per quorum ministerium illa nunciata sunt, ex parte cognita a saeculis fuisse, utpote familiaribus & nunciis: illis vero, qui minoris dignitatis sunt, incognita extitisse dicamus, usquequo impleta sunt & per ecclesiam praedicata: & tunc ab omnibus angelis perfecte fuerunt cognita. Constat itaque, omnes angelos in cognitione divinorum mysteriorum secundum processum temporis profecisse: unde non incongruenter ipsi iidem dicunt angelorum scientiam ac beatitudinem augeri usque ad futuram consummationem, quando in scientia ac beatitudine ita perfectissimi erunt, ut nec augeatur amplius, nec minuatur. Vide Annotat. 165. & 182. libri hujus. (a)

ANNOTATIO CCC.

Et ipse quosdam quidem dedit Apostolos. Ephes. 4. b

AMBROSIUS in Commentariis, hanc explanans particulam, innuit episcopos & presbyteros idem esse: de qua re vide infra Annotat. 324.

(a) Certum est Angelos mysteria gratiae haud posse cognoscere, quam per revelationem, utpote quae ex sola Dei voluntate dependent, juxta illud Apostoli I. Corinth. 2. „ Quis enim hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? „ ita & quae sunt Dei, nemo cognovit nisi Spiritus Dei. „ Quare idem gentium Doctor de revelatione facta Apostolis inquit ibidem. „ Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum. „ Num autem, & quomodo Angeli cognoverint mysteria gratiae, praesertim incarnationem Verbi divini, luculenter expendit Angelicus *I. P. Qu. LVII. Art. 5.* in *II. Sentent. Dist. XI. Qu. 2. Art. 4.* in Commentariis Epist. ad Ephesios *Cap. 3. Lect. 3.* & *Opusc. I. Cap. 26.* quem consulas, ut rem totam penitius scruteris. Sed attende praecipue editionem N. Johannis Nicolai ob notulas marginales, quae non modicum adferunt lumen ad notitiam dilucidam, & firmitatem Thomisticae veritatis. Consule etiam Estium in *Sent.*

ANNOTATIO CCCI.

Alios autem pastores & magistros. Ephes. 4. b

An is constituendus sit Episcopus, qui docere non potest.

HIERONYMUS libro in epistolam ad Ephesios secundo, has particulas explicans, affirmare videtur: neminem constituendum esse ecclesiae episcopum & pastorem, qui non possit eos docere, quos pascit; nec aliquem esse pastoris nomine appellandum, qui plebem subjectam non instruat: quia pastoris & magistri officia idem sunt. Verba ejus sic habent: NEC vero putandum est, quod sicut in superioribus tribus, alios dixit Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas: ita in pastoribus & magistris officia diversa posuerit. Non enim ait, alios autem pastores, & alios magistros: ut qui pastor est, esse debeat & magister. Nec in ecclesiis, quamvis sanctus sit, pastoris sibi nomen assumere, nisi possit docere, quos pascit: vel certe aliter: ut unus, atque idem praeses ecclesiae sit pastor, & doctor. Pastor enim ovium magister est hominum. Et infra, SI QUIS igitur plebem sibi subjectam non instruit, ut de subjecto populo Christi ecclesia construatur; iste nec apostolus, nec propheta, nec evangelista, nec pastor, nec magister est appellandus. Haec verba Hieronymi SUNT, qui admoneant, non ita accipienda esse, ut credamus, neminem esse episcopum & ecclesiae pastorem, qui non doceat, aut docere non possit: nam multi sunt veri & optimi episcopi, qui legitimis impedimentis detenti, docere nequeant. Sed sentiendum est eum, qui nec per se, nec per alium docere curat, indignum esse pastoris dignitate ac nomine: quod si ipse plebem instruere non valeat, per idoneos ministros plebem suam erudiat in doctrina Domini, pastoralis curae officio satisfecisse judicandus est: nam & Theophylactus hunc locum exponens, affirmat per pastores intelligi posse episcopos, per doctores vero diaconos & episcoporum ministros, qui verbo Dei populum instruunt.

ANNOTATIO CCCII.

Qui descendit, ipse est qui ascendit. Ephes. 4. b

De Angelis, & daemonibus.

HIERONYMUS libro in epistolam ad Ephesios secundo, super hac sententia non longe distare videtur a dogmate Origenis, sentientis passionem Christi non solum hominibus, sed etiam angelis ac daemonibus profuisse. Ait enim: DESCENDIT ergo in inferiora terrae, & ascendit super omnes coelos Filius Dei, ut non tam legem, prophetasque compleret, sed & alias quasdam occultas dispensationes, quas solus ipse novit cum patre: neque enim scire possumus, quomodo & angelis, & his, qui in inferno erant, sanguis Christi profuerit; & tamen, quin profuerit, nescire non possumus. Et hoc Rufinus in Hieronymo damnavit loco superius citato, videlicet Annotatione 170. 292. & 296.

ANNOTATIO CCCIII.

Ex quo totum corpus compactum. Ephes. 4. b

HIERONYMUM criminatur Rufinus, quod in explanatione hujus sententiae scripserit, omnia in unum corpus ejusdem naturae instauranda, homines, angelos, & daemones. Responsum est supra Annotatione 290. & 298.

ANNOTATIO CCCIIII.

Cantantes, & psallentes in cordibus vestris. Ephes. 5. d

Num in divinis laudibus utendum sit cantu.

HIERONYMUS libro in epistolam ad Ephesios tertio, haec exponens, videtur sentire, quod in templis divinae laudes non sint musica voce decantandae. Ait enim: AUDIANT haec adolescentuli, audiant hi, quibus psallendi in ecclesia

ecclesia officium est, Deo non voce, sed corde cantandum, nec in tragoedorum modum guttur & fauces dulci medicamine colliniendas, ut in ecclesia theatrales moduli audiantur & cantica. Refertur haec sententia in Collectaneis decretorum, distinction.92. capite primo; quam D.Thomas in secunda secundae, quaestion.91. Art.2. ad 2. excutiens, sic ait: HIERONYMUS non simpliciter vituperat cantum, sed reprehendit eos, qui in ecclesia cantant more theatrico, non ad devotionem excitandam, sed ostentationis gratia, vel ad delectationem provocandam. Unde Augustinus in decimo Confessionum dicit: CUM mihi accidit, ut me amplius cantus, quam res, quae cantatur, moveat; poenaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem. Consule Cl. Card Bonn. de divina Psalmodia.

ANNOTATIO CCCV.

Sed ut ecclesia subjecta est Christo. Eph.5.e

HIERONYMUS lib. 3. in epistolam ad Ephesios videtur sentire, nullum peccatorem esse de ecclesia Christi, dum inquit: ECCLESIA Christi gloriosa est, non habens maculam, neque rugam, aut quid istiusmodi: qui ergo peccator est, & aliqua sorde maculatus, de ecclesia Christi non potest appellari, nec Christo subjectus dici. Possibile est autem, ut quomodo ecclesia, quae prius rugam habuerat, & maculam, in juventutem postea & munditiem restituta est: ita & peccator currat ad medicum, & curentur vulnera ipsius, & fiat de ecclesia, quae corpus est Christi. Usurpatur hic locus a Lutheranis, hinc astruentibus veram ecclesiam constare ex solis praedestinatis & electis Dei, quibus peccata non imputantur. Caeterum Hieronymus non de hac terrena & militante loquitur ecclesia, quae quotidie orat, Dimitte nobis peccata nostra; sed de ecclesia coelesti triumphante & gloriosa, quae peccatis omnibus libera, neque rugam habet, neque maculam. An peccatores sint membra Ecclesiae.

ANNOTATIO CCCVI.

Qui uxorem suam diligit, se ipsum diligit. Eph.5.f

ORIGENES lib. 3. Commentariorum in epistolam ad Ephesios hoc loco scripsit, in futuris saeculis foeminas redigendas esse in viros; & humana corpora in animas. Rufinus Hieronymum objurgat, quod hanc haeresim sine auctoris nomine, & sine confutatione in Commentaria sua transfuderit. Foeminarum transformatio.

ANNOTATIO CCCVII.

Sacramentum hoc magnum est. Eph.5.g

THOMAM Cajetanum, in Commentariis haec exponentem, Ambrosius Compsae libro quinto Annotationum reprehendit his verbis: NOTAT hic Cajetanus, non haberi a Paulo, matrimonium esse sacramentum: non enim dicit Paulus, sacramentum hoc magnum est, ut interpres exposuit; sed, Mysterium hoc magnum est. Quis non miretur? Nunquid Paulus, Graece scribens, potuit dicere sacramentum, quae est vox Latina? Dicens autem Graece misterium id certe Graece dixit, quod Latine significat sacramentum: nam Cyrillus, & Chrysostomus, & Basilius, & Dionysius ante hos, etiam Eucharistiam mysterium vocant, & sic alia, quae nos dicimus sacramenta. Quod si dixisset Paulus sacramentum, adhuc esset quaestio, utrum sic acciperet, sicut a theologis restringitur ea vox: quod si de re consentimus, videlicet quod matrimonium sit sacramentum, ut strictim accipitur ea vox, & illud Paulus mysterium Graece loquens vocat, quod est id, quod Latine sacramentum, cur igitur non tale sacramentum Paulus intellexit, atque ea voce expressit, quale etiam esse confitemur? Sed hoc etiam, quaeso bone Lector, attende, quod ad hoc mysterium, declarandum De Sacramento matrimonii.

tandum subjecit Cajetanus. Sic enim ait: Mysterium hoc magnum est: & vere mysterium horum verborum, propter hoc relinquet, &c. continent enim indivi-
Matth.19.5. sibilitatem conjugii, ut Dominus explanavit apud Matthaeum: continent & jus naturae abhorrendi conjugium cum patre & matre: continent & jus debitum a viro plus uxori, quam patri & matri, & hoc, quod modo Paulus declaravit, uxorem esse carnem mariti. Haec ille. O magna mysteria. Paulus ait, Hoc, id est, ipsum matrimonium, mysterium magnum est: & Cardinalis exponit, mysterium horum verborum, Propter hoc relinquet, &c. magnum est. Paulus declarat, quomodo magnum sit hoc mysterium, id est, in Christo & ecclesia: & Cardinalis, quia illa verba continent jus abhorrendi conjugium cum patre & matre: quod & falsum est, ut suo loco dicemus: quod tamen si esset, quam magnum & admirabile mysterium esset, quod nulla gens adeo fera & immanis unquam ignoravit. Indivisibilitas etiam conjugii & conjugum arctissima necessitudo non digna est, ut mysterium dicatur, cum etiam naturali ratione suadeatur.

Illud ergo vere magnum mysterium est, quod significatur in matrimonio, scilicet Christus & Ecclesia, sponsus & sponsa, sic enim semetipsum declarat Apostolus: quid igitur adhuc alienam quaerimus interpretationem?

ANNOTATIO CCCVIII.

Non est nobis colluctatio. Eph.6.b

Jacob, & Angeli lucta. HIERONYMUS in Commentariis existimat eos esse ridiculos, qui censeant Jacob cum angelo corporea lucta dimicasse. Vide supra Annotat.111. libri praecedentis. (a)

ANNOTATIO CCCIX.

Qui diligunt Dominum Jesum Christum in corruptione. Eph. 6. d

Peccati originalis poena. CHRYSOSTOMUS homilia 24. ad Ephesios, hoc enarrans, subindicat peccatum Adae, in quo nascimur, afferre nobis mortem corporis; peccata vero actualia post baptismum afferre nobis mortem animae. Sic autem loquitur: CORRUPTIBILE nobis est corpus, verum incorruptibilis anima: ne itaque & ipsam corrumpamus, hoc primum illud peccatum fecit: quod autem post lavacrum committitur, & animam corrumpere potest, & captu facilem reddere vermi immortali. Horum verborum sensum vide supra Annotat. 236. libri hujus.

ANNOTATIO CCCX.

Sive occasione, sive veritate Christus annunciatur. Phil. 1.c

Sancti an invocandi. CHRYSOSTOMUS in fine homiliae, quae extra ordinem caeterarum scripta est in hunc locum, quae & DE PROFECTU EVANGELII inscribitur, explodere videtur intercessiones & patrocinia sanctorum, sic scribens: CAETERUM non opus tibi patronis apud Deum, neque multo discursu: ut blandiare aliis: sed licet solus sis, patronisque careas, & per te ipsum Deum depreceris; omnino tamen voti compos eris. Neque enim tam facile Deus annuit, cum alii pro nobis orant, ut cum ipsimet oramus, etiam si plurimis pleni simus malis. Et paulo post, VIS discere, quod etiam per nos ipsos orantes apud Deum plus efficimus, quam dum alii pro nobis orant? clamavit Cananaea: &, ut accesse-
Matth.15.23. runt discipuli, dicunt: Dimitte eam, quia clamat post nos. Et ad illos quidem dixit, Non sum missus nisi ad oves domus Israël: quando autem ipsamet accessit, & perseveravit clamans, Domine etiam catelli edunt de mensa dominorum: tunc
Ibid. v.28. beneficium dedit; & ait, Fiat tibi, sicut vis. Vides, quomodo repulit, cum alii precarentur:

(a) S.Hieronymus ibi potius mysterium, quam factum in Jacobaea lucta fore attendendum observat, non vero colluctationem Jacobi cum Angelo inficiatur, ut ex verbis ejus apertissime constat.

precarentur: ubi vero ipsamet pro dono clamavit, annuit.

HUNC locum Lutherani, veluti Achillem Zenonis, contra invocationem sanctorum catholicis oppount. Sed apparet Chrysostomum protulisse haec oon adversus saoctorum implorationem, quam ubique acerrime tuetur, sed magis adversus quosdam desides; qui ita se divorum patrocinio committunt, ut ioterim ipsi ociosi se totos in peccata abjiciant; dormientesque nihil pro sua salute agere velint. His nihil prodesse orationes sanctorum affirmat Chrysostomus innumeris pene locis, praecipue vero homilia 8. in Matth. inquiens: SI negligentes fuerimus ac desides, oec per aliorum quidem merita possumus salvari, &c. Haec autem dicimus, non ut pro peccatoribus supplicandum esse sanctis negemus; sed ne nosmetipsos in ocium ac desidiam resolvamus; & dormientes ipsi, aliis tantummodo nostra curanda mandemus. Et hom. 5. in Matthaeum ait: ETIAM si Abraham patriarcha pro his supplicet, qui io suis vitiis permanendo immedicabiliter aegrotant, abibit Deus, relinquens rogantem, ne vocem pro talibus interveoientis exaudiat, &c. Non igitur quasi oscitantes & desides ex aliorum meritis pendeamus. Habent enim vim pro nobis, & quidem maximam, orationes supplicatiooesque sanctorum, sed tunc profecto, cum nos quoque id ipsum per poenitentiam postulamus, & ad studia meliora confugimus. Et hom. 43. in Genesim, QUANDO, inquit, quod ex nobis est, simul afferimus, & accedit intercessio sanctorum, plurimum nobis confert: quod si ipsi negligentes fuerimus, & spem in illis solis collocaverimus nostrae salutis; nihil amplius nobis prodest. Non quod iofirmi sint justi, sed quia propter nostram desidiam nos ipsos perdimus. Et hom. 1. in priorem epistolam ad Thessal. ait: QUID mihi opus est, inquis, aliorum precibus, quando ipse sedulus fuero? nunquam hoc dixeris homo: necesse est, & multa prece necesse est, &c. Et post quam multis argumentis demonstravit sanctorum interveotionem summopere nobis necessariam, tandem sermonem his verbis concludit. HIS itaque cognitis nec sanctorum preces contemnamus, neque totum in illas projiciamus: hoc quidem ne temere insidiis opprimamur: illud vero ne extra multum lucrum & profectum excidamus, sed oremus etiam, ut pro nobis precentur, manumque porrigaot: adhaereamusque ipsi virtutis studio, ut bona diligentibus Deum promissa consequi valeamus, &c.

ANNOTATIO CCCXI.

Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo. Phil. 1. d

CHRYSOSTOMUS homilia tertia in epistolam ad Philippenses iodicare videtur, quod pro catechumenis, absque baptismo decedeotibus, non sit orandum. Ita enim scribit: DEUM placamus pro defunctis oraotes: verum istud quidem de illis dicimus, qui in fide decesserunt; catechumenos vero neque isto solatio dignamur, sed omni hujusmodi destituti sunt auxilio, uno quidem dempto: quonam illo? pauperibus illorum oomine dare licet, unde illis non oihil refrigerii accedit. Crediderim haec esse intelligenda non de privatis ac secretis orationibus, sed de publicis & solennibus praecationibus, hoc est de psalmorum cantu, & missarum sacrificiis, quibus funera & exequiae Christianorum celebrari soleaor. Cum enim prisci patres animadvertissent quosdam catechumenos ex ignavia & socordia baptismatis sacramentum usque ad extremam vitae diem differre, abstuleruot eis ecclesiastici fuoeris honorem & publicam divioi sacrificii oblationem; ut hoe ignominiae ac detrimenti metu deterriti, quamprimum ad baptisma properareot: unde in primo Braccarensi concilio extat canon de supplicio damnatorum, idem funus decernens hujusmodi catechumenis, & his, qui sibi mortem inferunt, vel qui ob commissa scelera publico supplicio necantur, in haec verba: ITEM placuit, ut hi, qui aut per ferrum, aut per venenum, aut per praecipitium, aut suspendium, aut quolibet modo violentiae sibi ipsis ioferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur: similiter & de his placuit fieri, qui pro suis sceleribus puniuntur. Item placuit, ut catechumenis, sine redemptione baptismi defunctis,

Num pro catechumenis absque baptismo decedentibus orandum sit.

Concil. Bracharense I. celebratum An. DLXIII. cap XVI. sive ex aliis editionibus Canon XXXIV. XXXV.

functis, simili modo nec oblationis factae commemoratio, neque psallendi impendatur officium.

GENNADIUS Massiliae presbyter in libro de ecclesiasticis dogmatibus, qui perperam Augustino inscribitur, recenset inter christiana dogmata decretum, quod omnes catechumenos, exceptis iis, qui in martyrio obierunt, excludere videtur non solum ab ecclesiasticis suffragiis, sed etiam ab aeternae vitae foelicitate, his plane verbis. Baptizatis tantum iter esse salutis credimus, nullum vero catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam aeternam habere credimus excepto martyrio: ubi totum sacramentum baptismi completur. Divus Ambrosius, quem omnes Theologi hoc praesertim loco sequuntur, censet omnibus catechumenis, etiam sine baptismate & sine martyrio migrantibus, patere aditum perpetuae beatitudinis, dummodo eis non defuerit baptismi voluntas, & studium pie vivendi. Siquidem, in oratione, quam habuit in funere Valentiniani Augusti, sorores ejus reginas his dictis compellat. Sed audio vos dolere, quia Valentinianus non acceperit sacramenta baptismatis. Dicite mihi, quid aliud in vobis est, nisi voluntas, nisi petitio? Atqui etiam dudum hoc votum habuit, ut antequam in Italiam venisset initiaretur, & proxime baptizari se a me significaret. Non habet ergo gratiam, quam desideravit? non habet, quam poposcit? & ubi

Sapien. 4. 7. illud est; Justus quacunque morte praeventus fuerit, anima ejus in refrigerio erit? Et paulo infra. Aut si quia solenniter non sunt celebrata mysteria hoc movet? Ergo nec martyres si catechumeni fuerint coronantur. Non enim coronantur, si non initiantur: Quod si suo abluuntur sanguine, & hunc sua pietas abluit; & volun-

San. Thomas III P. Quaest. LXVIII. Art. 2. ad 2. tas. Haec Ambrosius. D. Thomas in tertio summae volumine, quaest. 68. ita Gennadium interpretatur, ut dicat Catechumenos eo decreto non arceri prorsus a regno coelorum: sed tantisper ab ejus ingressu retardari, donec in purgatricio flammarum expientur, ac liberentur a sordibus, & poenis praeteritorum criminum, quas vel in baptizatis aqua baptismatis abluit, vel in non baptizatis martyribus effusio sanguinis eluit.

ANNOTATIO CCCXII.

Ad omnem patientiam, & longanimitatem. *Colos. 1. b*

Num sacrae literae Deo patientiam tribuant.

CHRYSOSTOMUS homilia secunda in epistolam ad Colossenses ad enarrationem hujus clausulae ait, nusquam in sacris literis Deo tribui patientiam, sed crebro longanimitatem. Verba ejus haec sunt: LONGANIMES erga eos sumus, quos ulcisci possumus; patientes vero erga eos quos ulcisci non possumus: propterea patientia quidem Deo nunquam tribuitur, longanimitas vero saepissime,

Roma. 2. a quemadmodum hic ipse beatus alibi scribens dicit: An divitias bonitatis illius, ac tolerantiae, longanimitatisque contemnis? Videntur huic assertioni reclamare quamplurima divinae scripturae testimonia, quae Deum patientem appellant,

Psal. 85. 15. & ejus patientiam commendant, sicut in psalmo 85. ubi legitur, ET tu Domine

Psal. 144. 8. Deus patiens, & multae misericordiae, & verax. Et psalmo 144. DOMINUS pa-

Eccl. 8. 12. tiens, & multum misericors. De patientia vero ejus scribitur Ecclesiastis 8. CENTIES peccator facit malum, & a Deo per patientiam expectatur: Et ad Rom. 9.

Rom. 9. 22. SUSTINUIT Deus in multa patientia vasa aptata in interitum: Et prima Petri

1. Pet. 3. 20. tertio, Expectabant Dei patientiam in diebus Nohe. Sciendum est patientiae vocabulum duo in sacris literis significare, virtutem scilicet, qua fortiter adversa tolerantur, ὑπομονὴν appellant Graeci, quae Deo, in quo nulla est toleranda calamitas, non ascribitur; & expectationem quandam, μακροθυμίαν Graecis dictam, qua errantes ad resipiscentiam longo tempore expectari solent, quae proprie Deo tribuitur. Utrunque patientiae significatum Augustinus in libro De patientia complectens, dixit: PATIENTIA Dei praedicatur, non in hoc, quod malum aliquod patiatur, sed in hoc, quod expectat malos, ut convertantur. Chrysostomus itaque ad priorem significationem respiciens, recte annotavit nullibi in sanctis libris ὑπομονῆς, hoc est patientiae nomen Deo tribui. In his enim ubicunque Deus patiens appellatur, Hebraice legitur ארך אפים Erech aphaim, Longus iris, id est tar-

dus

dus ad iram; Graece vero Μακρόθυμος, hoc est Longanimis: similiter ubicunque fit divinae patientiae mentio, apud Hebraeos habetur תקוה thikuath, id est expectatio, apud Graecos vero Μακροθυμία, id est longanimitas, sive Ἀνοχὴ: quae vox teste Ammonio proprie significat inducias, quae icto foedere hostibus in bello conceduntur, ut ultro citroque commeent de pace tractaturi. Utraque voce usus est Paulus ad Romanos capite secundo, cum divina patientia loqueretur, inquiens: Ἢ τοῦ πλούτου τῆς χρηστότητος αὐτοῦ, καὶ τῆς ἀνοχῆς, καὶ τῆς μακροθυμίας καταφρονεῖς: hoc est, An divitias bonitatis illius, ac induciae, & longanimitatis contemnis? Rom. 2. 4

ANNOTATIO CCCXIII.

Pacificans per sanguinem crucis, quae super terram sunt, & quae in coelis. Colos. 1. c

CHRYSOSTOMUS homilia ad Colossenses tertia indicare videtur non esse singulis hominibus singulos angelos ad custodiam deputatos, sed tantum fidelibus in Christum credentibus: nanque sic loquitur: PRIMUM juxta numerum gentium erant angeli, nunc vero non secundum numerum gentium, sed secundum numerum fidelium. Unde liquet? audi Christum dicentem, Angeli eorum semper vident faciem patris mei, qui in coelis est. Etenim unusquisque credentium angelum habet: nam & ab initio quisque virorum celebrium ac probatorum angelum habebat, quemadmodum Jacob dicit: Angelus, qui pascit me, & qui liberavit me a juventute mea. Atqui Hieronymus, exponens locum illum, Angeli eorum, &c. a Chrysostomo citatum, censet singulos homines singulos angelos habere custodes, inquiens: MAGNA est dignitas animarum, ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum. Sequitur autem hanc sententiam omnis theologorum consensus.

An singulis hominibus singuli Angeli sint deputati. — Matth. 18. 10. — Gen. 48. 16.

ANNOTATIO CCCXIIII.

Et pax Dei exuperet in cordibus vestris. Colos. 3. b

CHRYSOSTOMUS homilia octava in epist. ad Colossen. quid de fascinatione vetularum, pueros fascinantium, pronunciarit, vide supra Annot. 276. libri hujus. Fascinatio.

ANNOTATIO CCCXV.

Sermo Christi inhabitet in vobis. Colos. 3. c

CHRYSOSTOMUS homilia in epist. ad Colossen. nona inquit: AUDITE, obsecro, saeculares omnes: comparate vobis Biblia, animae pharmaca: si nihil aliud vultis: vel novum testamentum acquirite, Apostolorum Acta, Evangelia: his incumbe, immo non incumbe solum, sed assume omnia, illaque mente contine. Objiciunt hunc locum Lutherani catholicis episcopis, qui non omnibus concedunt vulgarium Bibliorum lectionem, quae Chrysostomus omnibus saecularibus emenda monet. Vide supra Annot. centesima quinquagesima secunda hujus voluminis.

Vulgaria Biblia an ab omnibus legenda.

ANNOTATIO CCCXVI.

Cum adhuc apud vos essem, &c. 2. Thess. 2. c

CHRYSOSTOMUS homilia tertia in posteriorem ad Thessal. Omnia, inquit, in scripturis divinis esse clara & plana. Vide supra Annot. 152. hujus libri. Sacra Scriptura.

ANNOTATIO CCCXVII.

Qui non vult operari, non manducet. 2. *Thess.* 3. *b*

Num Monachi adigendi sint, ut sibi manuum labore victum parent.

AUGUSTINUS in libro de opere Monachorum, quem fere totum in hujus periodi expositione consumpsit, ita hanc Apostoli sentenriam interpretatur ut docere videatur, omnes Monachos adigendos esse, ut sibi ipsis labore manuum victui necessaria acquirant; simulque prohibendos, ne sibi ex eleemosynis fidelium victum quaerant. Nam in multis ejus libri locis, praesertim vero in cap. 17. refellit Monachos, qui manibus operari nolentes, propositum Pauli praeceptum, nec ad se pertinere, nec a se observari posse dicebant. Eos aurem compellat his verbis: QUID agant, qui operari corporaliter nolunt, cui rei vacent, scire desidero: orationibus, inquiunt, vacamus, & psalmis, & lectioni, & verbo Dei. Deinde has quatuor excusationes tanquam invalidas rejiciens, Primo adversus eam de oratione inquit: CUR non apostolicis de operando praeceptis aliquas partes temporum deputant, cum citius exaudiatur una obedientis oratio, quam mille contemptoris? Secundo adversus eam de psallendi occupatione ait: CANTICA vero divina cantare, etiam manibus operantes, facile possunt, & ipsum laborem tanquam divino celeumate consolari. An ignotaris opifices, quibus vanitatibus theatricarum fabularum donent corda & linguas suas, cum manus ab opere non recedant? quid ergo impedit servum Dei manibus operantem in Lege Domini meditari & psallere: ita sane, ut ad ea discenda, quae memoriter recolat, habeat reposita tempora? Tertio, lectionis assiduitatem causantibus ait: QUI autem se dicunt vacare lectioni, nonne illic inveniunt, quod praecipit Apostolus? quae est ista ergo perversitas, lectioni nolle obtemperare, dum vult ei vacare, & ut quod bonum est diutius legatur, ideo facere nolle quod legitur? Quarto, eos, qui se divinae praedicationis exercitatione defendunt, ita coarguit: SI alicui sermo erogandus est, & ita occupatur, ut manibus operari non valeat, nunquid hoc omnes in monasterio possunt? cur omnes sub hoc obtentu vacare volunt? quanquam etsi omnes possent, vicissitudines facere deberent, non solum ut quemadmodum caeteri necessariis operarentur, sed etiam quia sufficit, ut multis audientibus unus loquatur.

Haec habet Johan. Calvinus Lib. IV. Institut. Cap. XIII. n. 10.

JOAN. CALVINUS Haereticae institutionis capite quarto ex his Augustini dictis colligit Monachis non licere aliunde quam ex mechanicis opificiis victum parare, etiam si assidui sint in orationibus, psalmodiis, & sacris studiis: quem errorem etiam ante Calvinum professi sunt Guillelmus Sanctamorensis, Joannes Viclefus, & Lutherus: nam & hi asseruere, monachos, qui omisso labore manuum, mendicitare sibi victum procurant, coërcendos esse ut hostes divinae legis dicentis; Omnino, non erit egenus & mendicus inter vos. (Deut. 15. a) Horum errarum synodus Constantiensis sessione octava in Viclefi damnatione damnavit his verbis:

XXIIII. articulus Viclefi sic ait: Fratres teneantur per labores manuum victum acquirere, & non per mendicitatem: hujus articuli prima pars est scandalosa, & praesumptuose asserta, pro quanto sic generaliter, & indistincte loquitur, & secunda erronea, pro quanto asserit mendicitatem fratribus non licere. Haec Synodus.

S. August. lib. de Oper. Monachor. capit. 6. & 7.

CAETERUM D. Augustinus tantum abest a sententia, quam haeretici ex ejus dictis praepostere colligunt, ut in eodem volumine pluribus tum rationibus, tum divinae scripturae testimoniis demonstret, quatuor esse monachorum genera, quibus jure Evangelico liceat sine manuum laboribus vitam ducere, & aliorum subsidiis & oblationibus ali. Ex his, IN primo loco ponit eos, qui praedicationis Evangelicae doctrinae incumbunt, ac verbum Dei docent; quia his Christus potestatem dederit, ut ex auditorum facultatibus victui necessaria sumant, cum Apostolis ad praedicandum missis inquit: (Luc. 10. 7.) IN eorum domo manete, edentes, & bibentes, quae apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Et Paulus idem comprobans in priore epistola ad Corinthios ait: (1. Cor. 9. 14.) DOMINUS ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere. Et rursum: (1. Cor. 9. 7.) QUIS militat

suis

suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam; Et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem; & de lacte gregis non manducat? si vobis spiritalia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? & in epistola ad Galatas, auditoribus eandem legem imponens, ait: Communicet qui catechizatur verbo ei, qui se catechizat, in omnibus bonis. IN secundo loco statuit eos qui altari serviunt, vel sacramenta distribuunt, vel aliis ecclesiasticis ministeriis & occupationibus detinentur: quia de his in eadem ad Corinthios epistola scripserit Paulus: NESCITIS quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacratio sunt, edunt, & qui altario deserviunt, cum altario participant? ita enim Dominus ordinavit. TERTIUM locum assignat aegris monachis, aut assidua, aut frequenti aegritudine laborantibus: de quibus in 16. capite ejus libri, Propter infirmitates (ait) corporales, quae omnino deesse non possunt, non solum permittit Apostolus sanctorum indigentias suppleri a bonis fidelibus, sed etiam saluberrime hortatur. QUARTO demum loco subnectit monachos quosdam a parentibus delicate ac splendide educatos, qui relicto saeculo, & divitiis vel in pauperes erogatis, vel ad monasterii subsidium collatis, monasticam vitam elegerunt: hos quod mollius enutriti, laborem ferre nequeant, ab opificum exercitationibus eximit: ita in capite 25. ejusdem Operis scribens. ILLI, qui relicta, vel distributa sive ampla, sive qualicunque opulenta facultate inter pauperes Christi pia & salubri humilitate numerari voluerunt, si corpore valent, & ab ecclesiasticis occupationibus vacant, quanquam eis tam magnum animi sui documentum afferentibus, & ejusdem societatis indigentiae de his rebus, quas habebant, vel plurimum, vel non parum conferentibus, vicem sustentandae vitae eorum, res ipsa communis, & fraterna charitas debeat; tamen si & ipsi aliquid manibus operentur, ut pigris ex vita humiliore, & ob hoc exercitatione venientibus auferant excusationem, multo misericordius agunt; quam cum omnia sua indigentibus diviserunt. Quod quidem si nolint, quis audeat cogere, &c. Rursus in capite 21. ejusdem libri has quatuor monachorum conditiones paucis verbis brevius perstringens ad hunc modum fatur. FRATRES nostri, si Evangelistae sunt, si ministri altaris, si dispensatores sacramentorum, istam sibi non arrogant, sed plane vindicant non laborandi potestatem: si saltem habebant aliquid in hoc saeculo, quo facile sine opificio sustentarent istam vitam, quod conversi ad Deum indigentibus dispertiti sunt, & credenda est eorum infirmitas, & ferenda: Solent enim tales, non melius, sicut multi putant, sed, quod est verum, languidius educati, laborem operum corporalium sustinere non posse. HAEC Augustinus: ex quibus luce clarius apparet eum adversari haereticis, qui sine ullo discrimine omnes monachorum ordines ad laborem manuum compellant, & eos qui recusant, piorum eleemosynis juvari prohibeant.

Ibidem v. 11.

Galat. 6. b

1. Cor 9. b

VERUM ne quem commoveant Augustini dicta a Calvino & aliis haereticis producta, sciendum est, eum his verbis non omnibus indiscriminatim monachis imponere laborandi necessitatem, sed refellere ociosam quandam monachorum turbam, qui ersi integris viribus recte valerent, & a praedicatione verbi Dei, & sacramentorum dispensatione, & ab omni ecclesiastica servitute vacarent, tamen ita laborem detrectabant, ut etiam dicerent, non licere servis Dei, praesertim monachis, manuum operibus incumbere, & opificiis corporalibus exerceri; sed oportere eos absque ulla victus acquirendi causa in solis orationibus, lectionibus, & canticis conquiescere, atque vitae necessaria a Deo expectare, & a Dei amicis accipere more avium coeli, & florum terrae, quos Christus discipulis suis proposuit imitandos cum dixit: NOLITE solliciti esse quid manduceris, aut corpori vestro quid induamini: respicite volatilia coeli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester coelestis pascit illa. Considerare Lilia agri quomodo crescunt, non laborant, neque nent: nolite ergo solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quid operiemur? haec enim omnia gentes inquirunt. Igitur adversus hujusmodi ignavos monachos, qui tum in Africa errorem hunc a Psallianis, Euchitis, & Masalianis haereticis enatum fovebant, Augustinus conscripsit librum De opere monachorum, quo tria porissimum demonstravit. PRIMUM nulla ratione ferendum esse, ut monachi

Matth. 6. 25.

qui nullo Evangelico negocio, nullaque ecclesiastica cura occupantur, vitam sine ullo manuum labore transigant otiosam, & inertem: quoniam Paulus in posteriore ad Thessalonicenses epistola hujusmodi hominibus edendi potestatem adimat, inquiens. Cum essemus apud vos, hoc denunciabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet. Audivimus enim quosdam inter vos ambulantes inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes: iis autem, qui ejusmodi sunt, denunciamus, & obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes suum panem manducent. SECUNDO ostendit, monachis, etiam ecclesiae ministerio, & praedicationis officio occupatis non interdici a Christo opificum artificia; sed posse eos si velint, & si ita animarum saluti expediat, aliquo interdum opificio sibi victui necessaria comparare ad imitationem Pauli, qui quanquam, ut ipse in priore ad Corinthios scribit, potestatem haberet vivendi ex Evangelio absque manuum labore, tamen in secunda ad Thessalonicenses testatur se noluisse ea potestate uti, sed moechanico opere victitasse, ut se ipsum praeberet exemplum voluntarie laborandi. Ita enim in illa epistola eos alloquitur. IPSI scitis quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non in quiete fuimus apud vos, neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore & fatigatione, nocte & die operantes, ne quem vestrum gravaremus: non quasi non haberemus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum. TERTIO rejicit inertium monachorum excusationes, perversa scripturarum interpretatione fucatas. Nam quod ajunt Servatorem nostrum praecepisse apostolis, ut more avium sine ulla viverent sollicitudine, Augustinus ostendit non ea ratione dictum esse a Christo, ut discipulos suos abduceret ab honesto manuum labore ad ocium & segnitiem, malorum omnium seminarium; sed ut eos instrueret, ne sollicitudine victus acquirendi, Evangelicam vocationem desererent, metuentes ne sibi apostolico ministerio detentis, defutura esset summi patris providentia, qui cum volucres nihil quicquam operantes gratuito pasceret, cur filios suos in Dei opere laborantes non aleret? Scopus ergo Augustini in libro de opere monachorum, non is est, quem haeretici jactant, nempe, ut monachi in opificum officinas relegentur, sed ut monachi desides,& qui sibi labores artificum interdictos existimant, a turpi ocio ad honestum negocium revocentur. Hactenus de manuum labore.

SUPEREST nunc locus ille ex Deuteronomio citatus videlicet; Egenus, & mendicus non erit inter vos: quem haeretici adversus religiosam mendicitatem obtorto collo pertrahunt. Huic duas pias explicationes duo Thomae attulerunt, Aquinas, & Valdensis; ex quibus hic in opere, quem De antiquae fidei doctrina inscripsit libro quarto tomi secundi, ait verba illa non esse prohibitoria, sed promissoria, hoc est, quod his Deus non prohibet mendicationem, sed pollicetur Judaeis (si tamen legem servaverint) tantam divitiarum affluentiam, ut nullus inter eos futurus sit egenus & mendicus. Quam expositionem, veram esse comprobant pollicitationes illae, quas Moses statim praedictis verbis adjungit inquiens: Benedicet tibi Dominus, ut pollicitus est: foenerabis gentibus multis, & ipse a nullo mutuum accipies: dominaberis nationibus plurimis, & tui nemo dominabitur, &c. At Divus Thomas in Secunda Secundae, quaest. 187, art. 5. aptius & magis, ut arbitror, germane eundem locum elucidans, censet ea sententia non prohiberi piam ac justam mendicationem, sed vetari divitibus, ne adeo sint divitiarum suarum tenaces, ut ob eam causam pauperes ad extremam egestatem redigantur, & ad coactam mendicitatem adigantur. Vide supra Annot. 18. 147. & 192.

II. Thess 3. 10. 11. & 12.

I. Cor 9. 14.

II. Thess 7. 8. 9.

Deut. 15. 4.

ANNOTATIO CCCXVIII.

Oportet episcopum esse unius uxoris virum. 1. Tim. 3. a

An liceat bigamum constitui Episcopum.

HIERONYMUS in epistola ad Oceanum, praesentem locum exponens, affirmat eos creari posse episcopos, qui duas habuerint uxores, unam ante baptismum; &, ea defuncta, alteram post baptismum: & sententiam eorum, qui hoc negant, Cainam haeresim appellat. Hoc ipsum habet in expositione primi capitis ad Titum. Rejicitur haec opinio in decretis pontificum, causa 28. quaestione tertia:

tertia: ubi decretum Innocentii Papae primi habetur in haec verba: QUI ante baptismum habuit unam, & post baptismum alteram, digamus judicatur: & licet vitae merito, & industriae scientia polleat; tamen in episcopum ordinari non potest.

SEDULIUS Scotus in explanatione tertii capitis epistolae prioris ad Timoth. Hieronymi sententiam amplectitur. Vide infra Annot. 325. (a)

ANNOTATIO CCCXIX.

Diaconos similiter pudicos, &c. 1. Tim. 3. c

CHRYSOSTOMUS homilia in priorem ad Timotheum undecima asserit inter episcopum & sacerdotem nullum fere esse discrimen. Episcopus, & Presbyter an plane idem sint.

AUCTOR commenr. Hieronymi hoc loco idem scribit. Vide infra Ann. 324.

ANNOTATIO CCCXX.

Apparuit angelis, praedicatum est gentibus, &c. 1. Tim. 3. d

THEODORETUS in commentariis, hunc locum exponens, innuit Deum ante carnem a Christo assumptam non fuisse visum ab angelis, sed postea visum per carnem Christi, ceu per velum. Sic autem inquit: VISUS est angelis: divinitatis enim naturam, quae sub aspectum non cadit, nec ipsi quidem viderunt angeli: incarnatum autem viderunt. Hoc ipsum apertius & copiosius longa narratione docet in dialogo, cui titulus est IMMUTABILIS. Haec habes supra Annotatione 182. hujus libri. Deus ante Christi incarnationem an ab Angelis visus.

ANNOTATIO CCCXXI.

Dignus est operarius mercede sua. 1. Tim. 5. c

CHRYSOSTOMUS in priorem ad Timotheum homilia 15. LEVITIS, inquit, ex lege constituti fuerant redditus, decimae, aurum, primitiae, vota, & alia plurima: verum illis lege, ista merito permittebantur, praesentia tantum, & terrena quaerentibus: ego ecclesiae praesules audenter dixerim nil praeter victum & vestitum habere oportere, ne ad ista trahantur desiderio. Observata sunt haec Annotat. 121. hujus libri. Clerici an praeter victum, & vestitum debeant aliquid possidere.

ANNOTATIO CCCXXII.

Modico vino utere. 1. Tim. 5. d

CHRYSOSTOMUS homilia ad populum Anthiochenum prima, eum post expositionem loci hujus ad sermonem de blasphemia divertisset; hanc inter caetera adversus blasphemos petitionem protulit: SED postquam de blasphemia nobis verba fuit facta, unam vos omnes petere volo retributionem pro concione hac, atque sermone: ut in civitate blasphemantes mihi castigeris: & si quempiam in bivio & foro Deum blasphemantem audieris; accede, increpa: & si verbera infligere Blasphemantium poena.

(a) S. Thomas Aquinas *in Cap. 3. I. ad Timot. Lect. 1.* ita de hac re loquitur: „ In hoc autem discordia videtur esse inter Augustinum, & Hieronymum; Hieronymus enim dicit, quod hoc intelligitur post baptismum; quia si ante baptismum duas habuit uxores, vel unam primo & aliam postea, non impeditur ab ordinatione: quia per baptismum omnia delentur: Augustinus (*Lib. de bon. conjugal. c. 18.*) & Ambrosius (*Lib. 3. epist. 25.*) contrarium dicunt; quia (sive antea, sive post) si duas habuit, non ordinatur. Et numquid baptismus omnia delet? Respondeo: Sic quoad peccata; non autem quoad irregularitatem, quae interdum etiam sine peccato incurritur ex sola ecclesiastica institutione; sed matrimonium non est peccatum etiam in paganis. Sed quae est causa hujus institutionis? Nunquid non magis impeditur qui multas concubinas habet? Respondeo dicendum, quod hoc fit non propter incontinentiam tantum, sed propter repraesentationem sacramenti, quia sponsus Ecclesiae est Christus, & una est Ecclesia: Canticorum VI. *Una est columba mea.* „ Consule ibi etiam notas marginales Johannis Nicolai.

infligere oporteat, ne recuses: ipsius faciem alapa percute, contere os ipsius, percussione manum tuam sanctifica: & si ulli accusaverint, & si in carcerem traxerint; sequitor: & si poenas judex pro tribunali repoposcerit, dic cum libertate, quod angelorum regem blasphemavit. Si enim regem terrae blasphemantem puniri oportet; multo magis illum contumelia afficientes.

SUNT, quibus haec Chrysostomi petitio dura videatur, & Evangelici doctoris modestia parum digna: sed excusant, quod zelus ardens divini honoris, & odium blasphemiae acerrimum coëgerint virum Dei charitate flagrantem excedere metam, & juxta vetus proverbium multa petere, ut saltem pauca obtineret, & iniqua interdum postulare, ut aequa reciperet.

ANNOTATIO CCCXXIII.

Quam promisit Deus ante tempora saecularia. Tit. 1. a

Angeli ante mundū hunc extiterint.

HIERONYMUS in commentario epistolae ad Titum, hoc explicans, docet angelos conditos ante hunc mundum visibilem, inquiens: SEX millia nec dum nostri orbis implentur anni; & quantas prius aeternitates, quanta tempora, quantas saeculorum origines fuisse arbitrandum est; in quibus angeli, throni, dominationes, ceteraeque virtutes servierint Deo, & absque temporum vicibus, atque mensuris Deo jubente substiterint? Inspice Annot. quintam libri quinti.

ANNOTATIO CCCXXIIII.

Ut constituas per civitates presbyteros. Tit. 1. a

Episcopus an Presbytero major.

HIERONYMUS in commentario epistolae ad Titum, hanc dilucidans periodum, creditur esse in eorum sententia, qui docent episcopum non esse simplici sacerdote superiorem, sed utrunque idem esse: quam sententiam Augustinus in libro De haeresibus cap. 53. numerat inter damnatos Aërii errores. Hieronymi verba haec sunt: DILIGENTER verba Apostoli attendamus, dicentis, Ut constituas per civitates presbyteros. Idem est enim presbyter, qui episcopus: & ante,

1. Cor. 1. 12. quam diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephae, communi presbyterorum consilio ecclesiae gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi: in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur caeteris, ad quem omnis ecclesiae cura pertineret; & schismatum semina tollerentur. Putat aliquis non scripturarum, sed nostram esse sententiam, episcopum & presbyterum unum esse, & aliud aetatis, aliud esse nomen

Phil. 1. a officii. Relegantur Apostoli ad Philippenses verba dicentis: Paulus & Timotheus sanctis, qui sunt Philippis cum episcopis & diaconis, gratia & pax. Philippi una est urbs Macedoniae: & certe in una civitate plures, ut nuncupantur, episcopi esse non poterant. Sed quia eosdem episcopos illo tempore & presbyteros appellabant, propterea indifferenter de episcopis, quasi de presbyteris, est locutus. Adhuc hoc alicui videatur ambiguum, nisi altero testimonio comprobetur. In actibus Apostolorum scriptum est, quod cum venisset Apostolus Miletum, miserit Ephesum, & vocaverit presbyteros ecclesiae ejusdem, quibus postea inter caetera sit lo-

Actor. 20. 28. cutus: Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos. Et hic diligentius observa, quomodo unius civitatis Ephesi presbyteros, postea eosdem episcopos dixerit. Haec propterea diximus, ut ostenderemus apud veteres eosdem fuisse presbyteros, quos & episcopos; paulatim vero, ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam. Sicut ergo presbyteri sciunt se ex ecclesiae consuetudine ei, qui sibi praepositus fuerit, esse subjectos: ita episcopi noverint se magis consuetudine, quam dispositionis dominicae veritate, presbyteris esse majores, & in commune debere ecclesiam regere. Haec Hieronymus.

AMBRO-

AMBROSIUS Hieronymi sententiae suffragari putatur in commentariis capit. 4. epistolae ad Ephesios, ita inquiens: NON per omnia conveniunt scripta Apostoli ordinationi, quae nunc in ecclesia est, quia haec inter ipsa primordia suot scripta. Nam & Timotheum episcopum a se creatum presbyterum vocat, quia primi presbyteri episcopi appellabantur; ut, recedente eo, sequens ei succederet: denique apud Aegyptum presbyteri consignant, si praesens non sit episcopus: sed quia coeperunt sequentes presbyteri indigni inveniri ad primatus tenendos; immutata est ratio, prospiciente concilio, ut non ordo, sed meritum crearet episcopum, multorum sacerdotum judicio constitutum, ne indignus temere usurparet, & esset multis scandalum.

CHRYSOSTOMUS non multum ab utrisque discrepare videtur homilia in priorem ad Tim. 15. sic scribens: POSTQUAM de episcopis dixit, omisso presbyterorum ordine ad diaconatum transit. Cur id, quaeso? quia scilicet inter episcopum, atque presbyterum interest ferme nihil: quippe & presbyteris ecclesiae cura commissa est: & quae de episcopis dixit, etiam presbyteris congruunt. Sola quippe ordinatione superiores illis sunt; atque hoc tantum plus, quam presbyteri, habere videntur.

AUCTOR Commentariorum in Paulum, qui Hieronymo inscribuntur, in explanatione tertii capitis primae ad Timotheum eadem fere tradens, ita loquitur. QUAERITUR, cur de presbyteris nullam fecerit mentionem: sed eos in episcoporum nomine comprehenderit? quia secundus, immo pene unus est gradus; sicut ad Philippenses episcopis ac diaconis scribit, cum una civitas plures episcopos habere non possit: & In Actibus Apostolorum presbyteros ecclesiae iturus Hierosolymam congregans ait inter caetera: videte gregem, in quo vos Spiritus Sanctus episcopos ordinavit.

Phil. 1. 1.

Actor. 2. 28.

SEDULIUS Scotus in collectaneis epistolae ad Titum hanc ipsam sententiam, ex commentariis Hieronymi ad Titum exceptam, verbis repetitam, collegit.

ANSELMUS, Cantuariensis episcopus, in commentariis ad Titum praesentem Apostoli clausulam eodem pene modo exponit.

Non sunt S. Anselmi cōmentarii laudati.

THOMAS Valdensis, scribens adversus Viclefum haeresiarcham, qui ex Hieronymi auctoritate sacerdotem episcopo aequabat, ait haberi quidem ex Hieronymo, quod episcopi sint presbyteri; quod autem inter episcopos & presbyteros nulla sit gradus distinctio, id ex verbis ejus deduci non posse. Verum, quia dicta Hieronymi palam arguunt eum sacerdotes episcopis facere pares; idcirco Alfonsus Castrensis libro adversus haereses sexto non veretur fateri Hieronymum hac in parte errasse, & ad ea, quae ab illo afferuntur ex epistola ad Philippenses, & ex Actibus Apostolicis, respondens, ait verum esse, quod tunc temporis presbyteri etiam dicerentur episcopi, quia nondum erat facta vocabulorum distinctio; sed ex eo non colligi, quod idem prorsus essent & presbyteri & episcopi. Sunt qui existiment Hieronymum aequasse presbyterum episcopo, & idem utrunque pronunciasse, non quidem jurisdictionis potestate, qua certe episcopus est presbytero longe major, sed ordinis sacramento, quo sane presbyter ab episcopo nihil differt, nec quicquam habet amplius episcopo sacerdos. Idem enim utrique sacramentum, & eadem utrique inest sacramenti vis, character, & gratia. Ad hunc pariter sensum censent esse interpretanda Ambrosii, Chrysostomi, Anselmi, & Anonymi auctoris dicta; praesertim cum Ambrosius in priorem ad Timotheum capite quarto, mentem suam aperiens, hanc ipsam intelligentiam exprimat his verbis: EPISCOPI & presbyteri una ordinatio est: (uterque enim sacerdos est) sed episcopus primus est, ut omnis episcopus presbyter sit; non tamen omnis presbyter episcopus: ille enim episcopus est, qui inter presbyteros primus est. Haec Alfonsus: cujus sententiae placet subnectere canonem, qui de hac re habetur sessione 23. concilii Tridentini his verbis:

Lege S. Thomam 2. 2. Q. CLXXXIV Art. 2. ad 1. & ibi notas marginales N. Cl. Johan Nicolai.

SI QUIS dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem; vel ordines ab ipsis collatos sine populi, vel potestatis saecularis consensu, aut vocatione irritos esse; aut eos, qui nec ab ecclesiastica & canonica

Concil. Trid. Sess. 23 Can. 7. Vide etiam Ibid. Can. 6. Vide quoque Can. 10 Conc. Antiocheni, & Canon. 12. Conc. Ancyrani.

canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi & sacramentorum ministros, Anathema sit. (a)

ANNOTATIO CCCXXV.

Si quis sine crimine est unius uxoris vir. Tit. 1. a

Bigamus enligendus in Episcopum.

HIERONYMUS in Commentario epistolae ad Titum hunc locum ita exponit: Multi superstitiosius magis, quam verius, etiam eos, qui cum gentiles fuerint, & unam uxorem habuerint, qua amissa, post baptismum Christi alteram duxerint, putant in sacerdotio non legendos; cum utique, si hoc observandum sit, illi magis ab episcopatu arceri debeant, qui vagam per meretrices ante exercentes libidinem, unam regenerati uxorem acceperint: & multo detestabilius sit fornicatum esse cum pluribus, quam bigamum reperiri: quia in alio infoelicitas matrimonii est: in alio ad peccandum prona lascivia.

ANSELMUS, Cantuariensis episcopus, eadem pene hoc loco repetit. Vide supra Annotationem 318. libri hujus.

ANNOTATIO CCCXXVI.

Apparuit gratia Dei. Tit.2. b

Panis quotidianus.

HIERONYMUS hoc loco affirmat petitionem panis quotidiani, quem in oratione Dominica petimus, non esse intelligendam de pane corporali, sed de spirituali duntaxat cibo. Legito Annotationem 31. libri praesentis.

ANNOTATIO CCCXXVII.

Multifarie, multisque modis. Heb.1. a

Num epistola ad Hebraeos Pauli sit.

THOMAM Cajetanum objurgat Ambrosius, Compsae episcopus, libro primo Annotationum, quod in Praefatione epistolae ad Hebraeos, docuerit, auctorem

(a) Ambrosiaster saepius rejectus nil obest dogmati orthodoxo, Author vero Commentariorum in Paulum, qui Hieronymo inscribuntur, Criticorum omnium calculo est Pelagius pestiferae sectae Coriphaeus, cujus propterea sententia uti despicabilia nec solutionem promeretur. Quae vero ex aliis PP. objiciuntur, ita solide retundit, eorum mentem expendens, Author, ut plura addere sit frustra terere tempus. Verum quia Heterodoxi ex saepius objecta Hieronymo, & Chrysostomo veritati fucum facere pertentant, lubet horumce Doctorum aliqua monumenta proferre quibus res tota dilucida fiat, ac illorum mens plene dilucidetur. Hieronymus quidem distinctionem Presbyterum inter & Episcopum, & hujusce prae illo dignitatem, majoremque gradum, non semel, sed pluries profert. Etenim *Lib.II. contr. Jovinian.* ait „ In veteri Testamento & in novo „ alium ordinem Pontifex tenet; alium Sacerdotes, „ alium Levitae „ *Epistola XXVII. ad Eustochium:* „ Aderant Hierosolymorum & aliarum urbium Episcopi, & Sacerdotum inferioris gradus, & Levitarum innumerabilis multitudo „ *Lib. I. adversus Jovinian. cap. 19.* „ Episcopus, Presbyter, & Diaconus non sunt meritorum nomina, sed officiorum: „ nec dicitur si quia episcopatum desiderat, bonum „ desiderat gradum, sed bonum opus desiderat: „ quod in majori ordine constitui possit, si velit occasionem exercendarum habere virtutum „ &c. Quod etiam innumeris aliis locis aperte docet, praecipue Epist. ad Fabiolam *de XLII. Mansionibus Israelis*, *Epist.I.ad Heliodorum, & Comment. in Michaeam VII.* Chrysostomus itidem hoc ipsum aperte testatur, & distinctionem maximam Presbyteros inter & Episcopos, ex horumce facultate imponendi manus in Sacra inauguratione, illis haud concessa, ostendit. Quare praeceteris loquit *Hom.XI.in I.ad Timot.III.* „ Inter Episcopum, & Presbyterum interest ferme „ nihil. Quippe & Presbyteris munus docendi, & „ Ecclesiae cura commissa est, & quae de Episcopis „ dixit Paulus, ea etiam Presbyteris congruunt, „ sola quippe ordinatione, *χειροτονία* superiores illi sunt. „ *Et Hom.XIII.in I.Timot. IV.* 14. „ Non „ de Presbyteris hoc loco sed de Episcopis loquitur. „ Neque enim profecto Presbyteri ipsum Episcopum „ ordinant. „ Plura, eaque innumera, monumenta praesto sunt aliorum PP. Ignatii, Polycarpi, Irenaei, Tertulliani, Basilii, Epiphanii, Damasi, Augustini, Leonis M. aliorumque, sicut & omnium Synodorum Ecclesiae, hujusque constans & invariata traditio ac praescriptio ad retundenda deliria Wicleffi, Waldensium, Albigensium, Calvini, aliorumque Sectariorum, Salmasii, praesertim, Blondelli, & Basnagii, eorumque qui *Presbyteriani* audiunt. Verum quia illorum sphalmata ex triplici Dei Verbo scripto tradito & definito viriliter enervarunt viri docti, ne dum Orthodoxi, sed etiam Acatholici, sat est digito aliquos ex iis monstrare, ut apud eos plena suppellex, quae huc deportari non potest, habeatur, objiciaturque illis. Legi ergo possunt ex Orthodoxis Dionysius Petavius *de Ecclesiast. Hierarch.* Johannes Morinus *de Sacr. Ordination. P. III. Exercit. 3.* Johannes Maldonatus *Tom. II. de Ordine*, Johannes Mabillonius *Praefat. III. Sec. Benedict.* Johannes Baptista Cotelerius *in I. S. Clementis Rom. epist. ad Corinth.* N. Natalis Alexander Hist. Eccles. *Sec. IV. Dissert. XLIV.* aliique. Ex Heterodoxis Hugo Grotius *De imperio Summar. Potest.* & qui ex professo adversus Claudium Salmasium, & Davidem Blondellum scripserunt, Jacobus Usserius, Johannes Pearson, Henricus Hammondus, Guilielmus Beveregius, & novissime Joseph Binghamus *Origin. & Antiquit. Eccles. T. I. lib. 2.*

ctorem ejusdem epistolae non esse Paulum Apostolum, sed alium incerti nominis Scriptorem, Hebraïcae linguae imperitum; qui contra veteris Scripturae veritatem nonnulla scripserit, & testimonia quaedam ex ea ad Christum detorserit, quae ad Christum pertinere non possunt. Habes hoc argumentum satis superque tractatum libro sequenti, in confutatione haeresis octavae.

ANNOTATIO CCCXXVIII.

Qui cum sit splendor gloriae, Heb. 1. a

Num Pater sit Filii causa

THEODORETUM, Cyri episcopum, notat Divus Thomas in libro adversus Graecorum errores, quod in Commentariis epistolae ad Hebraeos scripserit, Patrem esse Filii causam: quam locutionem ecclesia Latina abhorret, ne occasionem praestet, ut Filius causatus & factus intelligatur juxta philosophorum intelligentiam; apud quos idem est causatum, quod factum. Monet autem, hanc esse Graecis Patribus peculiarem consuetudinem, ut nomine causae & causati in divinis utantur, non tamen eo fine, ut diversitarem naturae in divinis personis introducant, & Filium Patris facturam demonstrent; sed ut his vocibus explicent, quod nos nomine principii & principiati significamus. Id aperte testatur Gregorius Nyssenus, inquiens: Causam autem, causatumque dicentes, non naturam per haec nomina significamus, neque enim haec nomina loco essentiae, vel naturae rationę damus; sed, qualiter se habeat, differentiam demonstramus: ut scilicet Filium non ingenitum esse, neque Patrem per generationem aliquam demonstremus ab aliquo.

S. Greg. Nyssen. Lib. ad Ablavium. Lege S. Tho. I. P. Quaest. XXXIII. Art. 1. ad 1. & ibi Joh. Nicolai notas.

ANNOTATIO CCCXXIX.

Unxit te Deus, Deus tuus. Hebr. 1. c

Num in Christo duae sint personae

CHRYSOSTOMUS homilia in epistolam ad Hebr. 3. videtur duas in Christo ponere personas, divinam & humanam: quod theologi nefas & dicere, & sentire arbitrantur. Sic enim loquitur: QUID est, quod dicit, Deus, Deus tuus? hic Judaeos, & Paulum Samosatenum, & Arrianos, & Marcellum, & Sabellium percussit: quomodo? Judaeos quidem ostendens eis duas personas, Deum & hominem. Suspicor hunc locum etiam in Graecis codicibus esse depravatum; & pro eo, quod in eis scriptum est, Θεὸν καὶ ἄνθρωπον, id est, Deum & hominem, legendum fore Θεὸν καὶ Θεὸν, Deum & Deum. Occasionem suspicionis praebent geminae conjecturae. Harum prior est, quod Theophylactus, referens haec eadem verba Chrysostomi, omissa hominis mentione, & Dei nomine bis posito, sic scribat: HOC adversus Judaeos, & Sabellium, & Marcellum pugnat, tanquam duas personas indicans, Deum & Deum. Altera conjectura est, quod conduplicatio particulae Dei aptissime congruat cum proposita Pauli sententia, in qua geminato Dei nomine dicitur, Unxit te Deus, Deus tuus, ad expressionem scilicet duarum personarum, reclamantibus Judaeis, Sabellio, & Marcello, qui unam tantum deitatis personam agnoscunt. At si quis urgeat, lectionem Graecorum codicum esse integram, & legendum esse, Duas personas, Deum & hominem, non multum repugnabimus, modo per hominem, Christi Dei simul & hominis personam significari intelligamus; per Deum vero personam Patris, aut Spiritus Sancti. (a)

(a) In editione operum Chrysostomi cura Cl. Frontonis Ducaei, quae certe omnium eruditorum calculo probatur, ita legitur laudatus Chrysostomi textus originalis Ἰουδαίους μὲν, δύο τὰ αὐτοῖς δεικνὺς, Θεὸν ἄνθρωπον: Latine vero ita redditus „Judaeos „quidem, ostendens duas personas, & Deum & ho„minem.„ Verum quum *persona*, sicut & *hypostasis* non idem exprimat apud Graecos, saltem Veteres Ecclesiae PP. nec ita apud eos semper usurpetur, sicut apud Latinos, quibus est: *rationalis naturae individua substantia*, ut ex Boetio *lib. de duabus naturis* tradunt universim Theologi praesertim Angelicus *III. P. Qu.* [illegible] *Art.* 4. & alibi pluries: vel ut definitur ab Richardo Victorino *Lib. IV. de Trinit. cap. 18. & 23. Intellectualis naturae incommunicabilis existentia*; sed Graecis idem non semel sit persona, & hypostasis, quod natura, & essentia, non quidem abstracta, sed existens, esto non individua nec incommunicabilis, heinc non semel apud eos *persona & hypostasis* divina pro essentia & natura divina occurrit, ut constat ex innumeris monumentis Graecorum PP. quae presto forent ad rem hanc dilucidandam, sed in medium ea producere est frustra terere tempus, & in vanum utramque paginam implere.

ANNOTATIO CCCXXX.

Coeli ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes, sicut vestimentum, veterascent. Heb. 1. d

Coelestia corpora num. exurenda.

AMBROSIUS, Compsae episcopus, in Commentar. epistolae ad Hebr. hunc versiculum explicans, duas profert sententias, a scholis theologorum non receptas: quarum prior est, coelos in fine saeculi ignibus conflagraturos, ac deinde veluti ex refusione quadam adepturos statum longe meliorem: posterior est, Terram, iisdem ignibus renovatam, fore perpetuam habitationem eorum hominum, qui neque coelo, neque inferno digni invenientur. Utranque assertionem confirmat in Commentario posterioris epistolae Petri; ubi haec latius annotata reperies Annotatione 340.

ANNOTATIO CCCXXXI.

Minuisti eum paulo minus ab Angelis. Heb. 2. b

Christus an a Deo minutus.

THOMAM Cajetanum, in Commentariis haec explanantem, Ambrosius libro quarto Annotationum his verbis accusat: NOVUM, & inauditum, & infandum hoc loco docet, videlicet, quod Christus paulo minutus est a Deo secundum esse substantiale: quoniam est Deus personaliter. Deus autem est Deus & naturaliter & personaliter: paululum ergo imminutus est a Deo, quia est quidem Deus secundum esse personale, quod constat esse substantiale, non autem secundum naturam. Haec ille. At quis unquam theologus sic est locutus, & in eadem persona haec separavit, videlicet personam & essentiam? falso ergo acclamavit sanctissima synodus, & universa ecclesia homousion, id est, consubstantialem sive coëssentialem. Ad haec quodcunque est minus Deo quovis modo, non paulo minus, ut ipse docet, sed in infinitum minus est illo. Mitto, quod ipse semetipsum destruit. Si enim esse personale est esse substantiale, ut ait: ergo esse Deum secundum esse personale, est esse Deum secundum esse substantiale. Videant ergo docti ista, probanda ne sint; an eliminanda, quae tam clare pugnant cum decantata fidei nostrae professione.

ANNOTATIO CCCXXXII.

Accedamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae. Heb. 4. d

An saecularis, & Monachi pares sint obligationes, pariaque delicta.

CHRYSOSTOMUS homilia in epistolam ad Hebraeos septima, sentire videtur, quod saecularibus nihil magis liceat, quam monachis, nisi habere uxorem, in caeteris vero aequaliter vivere teneantur; imo quod, excepta fornicatione, quae in monachis gravior est, tam gravia sint omnia saecularium peccata, quam monachorum. Verba ejus haec sunt: SED quid ad nos labores, lectiones, vigiliae, jejunia, inquis, qui non sumus monachi? Haec mihi dicis: dic Paulo, cum dicit, Vigilantes in omni patientia, & oratione. Cum dicit, Carnis curam ne

Coloss. 4. a

re, potestque vel ex sola Hieronymi epistola ad Damasum *de tribus hypostasibus* aperte colligi: Dum ergo Chrysostomus duas in Christo personas admisit, certe non praeluxit Nestorio, qui duas individuas in Christo hypostases admittebat; adeoque Verbum Divinum in Christo inhabitans velut hominem in Templo, vel hominem vestimento indutum &c. Sed Divinum Verbum hypostatice humanae naturae unitum, ut ex ejus integra laudata homilia apertissime liquet. Deum autem, & hominem contra Judaeos Christum Jesum enunciavit conformiter ad oracula Prophetarum, & reliqua Divini foederis testimonia, in quibus Messias, qui promittitur, non purus homo, sed homo Deus adseritur, ut patet ex omnibus fere Veteris Testamenti paginis, & superfluum est hic referre verba: adeoque catholicum dogma inculcavit, idemque certo certius, quod nos impraesentiarum, & post definitionem Concilii Ephesini adversus Nestorium profitemur, dum unum eundemque Christum Deum pariter & hominem adserimus, credimus ac praedicamus; Sed Deum in singularitate personae hypostatice unitum humanae naturae: quare „ sicut anima rationalis & caro unus „ est homo, ita Deus & homo unus est Christus „ in symbolo, sub Athanasii nomine vulgato, saepius ingeminamus. Hoc, inquam, modo re bene perpensa evanescit scrupulus omnis, qui ex Chrysostomi dicto potest oriri.

ne feceritis in concupiscentiis. Non enim Monachis tantum ita scripsit, sed omnibus, qui erant in civitatibus? Non enim saecularis homo debet aliquid amplius habere monacho, quam cum uxore cohabitare tantum. Hic enim habet veniam, in aliis autem nequaquam: sed omnia aequaliter sicut monachi agere debent. Hoc ipsum libro tertio adversus vituperatores vitae monasticae clarius & fusius explicans, ita scribit: AT, inquies, ejusdem criminis non est, eum, qui saeculo addictus sit, peccare, & eum, qui semel se, ac penitus Deo devoverit, religionis proposito excidere: neque enim ambo eadem ex altitudine decidunt, ita nec eadem quidem vulnera suscipiunt. Fallis teipsum prorsus, ac decipis, si putas aliud a saecularibus viris, aliud a monachis requiri. Haec enim fere sola est in utroque genere vitae differentia, quod illi quidem matrimonii vinculis se constringunt, hi vero his liberi perdurant: in reliquis vero communis, atque eadem ab utriusque vitae totius ratio requiritur, eisdem pro culpis poena una omnibus debetur: nam qui fratri suo irascitur sine causa, sive ille saecularis, sive monachus fuerit, Deum similiter offendit: atque hic, qui mulierem respicit, & concupiscit eam, quolibet in vitae statu fuerit, eadem adulterii plectetur poena: imo vero, ut aliquid ex nobis addere, quod rationi consentaneum videatur, audeamus, magis sine ulla spe veniae peccabit, qui ex saeculo id scelus admiserit. Neque enim par facinus admittere videtur, qui uxoris solatio subnixus, decore mulieris irretitur, atque is, qui ejusmodi auxilio, & infirmitatis remedio destitutus, hac interdum peste corripitur. Hucusque Chrysostomus. Rom. 13. d

SUNT qui existiment monachos, de quibus loquitur Chrysostomus, fuisse diversos ab his, quos nunc habet ecclesia monasticis votis, & institutorum ac ducum suorum constitutionibus devinctos; fuisse autem saecularibus adeo similes, ut praeter voluntarium coelibatus institutum, nullam haberent professionis obligationem, quae eos magis, quam saeculares astringerent. Sunt & qui putent, Chrysostomum talia per hyperbolem enunciasse, ad depellendam ignaviam & socordem opinionem quorundam saecularium existimantium orationes, jejunia, ac vigilias, monachis duntaxat a Christo imposita. Divus Thomas in secunda secundae, quaestione centesima octuagesima sexta, duplici discrimine monastica peccata discernens, alia, inquit, fieri, vel contra professionis vota, vel ex contemptu delicti, vel cum scandalo proximorum; & haec existimat longe graviora ac deteriora, quam ejusdem generis crimina a saecularibus commissa: alia vero ex fragilitate, vel ignorantia admitti, absque transgressione voti, ac proximi scandalo, quae quidem minora, ac leviora esse demonstrat, hac saltem ratione, quod multis bonis operibus, quae facit monachus, absorbentur, multoque ab eo facilius deseruntur. Et ad haec respexisse Chrysostomum argumento esse potest, quod inquit, Magis sine ulla spe veniae peccabit saecularis, quod mulierem respicit & concupiscit, quam monachus: neque enim par facinus admittere videtur, qui uxoris solatio subnixus, decore mulieris irretitur, atque is, qui ejusmodi auxilio, & infirmitatis remedio destitutus, hac interdum peste corripitur. Thomas 2. 2. Quaest. 186. Art. 10.

ANNOTATIO CCCXXXIII.

Adhuc enim in lumbis Patris erat. Heb. 7. b

CHRYSOSTOMUS homilia ad Hebraeos duodecima, hoc explicans, videtur initium Salutis nostrae tribuere humanae voluntati, divinam gratiam praevenienti, dum inquit: OPORTET nos quippe eligere primum quae bona sunt, & tunc ipse, quae sua sunt, introducat: non antecedit nostras voluntates, ne laedatur liberum arbitrium: cum autem nos elegerimus, multam tunc nobis affert auxiliationem. Hoc ipsum quamplurimis reperit locis. Vide supra Annotationem centesimam primam libri quinti, & Annot. 184. libri hujus. Initium salutis unde.

ANNOTATIO CCCXXXIIII.

Tabernaculi veri, quod fixit Deus, & non homo. *Heb.8.a*

Coeli status, & figura.

CHRYSOSTOMUS homilia ad Hebraeos quartadecima subindicat, coelum nec mobile esse, nec sphaericum.

THEODORETUS in Commentariis eandem sequitur sententiam.

THEOPHYLACTUS in Commentariis, HINC, inquit, observa secundum divum Joannem Chrysostomum, quod coelum neque rotundum sit, neque mobile: utraque enim tollit, quod ait, Fixit Deus. Vide annotationem tertiam, & nonam, libri quinti.

ANNOTATIO CCCXXXV.

Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis. *Heb. 11. g*

Sanctorum animae an adhuc beatae.

CHRYSOSTOMUS homilia in epistolam ad Hebraeos 28. haec enarrans, indicat sanctorum animas ante diem judicii non frui divina visione. Legito superius Annotationem 264. libri hujus, & infra 345.

THEODORETUS id ipsum hoc loco scribit. Vide ibidem.

THEOPHYLACTUS eandem huc sententiam affert. Vide ibidem.

OECUMENIUS similiter exponit. Vide Annotationes easdem.

ANNOTATIO CCCXXXVI.

Non invenit poenitentiae locum. *Heb.12.c*

Confessio an soli Deo facienda.

CHRYSOSTOMUS homilia in epistolam ad Hebraeos 31. alludit ad dogma eorum, qui putant soli Deo confitenda peccata, & non sacerdoti. Ait enim: NON tibi dico, ut te prodas in publicum, ut te apud alios accuses, &c. Vide Annotationem 175. libri superioris.

ANNOTATIO CCCXXXVII.

Jacobus Dei & Domini nostri Jesu Christi. *Jacob. 1. a*

Jacobi epistola num canonica.

THOMAE Cajetani expositionem huic loco appositam, Ambrosius Compsae libro primo Annotationum confutat, haec scribens: ANNOTAVI insuper circa epistolam Jacobi verba illa, quae scribit, Non est usquequaque certum, an haec epistola sit Jacobi, fratris Domini, dicente Hieronymo in libro De viris illustribus: Jacobus frater Domini, unam tantum scripsit epistolam, quae de septem canonicis est, quae & ipsa ab alio quodam sub nomine ejus asseritur, licet paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem. Salutatio tam pura est, ut nulli salutationi cujusquam alterius Apostolicae epistolae conformis sit: nam nihil Dei, nihil Jesu Christi; nihil gratiae pacisve sonat, sed prophano more salutem: nec ipse se Apostolum nominat, sed tantum servum Jesu Christi: ex quibus simul junctis minus certus redditur auctor. Haec ille. Ego vero admiratus primum sum, quod ex verbis Hieronymi eliciat non esse certum auctorem hujus epistolae, cum Hieronymus tam expresse dicat, nec tanquam dubitans, sed tanquam asserens, quod Jacobus, frater Domini, hanc epistolam scripserit: & asserat, quod sit una de septem canonicis, & quod procedente tempore obtinuerit auctoritatem. Et ad Paulinum sic ait: JACOBUS, Petrus, Joannes, Judas, septem scripserunt epistolas, tam mysticas, quam succinctas, breves, & longas; breves in verbis, longas in sententiis: ut rarus sit, qui non caecutiat in earum lectione. Quod vero Cajetanus addit, quod salutatio nulli alii salutationi cujusquam alterius epistolae Apostolicae conformis sit, nihil habet momenti: nam & Joannes nulli similis est

in

in hoc, qui nec salutationem ullam habens, statim erumpit in illud, Quod fuit ab initio, &c. Illud omnino mirum, quod ait, nihil esse Jesu Christi in hac salutatione, cum hinc incipiat, Jacob servus Jesu Christi. Denique, quod notat velut prophanum, dicere sic oude salutem, noo tam hunc Apostolum, quam simul omnes, & universum Apostolicum concilium, damnat, qui his verbis, ad quos miseruot epistolam, salutarunt: Apostoli & seniores fratres iis, qui sunt Aotiochiae, *Actor. 15. 23.* & Syriae, & Ciliciae, fratribus ex geotibus salutem. Lege librum sequentem io confutatione haereseos nonae objectione prima, secunda, tertia, & quarta.

A N N O T A T I O CCCXXXVIII.

Ante omnia fratres mei ne juretis. Jacob. 5. b

OECUMENIUS in Collectaneis hoc loco videtur jurandi jus Christianis omnino interdicere. Vide Annot. 26. libri hujus. *Juramentum*

A N N O T A T I O CCCXXXIX.

Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros ecclesiae, & orent super eum, ungentes eum oleo sancto. Jac. 5. d

BEDA presbyter in Commentariis epistolae Jacobi, hoc dictum elucidans, sentire videtur sacrameotum extremae uoctionis non solum a presbyteris, sed etiam a quovis laico posse conferri, ait eoim. HOC & Apostolos in Evangelio fecisse legimus, & nunc ecclesiae consuetudo tenet, ut infirmi oleo coosecrato ungantur a presbyteris, & oratione comitante sanentur. Nec solum presbyteris sed, ut Innocentius Papa scribit, etiam omnibus Christiaois uti licet eodem oleo in sua, aut suorum necessitate ungendo: quod tamen oleum non nisi ab episcopis licet confici: oam quod ait, Oleo in oomine Domini, sigoificat oleum consecratum io nomine Domini. Extant verba a Beda citata in epistola Iooocentii Papae Primi ad Decentium, Eugubii episcopum. *Unctio extrema num a quolibet laico ministrari queat.* *Innocentius I. Ibi loquitur de unctione passiva, quia omnibus fidelibus licet hoc Sacramentum recipere Consule textum.*

THOMAS Cajetaous in Commentariis, huoc locum excutiens, ita scribit: Nec ex verbis, nec ex effectu verba haec loquuntur de sacramentali unctione extremae unctioois, sed magis de unctione, quam instituit Dominus in Evangelio *Marci 6. 13.* a discipulis exercendam in aegrotis. Textus enim non dicit, Infirmatur quis ad mortem: sed absolute, Infirmatur quis: & effectum dicit infirmi allevationem; & de remissione peccatorum non nisi conditionaliter loquitur: cum extrema noo detur nisi propter articulum mortis, & directe (ut ejus forma sonat) tendit ad remissionem peccatorum, praeter hoc, quod Jacobus ad unum aegrum multos praesbyteros, tum orantes, tum ungentes maodat vocari; quod ab extremae unctioois ritu est alienum. Hanc Thomae sententiam Ambrosius libro quinto confutat his verbis: DOLUI vehementer, quod conatus est auferre nobis testimonia sacrae unctionis, quae ex Marco excipiuntur, & Jacobo Apostolo: nam quod Marcus testatur de discipulis, quod oleo ungerent iofirmos, negat posse hoc intelligi de sacramento, quo utitur ecclesia: cur autem sic oon possit intelligi, oon aliter probat, quasi hoc, ipse dixit, quod Pythagoreorum erat, servandum sit erga illum: praesertim cum Beda, & Thomas, & alii plures contradicant. Similiter de eo, quod ait beatus Jacobus, Infirmatur quis ex vobis, sic censet: NEC ex verbis, nec ex effectu verba haec loquuntur de sacramentali unctione extremae unctioois, sed magis de unctiooe, quam instituit Dominus Jesus exercendam io aegrotis, &c. Haec autem ut certe inepte (quid enim est, quod ait, unctione extremae unctionis? quae est unctio unctionis) ita & falso sunt dicta: cur enim verba oon congruunt? quia, inquit, non ibi dicitur, Si quis infirmatur ad mortem. Item quia effectus illius unctionis est alleviatio infirmi. At nunquid hoc illi sacramento repugnat? imo congruit, ut Thomas docet, & alii. Adde, quod de remissione peccatorum nonnisi conditionaliter loquitur, verum cooditio illa, videlicet, si io peccatis sit, tacite inest. Nunquid enim di- *Marci 6. b* *San. Thomas Supplem. ad III P. Quaest. XXX. Art. 1. & 2.*

mitti

mitti vult peccata iis, qui omnino his careant? adjecit, quod Jacobus jubet ad unum aegrotum plures vocari presbyteros, tum orantes, tum ungentes: quod est alienum a ritu extremae unctionis. Verum illud ad solennitatem, non ad necessitatem jussit Apostolus: quod si etiam servaretur, recte fieret: quod & a regularibus etiam servatur, ut plures orent, licet unus ungat, sed alii per eum etiam ungere videntur. Ergo quanquam doluerim haec doceri ab hoc viro, & contra Augustini & divi Thomae doctrinam, & aliorum doctorum & ecclesiae traditionem, atque persuasionem: gavisus tamen sum, quod has attulit rationes, quas refellere nullum fuerit negotium: quo fit, ut dum obscurare nituntur veritatem, magis profecto illustrent. Nolo autem in allegationibus superfluus esse, & morosus Lectori perito, & ex aliorum libris Catholicorum erudiro. Haec Ambrosius adversus Cajetani errorem nuper in Tridentina synodo rejectum, sessione decimaquarta, canone primo, in haec verba: SI QUIS dixerit, extremam unctionem non esse vere & proprie sacramentum a Christo Domino nostro institutum, & a beato Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, Anathema sit.

ANNOTATIO CCCXL.

Adveniet autem dies Domini, in quo coeli magno impetu transient. *2. Petr. 3. c*

Coeli an igne mundanae conflagrationis comburentur.

AMBROSIUS, Compsae episcopus, in Commentario posterioris epistolae Petri, hanc dilucidans clausulam, duo contra omnium scholarium theologorum sententiam profitetur: primum est, coelos mundanae conflagrationis ignibus exurendos, ac deinde refundendos, & in meliorem formam renovandos: secundum est, terram extremo orbis incendio renovandam, & majore amoenitate exornandam, ut in ea perpetua sit habitatio hominum eorum, qui neque coelo, neque inferno digni sunt. Priorem assertionem explicat his fere verbis: MONUI Lectorem alias nimis coactam esse Scholasticorum expositionem, qui volunt coelos nihil passuros, sed solum cessaturos a motu: quod certe his beati Petri verbis, & antiquorum vaticiniis repugnat. Quod vero de coelis loquatur proprie, & non de aëre, patet: postquam enim dixit, in quo coeli, magno impetu solventur; adjecit, Elementa vero calore solventur: quod ad aërem & ad aquam pertinere videtur, quae per ignem solvenda sunt: De terra autem particulariter ait, terra autem, &c. Locus autem, quo auctor iste dicit, se alias haec indicasse, habetur in Commentariis epistolae ad Hebraeos, ubi excutiens illud ex Hebr. 1. 10. capite primo, ejusdem epistolae, Opera manuum tuarum sunt coeli: Ipsi peribunt, &c. haec scribit: IPSI peribunt; tu autem permanebis: & omnes, ut vestimentum, veterascent. Quomodo peribunt coeli? dicunt plerique, quantum ad motum localem: at hoc non est perire, neque veterascere, quod ad interitum tendit (ut ait Apostolus inferius) & quod veterascit, prope interitum est. Praeterea beatus Petrus epistola secunda de coelis hoc testimonium reliquit: Adveniet dies Domini, ut fur; in quo coeli magno impetu transient: terra autem, & quae in ipsa sunt, opera exurentur. Cum igitur haec omnia dissolvenda sint; quales oportet vos esse in sanctis conversationibus, expectantes adventum diei Domini, per quem coeli ardentes solventur, & elementa ignis ardore tabescent? Novos vero coelos, & novam terram, juxta promissum ipsius expe-
Apocal. 21. a ctamus. Ad haec, Dilectus in Apocalypsi, Vidi coelum novum, & terram no-
Isai. 51. 6. vam: primum enim coelum, & prima terra abiit. Et Esaias, Levate in coelos oculos vestros: & videte sub terra deorsum: quia coeli, sicut fumus, liquescent; & terra, sicut vestimentum, atteretur; & habitatores ejus, sicut haec interi-
Isai. 65. 17. bunt. Et rursus, Ecce ego creo coelos novos, & terram novam: & ipsemet Do-
Matth. 24. 35. minus noster, Coelum & terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt. Ex his ergo Scripturarum testimoniis, nisi prorsus velimus verbis vim afferre, cogimur fateri futuram vere aliquam magnam coelorum alterationem per ignem, & non tantum solius motus cessationem: per quam alterationem novi quodam-
modo

modo fundentur coeli, & longe fient pulchriores, quam nunc existant. Hactenus de priori Ambrosii asserto: quod etiam Lucianus, Monachus Benedictinus, in Annotationibus suis in Chrysostomum, a Tridentina synodo reprobatis, non solum defendit, sed etiam Chrysostomum in eandem sententiam pertrahere contendit.

POSTERIOREM assertionem de terra, post judicium ab hominibus habitanda, his verbis in eodem Petri Commentario declarat: AIT Petrus, Novos autem coelos, & novam terram expectamus: sed in quem usum nova terra, si nullus habitaturus sit in ea? idcirco congruentissime creditur a multis, eos, qui peccato proprio non metebuntur infernum, nec tamen in Christo recepti fuerunt per gratiam (quales pueri absque baptismo decedentes) hanc novam multo pulchriorem terram, puram ab omni inquinamento & corruptione, possessuros, ubi perpetuo laudabunt Deum. Et in Comment. epistole ad Hebraeos loco superius adducto, id ipsum certius confirmans, ait: QUOD si roges, in quem randem usum? hoc certe diuturniore eget inquisitione, aut verius speciali revelatione: nisi vero pie dicere velimus, futuros esse quosdam homines super hanc novam & amoenissimam terram, qui nec coelo, nec inferno digni invenientur: quemadmodum quidam non absque magnis rationibus tradunt, & ego quidem recepi, & credo non invitus. Haec Ambrosius. (a)

Num terra post diem judicii ab hominibus habitanda sit.

EGO vero veterum Patrum scripta relegens, in eorum monumentis triplicem invenio de suprema coelorum dissolutione sententiam.

PRIMA est Divi Clementis, qui in secundo Recognitionum volumine, Petrum Apostolum introducit, duos docentem coelos, unum superius & invisibile, perpetuum & aeternum, quod beati spiritus incolunt: alterum inferius visibile, variis distinctum sideribus, corruptibile, & in consummatione saeculi dissolvendum, prorsusque abolendum, ut ejus corpulentiae amoto velamine, appareat coelum illud excelsius his, qui ejus conspectu digni sunt. Deinde in tertio ejusdem Operis libro, inducens Simonem Magum, Petri sententiae objicientem, sic scribit: AT Simon ait, Responde mihi, & dic, si visibile istud (ut vis) coelum resolvetur: cur ex initio factum est? Respondit Petrus: Propter hominum praesentem hanc factum est vitam, ut esset interjectio quaedam & divisio; ne quis forte indignus habitationem coelestium, & Dei ipsius sedem videret, quae his solis, qui mundi corde sunt, videnda praeparantur: nunc autem, id est, agonis tempore, invisibilia esse placuit ea, quae vincentibus ad praemium destinara sunt. Et Simon ait, Si conditor bonus est, & mundus bonus: quomodo bonus bona dissolvet aliquando? Si autem quasi malum resolvit & destruit; quomodo non videbitur malus, qui malum fecit? Petrus ad haec, Audi, coelum istud, quod visibile est, & pertransit: siquidem propter semetipsum factum esset, haberet fortasse, quod dicis, aliquid rationis, quia resolvi minime deberet.

De Authore libri Recognitionum sub nomine Clementis R. P. vide superius dicta fol. 351.

(a) Commentum de terrena beatitudine, ac temporali felicitate post diem judicii parvulis sine baptismo defunctis respondente, acriter propugnavit Ambrosius Catharinus ne dum loco hic ab Authore N. indigitato, verum & in Opusculo *de Statu parvulorum*, habuitque post se ejusdem suae opinionis sectatores Ludovicum Molina *in Concordia Qu. 23. art. 4. & 5.* Coelestinum Card. Sfondratum (virum alioquin pium & doctum) in libro, cui titulus *Nodus praedestinationis dissolutus*, aliosque ex pietate, etsi fucata, ejusdem erroris vindices. Ad evertendam igitur hanc puram putamque fabellam, ne dum Theologico haud munitam praesidio, verum & Verbo Dei ac Patrum dictis omnino adversam, satis est adnotare eam fuisse in Pelagianis ventilatam a SS. Gelasio Epistola *ad Episcopos per Picenum constitutos*, Fulgentio *lib. de fide ad Petrum*, aliisque consulendis apud Theologos infra laudandos, praesertim tamen a M. P. Augustino pluribus in locis, nimirum Serm. XIV. *de verbis Apostoli*, Lib. III. *Oper. imperfect. cap. 200.* Lib. I. *de peccat. merit. & remiss. cap. 28.* In Libris *Hypognosticon* (quamvis hoc opus, quod a pluribus S. P. Augustino vindicatur, a Card. Norisio, aliisque alteri ab Augustino, sed vetusto, nec ignobili Scriptori adjudicetur, propterea a PP. Benedictinis in Appendicem rejectum Tom. X. novae editionis) aliisque in locis. Hos ergo Patres consulat qui exoptat veritatem penitius intueri. Consulat itidem eruditos Theologos, apud quos extant monumenta PP. & monumenta Theologica ad repellendam gerram hanc de somniata terrena beatitudine parvulorum; praecipue tamen Cll. S. R. E. Cardinales Bellarminum Tom. 3. Controversiar. *Lib. VI. de Statu peccati*, Norisium in Vindiciis Augustinianis *cap. 3. §. 5.* Brancati, seu de Lauraea dictum, *Disp. 27. de Statu parvulorum*, & N. Gotti Tom. VI. Theologiae *Quaest. X.* nec non ex nostris itidem Johannem Baptistam Gonet *Clyp. Theolog. Thomisticae* ubi de peccato originali, & Ignatium-Hyacinthum Amat de Graveson de Myster. & annis Christ. *Dissert. XXI.* Consulat itidem epistolam a Praesulibus Ecclesiae Gallicanae ad Innocentium XII. datam VII. Kalendas Martii 1697. & ejusdem SS. Pontificis responsum apud N. Natalem Alexandrum T. I. Theol. Dogmatico-Moral. *in Appendice Monumentorum*.

ret. Si vero propter aliud quid factum est, & non propter se: necessario solvetur, ut illud, pro quo factum videtur, appareat. Sicut verbi gratia, dixerim, testa ovorum quamvis pulchre facta, & diligenter formata videatur; necesse est tamen eam frangi & resolvi, ut inde pullus procedat, & illud, pro quo totius ovi forma expressa videtur, appareat. Ita ergo & hujusmodi necesse est transire statum, ut status ille sublimior regni coelestis effulgeat. Hactenus Clementis opinio: Quam amplectens Hilarius canone in Matth. 4. coelum ait ac terra maxima elementa arbitramur esse solvenda. Et in enarratione psalmi 122. idipsum uberius explicans, inquit: Coelum hoc, quod visibus nostris per materiam sui subjacet, quod tanquam fumum solidatum firmamenti, & naturam, & nomen accepit, praeteribit & non erit, sedes autem domini, coelum scilicet, in quo Deus habitat, manet in aeternum. Haec Hilarii & Clementis sententia: quam Hieronymus libro in Esaiam 14. refert a quibusdam fuisse comprobatam praesenti Petri testimonio, Coeli, qui nunc sunt, & terra reservata sunt igni, & elementa ardentia solventur. Itemque Pauli auctoritate dicentis, Praeterit figura hujus mundi contemplantibus nobis, non ea, quae videntur, sed quae non videntur: quae enim videntur, temporalia sunt: quae autem non videntur, aeterna. Et rursus Esaiae vaticinio clamantis, Coeli, sicut fumus, liquescent: quod Aquila, & Symmachus verterunt, Coeli comminuentur in nihili, & in sagis modum conterentur, & evanescent. Notat quoque Hieronymus hanc fuisse philosophorum quorundam opinionem existimantium omnia, quae cernimus, igni peritura. Eusebius libro Evangelicae praeparationis decimo quinto, scribit hanc fuisse Stoicorum doctrinam, in quibus omnium vetustissimi Zeno, Cleanthes, & Chrysippus, tradiderunt omnia post longos aevi circuitus in ignem aethereum resolvenda.

2. Petri 3. 10. 1. Cor. 7. 31. 2. Cor. 4. 18. Isai. 51. 6.

SECUNDA opinio eorum est, qui coelos nec perituros, nec abolendos credunt, sed eos tamen flammarum exustione purificandos; ut ab ingenita corruptione purgati, ex corruptibilibus incorruptibiles & immortales fiant. In his Oecumenius, propositum Petri locum in Collectaneis suis examinans, ita scriptum reliquit: PORRO quod hujus universi fiat corruptio, non solum Christianis, verum etiam Graecorum sapientibus videtur: quemadmodum Heraclito Ephesio, & Empedocli Aetnaeo. Sed dicet aliquis, Et quae fuit ratio, ut conderetur, si rursum oportebat ad nihilum redigi mundum? Et dicimus, quod non penitus ad corruptionem tendet mundus, sed ad renovationem, sicut igne fundere solemus res quasdam corporeas, non ut absolutum interitum eis tribuamus, sed ut puritatem ac sinceritatem eis praestemus. Hucusque Oecumenius, cui astipulatur Gennadius in lib. de ecclesiasticis dogmatibus cap. 70. sic ajens: Elementa, coelum & terram non credamus abolenda per ignem, sed in melius commutanda, figuram quoque mundi, id est, imaginem non substantiam transituram.

TERTIA est Augustini opinio, asserentis superiores coelos nec supremo illo incendio purgandos, nec ab ignibus quidem attingendos, sed aëreos tantum coelos, & elementa duntaxat ignis conflagratione renovanda. Is in libro vigesimo De civitate Dei, cap. 24: exponens assumptum Petri testimonium de incendio coeli aërei, haec prodit: IN EPISTOLA Petri Apostoli, ubi aqua inundatus, qui tunc erat, periisse dictus est mundus, satis clarum est, & quae pars mundi toto significata est, & quatenus periisse dicta sit, & qui coeli repositi igni reservandi in diem judicii, & perditionis impiorum. Et in eo, quod paulo post ait, Veniet dies Domini, ut fur: in quo coeli magno impetu transcurrent; elementa autem ardentia resolventur, &c. possunt illi coeli intelligi perituri, quos dicit repositos igni reservandos; & ea elementa accipi arsura, quae in hac ima mundi parte subsistunt procellosa & turbulenta, in qua eosdem coelos dixit esse repositos, salvis illis superioribus, & in sua integritate manentibus, in quorum firmamento sunt sidera constituta.

HANC August. sententiam secuti sunt scholastici, utpote rationabiliorem, & magis consonam verbis Petri; qui se ipsum explanans, ostendit se loqui non de coelis sidereis, sed de coelis & terra, quae olim diluvii inundatione perierant, inquiens: COELI prius & terra per aquam perierant. Atque juxta hanc aërei coeli intelligentiam

exposuerunt,

exposueruot, quod in praemissis divinae scripturae oraculis dictum est, coelos senescere, atteri, liquescere, dissolvi, mutari, transire, deficere, ac perire. Neque huic interpretationi obstar, quod Lucianus objicit, nunquam io sacris literis coelos plurali numero pro aëre accipi. Id enim falsissimum esse ostendit, quod in Psalmo octavo, & alibi frequentissime legitur צפור שמים zipur sciamaim, hoc est Volucres coelorum. Quod si quis acrius instet, haec de superioribus coelis intelligenda, quos David veterascere, murari, & perire dixit: respondebimus, duplicem esse mutationem, senium & interitum; unum quo res mortales corrumpuntur & aboleotur, quale in coelis nullum est: alterum similitudinarium, quod juxta Didymum cessarionem a pristino usu, & juxta Hieronymum commutationem in melius designat. Seoescent igitur & interibunt, oon ea vetustate, qua animalia & plantae ad interitum tendunt, sed usus cessatione: qua, ut Didymus inquit, eorum cessabit usus: hominibus enim e terra in aeternam foelicitatem assumptis, nullus erit amplius usus coelestis motus, lucis atque caloris, quibus mortalium vita fovetur. Aut etiam ioteribuot mutationis & renovationis interitu, eo modo, quo Hieronymus libro in Esaiam decimo octavo expressit his verbis: IPSI peribunt: tu autem permanes; & omnes, sicut vestimentum, veterascent; & quasi amictum involves eos, & mutabuntur. Io quo perspicue demoostratur perditionem & interitum, non abolitionem in nihili, sed commutationem sonare in melius: neque enim illud, quod in alio loco scriptum est, Luna fulgebit, ut Sol; & Esai. 30. 26.
Sol septuplum lumen accipiet, &c. interitum significat pristinorum, sed commutationem in melius. Quod ut possit intelligi, oostrae conditionis ponamus exempla. Iofans cum io puerum creverit, & puer in juvenem, & juveois in virum, & vir io senem, oequaquam per singulas aetates perit: idem enim est, qui prius fuit, sed paulatim immutatur, & aetati pristinae periisse dicitur. Quod iotelligens & Paulus Apostolus, loquebatur: PRAETERIT enim figura hujus mundi. Consi- 1.Cor.7. 31.
deremus, quid dixerit: Figura praeterit, non substantia. Hoc idem significat & Petrus, dicens: LATET eos hoc volentes, quoniam coeli eraot ab initio, & ter- 2. Petr. 3. 5.
ra de aqua, & per aquam, per quae prior muodus diluvio periit: coeli autem, qui nunc suot, & terra, eadem ratione servantur igni. Quod quo seosu accipieodum sit, postmodum docet: novos autem coelos & novam terram videbimus. Non dixit, alios coelos & aliam terram videbimus; sed veteres & aotiquos io melius commutatos. Vide quaedam ad hoc argumentum spectantia libro tertio in Methodo expositionis, quae Ethnica Rapsodia appellatur; & Ann.245. libri hujus. Consule integram Q. XCI. vel XCIII. Supplem. ad III. P. S Thomae cum notis Johan. Nicolai,

ANNOTATIO CCCXLI.

Elementa vero calore solventur. 2.Pet.3.c

BEDA in Commentario epistolae Petri secundae, hoe explicans, affirmat duo elemeota, aërem scilicet ac aquam, extremae conflagrationis ignibus omnino absumenda, inquiens: QUATUOR sunt elementa, quibus mundus iste consistit, ignis, aër, aqua, & terra: quae cuncta ignis ille maximus absumet: nec tamen cuncta intantum coosumet, ut fuoditus non sint; sed duo io totum coosumet, duo vero io meliorem restituet faciem. Divus Thomas io quarto Sententiarum, distinctione 47. quaest.2. hunc locum dilucidat his verbis: QUOD inquit, quod igois duo ex toto coosumet, noo est intelligendum, quod duo elementa secundum substantiam destruentur, sed quia duo magis removebuotur a proprietate, quam nunc habent. Quae quidem duo a quibusdam esse dicuntur igois & aqua, quae maxime excedunt in qualitatibus activis, scilicet calore & frigore, quae sunt maxime corruptionis priocipia io aliis corporibus: & quia tunc ooo erit actio igois & aquae, quae sunt maxime activa, maxime immutari videbuntur a virtute, quam nunc habent. Legito Annotationem praecedentem. Num aër, & aqua in fine Seculi omnino dissolventur.

ANNOTATIO CCCXLII.

Tres sunt, qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum sunt. 1.Joan.5.b

Trinitas.

THOMAM Cajetanum reprehendit Ambrosius libro primo, quod dubitaverit, an haec verba clarissimum divinae Trinitatis testimonium continentia sint de contextu epistolae Joannis. Vide librum septimum in confutatione haereseos 9. objectione 7.

ANNOTATIO CCCXLIII.

Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut quis roget. 1Joan.5.c

Impugnatio fratrum an sit peccatum irremissibile.

BEDA presbyter in Commentariis, hoc explicans, sentire videtur peccatum eorum, qui fraternitatem impugnant, esse omnino irremissibile, sic dicens: MAGNA hic quaestio nascitur, quia aperte ostendit beatus Joannes, esse quosdam fratres, pro quibus orare nobis non praecipitur, cum Dominus etiam pro persecutoribus nostris orare nos jubeat. Quae non aliter solvi potest, nisi fateamur esse aliqua peccata in fratribus, quae inimicorum persecutione graviora sunt. Peccatum ergo fratris ad mortem est, cum post agnitionem Dei, quae per gratiam Domini nostri Jesu Christi data est, quis oppugnat fraternitatem, & adversus ipsam, qua reconciliatus est Deo, invidentiae facibus agitatur. Hanc opinionem ex libro primo Augustini De sermone Domini in monte, a Beda iisdem pene verbis acceptam, Augustinus retractavit libro 1. Retractationum.

ANNOTATIO CCCXLIIII.

Judas Jesu Christi servus, Jud. 1.a

Judae epistola an sit Canonica.

THOMAE Cajetani expositionem Ambrosius tali censura castigavit: ANNOTAVI, inquit, quod ait, epistolam Judae non esse certo Canonicam, quia Hieronymus non habet hoc ut certum, ex eo quod ait: Judas, frater Domini, parvam quidem scripsit epistolam, quae de septem canonicis est. Quis hic non stupeat, inde colligi ex Hieronymo hanc epistolam non esse certo canonicam, ubi ipse ait, unam esse de septem canonicis? neque vero, quia addit, a quibusdam rejici, eo quod de apocryphis testimonium sumat. Ideo & ipse putandus est rejicere, aut non recipere, qui statim contra adjecit, videlicet quod auctoritatem vetustate & usu meruit, & inter sanctas Scripturas computatur. Legito librum septimum in confutatione haereseos nonae, objectione septima.

ANNOTATIO CCCXLV.

Vidi sub altare Dei animas interfectorum. Apoc.6.b

Animae Sanctorum an ante diem judicii Deum videant.

BERNARDUS, Claravallensis Abbas, hunc locum enarrans, videtur devolvi in errorem Armenorum & Anabaptistarum, docentium, animas sanctorum, ante resurrectionem corporis, divinae visionis gloria frui non posse: nam in sermone quarto festivitatis omnium sanctorum asserit, animas sanctorum usque ad diem judicii quiescere sub altare Dei, hoc est, in sola visione humanitatis Christi, donec veniat tempus, in quo filius Dei post universalem resurrectionem ostendat se ipsum illis in forma Dei una cum Patre & Spiritu Sancto. Quam sententiam exprimit his verbis: IN hunc ergo locum (hoc est Abrahae sinum) Salvator descendens contrivit portas aereas, eductosque vinctos de domo carceris, jam tum quidem sub altare Dei collocavit, abscondens eos in abscondito tabernaculi sui, donec veniat tempus, in quo procedant, completo jam numero fratrum, & percipiant

cipiant regnum paratum ab origine mundi. Et paulo post addit: PORRO altare Dei, de quo nobis sermo est, ego pro meo sapere nihil aliud arbitror esse, quam corpus ipsum Domini Salvatoris: de quo dictum est in Evangelio, ubicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilae. Interim ergo sub Christi humanitate foeliciter sancti quiescunt, in quam nimirum desiderant etiam sancti angeli prospicere, donec veniat tempus, quando jam non sub altari collocentur, sed exaltentur super altare. Sed quid dixi? nunquid humanitatis Christi gloriam, non dicam hominum, sed vel angelorum assequi poterit quis, nedum superare? quonam igitur modo super altare dixerim exaltandos eos, qui nunc sub altari quiescunt? visione utique & contemplatione, non praelatione: ostendet enim tunc se nobis filius, ut pollicitus est, semetipsum non in forma servi, sed in forma Dei. Ostendet etiam nobis Patrem, & Spiritum Sanctum, sine qua nimirum visione nihil sufficeret nobis: quoniam haec est vita aeterna, ut cognoscant te Patrem verum Deum, &, quem misit, Jesum Christum, & in eis (quod non est dubium) etiam spiritum utriusque. Rursum in sermone tertio ejusdem Festi, obiter explicans Davidicum illud, Quam dilecta tabernacula tua, Domine: concupiscit anima mea in atriis Domini, &c. Tres, inquit, esse animarum status, primum in tabernaculis, secundum in atriis, tertium in domo Dei, hoc est, in beatitudine, in quam sine corporibus non intratur: Sermo ejus sic habet: ADVERTISTIS, nisi fallor, ex his, quae praecedente sermone sunt dicta, tres esse sanctarum status animarum, primum videlicet in corpore corruptibili, secundum sine corpore, tertium in beatitudine consummata: primum denique in tabernaculis, secundum in atriis, tertium in Domo Dei. Et post pauca subdit: IN illam beatissimam Dei domum animae nec sine nobis intrabunt, nec sine corporibus suis: id est, nec sancti sine plebe, nec spiritus sine carne.

Luc. 17. 37.

Joan. 17. 3.

Psalm. 83. 2.

ALPHONSUS Castrensis libro adversus haereses tertio, admonet, hanc Bernardi sententiam esse damnatam: quod & ipse non inficior, sed auctorem tamen grato ac benigno affectu excusandum arbitror, ob ingentem numerum illustrium Ecclesiae Patrum: qui ante ipsum huic dogmati auctoritatem suo testimonio visi sunt, praebuisse. Horum sententias, juxta seriem temporum, in quibus floruerunt, collectas, huc apponere libet, ut in unius paginae transcursu, Lector absque longa mora breviter agnoscat, qui sibi auctores hac in parte prudenter legendi sint, ac benevole (quando id fieri queat) interpretandi.

S. Bernardus ab hoc errore recessit praecipue Se. LXXXVI t edit. Mabillonianae.

JACOBUS Apostolus in Liturgia divini sacrificii pro animabus sanctorum in Christo quiescentium ita precatur, ut indicet, eas nondum ad locum expectatae beatitudinis pervenisse. Est autem forma precationis hujusmodi: DOMINE Deus noster; memento omnium orthodoxorum, ac recte de fide sentientium, ab Abel justo usque ad hodiernum diem: fac eos requiescere in regione viventium, in regno tuo, in deliciis paradisi, in sinu Abraham, Isaac, & Jacob, sanctorum Patrum nostrorum: unde exulat dolor, tristitia, & gemitus: ubi praesidet lumen vultus tui, & perpetuo refulget.

Haec Liturgia non est S. Jacobi Vide superius dicta.

IRENAEUS, episcopus Lugdunensis, in fine libri adversus haereses 5. sic ait: CUM enim Dominus in medio umbrae mortis abierit, ubi animae mortuorum erant, post deinde corporaliter resurrexerit, & post resurrectionem assumptus sit; manifestum est, quia & discipulorum ejus, propter quod & haec operatus est Dominus, animae abibunt in invisibilem locum definitum eis a Deo, & ibi usque ad resurrectionem commorabuntur, sustinentes resurrectionem, post recipientes corpora, & perfecte resurgentes, hoc est, corporaliter, quemadmodum Christus resurrexit, & sic venient ad conspectum Dei.

De Irenaeo; & ceteris vide infra in calce hujus libri adnotata.

JUSTINUS philosophus & martyr, in libro Quaestionum a gentibus positarum, quaest. 76. SI ANTE resurrectionem nulla sunt operum praemia: quis fructus fuit latroni, cum in paradisum ejus animus introductus est, praesertim cum paradisus sub sensum cadat, animi autem essentia non percipiatur sensibus? Responsio. Hoc latro consecutus est, cum in paradisum intravit, quod re ipsa fidei emolumentum, fructumque cognovit; quia dignus est habitus coetu beatorum, in quo custoditur ad resurrectionis, remunerationisque diem: habetque paradisi sensum intelligentiae sensu, qui dicitur, quo animi & se ipsi vident, & quae sunt sub ipsis, & prae-

Justinus Monachus Sec. V. clarus non Martyr II Seculi hoc habet Qu & Resp ad Orthodox. 76.

& praeterea angelos atque daemones. Et rursum quaest. 60. NEMINI, inquit, ante resurrectionem ex his, quae in vita gessit, praemium redditur.

TERTULLIANUS libro adversus Marcionem quarto ait: UNDE apparet sapienti cuique, qui aliquando Elysios campos audierit, esse aliquam localem determinationem, quae sinus dicta sit Abrahae, & recipiendas animas filiorum ejus etiam ex nationibus, patris scilicet multarum nationum in Abrahae censum deputandarum, & ex eadem fide, qua & Abraham Deo credidit, nullo sub jugo legis, nec in signo circuncisionis. Eam itaque regionem, sinum dico Abrahae, & si non coelestem, sublimiorem tamen inferis, interim refrigerium praebituram animabus justorum, donec consummatio rerum resurrectionem omnium plenitudine mercedis expugnat, hanc apparitura coelesti promissione, ad quam ascensum Christus aedificat in coelum, ubi est locus aeternus. Item libro De anima, capite antepenultimo, NEMINI, inquit, ante resurrectionem ex his, quae in vita gessit, praemium redditur. Idem rursus libro De anima, capite antepenultimo, SI CHRISTUS, forma humanae mortis apud inferos functus, non ante ascendit in sublimiora coelorum, quam descendit in inferiora terrarum, ut illic Patriarchas & Prophetas compotes sui faceret; habes & regionem inferorum subterraneam credere, & illos cubito pellere, qui satis superbe non putent animas fidelium inferis dignas: servi super Dominum, & discipuli super magistrum, aspernati si forte in Abrahae sinu, expectandae resurrectionis solatium capere. Et paulo infra, NULLI patet coelum, terra adhuc salva, ne dixerim clausa: cum transactione enim mundi reserabuntur regna coelorum. Et post aliqua addit: HABES etiam de paradiso a nobis libellum, quo constituimus omnem animam apud inferos sequestrari in diem Domini. Demum capite ultimo ejusdem Operis haec intulit: OMNES ergo animae penes inferos? inquis. Velis ac nolis, sunt, & supplicia jam illic & refrigeria: habes pauperem & divitem: cur enim non putes animam & puniri apud inferos interim sub expectatione utriusque judicii? Quid ergo fiet in tempore isto? dormiemus? At enim animae nec in viventibus dormiunt: corporum enim est somnus. Novit & apud inferos anima & gaudere, & dolere sine carne: quia & in carne illaesa, si velit, dolet; & laesa, si velit, gaudet; hoc si ex arbitrio suo in vita fit, quanto magis ex judicio Dei post mortem.

Liber de Paradiso a Tertulliano scriptus, non extat, deperditus est.

CLEMENS Romanus libro ὑποτυπώσεων secundo, ex sententia Petri dicit haec: QUEMADMODUM magister noster Christus non statim evolans abiit, sed sustinens definitum a Patre resurrectionis suae tempus, quod & per Jonam manifestum est, post triduum resurgens assumptus est: sic & nos sustinere oportet resurrectionis & gloriae nostrae tempus praenunciatum a Prophetis, & sic resurgentes assumi in coelum; interim vero oportet animas usque ad diem judicii extra coelum patienter futuram gloriam expectare. SCIAS optime Lector, me non accepisse hoc testimonium ex ipso Clementis Opere, quod an alicubi nunc reperiatur, ignoro: sed ex libro tertio De occulta philosophia Cornelii Agrippae, hominis haeretici, & in hoc praesertim articulo perperam sentientis: qui, nisi me mea fallit suspicio, descripsit haec ex quinto libro Irenaei: in cujus fine sententia haec ad verbum habetur, excepta postrema illa clausula, Interim vero oportet animas usque ad diem judicii extra coelum patienter futuram gloriam expectare: quam quidem verisimile est Cornelium de suo adjecisse, utpote dogmati suo faventem.

De hoc libro Clementis R. P. Vide superius dicta.

ORIGENES homilia septima in Leviticum, NONDUM, ait, sancti receperunt laetitiam suam, nec Apostoli quidem: sed & ipsi expectant, ut ego laetitiae eorum particeps fiam. Neque enim decedentes hinc sancti, continuo integra meritorum suorum praemia consequuntur; sed expectant etiam nos, licet morantes, licet desides. Non est enim illis perfecta laetitia, donec pro erroribus nostris dolent, & lugent nostra peccata, sicut Paulus dicit: Nondum assecuti sunt promissiones, Deo pro nobis melius aliquid providente, ne sine nobis perfectionem consequerentur. Vides ergo, quia expectat adhuc Abraham, ut quae perfecta sunt, consequatur: expectat & Isaac & Jacob: & omnes prophetae expectant nos, ut nobiscum perfectam beatitudinem percipiant. Idem libro Periarchon secundo, non longe a fine loquens de loco, ad quem animae sanctorum tendunt post mortem, PUTO, inquit, quod sancti quique, discedentes ex hac vi-

Hebr. 11. 40.

ta,

ta, permaneant in loco aliquo in terra posito, quem paradisum dicit Scriptura divina, velut in quodam eruditionis loco, &, ut ita dixerim, adjutorio, vel schola animarum; in quo de omnibus his, quae in terris viderant, doceantur; judicia quoque quaedam accipiant de consequentibus, & futuris, sicut in hac quoque vita positi judicii quaedam futurorum, licet per speculum in aenigmate, tamen ex aliqua parte conceperant, quae manifestius & lucidius sanctis in suis locis & temporibus revelantur. Si quis sane mundus corde & purior mente fuerit, inde ad aëris locum ascendet, & ad coelorum regna perveniet. Iterum libro quarto Periarchon De loco animatum sanctarum, sed aliquando diversius mentionem faciens, inquit, QUI de hoc mundo, secundum communem istam mortem recedunt, pro actibus suis & meritis dispensantur, prout digni fuerint judicati, alii quidem in locum, qui dicitur infernus, alii in sinum Abrahae per diversas mansiones.

LACTANTIUS libro septimo Divinarum institutionum, capite vigesimo primo, NEC quisquam putet, animas post mortem protinus judicari: nam omnes in una communique custodia detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus judex meritorum faciat examen. Tunc quorum fuerit probata justitia, hi praemium immortalitatis accipient: quorum autem peccata & scelera detecta fuerint, non resurgent, sed cum impiis recondentur in easdem tenebras ad certa supplicia destinati.

VICTORINUS Martyr, Pitabionensis episcopus, in Commentariis Apocalypseos explicans illud, Vidi sub altare Dei, &c. animas autem occisorum, dicit Apoc. 6. 9.
se vidisse sub ara, id est, sub terra: ara enim & coelum, & terra dicitur; sicut lex ait, quae duas aras fecerat, auream intrinsecus, & aeream extrinsecus. Sicut ergo coelum intelligitur ara aurea, quae erat interior, ad quam sacerdotes Exo. 18. & 39. cap.
semel in anno introibant: sic & ara aerea terra intelligitur, sub qua est infernus, remota a poenis & ignibus regio, & requies sanctorum, in qua quidem ab impiis videntur, & audiuntur justi, & neque illuc transmeare possunt. Has ergo animas occisorum expetere vindictam sanguinis, id est, corporis sui, de habitantibus super terram voluit nos cognoscere, qui omnia videt: sed quia in novissimo tempore sanctorum remuneratio perpetua, & impiorum ventura est damnatio, dictum est eis, Expectate, & pro corporis sui solatio acceperunt (inquit) stolas albas, id est, donum Spiritus Sancti.

PRUDENTIUS in poëmatibus suis piorum animas, e corpore decedentes nunc in sinu Abrahae, nunc in paradiso terrestri, nunc sub altare Dei collocare videtur, sicut in hymno pro exequiis defunctorum facit, ubi hunc in modum canit:

Quanam regione jubebis
Animam requiescere puram?
Gremio senis abdita sancti.
Recubabit, ut est Eleazar:
Quem floribus undique septum
Dives procul aspicit ardens.
Sequimur tua dicta, redemptor,
Quibus atro morte triumphans,
Tua per vestigia mandas
Socium crucis ire latronem,
Patet ecce fidelibus ampli
Via lucida jam paradisi:
Licet & nemus illud adire
Homini, quod ademerat anguis.

Et in hymno decem & octo Martyrum Caesaraugustanorum, indicans, quo loco illa Martyrum turba quiescat, ait:

Haec sub altari sita sempiterno
Lapsibus nostris veniam precatur
Turba, quam servat procerum creatrix
Purpureorum.

AMBROSIUS,

AMBROSIUS, Mediolani episcopus, libro secundo de Cain & Abel, cap.2. SOLVITUR, inquit, a corpore anima, & post finem vitae hujus; adhuc tamen futuri judicii ambigua suspenditur. Et in libro De bono mortis cap. 10. scriptura Esdrae habitacula animarum promptuaria nuncupat; & occurrens querelae humanae, eo quod justi, qui praecesserunt, videntur usque ad diem judicii per plurimum scilicet temporis debita sibi remuneratione fraudari, mirabiliter ait, coronae esse similem diem judicii: coronae enim dies expectatur ab omnibus ut intra eundem diem & victi erubescant, & victores palmam adipiscantur victoriae: ergo dum expectatur plenitudo temporis, expectant animae remunerationem debitam: alias manet poena, alias gloria. Et paulo infra, in eodem capite locum, quem petunt omnes animae, corporibus exutae, appellat infernum, qui non videtur.

JOANNES CHRYSOSTOMUS homilia 39. in priorem ad Corinthios examinans vim illius Paulinae argumentationis, videlicet, si in hac vita tantum 1. Cor.15. 19 sperantes sumus; ergo miserabiliores sumus omnibus animantibus: inquit: QUID ais Paule? superestne fiducia sola, si corpus non excitetur? an non animus superstes erit? erit: & immortalis quidem: quanquam vero vel sexcenties sit, (ut sane est) immortalis; tamen sine carne ipsa admirandis illis bonis non fruetur, quemadmodum neque poenis punietur: omnia enim eorum tribunali Christi manifestabuntur (inquit Paulus) ut unusquisque ferat, quae per corpus seu bona, 2. Cor.5. 10. seu mala fecit: nam, si corpus non resurgat, anima nostra incoronata manebit, & extra coelestem beatitudinem erit. Sunt & aliae multae sententiae apud Chrysostomum huic affines, quae tibi occurrent, supra Annot. 264.

AUCTOR Operis imperfecti in Matth.hom.34.super illud, Erunt primi novis- Matth.19.30. simi, & novissimi primi, &c. ostendens, quod donarium aeternae beatitudinis omnes eodem tempore sint accepturi, sic ait: AUT ideo primos dicit novissimos futuros, & novissimos primos, non ut novissimi digniores sint, quam primi; sed ut coaequentur. Dicit enim propheta Esdras, volens omnium sanctorum unam ostendere vocationem, & nullam inter eos esse differentiam temporis causa, dicit omnium sanctorum numerum esse, quasi coronam. Sicut enim in corona, cum sit rotunda, nihil invenis, quod videatur esse initium, aut finis: sic inter sanctos, quantum ad tempus in illo saeculo, nemo novissimus dicitur, nemo primus. Ideo ergo quibus datum est primum nasci, novissime remunerantur, quia sancti quasi corona omnes aequales sunt: novissime nati, primi remunerantur; ut illi, illam gloriam habeotes, isti per hanc coaequentur.

AUGUSTINUS in enarratione Psalmi 36. ait: POST vitam istam nondum Matth.25.34. eris, ubi erunt sancti; quibus dicetur, Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Nondum ibi eris, quis nescit? Sed jam poteris ibi esse, ubi illum quondam ulcerosum pauperem dives ille superbus in mediis tormentis videt longe requiescientem: in illa requie certe securus expectabis judicii diem. Et lib. 12. De Genesi ad literam cap. 9. inquit: PARS illa civitatis Dei, quae conjungenda immortalibus angelis ex mortalibus hominibus congregatur, nunc vel mortaliter peregrinatur in terris; vel in eis, qui mortem obierunt, secretis animarum receptaculis, sedibusque requiescit. Alia Augustini loca, his consinia, recognosces supra Annotat. 169. libri quinti & alibi.

THEODORETUS, Cyrensis episcopus, in Commentariis undecimi capitis ad Hebr. SANCTORUM, ait, ergo tot & tanta fuerunt certamina: sed hi tamen nondum coronas acceperunt. Expectat enim universorum Deus aliorum certamina; ut, soluto stadio, omnes, qui victoriam fuerint consecuti, simul victores pronunciet, & remuneret.

ARETHAS, Caesareae episcopus, In Commentariis Apocalypseos, collectis ex Andreae Caesariensis episcopi monumentis, dum exponeret illud, Usque- Apoc.6. 10. quo Domine non vindicas sanguinem nostrum, &c. ait: PER haec apparent sancti petere mundi consummationem: ideo longanimiter expectare jubentur usque ad consummationem fratrum, ne absque ipsis consummentur, juxta divinum Apostolum.

Apostolum. Albae autem stolae florentem in ipsis virtutum splendorem designant, quo induti sunt, quanquam promissiones nondum reportarunt. Horum igitur spe, quae per intellectum, veluti in speculo contemplatur, omni cratitie liberati merito laetantur quiescentes in finibus Abraham: nam id a multis sanctis dictum est, unumquenque virtutis cultorem fortitum esse dignum locum, unde etiam de futura sua gloria certam quandam assequatur conjecturam.

OECUMENIUS in undecimum caput epistolae ad Hebraeos, OMNES, inquit, sancti testimonium promereri, quod per fidem Deo placuerunt, nondum consecuti sunt bona justis promissa, Deo de nobis melius providente, ne illi aliquid amplius, quam nos, haberent in eo, quod priores coronati essent, unum definivit tempus, ut & nos cum ipsis coronemur. Hoc autem pro nobis est: illi nunquam sedent irremunerati nostram expectantes administrationem, (Ne sine nobis consumarentur) non dixit, Coronarentur; sed, quod majorem habet emphasim, Consumarentur, hoc est, acciperent terminum bonorum, pro quo laborat omnis conatus & fatigatio ejus, qui virtute praeditus est.

THEOPHYLACTUS, Bulgariae episcopus, ad Hebraeos undecimo, SANCTI, ait, nihil adhuc coelestium promissionum sunt assecuri, tametsi fuisse constat nonnullos, ut Davidem regem, his terrae bonis affectos: haud tamen praesentia haec ipsi inquirimus, sed quae in coelo sunt certiores & veraciores promissiones. Hoc idem habet in commentariis super 23. caput Lucae, exponens illud, Hodie mecum eris in Paradiso. Vide supra Annotatione 163. libri hujus.

EUTHYMIUS Zigabonus in commentariis 23. capituli super Lucam, differens promissionem Christi ad Latronem, Hodie mecum eris in Paradiso, haec scripsit; CHRISTUS, sciens Latronis intentionem, promisit, quod illi optatissimum videbatur. Noverat enim latro Paradisum e doctrina Mosaica, & tunc quidem dedit ei conversationem in Paradiso, tanquam arrhabonem regni sui, quod est fruitio ineffabilium ac aeternorum bonorum; quae oculus non vidit, nec auris audivit; nec in cor hominis ascenderunt. Nondum enim quisquam justorum accepit promissionem, veluti magnus docuit Paulus: postmodum vero & hoc tradet regnum tempore universalis resurrectionis. Luc. 23. 43.

JOANNES, Romanus Pontifex, ejus nominis vigesimus secundus, horum sententiae dicitur subscripsisse, & decreto sancivisse sic esse credendum: testes sunt hujus decreti Guillelmus Ochan in opere nonaginta trium dierum, & Hadrianus Papa Sextus, cujus verba in 4. libro Sententiarum, in fine quaestionis De sacramento confirmationis haec sunt: NOVISSIME fertur de Joanne 22. quod publice docuit, declaravit, & ab omnibus teneri mandavit, quod animae purgarae ante finale judicium non habent stolam, quae est clara & facialis visio Dei: & universitatem Parisiensem ad hoc induxisse dicitur, quod nemo in ea poterat gradum in theologia adipisci, nisi primitus hunc errorem jurasset se defensurum, & perpetuo ei adhaesurum.

HAEC Patrum testimonia, si juxta simplicem verborum prolationem inspiciantur, praeseferre videntur Armenorum errorem, damnatum decretalibus epistolis Innocentii Tertii, & Benedicti Undecimi, Romanorum Pontificum, & Oecumenicae Synodi Florentinae decreto; cujus haec verba sunt: DEFINIMUS illorum animas, qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutae corporibus, prout superius dictum est, sunt purgarae, in coelum mox recipi, & intueri clare ipsum Dominum trinum & unum, sicuti est; pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius: illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.

HACTENUS Concilii decretum: ad cujus definitionem facile reducere poteris nonnullas ex praepositis Patrum sententiis, si animadvertas, beatorum, divina visione fruentium, duos esse beatitudinis status: unum animae sine corpore usque ad universale judicium; quem veteres variis nominibus describentes, appellarunt Sinum Abrahae, Paradisum primis parentibus ademptum, Altare exterius, Sub altare Dei, Sanctorum vestibulum, Atria Dei, Promptuaria animarum, Abdita Beatorum duplex est beatitudinis status.

dita receptacula, Animarum custodiam, Securitatis requiem, Arrhabonem regni, Stolam albam, Adeptas repromissiones, & alia hujusmodi. Alterum vero esse statum animae resumpto corpore post judicium; quem similiter diversis appellationibus nuncuparunt Domum Dei, Altare interius, Super altare, Sublimiora coelorum, Consummationem gloriae, Resurrectionis gloriam, Perfectam laetitiam, Immortalitatis praemium, Bonorum omnium terminum, Integra meritorum praemia, Expectatam adhuc mercedem, Nondum acceptas repromissiones, Futuram gloriam, Coronarum tempus, Fruitionis regnum, & caetera his similia. Proinde cum apud priscos ecclesiae Doctores legis justorum animas vivere, aut in sinu Abrahae, aut in Paradisi nemore, aut sub altare Dei, aut in abditis receptaculis, ibique expectare futurae gloriae praemia; non statim suspiceris animas sanctorum carere divini intuitus gloria: sed intellige eas nondum potiri perfecta & consummata illa foelicitate, quam post corporis resurrectionem expectant. Ita enim & nos interpretati sumus Ambrosii, Augustini, & Chrysostomi sententias, quas superius habes Annot.64. & 169. libri quinti, & 264. libri hujus, & alibi. Quod si qua sint sanctorum auctorum dicta, quae nequeant hujusmodi interpretationem pati: memineris saltem, hunc errorem nihil officere eruditioni & pietati tam illustrium Patrum, cum ecclesia illorum temporibus nondum aliquid certi in hoc articulo statuisset credendum.

DEMUM, ne quid scrupuli in animo tuo resideat ob decretum Joannis Papae XXII. quem supra memoravimus huic errori assensisse, scito non esse apud probatos Scriptores undequaque certum, quod Ochan, eidem Pontifici infensus, & in hoc a Tridentino concilio damnatus, de eo scripsit. Imo non desunt summae auctoritatis ac fidei auctores diversum narrantes: in his Benedictus XI. ejusdem nominis Pontifex, in decretali sua epistola memoriae prodidit, eum nihil de hac re potuisse decernere morte praeventum, sic loquens: DUDUM tempore foelicis recordationis Joannis XXII. praedecessoris nostri inter nonnullos etiam theologicae facultatis magistros, super visione animarum justorum hominum post mortem suam, an divinam essentiam videant ante judicium generale, & super nonnullis aliis orta est materia quaestionis: cumque idem praecessor noster ad decisionem concertationum hujusmodi se pararet, in suo consistorio publico, tam fratribus suis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, quam praelatis & magistris in theologia, qui multi aderant praesentes, injungendo districtius, ut super materia de visione praedicta deliberate unusquisque diceret, quod sentiret: tamen morte praeventus, sicut Domino placuit, illud perficere nequivit.

Vindicatur Johan. XXII. R P contra Okamum.

ANNOTATIO CCCXLVI.

Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus M. CC. LX. amicti saccis. Apocal. 11. a

Jeremias an sit mortuus.

VICTORINUS Martyr, in Commentariis hujus libri, haec dilucidans affirmat, Jeremiam Prophetam, nondum mortuum, in Paradiso vivere, ut inde in fine saeculi veniat praedicaturus poenitentiam, & ab Antichristo occidendus. Verba ejus haec sunt: MULTI putant, unum ex his testibus esse Heliam, aut Helisaeum, aut Mosem: sed utrique mortui sunt. Jeremiae autem mors non invenitur, quia omnes veteres nostri tradiderunt, illum esse Jeremiam. Nam & ipsum verbum, quod factum est ad eum, testificatur, ei dicens: Prius, quam figurarem te in ventre, cognovi te; & prius, quam de vulva procederes, sanctificavi te, & Prophetam in gentibus posui te. In gentibus autem Propheta non fuit: & ideo verbum Domini verax necesse habet, quod promisit exhibere, ut in gentibus Propheta sit. Damnat hanc opinionem Hilarius canone in Matthaeum 20. & frivola est Victorini conjectura. Quod enim ait Deus, Prophetam in gentibus posui te, non sic accipiendum est, quasi eum Deus missurus esset extra Judaeam ad prophetandum & praedicandum in regiones gentium; sed quod de gentium factis prophetare deberet. Praedixit enim Assyriorum victorias adversus Israël, & ipsorum quoque Regni excidium.

Jerem. 1. a

AN-

ANNOTATIO CCCXLVII.

Beatus, qui habet partem in resurrectione prima: in his erunt sacerdotes Dei, & Christi: & regnabunt cum illo mille annis. Apoc.20.b

VICTORINUS Pitabionensis, haec in Commentariis Apocalypseos exponens, creditur approbasse errorem Chiliastarum: qui ajunt, duas futuras esse carnis resurrectiones, primam bonorum, secundam vero malorum post mille annos, Christum vero a prima usque ad secundam resurrectionem mansurum in terris, ibique per mille annos cum sanctis & electis suis regnaturum in maxima pace, affluente undique incredibili omnium terrestrium deliciarum foelicitate. Tribuit hoc illi D.Hieronymus variis in locis, praecipue vero in Praefatiuncula quadam, quam Commentariis in Apocalypsin hujus Auctoris affixit, ubi sic ad Anatolium scripsit: DIVERSOS marina discrimina transvadantes inveniunt casus: si turba ventorum fuerit vehementior; formido est: si terga jacentis elementi moderatior crispaverit aura; pertimescunt insidias: ita mihi in hoc videtur, quod misisti volumine, quod in Apocalypsin explanationem videtur continere Victorini: & est periculosum, & obtrectatorum latratibus patens de egregii viri Opusculis judicare. Nam & anterior Papias Hierapolites episcopus, & Nepos in Aegypti partibus episcopus, de mille annorum regno ita, ut Victorinus, senserunt. Haec Hieronymus: qui in Praefatione libri in Esaiam 18.& libro in Jeremiam 4.refert Irenaeum Lugdunensem episcopum, Tertullianum, Lactantium, Apollinarium, Severum Sulpicium, magnamque Catholicorum hominum multitudinem fuisse in opinione Victorini: in qua etiam comperio fuisse Justinum philosophum & Martyrem, qui in disputatione, cum Triphone habita, plura scribit de instauratione terrestris Hierusalem, & de seculo mille annorum: quae brevitati studens praetereo.


An duae futurae sint resurrectiones, & an res mille annorum inter utramque aetas.

CAETERUM quod ad Victorini sententiam attinet, cum ipse Commentariolum, qui nunc in Apocalypsin ejus nomine circumfertur, semel atque iterum ad perquirendum hunc errorem pertinaciter evoluissem, tantum abest, ut, quod ei impingit Hieronymus, invenerim, ut etiam in fine Opusculi inciderim in apertam erroris hujus confutationem; in qua cum Auctor propositum Joannis caput Catholice disseruisset; demum Commentarium suum conclusit his verbis: ERGO audiendi non sunt,qui mille annorum regnum terrenum esse confirmant, qui cum Cerintho haeretico sentiunt. Verisimile est, aut Opus non esse Victorini, & ementitam esse Praefationem sub Hieronymi titulo volumini praefixam, aut inde vel a Hieronymo, vel ab alio amico Lectore sublatam esse absurdam Victorini explanationem, & in locum ipsius eam, quae nunc habetur, repositam. SED utcunque id acciderit, apparet hos gravissimos viros fuisse deceptos ex superioribus Apocalypseos verbis a se perperam intellectis; in quibus de gemina resurrectione, & mille inter utranque annis sic legitur: VIDI animas decollatorum propter sermonem Dei, & vixerunt, & regnaverunt cum Christo mille annis: caeteri vero mortui non vixerunt; donec consummentur mille anni. Haec est resurrectio prima. Beatus, qui habet partem in resurrectione prima: in his non habet potestatem secunda mors: sed erunt sacerdotes Dei, & Christi; & regnabunt cum eo mille annis. Et post mille annos solvetur Satanas, &c. Et vidi mortuos stantes in conspectu throni: & judicati sunt mortui secundum opera ipsorum, &c. Et haec est secunda mors, &c. Horum verborum obscuritas, quae tot tantisque viris praebuit errandi occasionem, clarissima luce illustrabitur, si observemus illa tria hic commemorata, scilicet duplicem mortem, duplicem resurrectionem, & mille annorum spacium. Est itaque prima mors separatio divinae gratiae ab anima per peccatum: secunda mors exclusio animae a vita sempiternae foelicitatis, & ad perpetua supplicia damnatio. Resurrectio prima est transitus a morte peccati ad vitam gratiae, & a vita gratiae ad vitam illius gloriae; qua animae, corporibus exutae, potiuntur usque ad diem judicii. Secunda resurrectio est universalis illa totius humanae carnis reformatio, in qua animae, resumptis corporibus, geni-

Apoc.20.4. & sequ.

nata foelicitatis laetitia perfruentur. Mille annorum spacium, quod saepe in Sacris literis pro indefinita numeri multitudine accipitur, tempus est Evangelicae gratiae a Christi resurrectione usque ad diem ultimae resurrectionis. Sensus igitur hujusce revelationis est: Sanctorum animas per mille annos, hoc est, usque ad diem judicii regnaturas cum Deo in prima resurrectione, videlicet in visione divinae gloriae, nondum receptis propriis corporibus, neque fore obnoxias morti secundae, quae sempiterna supplicia secum affert: demum vero in secunda universali resurrectione una cum omnibus mortalibus in conspectu throni judicandas: & tunc, expleto judicio, Sanctorum animae, suis indutae corporibus, conduplicatam beatitudinem accipient: improbi vero, in quibus prima resurrectio gratiae & gloriae locum non habuit, secunda morte, id est, perpetuis inferorum tormentis punientur. Huc spectant, quae supra copiose scripsimus Annot. 233. libri quinti. (a)

LIBRI SEXTI FINIS.



(a) Adversus somniatam auream aetatem, ac millenum Regnum post universalem corporum resurrectionem, necnon contra retardatam Justorum beatitudinem, cum plures, iique eruditi, scripserint ad catholici dogmatis firmitatem, praeceteris tamen rem totam ad umbelicum usque perduxit Cl. Ludovicus Antonius Muratorius Serenissimi Ducis Mutinae Bibliothecae Praefectus, vir de litteraria Republica optime meritus, quem nulla non suspiciet aetas, in libro, cui titulum inscripsit *De Paradiso, Regnique coelestis gloria non exspectata corporum resurrectione Justis a Deo conlata, adversus Thomae Burneti Britanni librum de Statu Mortuorum.* Quapropter satis superque erit Illum consulere ad rectum examen sententiarum Ecclesiae Patrum, nec non ad cognitionem veritatis ab eisdem Patribus dilucide traditae, atque ad omnem veritatis ac eruditionis notitiam capessendam.

FR. SIXTI

FR. SIXTI SENENSIS
EX
ORDINE PRAEDICATORUM,
DE HIS, QUI NOVI TESTAMENTI VOLUMINA OPPUGNARUNT, SIVE ADVERSUS NOVAE SCRIPTURAE DESTRUCTORES,
BIBLIOTHECAE SANCTAE
LIBER SEPTIMUS.

PRAEFATIO.

CUM superioribus Libris digesserim labores, ac monumenta omnia, quibus illustres ecclesiae Scriptores sanctas beatae Scripturae literas illustrarunt; visum est duobus sequentibus libris eorum, qui ab ascensione Christi usque in hanc diem Sacrorum voluminum gloriam obscurare tentarunt, errores & haereses in medium deductas confutare, & ipsorum impios in sancta scripta conatus, divina favente gratia, evertere. Caeterum cum ipse perexiguas vires meas designato labori longe impares animadverterim; existimavi non meis, sed majoribus, multoque validioribus praesidiis rem aggredi: proinde ex variis veterum ecclesiae Patrum scriptis, collegi primum criminationes, argumentationes, ac fallaces objectiones, quibus varii sub diversis saeculis haeretici, divinos utriusque Testamenti libros hostiliter insectati sunt, moxque ad singula haereticorum objecta, Patrum responsiones, solutiones, confutationesque subjeci. Et in his colligendis, ubicunque potui, & quantum potui, ipsa Auctorum verba, dicta, & integras sententias, ac periodos, summa cum fide, & integritate congessi; apponens, aut intra contextum Scripturae, aut extra in marginibus e regione cujusque sententiae, non solum Auctorum nomina, sed & titulos librorum, & capita, numeratim citans: ut quicquid ex unoquoque auctoris Opere, & ex quo loco desumptum esset, clarius, ac veluti digito indicante denotatem. In his autem, quorum confutationes in monumentis ecclesiasticorum Patrum invenire non valui, nonnulla ex tenui paupertate mea utcunque supplere tentavi, & quo singula forent magis dilucida, atque perspicua, primo loco defensionem Novi testamenti in hoc septimo Volumine suscepi, Veteris instrumenti Apologiam in octavum Volumen de industria reservans. Nam etsi Novi instrumenti scripta temporum successione, ac rerum gestarum ordine Veteri instrumento posteriora sint; ab ipsis tamen auspicandum censui, tanquam ab his, quae doctrinae ordine, & demonstrationum constantia, & subjectae narrationis praestantia, omnes antiqui Testamenti libros longe antecedunt.

IN singulis autem refellendis haeresibus hunc potissimum ordinem sequar: primum pravas, ac perniciosas haereticorum assertiones, indicatis earundem assertorum nominibus, quambrevissime proponam: deinde adhibitis, pro Catholica veritate veterum Patrum rationibus, & iisdem divinae Scripturae testimoniis, quae haeretici, ut incerta & indubitata, accipiunt, propositas assertiones ab ipsis, ut dicitur, fundamentis evertam: tertio loco dolosa haereticorum argumenta, juxta numerorum seriem in medium adducam: postremo ipsorum argumentatio-

nes, repetita eadem numerorum conſequentia diſſolvam, & omnes eorum impetus, Deo favente, proſternam. His igitur in hunc modum diſpoſitis, riteque, ut arbitror, paratis, reliquum eſt, ut, divina opitulante gratia, in campum deſcendam,& cum impiis Novi teſtamenti deſtructoribus manus conſerere incipiam.

HAERESEON, QUAE HOC SEPTIMO LIBRO CONFUTANTUR, CATALOGUS.

DE NOVO TESTAMENTO IN UNIVERSALI HAERESIS PRIMA.

CUM Novum teſtamentum ab Apoſtolis Chriſti non fuerit ſcriptum, non opus eſt, omnia, quae in eo continentur, credere, ſed quaedam ex his accipere, quaedam vero a falſatiis fallaciter inducta, rejicere.

ASSERTORES HUJUS HAERESEOS.

Auguſtinus lib 33 contra Fauſt. cap. 1.

PRAECIPUA Manichaeorum haereſis haec eſt, quam Fauſtus, Manichaeorum epiſcopus, acriter caeteris Manichaeis defendit: de qua ſic apud Auguſtinum ipſemet loquitur: NOVUM teſtamentum nec a Chriſto ſcriptum fuiſſe conſtat, nec ab ejus Apoſtolis, ſed longo poſt tempore a quibuſdam incerti nominis viris, qui, ne ſibi non haberetur fides ſcribentibus, quae neſcirent, partim Apoſtolorum nomine, partim eorum, qui Apoſtolos ſecuti viderentur, ſcriptorum ſuorum frontibus indiderunt, aſſeverantes ſecundum eos ſcripſiſſe quae ſcripſerint. Et

Auguſt. li. 33. cont. Fauſtum cap. 3.

alio libro apud eundem Auguſtinum adhuc clarius: MULTA, ait, a majoribus veſtris eloquiis Domini noſtri inſerta verba ſunt, & quae nomine ſignata ipſius, cum ejus fide non congruant, nec a Chriſto, nec ab Apoſtolis, ſcripta, ſed multo poſt eorum aſſumptionem, a neſcio quibus, & ipſis inter ſe diſcordantibus ſemijudaeis per famas, opinioneſque comperta ſunt; qui tamen omnia eadem in Apoſtolorum conſerentes nomina, vel eorum, qui ſecuti Apoſtolos viderentur, errores & mendacia ſua ſecundum eos, ſe ſcripſiſſe mentiti ſunt. Quae autem eſſent illa falſo in Novum teſtamentum immiſſa, & a Manichaeis repudiata, idem

Auguſt. li 33. cont. Fauſtum cap. 7.

Fauſtus multis in locis docuit, aſſerens duo genera mendaciorum fuiſſe novo teſtamento inſerta: primo, omnia teſtimonia veteris teſtamenti, quae in novo teſtamento inveniuntur: ſecundo, omnes eas ſcripturas, in quibus Chriſtum vere fuiſſe hominem, ac vere humana perpeſſum legeretur. His duobus excluſis, caetera, quae ad divinitatem Chriſti pertinebant, Manichaei libenter accipiebant,

Helvidius ruſticanus homo circa An. 380. Romae vixit.

& veriſſima eſſe fatebantur. Helvidius quoque iiſdem temporibus Graeca novi teſtamenti exemplaria eſſe multis in locis falſata, affirmavit: ut Divus Hieronymus in libro, quem adverſus illum conſcripſit, teſtatum reliquit. Temporibus autem

Anabapiſtarum ſecta, Nicolao Storkio Sileſio An. 1523. excita eſt.

noſtris, quibus omnia revocantur in dubium, execrabiles Anabapiſtae, ac Servetani, hunc jam toties profligatum errorem magno eccleſiae malo inſtaurarunt, fatentes quidem libros aliquos novi teſtamenti ab Apoſtolis ſcriptos, ſed poſtea ab haereticis falſatos, ac multis erroribus contaminatos fuiſſe, ſemperque eoſdem errores uſque ad hanc diem in novo teſtamento perduraſſe.

IMPUGNATIO.

INTER nefarias ac pernicioſas haereſes, quae hoc noſtro ſaeculo Anabaptiſtarum

starom opera revixerunt, oulla certe pestilentior est quam ista. Cum enim omnes aliae haereses ex sacris literis confutari possint, sola haec armis sanctae Scripturae superari non potest. Quicquid enim de sacris Scripturis ad probandam sacrorum voluminum sinceritatem a Catholicis inductum fuerit, statim haeretici respondebunt, illud, neque a Christo, neque ab Apostolis, dictum, sed a falsariis & corruptoribus sub eorum oomine scriptum. Caeterum, quamvis detestabilis haec haeresis sanctae Scripturae armis vinci nequeat, facile tamen aliis viribus expugnari potest, videlicet sanctorum Patrum, sacrorum Coociliorum, & Apostolicae ecclesiae, auctoritate. Haec est eoim, ut Augustinus ait, unica & sola religionis machina, quae cunctas haereses semel abolevit, auxilio Christi, qui ei pollicitus est: EGO vobiscum sum usque ad coosumationem saeculi. Ex hujus itaque Matth.28.20. Catholicae ecclesiae auctoritate deductis argumentis.

1. PRIMUM contra Faustum evidentissime demonstratur, Apostolos fuisse Novi testamenti auctores, consentiente in hoc contiouata omoium Apostolicatum Ecclesiarum successiooe: quae successionis regula, ut Augustino placet, non solum in Sacris libris dijudicandis, sed etiam in dignoscendis saecularium Scripturatum auctoribus; servari solet: UNDE enim, inquit Augustious, constat eos, qui August. li 33. contra Faust. cap.6. nunc habentur, Hippocratis nobilissimi medici esse libros, nisi quia sic eos ab ipso Hippocratis tempore usque ad hoc tempus successionis series ita commendavit, ut de his dubitare dementis sit? Platonis item, Aristotelis, Ciceroois, Varronis, aliorumque ejusmodi auctorum libros, unde noverunt homines, quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibimet succedeotium contestatione continua? Quare si quaeratur a nobis: unde sciamus, Apostolorum esse istas literas? breviter respondemus; Ex fundatissima ecclesiae attestatione, a temporibus Apostolorum usque ad haec tempora, certis successinoibus producta; quae novum testamentum, ab Apostolis, & Evangelistis, scriptum semper credidit, & credendum proposuit.

2. DEINDE, quod libri testamenti novi falsati, corruptique minime sint, eadem semper, & in eundem modum continuata ejus io ecclesia lectio ostendit: quo argumeoto Augustinus in lib. De utilitate credeodi utitur, inquiens: NULLIS in tam recenti memoria extantibus exemplaribus convioci potest, divinas Augustin de utilit creden-di cap.3. Scripturas esse falsatas. Nam si de novo testamento loquamur, eodem modo citant, & legunt, Irenaeus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus, atque alii Patres, qui per temporum sibi invicem succedentium setiem in ecclesia secuti sunt. Simul autem omnes istos fuisse deceptos, atque una cum his universam ecclesiae catholicae successionem per tot annos fuisse delusam, ut pro incontaminatis corrupta falsataque legerit, quis unquam, nisi ex toto impius, dixerit?

3. AD hoc etiam accedit, tam dignitas ecclesiae, quam meritum, cui cum August. li.33. contra Faust. cap.6. summa veritas Christus promiserit, se perpetuo cum ipsa futurum, credendum non est, ut ooluerit sponsae suae cooservare scripturas ejus iotactas, & io- Matth.28.20. violatas: cum id tam multis gentium scripturis concesserit, ut ioviolatae servarentur. Quis enim tanto furore caecatur, nisi daemoniorum meodacium malitia, atque fallacia consentiendo subversus sit, qui dicat, hoc mereri non potuisse Apostolorum ecclesiam, tam fidam, tam oumerosam fratrum concordiam, ut eorum scripta fideliter ad posteros trajicerent: cum eorom cathedras usque ad praesentes episcopos certissima successione servaret: & cum hoc qualiumcunque hominum scriptis, sive extra ecclesiam, sive in ipsa ecclesia, tanta foelicitate proveniat?

4. PRAETEREA siquid quantumvis mioimum in oovo testamento falsatum esse dicatur, omnis oovi instrumenti fides, auctoritasque adimitur. Sicut eoim de corruptione partis unius suspicari licebit, ita & de caeteris ejus partibus opinari licebit: cum nulla potior causa sit, cur haec magis pars, quam illa incontaminata servari debuerit. Unde Augustinus ad Hieronymum scribens: MIHI, inquit, Augustin ad Hieron epist. 8. nunc ord. 28. videtur exitiosissime credi aliquod in sanctis literis haberi mendacium, id est, eos homines, per quos illae scriptae sunt, aliquid fuisse mentitos; quia admisso semel in tantae auctoritatis fastigium aliquo officioso mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, quae noo, ut cuique videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad

fidem

fidem incredibilis, eadem peroiciosissima regula ad mentientis auctoris consilium, officiumque referatur.

5. SED non solum omnis sanctae Scripturae auctoritas abrogatur, si vel nomeo Scriptoris, vel Scripturae contextus falsata credantur, verum & omnes omnium gentium scripturae de auctoribus suis, & de rebus in eis exaratis, dubiae, incertae, ac falsitatis & meodacii suspectae, reddentur. Quae enim literae ullum unquam habebunt pondus auctoritatis, si Evangelicae, si Apostolicae non habebunt? de quonam libro certum erit, cujus sit, si literae, quas Apostolorum dicit, ac tenet ecclesia ab ipsis Apostolis propagata, & per omnes geotes tanta eminentia declarata, utrum Apostolorum sint, incertum sit?

Auguft. li. 33. contra Fauft. cap. 6.

6. AD haec, si cuique pro sua libidine liceat, quaecunque voluerit ex novo testamento, vel probare, vel rejicere, non solum Scripturae omnes, tam divinae, quam humanae, sed etiam omnis oostra fides, subverteretur: fides namque nostra non erit amplius fides, quae scilicet captivato intellectu, & abnegato humanae rationis, & carnalis prudentiae judicio, se totam divinis verbis & ecclesiae auctoritati committit: sed inanis quaedam propriae phantasiae conjectura, ac stulta quaedam opinio, ex caligioosis caecae rationis nostrae teoebris emergens, credemusque sanctis Scripturis, non propter venerandam earum auctoritatem, sed propter stultam vesanae rationis nostrae persuasionem; quod adeo apud fidelem hominem absurdum esse debet, ut nihil absurdius. Unde Augustinus absurditatis hujus deformitatem Manichaeis objiciens: VIDETIS ergo, inquit, id vos agere, ut omnis de medio Scripturarum auferatur auctoritas, ut suus cuique animus auctor sit, quid in quaque Scriptura probet, quid improbet, id est, ut non auctoritati Scripturarum subjiciatur ad fidem, sed sibi Scripturas ipse subjiciat, non ut ideo illi placeat aliquid, quia hoc in sublimi auctoritate scriptum legitur, sed ideo recte scriptum videatur; quia illi placuit.

Auguft. cont. Fauft. lib. 32. cap. 19.

7. TANDEM haeretici dum nimium dogmatibus nostris evertendis instant, ipsi seipsos proprio impulsu praecipitant, atque cunctas ipsorum Scripturas, omnesque suas ipsorum haereses penitus destruunt. Si enim falsati sunt, ac fide carent codices nostri Evangelici, qui ab ipsius praesentiae Christi temporibus, per dispensationes Apostolorum, & caeteras ab eorum sedibus episcoporum successiones usque ad haec tempora toto orbe terrarum custoditi commendati ac clarificati pervenerunt, quomodo furtivi haereticorum codices, nuper ab ipsis in latibulis suis excusi, fidem ullam apud homines invenire poterunt? Deinde, si falsatae sunt evangelicae nostrae Scripturae, unde, miseri, & infoelices, perversa vestra dogmata probabitis, & unde asseretis ea, quae dicitis? Respondebitis: ex Evangelio vos probare. Ex quo evangelio? Quod non totum accipitis, quod falsatum esse vos dicitis. Quis enim testem suum prius ipse dicat falsitate esse corruptum, & tunc producat ad testimonium? Si enim quod vultis, ei credimus, & quod non vultis, ei non credimus, jam non illi, sed vobis credimus. Si autem vobis credere vellemus, testem a vobis non exigeremus. Igitur aut cogimini codices illos veraces confiteri, si vultis haereses vestras de eorum auctoritate firmare, aut fallaces illos affirmare; & tunc omnes haereses vestras evertistis.

Auguft. li. 33. contra Fauft. cap. 9.

Auguft. li. 32. contra Fauft. cap. 16.

OBJECTIONES HAERETICORUM.

1. PRIMUM Scripturae novi testamenti adeo sunt inter se dissonantes, ac variae, tantisque contrarietatibus narrationum, simul ac sententiarum refertae, ut, nec altera alteri, nec eaedem sibi ipsis, conveniant; quae si Apostolis attribuuntur, quid aliud est quam calumniari bonos, & concordem Christi discipulorum caetum in crimen devocare discordiae? Quod autem Matthaeus, Marcus, Lucas, & Joannes, cum caeteris Apostolis, atque inter seipsos pugnent, facile per seipsum cognoscet, quicunque quatuor Evangelistarum historias invicem contulerit, & nos quoque idipsum ostendemus, cum particulariter de unaquaque ipsorum historia loquemur.

Ex Auguftin. lib 32 contr. Fauft. cap. 2.

2. QUOD autem liceat nobis in novo testamento quaedam accipere, & credere, quaedam vero nec accipere, neque credere, exemplo vestro monstramus; qui cum de veteri testamento tam multa non accipiatis, & ea, ut fide indigna, abjicienda

Ex Auguftin. lib 32 contr. Fauft. c. 3. & 1.

abjicienda puteris; monetis nos, ut juxta eandem regulam, idem similiter in novo testamento faciamus. Quomodo enim vultis nos cogere, ut omnia, quae novi testamenti monumentis inserta sunt, accipiamus, cum vos tanta de veteri testamento non creditis, nec accipitis, quem tamen sanctitate parem novo testamento affirmatis? Neque enim creditis, quod in veteri testamento dicitur, videlicet: cum maledictum esse, qui non suscitaverit semen in Israël; quia id virgines quoque omnes comprehendat; aut funditus interiturum eum de genere suo, qui non fuerit carnem praeputii circumcisus; quia hoc quoque ad omnem pertineat Christianum; aut lapidibus extinguendum eum, qui solverit sabbatum; aut non parcendum ei, qui unum quodlibet testamenti veteris mandatum ruperit; aut sacrificiis (ceu Mosi videtur) litationibus, & immolationibus placandum Deum; aut Pascha cum agno, & azymorum esu celebrandum, & diebus septem a fermento cavendum, aut a cibis in lege prohibitis non esse abstinendum. Quae quidem, cum a vobis, quia ea non observatis, minime credantur, sed tanquam aliena, & procul a ritu Christiano, & nulla ex parte credenda, observandaque repudientur, cur idem nobis in novo testamento facere non liceat? praesertim vero in his, quae nec scribentium gravitati, nec fidei Christianae conveniunt, sed evangelii decorem, & gratiam ipsius decolorant, & honorem, ac laudem majestatis Christi diminuunt, veluti, Christum natum ex foemina turpiter, circumcisum Judaïce, sacrificasse gentiliter, baptizatum humiliter, circumductum a diabolo per deserta, & ab eo tentatum quam miserrime. Quae omnia tanquam a rudibus imprudenter scripta, vel ab hostibus inique inserta merito rejicienda putamus.

Deut.25. 10. Genes.17. 14. Num.15. 35. Num.15. 32. Exod. cap.12.

3. REJICIMUS etiam hac eadem de causa omnia prophetarum, ac veteris legis testimonia, quae in novo testamento inveniuntur, non solum quia falso, ac perperam novo testamento inserta sunt, sed quia superfluo, & praeter rem inducta sunt, & ad suspicionem magis quam fidem lectorem inducant; quasi non satis sint ad evangelii auctoritatem confirmandam stabiliendamque, filii Dei majestas, auctoritas, testimonia operum ejus, ac miracula; sed adeo invalida, atque infirma sint argumenta haec, ut his abjectis, necesse sit hinc inde peregrinos testes accire, & a Judaeis etiam nostris hostibus pro evangelii stabilitate firmanda, dubia, incerta, & suspecta inimicorum nostrorum testimonia mendicare. Haec Faustus.

August. cont. Faust. lib.12. c. 9. & lib.32. cap.7.

4. ANABAPTISTAE vero, tam Latinos, quam Graecos novi testamenti codices, etiam eos, quibus Catholica utebatur ecclesia, olim fuisse falsatos, ex testimoniis multorum Patrum ostendere nituntur, ac primum de falsatis Latinorum exemplaribus: Ambrosius, inquiunt, inducens contra haereticos testimonium illud Pauli: Spiritu Dei servimus, sic ait: QUOD si quis de Latinorum codicum varietate contendit, quorum aliquos perfidi falsaverunt, Graecos inspiciant codices, & advertant quod scriptum est, οἱ πνεύματι θεῷ λατρεύοντες. Hieronymus vero in Praefatione quatuor Evangeliorum ad Damasum asserit, summam varietatem in Latinis exemplaribus inveniri, ac tot esse Latina exemplaria, quot codices; addens, novum testamentum, in nostro sermone discordare, ac proinde se velle novum testamentum ad Graecam veritatem corrigere, & in eo emendare quaecunque, vel a vitiosis interpretibus male essent edita, vel a praesumptoribus imperitis emendata perversius, vel a librariis dormitantibus, aut addita fuerunt, aut mutata. Sed quonam modo Hieronymus novum testamentum Latinum integritati suae restituere potuerit, facta collatione ad Graecos codices, non apparet, cum Graeci codices aetate sua fuerint multo depravatiores quam Latini, ac multo diversiores, sicut ipsemet super quinto ad Galatas cap. fatetur; & in Praefatione Pentateuchi scribit, emendatiora esse Latina exemplaria quam Graeca. Et divus Ambrosius in expositione quinti capitis epistolae ad Rom. de diversitate & discrepantia Graecorum exemplarium loquens: GRAECI, inquit, diversos habent codices, qui ob studium contentionis a se invicem discrepant. Quam quidem discrepantiam Graecorum codicum, ostendit ipsa Hieronymi translatio, quam nunc habet ecclesia, quae cum in multis (ut palam est) discordet a veritate Graecorum codicum, quos nunc tenet ecclesia, reliquum est, vel Hieronymum non vertisse fideliter novum testamentum, vel si fideliter vertit, illum habuisse alia Graeca exemplaria, maxime ab istis diversa, quae tum in ecclesia tanquam syncera,

Ambrosius lib. de Spiritu Sancto. Philip.3. a

Non est Ambrosius, sed Hilarius Sardus, de quo saepius.

cera, & incontaminata legerentur; & ex illis, ceu de vero fonte, novum testamentum vertisse, rejectis codicibus illis Graecis, qui nunc inveniuntur, tanquam viriatis ac minime integris. Nec desunt, qui existiment Graecos codices, quos nunc habemus, fuisse vitiatos a Graecis, postquam se ob suas contentiones ab ecclesia Romana separaverunt. Nos tamen scimus etiam longe ante istas Graecae, ac Latinae ecclesiae discordias, usque ad Origenis tempora Graecos codices novi testamenti multum inter se discrepasse: & ipsum Origenem, quamvis sedulo laborantem, dissensionem illam in concordiam redigere non potuisse: id enim ipse Origenes affirmat homilia octava super Matthaeum, in qua haec verba ponit: MULTAM differentiam inter exemplaria invenimus: in exemplaribus quidem veteris testamenti, quaecunque fuerunt consonantia, Deo praestante coaptare potuimus, uteores judicio caeterarum editionum: Ea enim, quae videbantur apud Septuaginta dubia esse propter consonantiam exemplarium, facientes judicium, ex editionibus reliquis, convenientia servavimus; quaedam quidem notavimus, quasi non posita in Hebraeo, non audentes ea omnino auferre; quaedam autem cum asteriscis addidimus, ut sit manifestum, quoniam, quae non fuerunt posita apud Septuaginta, ex editionibus caeteris convenienter addidimus Hebraeo. In exemplaribus autem novi testamenti, hoc ipsum me posse facere sine periculo non putavi; tantum suspiciones, rationesque, & causas suspicionum me debere exponere, existimavi non esse irrationabile. Quibus verbis Origenes clarissime ostendit, codices Graecos novi testamenti sua aetate fuisse inter se varios; & eam varietatem tolli non potuisse adhibitis asteriscis, & obelis, quemadmodum in veteri testamento ab ipso factum fuerat. Inconciliabilis autem varietas & dissensio, falsitatis argumentum est.

DILUTIO OBJECTORUM.

1. CUM haeretici generali quadam, & indefinita calumnia, evangelicas Scripturas tanquam discordes, & inter se pugnantes arguant, nec tamen id probent, pollicentes se id in posterum facturos, ideo in praesentia nihil eis nisi generali quadam responsione respondebimus, nempe eam Evangelistarum varietatem, quam haeretici falsitatis loco objiciunt, apud nos esse argumentum veritatis maximum, sicut egregie eloquentissimus Chrysostomus demonstravit, dum adversus haereticos pro evangelica diaphonia, in Praefatione Matthaei hunc in modum scriberet: SED inquies; non est in evangelistis, veritas; quia in multis inter se diversi inveniuntur, ac dissoni. Imo hoc ipsum maximum est testimonium veritatis. Si enim ex toto, & in omnibus consonarent, & cum nimia diligentia atque cura usque ad tempora, ac loca omnia, usque ad singula aequaliter verba concurrerent, nemo inimicus credidisset unquam; sed eos communi ad decipiendum consilio congregatos, quasi ex humana quadam compositione evangelium condidisse. Non enim simplicitatis fuisse tam sollicitam consonantiam judicaret. Nunc vero, quae videtur ex rebus exiguis dissonantia, ab omni illos suspicione defendit, & satis clare scribentium existimationem tuetur. Si vero de temporibus, ac locis varie dixerunt, nihil quidem dictorum praejudicat veritati: sed tamen, prout donaverit Deus, progredientes, etiam istud quale sit, declarare tentabimus, illud post haec, quae diximus, postulantes, ut diligenter notetis, quia in illis principalibus causis, in quibus & vita nostra, & praedicationis summa consistit, nunquam aliquis illorum vel in minimo discrepare conjicitur. Quae vero ista sunt? quia Deus homo factus, quia mirabilia operatus, quoniam crucifixus, quoniam sepultus est, quoniam resurrexit, quoniam ascendit in coelum, quoniam judicaturus est, quoniam salutaria praecepta constituit, quoniam non contrariam legem intulit priori, quia filius Dei est, quia unigenitus, quia ejusdem cum Patre substantiae, & quaecunque sunt talia. In his quippe omnibus maximam illorum invenimus esse concordiam. Si vero in mirabilibus eligendis, non omnes eadem cuncta dixerunt, sed hic quidem illa, alter vero alia narravit, nihil te omnino conturbet. Sive enim unus quilibet universa dixisset, superfluus jam fuisset numerus caeterorum, sive varia omnia inter se scripsissent, ac nova omnia, nullum potuisset contioentiae apparere documentum: propterea & communiter multa dixerunt,

Johan. Chrysost. in Praefatione super Matthaeum.

dixerunt, & nihilominus quisque proprium aliquid, ac speciale conscripsit: & ne superflue, & importune aliquid videretur adjectum, si nihil adderetur novi: nec tota rerum fides adduceretur in dubium, si omnia diversa dixisset. Haec pro nunc Divi Joannis verba sufficiant. Cum vero coeperint haeretici loca inter se pugnantia, ex evangeliis nominatim producere, & nos ad singula, juxta objectorum seriem, quantum fieri potest, apposite respondebimus.

2. NUNC ad Fausti comparationem transeamus, qua is ostendit licere sibi quaedam de novo testamento non credere, quia nos multa de veteri testamento non credimus, ea scilicet, quae ex eo non observamus. Quae sane comparatio nulla est, propterea quod aliud sit ea credere, quae Faustus de veteri testamento commemorat, aliud observare. Nam si de fide & credulitate loquamur, credimus omnia, quae in libris illis continentur, & tanquam verissime, & utilissime, propter aeternam vitam scripta laudamus, accipimus, approbamus, & firmissima veritatis ratione defendimus. Sed si de eorundem observatione fit sermo, dicimus, nos ea, quae in his mandata sunt, corporali operatione non observare: quia scimus ea congruenter illo tempore, atque illi populo tunc rectissime fuisse praecepta, & umbram futurorum esse didicimus, & nunc jam impleri cognoscimus: ac per hoc, quisquis illa tunc etiam opera, quae ad significandum agi jubebantur, non observabat, poenas divinitus constitutas, rectissimo judicio persolvebat, sicut nunc, si quis sacramenta novi testamenti pro temporis ratione distincta, fuerit ausus sacrilega temeritate violare. Credimus igitur, & accipimus omnia, sive quae observemus, ut recte vivamus, sive quae non observemus, ut ea, quae tunc in figura, & prophetia jussa, & observata fuerunt, nunc impleri videamus. Mentitur ergo Faustus, qui multa nos de veteri testamento non credere dicat, quia eorum corporalem observationem praetermittimus, cum tamen omnia illa intra credendorum numerum accipiamus. August. li. 32. contra Fauft. cap. 13. August. Ibid. cap. 15. & 16.

3. DE testimoniis autem veteris testamenti, quae ille tanquam falsa, vel superflua rejicit, responsio nostra haec est: Ea nec falsa, nec superflua esse posse: falsa quidem minime; quoniam Paulus, quem maxime Manichaei venerantur, & se integrum habere profitentur, pluribus locis testatur omnia Evangelica mysteria a Deo in Scripturis sanctis per ora Prophetarum fuisse promissa: superflua vero nequaquam, imo summopere necessaria: non quidem quod Christi testimonium exteroi testimonii auctoritate, ad sui stabilitatem indigere credamus, aut ei prophetarum testimonia praeferamus, sed ne accepti beneficii immemores, prophetis ingrati simus, extinguentes prophetarum oracula, quorum attestatione praedicationem suam Apostoli nobis veram esse demonstrarunt, & ad fidem Christi eorum auctoritate invitarunt. Item ut habeamus, unde infideles omnes, tam Hebraeos, quam gentiles, ad fidem Christi invitemus, si non resistant: aut unde contra eos eandem Christi fidem tueamur, si contradicant: utrisque ostendentes tanto jam tempore praenunciata fuisse a prophetis, quae nunc in Christo, & in ecclesia impleta sunt, ut nullus nisi omnino rationis expers ea negare possit. August. cont. Fauft. lib. 13. cap. 12. & 14.

4. AD illud vero, quod Anabaptistae de corruptione, tam Graecorum, quam Latinorum codicum objiciunt, dicimus: non licere ex particulati aliquorum codicum depravatione inferre universalem, ac generalem codicum omnium corruptionem. Neque enim ex eo, quod Ambrosius, Hieronymus, & Origenes, dixerunt, vel aliquos Latinos codices a perfidis quibusdam fuisse falsatos; vel multam in Graecis exemplaribus esse varietatem, concludere licet, omnes simul Catholicae ecclesiae codices fuisse vitiatos. Sicut nec ex particulari quorundam imperitorum negligentia, vel falsariorum malitia deducere licet, quod Faustus, & Anabaptistae perniciose deduxerunt, majores scilicet nostros, ut simplicibus, ac rudibus Christianis illuderent, omnes Evangelicos codices de industria corrupisse: quoniam (ut Augustinus inquit) licet omnes Patres in hoc conspirassent, ut seipsos, atque alios Scripturarum veritate privarent (quod imaginari non potest) non tamen potuissent omnes undique codices falsare, qui jam toto terrarum orbe, Christianorum manibus terebantur: quia mox, ut id agere coepissent, reclamantibus passim omnibus Christianis, tanquam falsatii fuissent de vetustorum codicum veritate convicti, confutarique, maxime cum non una jam lingua, August. cont. Fauft. lib. 32. cap. 16.

lingua, sed multis evangelium cootineretur. Sed etiam si haereticis donemus omnes codices aliqua in parte fuisse corruptos, & singula ecclesiae Carbolicae exemplaria aliquibus particularibus locis fuisse vitiata: oon erit tamen consequens, ut omnes simul codices iisdem in locis, partibus, sententiis, ac verbis, corrupti fuerinr: sed alii quidem in aliquibus, alii vero in aliis parribus seotentiis, ac verbis ita corrupti fuerint, ur quae in quibusdam exemplaribus, vel casu, vel malitiosa industria depravata fuerant, in quibusdam aliis iotegra, & inviolata permaoseriot. Atque hoc quidem pacto, Evangelicae lectioois veritas, quae in siogulis, & parricularibus ecclesiae codicibus pro temporum, ac scribentium diversitate variata fuerat, in omnibus simul collectis exemplaribus integra semper, & incorrupta permansit: ita volente Deo, ut verae lectionis integritas, quam hominum, vel malitia, vel negligentia corruperat in partibus, in tota saltem Ecclesiasticorum codicum universitate servaretur; ne ecclesia Christi per aliquod tempus divinarum Scripturarum integritate careret: utque haberent semper pii, & eruditi viri, unde corrigere, & emendare possent, quod aut imperitorum inscitia, aut iniquorum perfidia vitiasset, facta collarione mulrorum inter se exemplarium. Ex quo jam pater, unde Latinum novum testamentum (quod haereticis impossibile videtur) emendari potuerit, oempe, ex collatiooe Latinorum codicum ad Graeca exemplaria, & Graecorum item inter seipsa.

NEC obest, quod Ambrosius ac Hieronymus dicant, Graecos codices Latinis fuisse depravatiores: neque enim Ambrosius universaliter loquitur, omnes Larinos codices esse emeodatiores, quam Graecorum, sed particulariter quosdam, quos temporum simplicitas servavit incorruptos. Hieronymus autem in Praefatione Pentateuchi, non asserendo dixit emendatiora esse Latina, quam Graeca, sed ea verba tanquam quid adynaton, vel absurdum, protulit, inquiens: Si emendatiora magis sunt Latina, quam Graeca, & Graeca magis, quam Hebraea. Unde & idem in epistola ad Sunniam & Freielam, ad Graecos codices, tanquam emendatiores, confugiendum esse affirmat his verbis: In novo testamento, si quando apud Larinos quaestio exoritur, & est inter exemplaria varieras, recurrimus ad fontem Graeci sermonis, quo oovum scriptum est testameotum. Quod certe Hieronymus servavit, cum novum testameotum Graecae restituit veritati. Restat igitur semper apud Graecos fuisse codices quosdam integros, ac fideles: ex quibus Latioi codices emendari potuerint: in quibus etiam, si concedatur mendositatem aliquam vitio scribenrium potuisse contingere, potuerunt tamen in pristinam integritatem facile restitui, quia ex pluribus casu depravatis exemplaribus in unum collatis saepenumero vera lectio deprehenditur, propterea quod frequenter accidit, ut quod scriptorum incuria io uoo codice est depravatum, in alio codice integrum reperiatur.

CUM autem haeretici subnectunt, aut Graecum codicem, quem nunc vulgo haber ecclesia, noo esse eum, quo Hieronymus in verreodo usus est, aut Hieronymum non recte, ac fideliter vertisse; dicimus: eum Graecum codicem, qui nunc in ecclesia legitur, eundem illum esse, quo ecclesia Graeca temporibus Hieronymi, & longe antea usque ad tempora apostolorum usa est, verum, syncerum, fidelem, & nullo falsiratis vitio contaminatum: sicut continuata omnium Graecorum Patrum lectio lucidissime ostendit, uno semper, arque eodem scripturae teoore legeotibus, Dionysio, Justioo, Irenaeo, Melitone, Origene, Africano, Apollinario, Athanasio, Eusebio, Basilio, Chrysostomo, Theophylacto, atque aliis, ante tempora, & post tempora Hieronymi Patribus. Nec verisimile est Graecos patres suos codices in detrimenrum Latinorum vitiasse; quia si id ob odium Occidentalis ecclesiae fecissent, his maxime in locis depravassent, de quibus pugna, & dissidia erant inter ipsos, & ecclesiam Latinam: quae loca cum integra adhuc, & inviolata perdurent, nec ea Graeci vitiaverint, multominus alia eos vitiasse credendum est. Neque ob id Hieronymus male oovum testamenrum vertisse credendus est, quia vulgata nostra editio, quae Hieronymi esse dicitur, in multis a Graeca veritate distet: quoniam (ut alias, cum de translationibus sanctae scripturae tractaremus, abunde diximus) vulgata novi testamenri edirio, qua nunc utimur, oon est mera Hierooymi de Graeco in Latinum, sed mix-

ta

ta quaedam editio, partim ex veteri vulgata editione, partim ex nova quadam Hieronymi castigatione in novum testamentum, collecta. Non enim omnino certum est, an ipse totum novum testamentum e Graeco transtulerit, vel jam prius ab aliis translatum correxerit: quod magis eum fecisse ex multis ejus scriptis conjici potest: praesertim ex praefatione quatuor Evangeliorum, ubi ait: ITA In hac emendatione calamo temperavimus, ut his tantum, quae sensum videbantur mutare, correctis, reliqua manere permitteremus ut fuerant. Sed quanquam haec editio Hieronymi non sit, & multa in ea Graecae veritati non respondeant, non tamen oportet eam calumniis impetere, tanquam falsam, ac minime synceram, & integram, sicut haeretici faciunt: quia etsi multa in ea sint, quae ita adamussim cum Graecis non conveniant; nulla tamen, aut Evangelica praecepta, aut fidei nostrae mysteria, in hac vulgata nostra editione praetermissa, vel obscure adeo translata sunt, ut intelligi non possint, vel in diversum, & contrarium sensum nostrorum dogmatum conversa, quae vel in his, quae ad fidem spectant, vel in his, quae ad mores pertinent; minus quicquam habeant, quam in Graecis legatur. Verum de hujus editionis integritate in tractatu de Translationibus alias quantum oportuit loquuti sumus. Nunc ad alias haereses progrediamur.

DE EVANGELIO MATTHAEI. HAERESIS II.

EX Evangelio secundum Matthaeum, quod ab incerto auctore sub Matthaei nomine falso conditum est, nonnulla vitio corruptorum male inserta rescindere.

ASSERTORES HUJUS HAERESEOS.

PRIMI hujus haereseos auctores (quemadmodum tradit Epiphanius) fuerunt Ebionitae, ab Ebione dicti, non multo post Apostolorum praedicationem: qui sicut diversas de Christi nativitate habuerunt opiniones, ita diversas de Evangelio Matthaei protulere sententias. Proinde sciendum est, ut Eusebius libro tertio historiae ecclesiasticae, & Epiphanius affirmant, Ebioneos circa Christi nativitatem bifariam fuisse divisos: quorum qui praeceptoris sui Ebionis errorem secuti sunt, Christum purum hominem, communi etiam nativitate ex viro & foemina procreatum dixerunt: qui vero in hoc a praeceptore suo desciverunt, hi Christum nec verum hominem fuisse, nec natum secundum carnem asseruerunt. Sed quia videbant Matthaeum in ipso statim Evangelii sui exordio huic ipsorum errori occurrere, & Christum esse hominem, patremque ac matrem habere in terris, apertissime testari, idcirco recisis Genealogiis, hoc est primo, & secundo capite hujus Evangelii, in quibus Christi generationes enumerantur, initium sumebant hujus Evangelii ab ipsius tertio capite, sed adulteratis, & immutatis multis verbis, partim additis, partim vero mutilatis, in hunc modum: FACTUM est in diebus Herodis Regis Juda, venit Joannes baptizans baptismo poenitentiae in Jordanae fluvio: qui dicebatur esse ex genere Aaron sacerdotis filius Zachariae, & Elizabeth, & egrediebantur ad ipsum omnes. Et postquam multa dixissent, addiderunt; Quod baptizato populo, etiam Jesus baptizatus est a Joanne; & cum ascendisset ex aqua, aperti sunt coeli, & vidit Spiritum Dei in specie columbae descendentis, & ingredientis in ipsum: & vox facta est de coelo dicens. Tu es filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est. Et rursus: Ego hodie genui te. Et statim circumfulsit locum lux magna: quam ubi vidisset Joannes, dicit ad ipsum: Tu quis es Domine? & rursum vox de coelo ad ipsum: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est: & tunc prolapsus ante eum Joannes dicebat. Rogo te Domine tu me baptiza: ille vero prohibuit ipsum dicens: dimitte, quia sic decet omnia impleri. Haec illi. Qui vero Christum ex semine hominis natum dixerunt, hi quidem hanc genealogiam integram servaverunt, ut ex ea convincerent Christum non minus patrem quam matrem habuisse carnalem: & propter hanc solam genealogiam abjectis ceteris evangeliis, solo Matthaei evangelio usi sunt, sed in hac solum genealogia integro, in reliquis vero partibus mutilo, detruncato, & corrupto. Atque inter istos praecipui fuerunt Cerinthus, Merinthus, & Carpocras, sicut Irenaeus, Epiphanius, & Philastrius testantur. Marcion vero post istos Evangelium Matthaei, teste Epiphanio, ex integro rejecit;

Epiph. lib. 1. Haeresi 30.
Euseb. lib. 3. Histor. Eccl. cap. 27.
Iren. lib. 1. cap. 26.
Epiph. lib. 1. haer. 28. 30. & 42.
Philastr. c. 36.

post quem ejusdem dogmatis patrocinium Manichaei susceperunt; prae caeteris vero maxime Faustus Manichaeus, qui ut ex libris, secundo videlicet, tertio, & septimo Divi Augustini contra eundem Faustum scriptis apparet, multis argumentis ostendere conatus est, Evangelium juxta Matthaeum, non a Matthaeo, sed ab alio quodam incerti nominis, ac incertae auctoritatis scriptore sub nomine Matthaei compositum, quod etiam in duas partes dividendum esse censuit, nempe in Genealogiam, & Evangelium. Et Evangelium quidem, illud esse volebat, quod solam praedicationem filii Dei post Joannem in carcere clausum contineret: quicquid vero ante Joannis vincula narratum esset, non ad Evangelium, sed ad Genealogiam falso confictam pertinere dicebat, ac proinde eam tanquam meram Genealogiam, quae Evangelium non est, merito repudiandam. Deinde conversus ad eam partem, quam ipse Evangelium appellabat, non omnia ex ea recipienda esse: sed multa ceu falsa & conficta, repudianda esse docebat, praesertim vero omnia legis ac Prophetarum testimonia, quae variis ejus Evangelii locis inserta sunt, tanquam a temerariis depravatoribus superinducta rejiciebat. Tandem Anabaptistae, ac Servetani temporibus nostris eundem hunc errorem tot jam saeculis extinctum, in lucem revocarunt, asserentes, multa prophetarum vaticinia, falso, ac violenter, ad Christum detorta, & huic Evangelio sicut & caeteris perperam ad probandam Christi divinitatem, insuta.

IMPUGNATIO.

IN Superiori praecedentis haeresis confutatione, ostendimus quam pluribus argumentis, nihil esse in novo testamento aut mendaciter scriptum, aut malitiose depravatum, immutatum, falsatum, superadditum, aut subtractum. Quare ne nobis idipsum repetentes, cogamur eadem argumenta in particularibus novi testamenti haeresibus confutandis resumere, quae jam in universalibus totius novi testamenti haeresibus improbandis praesumpsimus, nolumus hic novam impugnationem adferre. Remittimus vero lectorem ad praecedentis haeresis impugnationem, quam ceu communem machinam tam huic, quam caeteris ejusmodi similibus haeresibus opponimus.

OBJECTIONES HAERETICORUM.

JAM primum omnium, quod Evangelium Matthaei nomine inscriptum, ipsius Matthaei Evangelistae non sit, tam Manichaei, quam Anabaptistae nonnulli, sed plane contemnendis argumentis ostendere nituntur: atque in primis Faustus Manichaeus sic ait.

Augustin. li. 17. contra Faust. cap. 1. 1. QUOD Matthaeus Evangelium istud non scripserit, sed nescio quis alius sub nomine ejus, docet ipsa lectionis ejusdem Matthaei obliqua narratio. Quid Matth. 9. 9. enim dicit? ET cum transiret Jesus, vidit hominem sedentem in teloneo, Matthaeum nomine, & vocavit eum. At ille confestim surgens, secutus est eum. Et quis ergo de se scribens dicat; Vidit hominem, & vocavit eum, & sequutus est eum, ac non potius dicat: Vidit me, & vocavit me, & secutus sum eum; nisi quia constat haec Matthaeum non scripsisse, sed alium nescio quem sub ejus nomine?

2. ANABAPTISTAE vero ex lingua auctoris hujus Evangelii, contendunt illud non esse Matthaei. Matthaeus enim Hebraeus fuit, & Hebraeis, Hebraica Eusebius lib. 3. Hist. c. 39. lingua, ac literis Evangelium scripsisse perhibetur; ut Eusebius ex Papia refert, & Hieronymus in libro de viris illustribus asserit. Verum hoc Evangelium quod nunc sub nomine Matthaei habetur, non Hebraica, sed Graeca magis lingua videtur ab auctore suo fuisse conscriptum: hoc enim manifeste demonstrant interpretationes Hebraicorum nominum, quae in compluribus hujus Evangelii locis sparMatth. 1. 23. sae leguntur: quemadmodum 1. cap. ubi dicitur: VOCABITUR nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur, nobiscum Deus: & capite vigesimo septimo, ubi scriMatth. 27. 46. ptum est: HELI, Heli, Lamazabatani: quod interpretatur Deus Deus meus, ut quid me dereliquisti? Quod si Matthaeus totum Evangelium Hebraica lingua conscripsit, tunc merito ambigitur, quanam lingua, aut quibus verbis: & cujus rei gratia ejusmodi sententias interpretatus sit: & unum propriae, vel externae linguae vocibus in earum interpretatione usus sit. Nam si Hebraica verba Hebraicis

verbis

verbis interpretatus est, superfluitatis vitium incurrit, nota per aeque nota, absque ulla necessitate exponens. Si vero externis verbis proprias ac germanas voces expressit, tunc obscurior erit verborum interpretatio quam ipsamet verba. Deinde cur magis haec, quam alia sui Evangelii verba interpretatus esset, cum omnia apud Hebraeos aequae facilitatis vel difficultatis essent? Quare ut vitemus hujus interpretationis ineptam superfluitatem, dicere cogimur, primum hujus Evangelii auctorem, non Hebraice, sed Graece scripsisse, & quia Graecae scripturae nonnulla Hebraica verba, quae mysterium continebant, inseruit; ideo ne lector ipsorum intelligentia fraudaretur, ea Graece transtulit. Quod si quispiam dixerit dictiones istas non ab auctore, sed a Graeco interprete superadditas fuisse, nec eas haberi in codice Matthaei Hebraico; tunc sequitur Evangelium istud omni ex parte reddi suspectum. Quemadmodum enim interpres has voces de suo capite praeter necessitatem superinduxit, ita & multa alia ad arbitrium suum vel addidisse, vel addere potuisse verisimile est. Nec obest, quod nunc Evangelium istud inveniatur Hebraicis literis scriptum, sicut idipsum olim Hieronymus in bibliotheca Caesariensi Hebraice scriptum reperit. Cum id a quovis Hebraicae linguae perito, e Graeco in Hebraicum sermonem converti potuerit; sicuti de Joannis Evangelio factum est, quod olim e Graeca lingua in Hebraeam fuisse translatum Epiphanius scribit, & in gazophilaciis Hebraeorum apud Tyberiadem usque ad ejus tempora servatum. Epiphan lib. 1. Haeres. 30.

3. REDDITUR etiam incertum an Matthaeus Evangelium aliquod scripserit: quia de tempore, quo Matthaeus illud scripserit, varia inter scriptores ecclesiasticos sententia est. Eusebius Caesariensis in Chronicis refert, Matthaeum primum omnium scripsisse Evangelium in Judaea, dum Petrus Antiochenam regeret ecclesiam, anno 3. Imperii Caligulae. Irenaeus vero lib. 3. adversus haereses capit. 1. tradit Matthaeum scripsisse Evangelium, cum Petrus & Paulus Romae Evangelizarent.

4. SED sive hoc Evangelium a Matthaeo, vel ab alio quopiam conditum fuerit, parum (ut inquit Faustus) refert: satis est, quod multa in eo a pravis quibusdam temeratoribus subdole inserta sunt: inter quae primum locum obtinet genealogia illa Salvatoris, initio Evangelii praeposita, quam nec a bono viro scriptam, nec partem esse Evangelii, nec omnino ad Evangelium pertinere, multae rationes ostendunt. Et primum ipsa Evangelii definitio docet genealogiam hanc longe ab Evangelio distare. Est enim Evangelium ipsa Jesu Christi filii Dei praedicatio, sic enim legitur Matth. quarto: CIRCUIBAT Jesus totam Galilaeam praedicans Evangelium regni. Quae quidem praedicatio cum post Joannem inclusum in carcere coeperit, ut habetur Matth. 4. cap. cum dicitur: EXINDE coepit Jesus praedicare & dicere: Poenitentiam agite, appropinquabit enim regnum coelorum: sequitur, ut quicquid ante Christi praedicationem narratum est, non sit Evangelium, sed totum genealogia usque ad carcerem Joannis. Nam & in secundo Matthaei capitulo inducitur secundum prophanum morem gentilium stella in oriente a Magis conspecta, quasi fatalis quaedam constellatio, sub cujus influentia nascentis pueri fortuna fuerit constituta. August lib. 2. contra Faust. cap. 1. Matth. 4. 23. Matth. 4. 17.

5. HOC idem ex ejus genealogiae inscriptione apparet, quam Matthaeus ipse non ausus est Evangelium appellare, sed eam inscripsit: LIBER GENERATIONIS JESU CHRISTI FILII DAVID. Quid enim impediebat Matthaeum ponere, Evangelium Jesu Christi filii David, nisi quia improbum putavit Genealogiam vocare Evangelium? unde & nos recte duo illa prima capitula Genesidium magis, quam Evangelium possumus nuncupare. Augustinus ibidem. Matth. 1. 1

6. HUC accedit, quod Marcus, qui Matthaei pedissequus, & abbreviator fuit, hanc genealogiam tanquam non ham ab Evangelio Matthaei rejecit: quia cum Evangelium solummodo scribendum accepisset, generationem istam ceu ad Evangelium minime pertinentem scribere praetermisit, incipiens Evangelium suum a praedicatione filii Dei, quae verum est Evangelium. Et ut ostenderet non a generatione, sed a praedicatione Christi Evangelii principium rite sumendum esse, ita exorsus est: Initium Evangelii Jesu Christi filii Dei: & statim praetermissa Christi generatione, praedicationem Joannis, & Christi subjecit. August. ibid. Marc. 1. 1

7. IPSA

August. lib. 3. contra Faust. cap. 3. 7. IPSA praeterea Evangelistarum dissensio in enarranda Christi generatione adeo interminabilis, & inexplicabilis est, ut si alter ex his vere scripserit, necesse sit alterum eorum mentiri. Nam Joannes, & Marcus Deum ex homine natum non scribunt, nec Mariam inducunt, nec Josephum Christi genitores; sed Joannes quidem in principio fuisse Verbum dicit, & Verbum fuisse apud Deum; & Deum fuisse Verbum, Christum videlicet significans. Marcus vero, Evangelium, inquit, Jesu Christi filii Dei: tanquam Matthaeum exprobans, qui posuerit filium David. Lucas vero & Matthaeus, etiam multo magis de hac inter se generatione decertant. Lucas enim capite tertio scribit Christum fuisse filium Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Janne, qui fuit Joseph, qui fuit Mathathiae, qui fuit Amos, qui fuit Naum, qui fuit Hesli, qui fuit Aggaei, qui fuit Maath, qui fuit Mathathiae, qui fuit Semei, qui fuit Joseph, qui fuit Juda, qui fuit Joanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri, qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Thesan, qui fuit Telmadan, & caetera quae sequuntur. Matthaeus vero Christi generationem ex longe diversis parentibus, avis, proavis, atavisque, deducens, dicit Christum genitum fuisse ex Maria, quae fuit uxor Josephi, prognati ex Jacob, prognato ex Mathan, prognato ex Eleazaro, prognato ex Eliud, genito ex Achim, genito ex Sadoch, genito ex Azor, genito ex Eliachim, genito ex Abiud, genito ex Zorobabel, genito ex Salathiel, genito ex Jeconia, genito ex Josia, genito ex Amon, genito ex Manasse, genito ex Ezechia, genito ex Acham, genito ex Joathan, genito ex Ozia, genito ex Joram, genito ex Josaphat, genito ex Asa, genito ex Abia, genito ex Roboam, genito ex Salomone, genito ex David, & reliqua. Cum igitur hi duo Evangelistae tantum inter se de hac Christi generatione discrepent, ut cujus patrem Josephum Matthaeus faciat filium Jacob, nepotem Mathan, pronepotem Eleazari ex stirpe Davidis per Salomonem deducta, Lucas filium faciat Heli, nepotem Mathat, pronepotem Levi, e stirpe Davidis, non per Salomonem, sed per Nathan deducta; consequens est, aut utrunque illorum, aut unum saltem ex illis mentiri. Neque hoc loco solutio illa afferri potest, quam etiam Augustinus damnat libro secundo quaestionum Evangelicarum, capite quinto, videlicet, quod idem homo, sicut non solum apud Judaeos, sed apud omnes gentes frequenter accidere solet, duo nomina habuerit; quoniam, qui hoc putant caetera generationis serie, ut Augustinus inquit, facile refelluntur. Quid enim de suis atavis, proavis, caeterisque majoribus Christi dicturi sunt, quorum omnium fere diversa nomina singuli Evangelistae in sua quisque narratione contexuerunt?

Joan. 1. a Marc. 1. a Luc. 3. o Matth. 1. b

August. cont. Faust. lib. 7. c. 1. & lib. 23. cap. 1. 2. 8. ABJICIENDA est insuper Genealogia haec ab Evangelio: quoniam in toto hujus generationis contextu usque ad baptismum Christi, in quo ipse voce Patris declaratus est filius Dei, nulla unquam fit mentio quod Christus sit filius Dei, sed tantum filius Davidis, & ex hominibus natus: quasi Matthaeus una cum Ebionitis crediderit Christum, in baptismo tum primum factum filium Dei, quando aperti sunt coeli, & Spiritus Sanctus descendit in eum, ante vero baptismum purum hominem fuisse, quod nusquam in toto Evangelio invenitur: nunquam enim Christus dixit se patrem, aut matrem, aut genus habere in terris. Sed magis e contra, quia non esset de hoc mundo, quia a patre Deo processerit, quia descenderit de coelo, quia non sibi sint matres, & fratres, nisi qui fecerint voluntatem patris sui, qui in coelis est. Igitur adscribere genealogiam hanc Matthaeo, est ei calumniam ingerere, tanquam ille Dei filium in utero mulieris incluserit.

August. li. 23. contra Faust. cap. 3. & 4. 9. RURSUS Genealogia haec vera esse non potest: quia si Christus est filius David secundum carnem, ut propositum est scriptoris ostendere, aut Christus traxit carnem de semine David, vel ex Josepho, vel ex Maria. At ex Josepho minime: quia vos enim ex patre Josepho seminatum negatis: igitur fateamini necesse est, nec ipsum quidem esse Davidis filium: quoniam generatio ab Abraham usque ad David, & a David ad Joseph deducitur, per omnes scilicet Hebraeorum patres: ex quo, quia Jesus conceptus non est, ut vos dicitis, nec Davidis filius erit. Proinde nec ex Maria Davidis carnem trahere potuit: quia Virginis ipsius origo non fuit ejusdem tribus cum David, nempe de tribu Juda, de qua Judaei

reges

reges sunt, sed ex tribu Levi, unde sacerdotes. Quod ipsum palam est: tum quia Lucas capite primo dicit eam fuisse cognatam Elizabet, quam vocat de filiabus Aaron; tum quia constat, quod eadem patrem habuerit sacerdotem quendam, nomine Joachim, cujus tamen in hac generatione nulla usquam est habita mentio. Quomodo ergo ad hanc Davidicae cognationis prosapiam Maria pertinere dicetur, in qua eam nec patrem habere videas, nec maritum? Et per hoc nec ille David filius erit, quisquis ex eadem nascitur, nisi ejus hanc genitricem sic admoveas Joseph, ut ejus, aut filia probetur, aut conjux. Luc. 1. 5

10. ET adhuc illi ipsi, qui has Christo Genealogias ascribunt, nec ante nativitatem, nec statim post ejus nativitatem Jesum noverunt, ut credi possit illos ea scripsisse, quae erga eum oculis suis viderint gesta, sed juveni jam, & maturo conjuncti sunt ei, id est annorum ferme triginta. Quare cum in omni testimonio veritatis, hoc semper quaeri soleat: utrum quis audierit an viderit: isti vero nec audisse se fateantur ab ipso generationis hujus ordinem, quia omnino sit natus, nec vidisse oculis, quia longo post tempore, id est post baptismum cognoverunt eum; mihi; & omni recte judicanti tam stultum videtur hoc credere, quam si quis caecum, & surdum in judicium vocet. Atque hae sunt causae, ob quas Faustus Genealogiam hanc ab Evangelio rejicit. August. li. 10. contra Faust. cap. 1.

11. POST quae improbi Anabaptistae aliis excogitatis argumentis, ipsi quoque contra eandem Genealogiam insurgunt, Matthaeum temerarie accusantes. Primum, quod imprudenter Christi Genealogiam a regibus Juda, & stirpe David, ex Jeconia per Salathielem deduxerit, faciens Salathielem Jeconiae filium, & Zorobabelis patrem; cum tamen ex sacris literis constet, Jeconiam in captivitate Babylonica sine filiis mortuum, extinctamque in eo omnem regiam stirpem, juxta illud Jeremiae Prophetae vaticinium de eo prolatum: HAEC dicit Dominus: scribe virum istum sterilem & orbum. Quae verba aperte ostendunt, Jeconiam omnino orbatum liberis excessisse, neque Salathielem, nec quemvis alium habuisse filium. Deinde quod Matthaeus tam a Luca Evangelista, quam a semetipso in numero harum generationum discorder: quandoquidem Lucas a Davide usque ad Christum quadragintatres generationes enumerat. Matthaeus vero a Davide usque ad Christum viginti octo, vel viginti septem enumerat, a seipso vero dissidet; quia cum ab Abraham ad Christum tres generationum tessaradecades efficiat, & in unaquaque earum quatuordecim generationes se collocasse affirmet, in ultima tamen tessaradecade, non quatuordecim, sed tredecim tantum generationes coaptavit. Quod clarissimum est percurrentibus generationes extremae tessaradecadis: cujus prima generatio est ipsius Salathiel, secundo Zorobabel, tertia Abiud, quarta Eliachim, quinta Azor, sexta Sadoch, septima Achin, octava Eliud, nona Eleazar, decima Mathan, undecima Jacob, duodecima Joseph, decima tertia, Christi. Haec Anabaptistae. Jerem. 22. 30.

12. FAUSTUS autem non hoc solo contentus, quod Genealogiam istam resciderit, alia etiam loca ex eodem Evangelio tanquam suppositicia abjicit: quorum primum est illud Matthaei quinto, cum Christus inquit: NOLITE putare quia veni solvere legem, sed adimplere: quam Christi sententiam, quia legem, quam Manichaei negant, confirmare videbatur, Faustus apud Augustinum libro decimo septimo his verbis suspectam fecit: QUIS, inquiens, hoc testatur dixisse Jesum? Matthaeus. Ubi dixisse? In monte. Quibus praesentibus? Petro, Andrea, Jacobo, & Joanne, quatuor his tantum: caeteros enim nec dum elegerat, nec ipsum Matthaeum: ex his ergo quatuor, unus, id est Joannes, Evangelium scripsit? Ita. Alicubi hoc ipse commemorat? Nusquam. Quomodo ergo, quod Joannes non testatur, qui fuit in monte, Matthaeus hoc scripsit, qui longo intervallo postquam Jesus de monte descendit secutus est eum? Ac per hoc de hoc ipso ambigitur, utrum Jesus tale aliquid dixerit: quia testis idoneus tacet: loquitur autem minus ideoneus, qui prorsus non erat, cum Jesus haec loquebatur in monte. August. li. 17. contr. Faust. Matth. 5. 17.

13. OPPUGNAT item Faustus aliam Christi sententiam ex Matthaei capite octavo, eo quod Christus ejus sententiae verbis approbet Patriarchas veteris testamenti, quos Faustus tanquam flagitiosissimos execrandis calumniis insectatur. Sententia ea est, quam Christus adversus Judaeos protulit dicens: MULTI venient August. li. 22. contra Faust. cap. 1. & 2. Matth. 8 11.

ab

ab oriente, & occidente; & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno coelorum: & hanc Faustus in hunc modum explodere tentat. ILLUD, de quo certo constare non potest, ubi nam, aut quando dictum sit, nihil prohibet etiam non credere, quod dictum sit: quemadmodum nunc de sententia ista accidit, quam ipsa scribentium varietas dubiam, & incertam reddit. Nam cum duo Evangelistae Matthaeus, & Lucas de Centurione pariter narrent, cujus filius infirmabatur, & propter quem visus fuerit hoc idem dixisse Jesus, admirans ejus fidem, solus tamen Matthaeus hoc adjecit, Jesum post admirationem prosecutum esse, ut diceret: AMEN dico vobis; quia multi venient ab oriente, & occidente; & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno coelorum: filii autem regni mittentur in tenebras exteriores. At Lucas de Abraham, Isaac, & Jacob nullam ibi factitat mentionem. Quod si quis dicat, idcirco praetermisisse eum; quia dictum id jam fuisset a Matthaeo; cur ergo gestum ipsum commemorat erga Centurionem, & puerum ejus, quod satis jam insinuatum fuisset nobis Matthaei solertia? Nec tamen omnifariam Lucas verbum reticuit, puto, recogitans ne forte verum fuisset, sed locum tamen mutat, applicatque id alteri cuidam causae longe dissimili, id est ubi dicit Jesus ad discipulos suos: CONTENDITE intrare per angustam portam: multi enim venient quaerentes intrare, & non poterunt: & paulo post: CUM videritis Abraham, Isaac, & Jacob, & omnes Prophetas ingredi in regnum Dei, vos autem expelli foras, &, VENIENT ab oriente, & occidente, & austro, & aquilone, & recumbent in regno Dei. Quare cum non constet, quando, ubi, aut quâ de causa, hoc dictum sit, si illud dictum fuisse non credamus, nihil refert. Haec Faustus ex Evangelio Matthaei tanquam a falsariis inducta calumniatur.

Luc. 13. e — Luc. 13. f

14. ANABAPTISTAE autem & ipsi una cum Fausto, & aliis Manichaeis historias quasdam, cum nonnullis prophetarum vaticiniis ex hoc Evangelio amputant: veluti historiam Magorum venientium ad Christum cum muneribus, & caedem infantium ab Herode perpetratam: quam addititiam pronuntiant, tum quia nullus Evangelistarum, praeter Matthaeum, ejus facti meminerit, tum quia Josephus, qui in recensendis Herodis saevitiis fuit diligentissimus, ac totos tres libros in describenda Herodis vita consumpsit, videlicet decimum quintum, decimum sextum, & decimum septimum Hebraicarum antiquitatum libros, nihil uspiam scripsit de hac caede puerorum, quam Matthaeus commemorat. De vaticiniis vero huic Evangelio falso insertis, illud primum afferunt, quod legitur Matthaei secundo: QUONIAM Nazaraeus vocabitur: quod nusquam in veteri testamento scriptum esse dicunt: & illud, quod eodem capite annotatur: Ex Aegypto vocavi filium meum: cujus sententiae verba nullibi in veteri testamento inveniri, non solum septuaginta interpretum editio testatur, in qua nec apud Oseam, ubi haec verba esse creduntur, neque alibi leguntur, sed & Hieronymus ipse, quasi dubius, & incertus ubi nam ea in veteri instrumento scripta sint, nunc dicit illa Oseae undecimo haberi, nunc in Numeris vigesimo quinto capite: dicente Balaam: Ex Aegypto vocavi eum. Quod utcunque sit, satis est ea verba, etiam si in veteri testamento invenirentur, violenter fuisse detorta ad Christum: quoniam nec Balaam, nec Oseas tunc de Christo locuti sunt; sed de populo Israël, quem Dominus captivum per manus Mosi, & Aaron de Aegypto revocavit, & in libertatem asseruit: quod liquido indicant verba Oseae dicentis: SICUT mane transiit, pertransit rex Israël: quia parvulus Israël, & ego dilexi eum, &, Ex Aegypto vocavi filium meum. Consimili quoque modo & illud, quod in eodem capitulo ex trigesimo primo Jeremiae capite legitur ad necem infantium mordicus tractum est, scilicet: Vox in Rama audita est, Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt: quod non de occisione infantium intelligi, sed de Rachele flente filios Israël in captivitatem deductos, ipsa statim sequentia Prophetae verba declarant. Addit enim illico post praedicta verba: HAEC dicit Dominus: quiescat vox a ploratu, & oculi tui a lacrymis; quia est merces operi tuo, ait Dominus, & revertentur de terra inimici: & revertentur ad terminos suos. Quare cum haec loca partim falso, partim violenter in hoc Evangelium intrusa sint, verisimile est, & multa alia veteris testamenti vaticinia

Matth. 2. d — Matth. 2. e — Hieronym. comment. in Matt. cap. 2. num. 25. — Ose. 11. 1. — Jerem. 31. 15.

vaticinia consimili licentia a temerariis scriptoribus citra propositum fuisse immissa. Et haec ea sunt, quae haeretici adversus sanctum Matthaei Evangelium delatrant. Nunc ad eorum dissolutionem transeamus.

DISSOLUTIO OBJECTORUM.

1. QUAM elegantem rem sibi visus est Faustus dicere, ubi propterea voluit August. cont. Faust. l. 17. c. 4.
non credi haec scripsisse Matthaeum, quia cum de sua electione diceret, non ait: VIDIT me; & dixit mihi, sequere me: sed, VIDIT Matthaeum, & dixit ei, Matth. 9. 9.
sequere me: quod nescio utrum de errore imperitiae dixerit, an more fallaciae. Sed non usque adeo imperitum putaverim, ut nec legerit nec audierit, solere scriptores rerum gestarum, cum in suam personam venerint, ita contexere narrationem tanquam de alio narrent, quod de se narrant: sicut Joannes, quem Faustus accipit, fecit, cum circa finem libri ipse de se loqueretur: CONVERSUS Petrus, vidit discipulum, quem diligebat Jesus, qui & recumbebat in coenâ super Joan. 21. 20.
pectus ejus, & dixerat Domino; Quis est, qui tradet te? & paulo post: Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his; & scimus, quia verum est testimonium ejus. Et Christus cum de seipso loqueretur, obliqua locutione de se dixit: CUM venerit filius hominis, putas ne inveniet fidem in terra? &, VENIT Luc. 18. 8.
filius hominis manducans, & bibens: &, VENIET hora quando mortui audient Matth. 11. 19.
vocem filii Dei. Quae cum Faustus toties audierit, magis eum arbitror, non ut Joan. 5. 25.
imperitum, sed ut imperitis, nebulas effundere voluisse, sperantem se plures esse capturum, qui ista non nossent.

2. VERUM Anabaptistas per imperitiam falli non dubitamus, cum ajunt, hoc Evangelium non esse Matthaei: quia idipsum non appareat esse Hebraice scriptum, sed Graece, sicut praedictae Hebraiorum nominum interpretationes ostendunt. Non enim intelligunt ejusmodi interpretationes addiras esse ab interprete, qui Matthaeum in linguam Graecam convertit. Nec ob id redditur interpres suspectus, quod consimili exemplo alia permulta intra contextum Matthaei addiderit: nam si hoc liberat de interprete Matthaei suspicari, idem quoque eadem de causa licebit de vetustissimis, ac sanctissimis illis veteris testamenti interpretibus suspicari: quod certe impium fuerit, cum Apostoli sua attestatione eorum nobis interpretationem approbaverint: nam & ipsi frequenter hujusmodi nomina interpretantur; quemadmodum in Genesi, nomen Galaad exponunt, dicentes: Idcirco appellatum est nomen illius Galaad, hoc est tumulus testis. Et in eodem Gen. 31. 48.
libro: Mater vocavit nomen ejus בן אוני ben oni, id est, filius doloris mei: pater Gen. 35. 18.
vero appellavit eum בנימין ben jamin, id est filius dexterae. Et in Exodo: Est enim Exod. 12. 11.
פסח Pesach, id est transitus Domini. Hoc ipsum quoque, ut in libro de optimo genere interpretandi testatur Hieronymus, aliquando fecerunt Apostoli, & Evangelistae, sicut in Marco legimus: qui cum introduxisset Christum ad defunctam Marc. 5. 41.
puellam dicentem, Thabitha cumi (a), statim subjecit, quod interpretatur, Puella, tibi dico, surge: in cujus sententiae interpretatione duo verba videlicet, Tibi dico, quae in Hebraeo Christi dicto non sunt, de suo addidit, ut sensum vocantis & imperantis clarius & fortius exprimeret. Si igitur quicquam Anabaptistarum argumentum concludit, eadem ratione consequens est, nec librum Genesens, nec Exodi, Hebraico sermone a Mose fuisse conscriptos, contra omnium ecclesiasticorum

(a) In omnibus, quas lustrare potui, Xystiola editionibus legitur *Thabitha cumi*, fortasse & indubitanter ex errore Typographorum, quom in Vulgata ne dum habeatur, sed in Graeco textu ταλιθὰ κοῦμι. Est autem טליתא קומי *Thalitha cumi* Syro-Chaldaicum quod interpretatur *Puella surge*. Apud Hebraeos namque *Puella* non טליתא *Thalitha*, sed vel בתולה *Betula*, vel etiam עלמה *Alma* (quae proprie Virginem denotat) dicitur, ut ex Hebraice doctis liquet. Idioma namque in Palestina & tota Promissionis terra Christi tempore consuetum non erat Hebraeum, sed Syro-Chaldaicum, quod familiare coepit esse filiis Israël post Babylonicam Captivitatem; quia nimirum dum apud Chaldaeos manserunt, pluribus illorum exceptis retentisque vocibus, mistum reportarunt sermonem, cujus generis loquendi varia in Evangelio monumenta occurrunt: de quare consuli possunt Eruditi. Adjectum est autem tam in Graeco textu (σοὶ λέγω), quam in nostra Volgata (*tibi dico*) in parenthesi clausum, ad denotandam emphasim jubentis, & praecepti vim: esto in Syro-Chaldaico *Thalitha cumi* non exprimatur, neque pars sit interpretationis ejusdem; sed dumtaxat includatur in voce imperativa ad puellam directa: hinc bene ab utroque textu Graeco simul & Latino fuit adjectum, & in probatis Bibliis retentum; & ut inquit Hieronymus *Epistola ad Pammachium de optimo genere interpretandi*, *cap. 3.* (ut etiam N. Xystus adnotavit) „Evangelista ut ἐμφατικώτερον faceret, & sensum vocantis, atque imperantis exprimeret, addidit tibi dico. „ Videsis Estium, Calmetum, aliosque Expositores.

ecclesiasticorum scriptorum sententiam. Matthaeus ergo Evangelicam historiam Hebraico sermone, & literis exaravit, quemadmodum & Ireoaeus libro 3. cap.1. testatur, & Eusebius ex senteotia Papiae refert libro 3. histor. ecclesiasticae, idem ex Panthaeno confirmans libro 5. & libro 6. ex Origene.

Euseb lib. 3. Histor. cap. 24. & cap. 39. & lib. 5. c. 10. & lib. 6. cap. 18.

3. TERTIUM argumentum futilissimum est, quod ex temporis differentia sumitur. Nam si duo illi patres recte inspiciantur, nihil inter se discrepant: quod enim Eusebius dicit Matthaeum prius in Judaea scripsisse Evangelium suum, nequaquam pugnat cum eo, quod Ireoaeus dicit, Matthaeum multo post, Evangelium suum propria lingua conscriptum edidisse in lucem. Facile eoim utrunque esse potest, & quod Matthaeus primum in Judaea Evangelium suum, jam a se propria liogua scriptum, ut refert Eusebius, praedicaverit, & quod longe postea, illud in lucem ediderit, & legendum omnibus juxta Irenaeum invulgaverit, cum e Judaea ad geotes commigrasset. Sic enim de eo narrat Eusebius libro tertio historiae, capite 24. Matthaeus primum Hebraeis praedicavit Evangelium: verum cum pararet transire ad gentes, patria liogua scripturam composuit, & ea, quae praedicaverat comprehendens, reliquit his memoriam, a quibus proficiscebatur, ut ad gentes praedicaret.

August. lib. 2. contra Faust. cap. 2.

4. NUNC ad Faustum revertentes, dicimus, eum impudenter mentiri, cum ait, generationem Christi non pertinere ad Evangelium. Nam ex doctrina Pauli, quam ipse accipit, generationem Christi secundum carnem ex semine David ad Evangelium spectare certissimum est. Sic enim ait ad Timotheum scribens: MEMOR esto Christum Jesum resurrexisse a mortuis ex semine David secundum Evangelium meum: & ad Romanos scribens; vocatum se dicit, ac segregatum in Evangelium filii Dei, qui factus est ex semine David secuodum carnem. Quod autem erat Apostoli Pauli Evangelium, hoc etiam Matthaei, & caeterorum Apostolorum, ac fidelium est Evangelium. Cum autem in Evangelii definitione solum ea, quae Christi praedicatione sunt facta, concludit, hoc de suo errore procedit: nam omnes, qui Graece vel tenuiter ooverunt, ἐυαγγέλιον bonum nuncium, aut bonam aonunciatiooem ioterpretaotur. Quod si ita est, cur non sit Evangelium, quod de ista generatiooe narratur, cum tam bona nobis annuocientur? videlicet Dei filium propter salutem oostram, ut nos divinos faceret, factum esse hominem, deducta carne per tot generationes ex semine David. Ad id vero, quod de stella farali, quasi gentilium more ioducta calumniatur, respondemus; nullius nos hominis generationem sub fato stellarum ponere; ut liberum voluntatis arbitrium, quo vel bene, vel male vivitur, propter justum Dei judicium ab omni necessitatis vinculo viodicemus: multominus igitur illius temporalem generationem sub astrorum conditione credimus factam, qui est aeternus universorum creator & Dominus: cui stella illa non ad decretum dominabatur, sed ad testimonium famulabatur: nec eum subjiciebat imperio, sed indicabat obsequio: nec stella Christo, sed stellae Christus fatum erat: ipse quippe illi, non illa huic nascendi causam attulit.

II. Tim. 2. 8.

Rom. 1. 1.

August. cont. Faust. lib. 2. cap. 6.

August. cont. Fau. lib. 2. c. 5.

August. lib 2. cont. Fau. c. 6.

5. ILLUD vero, quis non rideat, quod de hujus Genealogiae inscriptione adducit? quasi genealogia haec ad Evangelium non pertineat; quia Matthaeus non ita exorsus est, ut diceret: INITIUM evangelii Jesu Christi, sicut ait Marcus: sed, LIBER generationis Jesu Christi. Hoc modo, nec Joannes evangelium scripsisse dicetur; quia nec ipse ait. Initium evangelii, sed, ut liber evangelii, sed, IN principio erat Verbum. Nisi forte tam elegans vocabulorum fabricator Faustus fuit, ut & hoc exordium Verbidium nominaverit propter Verbum, sicut & illud propter Genesim, Genesidium ausus est appellare.

August. ibid.

6. NEQUE propterea Marcus Matthaei abbreviator genealogiam hanc scribere praetermisit, quia eam vel superfluam, vel evangelicae doctrinae repugnantem putaret: sed quia eam jam satis abundeque a Matthaeo evangelista viderat fuisse descriptam.

Origen. lib 2. contra Cels. Hieron. com. in Daniel & Marc. Cyrill. lib. 8. contra Julian. cap. 2. & 3.

7. SEPTIMUM argumentum, quod longe ante Faustum primus omnium Celsus Epicureus, in libro, quem Veri sermonis adritulavit, ac post eum Porphyrius Christianis objecit, & Julianus Augustus post utrunque resumpsit, Divus Augustinus contra Faustum scribens, hunc in modum dissolvit. Primum non esse contradictionem

traditionem inter Joannem, Marcum, & Lucam, & Matthaeum, quia isti dicant, filium Dei ex virgine natum, illi vero ex Deo natum: utrumque enim verissimum est, nempe, filium Dei ab aeterno ex patre Deo genitum, & temporaliter in tertiis, secundum humanitatem ex foemina natum: non amittendo formam Dei, sed accipiendo formam servi. De eo vero, quod ait, Lucam, & Matthaeum inter se implacabiliter discordare, nihil mirandum est, quod alium patrem habeat Joseph secundum Matthaeum, alium vero secundum Lucam: & alium avum secundum istum, alium secundum illum, & deinceps sursum versus usque ad David, per tam multas generationes, alios ab isto, alios ab illo numerari: quia tota in hoc quaestio est: quomodo potuerit duos patres habere Joseph. Hoc enim si potuisse fieri demonstretur, nulla omnino causa est, cur quisquam istorum evangelistarum in diversis generationibus enumerandis falsum dixisse credatur. A duobus enim patribus jam non erit mirum neque contrarium, quod & duo atavi, & proavi esse potuerint, & quicquid supra est usque ad David, cujus erant ambo filii, & Salomon, qui pertinet ad ordinem, quem Matthaeus sortitus est, & Nathan, qui est in serie, quam Lucas exposuit. Attendunt enim ista nonnulli, & vident, non posse a duobus viris per commistionem carnis hominem gigni; & ideo putant istam quaestionem non posse dissolvi. Nec intuentur quod certissimum, atque facillimum est, patrem cujusquam non eum tantum dici, a quo genitus, sed etiam eum, a quo fuerit adoptatus. Neque enim adoptionis vinculum apud antiquos alienum ab eorum moribus fuit; cum etiam Foeminas inveniamus adoptasse sibi filios non ex utero suo natos, sicut Sara ex Agar, & Lya ex ancilla sua, & filia Pharaonis Mosen adoptavit: ipse autem Jacob nepotes suos filios Joseph adoptavit. Haec Augustinus. August. lib. 2. de Consens. Evang. cap. 3.

SED quia ipse hoc in loco adversus Faustum scribens, non explicavit, quomodo haec adoptionis series in genealogia Christi aptanda sit, ideo idem beatus Pater in libro Retractationum secundo se de hoc excusavit, dicens, id a se fuisse praetermissum, quia cum scriberet contra Faustum, nondum legerat Julium Africanum de hujus generationis serie plenius disserentem. Quare cum Augustinus in hac re se ad Africani sententiam remittat, eaque sit aliquantulum a praedicta Augustini sententia diversa, non ab re fuerit, si ipsius Africani verba De evangeliorum consonantia ad Aristidem scribentis, ex Eusebio subnectam: ea sunt. Lib. 2. Retr. cap. 7. Eus. Hist. Eccl. lib. 1. ca. 6.

APUD gentem (inquit) Israël generationum nomina nunc secundum naturae, nunc secundum legis ordinem enumerantur. Naturae quidem successiones habentur, quae ex seminis, vel sanguinis veritate descendunt. Legis autem, cum quis filius alio generante, substituitur sub nomine fratris defuncti sine liberis. Cum enim inter eos resurrectionis spes necdum fuisset accepta, per haec resurrectionis quandam imitabantur imaginem: ne nomen generis vitio sterilitatis aboleretur. Cum ergo ejusmodi apud eos generationum ordines servarentur, ut quidam ex ipso germine, quidam ex substitutione ab aliis generati, aliis filii, legis beneficio deputarentur, a singulis Evangelistarum utriusque modi commemorata successio est: id est, ut alter eorum eum, qui genuisset, alter vero eum, qui quasi genuisse videretur, exponeret: & ita fit, ut neutrum evangelium mentiatur: dum aliud naturae ordinem, aliud vero legis exequitur regulam. Conjunctum nanque sibi est invicem genus, & illud per Salomonem, & illud quod per Nathan deducitur per legales substitutiones, quae fiebant his, qui sine liberis decedebant, & per secundas nihilominus nuptias, quibus unus, atque idem aliis parentibus progenitus, aliorum esse filius videbatur. Et ita fit, ut utraque narratio generationum usque ad Joseph, verissimis lineis deducatur: diverso quidem, sed satis explorato ordine designata. Ut autem clarius fiat, quod dicitur, ipsas generationum consequentias narrabimus a David per Salomonem. Generatio, quam dinumerat Matthaeus, tertium a fine facit Mathan, qui dicitur genuisse Jacob patrem Joseph. Per Nathan vero de David Lucas generationum ordinem texens, tertium ejusdem loci fecit Melchi. Dicit enim: Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Melchi. Nobis autem imminet ostendere, quomodo Joseph secundum Matthaeum quidem patrem habuerit Jacob, qui deducitur per Salomonem, secundum Lucam vero Heli, qui deducitur per Nathan: utque isti ipsi, id est, Jacob, & Heli, qui erant

duo fratres, habentes alius quidem Mathan, alius autem Melchi patrem, ex diverso genere venientes, & isti Joseph avi esse videantur. Est ergo modus iste. Mathan, & Melchi, diversis temporibus, de una eademque uxore Estha nomine, singulos filios procrearunt: quia Mathan, qui per Salomonem descendit, uxorem eam primus acceperit: & relicto uno filio Jacob nomine, defunctus est. Post ejus obitum (quia lex viduam alteri viro non vetat nubere) Melchi, qui per Nathan genus ducit, cum esset ex eadem tribu, sed non ex eodem genere, relictam Mathae accipit: ex qua & ipse suscipit filium nomine Heli, per quod ex diverso Patrum genere efficiuntur Jacob, & Heli uterini fratres: quorum alter, id est, Jacob, fratris Heli sine liberis defuncti uxorem ex mandaro legis accipiens, genuit Joseph, natura quidem germinis filium suum: propter quod & scribitur: Jacob Matth. 1. 16. autem genuit Joseph: secundum vero legis praeceptum Heli efficirur filius. Cujus Jacob, quia frater erat, uxorem ad suscitandum frarris semen acceperat. Et per hoc rata invenitur atque integra generatio, & ea, quam Matthaeus enumerat, dicens: Jacob autem genuit Joseph: & ea, quam Lucas comperenti observa- Luc. 3. 23. tione designar, dicens: quod putabatur esse filius Joseph. Haec autem nobis non ad subjectum reperta, aut absque ullis auctoribus commemorara, sed ipsi haec Salvatoris nostri secundum carnem propinqui, seu studio tanti sermonis demonstrandi, sive edocendi, quae secundum veritatem gesta sunt, tradiderunt. Haec Africani verba. Ex quibus apparet, illum alia via, quam Augustinus fecerit, hanc solvisse quaestionem. Quod enim Augustinus distinxerat, Josepho duos fuisse parres, alrerum secundum naturam, alterum secundum adoptionem; Africanus, aliter discernens, dixit: Josephum duos habuisse parres, unum secundum naturam, scilicet Jacob, alterum legalem, secundum legis substitutionem, scilicet Heli. Quam sententiam, etiam Joannes Damascenus lib. 4. cap. 6. & Hieronymus in Commentariis super Matthaeum, secuti sunt.

SED aliquis fortasse nobis contra hanc Julii Africani solutionem opponet; Lib. 2. cap. 5. quod Augustinus libro secundo Quaestionum evangelicarum dicit, hanc solutionem videri infirmam: quia cum quisquis apud Judaeos defuncto fratre, vel propinquo prolem de uxore ejus exuscitat, illud quod nascitur, nomen defuncti so- Deut. 25. 5. 6. let accipere. Sic enim in Deuteronomio scribitur: Quando habitaverint fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, sed accipiat eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit ut non deleatur nomen ejus ex Israël. Joseph igitur de uxore superstite jam defuncti Heli natus non videtur: quia juxta legis ordinem, non Joseph, sed Heli defuncti nomine, cujus semen Jacob frater suscitaverat, debuerit appellari.

August. 2. Retract. cap. 12. CUI respondemus, eundem Augustinum, cum hanc sententiam suam in 2. libro Retractationum suarum retractaret; praesentem objectionem dissolvisse, his verbis: In secundo, inquit, lib. Quaestionum evangelicarum, volens exponere, quomodo duos patres potuerit habere Joseph; cujus conjux dicta est Virgo Maria, illud, quod perhibetur, fratrem duxisse defuncti fratris uxorem, ut ei semen secundum legem suscitarer, ideo dixi esse infirmum, quoniam qui nasceretur, nomen defuncti lex eum juberet accipere, non est verum: nomen enim defuncti, quod dictum est, ad hoc lex valere praecipit, ut ejus filius diceretur, non ad hoc, ut hoc quod ille vocaretur. (a)

Augu. lib. 27. contra Faust. cap. 5. 8. IN eo praeterea, quod Faustus Genealogiam hanc abjiciendam putat, quia nusquam in ea usque ad baptismum Matthaeus Christum dixerit esse filium Dei, sed tantum filium hominis, impudentissime pro more suo mentitur: nam ubi primum Evangelista Salvatoris nostri parentes enumeravit, statim addit, eum, quem filium Davidis appellaverat, ex virgine Maria de Spiritu Sancto conceptum & Isai 7. 14. natum esse: adhibens etiam huic dicto testimonium Esaiae: Ecce virgo concipier,

& parier

(a) Ad pleniorem hujusce rei notitiam consule Johannem Maldonatum in cap. 3. Lucae. Dissertationem Petri de Marca de stemmate Christi, Philippum Codurcum Dissertat. de Genealogia Christi, Continuatores Bollandi in Propylaeo Actorum SS. mensis Maji, Bernardum Lamy Cap. VI. commentar. in concordiam Evangelicam, Sebastianum Tillemontium in suis notis ad Vitam Jesu Christi; ex NN. autem Ignatium-Hyacinthum Amat de Graveson de Mysteriis & Annis Christi Dissert. III. & Jacobum-Hyacinthum Serry de Christo, & Deipara Exercit. XLI. & XLII.

& pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus. Quod autem dicit, Christum nunquam in toto Matthaei evangelio se fateri matrem, aut genus habere in terris, ex eadem impudentia progreditur. Sed quoniam a me totus Matthaei liber sermoni huic inseri non potest, legat qui voluerit, & videat, quemadmodum Matthaeus eum, quem vocavit filium David, dum parentes ejus enumeraret, ita usque ad passionem, & resurrectionem narrando perducat, ut eum semper Deum & hominem faciat. [August. cont. Faust. lib. 7. cap 1] Quod si propterea putat non habuisse in terra matrem, vel genus, quia dixit: QUAE mihi mater, vel, qui fratres? [Matth 12.48.] Superest etiam, discipulos ejus, quibus hoc exemplum in se praebuit, in terreni generis necessitudinem propter regnum coelorum contemnerent, affirmet non habuisse patres, quia dixit eis: NE vobis dicatis patrem in terra: unus est enim pater vester Deus. [Matth. 23. 9.] Quod ergo istos de patribus docuit, hoc ipse de matre & fratribus prior fecit, non matrem, & fratres, quo ad humanitatem negans, sed eos propter regnum coelorum contemnens.

9. JAM vero ad illud Fausti dilemma, quo etiam usus est nefandissimus ille Judaeus, Auctor libri Nizahon, videlicet: si Christus est de tribu Juda, filius David secundum carnem, quaeritur, undenam filiationem istam a Davide secundum carnem deducat, ex Josepho ne, an potius ex Maria? [Augu. lib. 23. contra Faust. cap 8. & 9 & li 2 de Conf. Evangelistar. cap 1.] respondemus, Ex utroque: quia uterque ponitur ab Evangelista in serie progenitorum Christi; de Spiritu Sancto tamen sine humano concubitu. Dicitur enim, & vere etiam est filius David secundum carnem, ex Josepho: quia Joseph Mariae vir est, & maritus, habens eam conjugem, non concubitu, sed affectu, non conjunctione corporum, sed copulatione (quod charius est) animorum, & casti animi confoederatione. Sic enim inquit Angelus: JOSEPH fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam. [Matth. 1. 20.] Atque idcirco Joseph pater est Christi, quia maritus est parentis Christi. Deinde filius Davidis est secundum carnem, ex Maria virgine, sine humano semine, quoniam Maria de stirpe Davidis originem ducit. Quod ideo credimus, quia cum Scripturae dicant, Christum ex semine David esse, secundum carnem, eundemque dicant per virginem Mariam esse procreatum de Spiritu Sancto, consequens est Mariam fuisse in cognatione David. Quod autem Faustus dicit, Mariam ad consanguinitatem David non pertinere, ponens, quod patrem habuerit ex tribu Levi, sacerdotem quendam nomine Joachim, quia canonicum non est, non me constringit. Sed etsi hoc crederem, ipsum potius Joachim dicerem aliquo modo ad Davidis sanguinem pertinere, & aliquo modo ex tribu Juda in tribum Levi fuisse adoptatum, vel ipsum, vel ejus aliquem progenitorem; vel certe in tribu Levi ita natum, ut de stirpe David consanguinitatem aliquam duceret. Hoc ergo potius, vel tale aliquid crederem, si illius apocryphae scripturae, ubi Joachim pater Mariae legitur, auctoritate detinerer, quam mentiti Evangelium, in quo scriptum est, Salvatorem nostrum ex semine David, secundum carnem, & per virginem Mariam procreatum. Haec Augustinus: quem, ne quis existimet, ob praedicta verba ita credidisse, Mariam fuisse de stirpe David, ut nullo modo crediderit, eam fuisse de stirpe Levi, visum est addere certam, & indubitatam ejus patris sententiam, qua Mariam ex utraque stirpe Davidis & Levi fuisse fatetur. Sic enim ait in secundo De consensu evangelistarum: MARIAM de stirpe David aliquam consanguinitatem duxisse, dubitare utique non debemus: [August lib 2. de Conf. Evang cap. 1.] cujus foeminae, quando nec sacerdotale genus tacetur, insinuante Luca, quod cognata ejus esset Elisabeth, quam dicit de filiabus Aaron, [Luc. 1. & 2.] firmissime tenendum est, carnem Christi ex utroque genere propagatam, & regum scilicet, & sacerdotum: in quibus personis apud illum populum Hebraeorum, etiam mystica unctio figurabatur; id est, chrisma, unde Christi nomen elucet, tanto etiam ante ista evidentissima significatione praesignatum.

10. QUOD tandem dicit, propterea de hac genealogia Apostolis non esse credendum, quia Christo jam maturo adhaeserunt, nec eum viderunt, neque se id ab eo audisse unquam dixerunt, in ipsummet recidit. [August cont. Fau. lib 7. c. 2.] Cur enim credit Joanni dicenti; In principio erat verbum, & Deus erat verbum, & caetera, quae illi, quamvis non intelligenti, placent? [Johan. 1. 1.] Dicat, ubi hoc Joannes viderit, aut ubi se hoc ab ipso Domino audisse dixerit? quicquid enim dixerit, unde hoc Joannes

scire

ſcire potuerit, inde credimus etiam omnes annunciatores nativitatis Chriſti ſcire potuiſſe. Deinde ſi Chriſtum natum, quia jam juveni adhaeſerunt, non potuerat noſſe Matthaeus, unde potuit Chriſtum non natum poſt tot annos natus noſſe Manichaeus? Dicturi ſunt: Spiritu Sancto hoc ſciebat, qui erat in Manichaeo: ſed cur non potius hoc de Chriſti diſcipulis credimus, qui ei corporaliter adhaeſerunt, & totam Chriſti originem ſecundum carnem collegerunt, quam de ſacrilego Manichaeo, qui cum tot falſa dixerit, Spiritum Sanctum habere non potuit?

11. VENIO nunc ad argumentum Anabaptiſtarum, quod tres habet partes. PRIMAM, de genealogia Chriſti, male de ſtirpe David ex Jeconia, per Salathielem deducta: ſecundam, de diſſonantia generationum inter ipſum, & Lucam: tertiam, de eo, quod ſe in quolibet quartodenario dixerit quatuordecim generationes poſuiſſe, cum ſolummodo tredecim in ultimo quartodenario collocaverit. Ad quarum primam reſpondetur, Salathielem filium fuiſſe Jeconiae, quem ipſe in Babylone eductus de carcere genuit. Scribit de eo Philo Judaeus in ſecundo Chronographiae, in hunc modum. IN FINE autem ſeptimi anni, Evilmerodac eductum Joachim cognomento Jeconiam de carcere, in honore habuit: eumque populus Neri cognominavit: quia lucerna David, quae timebatur extincta, illuxerit: mox liberato Neri, datus eſt ei a Deo filius Meſezebeel, cognomento Salathiel, qui anno decimo ſeptimo, ante ſolutam captivitatem, genuit Barachiam, qui anno decimo ſeptimo, poſt ſolutam captivitatem, dux populi fuit, & ab eo ducatu dictus Zorobabel, anno a tranſmigratione octogeſimo primo, & a deſolatione ſeptuageſimo. Cui ſententiae nihil obſunt verba Jeremiae: quippe qui non de ſterilitate, & orbitate prolis, ſed de orbitate regni loquitur: quia Joachim nullum ſibi reliquit regni ſucceſſorem: quod & ſequentia Jeremiae verba clariſſime oſtendunt. Statim enim poſt verba illa, SCRIBE virum iſtum ſterilem, addit: Jerem. 22. 30. QUI in diebus ſuis non proſperabitur, nec erit de ſemine ejus vir aliquis, qui ſedeat ſuper ſolium David, & poteſtatem habeat ultra in Juda. Quod autem Meſezebeel cognomento Salathiel, Zorobabeli fuerit pater, ſicut Matthaeus ſcribit, liber Eſdrae capitulo ſecundo, & tertio, itemque liber Neemiae capite tertio abunde teſtantur.

Aug. lib. 2 de Conſ. Evang. cap. 2. & 4. SECUNDAE argumentationis parti Auguſtinus in ſecundo De conſenſu evangeliſtarum ſatisfacit his verbis: IDEO numerus generationum in Matthaeo, & Luca diverſus eſt: quia uterque ſub diverſa Chriſti perſona diverſam texit genealogiam. Matthaeus quidem, qui regiam in Chriſto perſonam inſtituerat inſinuare, naturales Chriſti ex regibus Judaeorum geneнerationes enumerat; Lucas vero ſacerdotalem in Chriſto perſonam oſtendere volens, generationes adoptionis Chriſti percurrit. In generationibus Matthaei ſecundum naturam, ſignificatur noſtrorum ſuſceptio peccatorum a Chriſto: in generationibus Lucae, ſecundum adoptionem, ſignificatur noſtrorum abolitio peccatorum a Chriſto: & ideo eas ille deſcendens enarrat, hic aſcendens: & ideo utrinque generationum apud eos diverſus eſt numerus, quia diverſa generationum eſt ſeries.

Aug. lib. 2. de Conſ. Evang. c. 4. & in Qu. Novi Teſtamen. Qu. 5. AD tertiam argumenti partem, quam olim Porphyrius Chriſtianis objecerat, aliter Auguſtinus, aliter Hieronymus reſpondet. Auguſtinus allegoriam reſpiciens, inquit, oportere nos Jeconiam bis enumerare, ut quatuordecim generationum numerus expleatur: recteque ait, Jeconiam bis numerari, quia ab eo facta eſt quaedam in extraneas gentes deflexio, quando ſcilicet in Babyloniam tranſmigratum eſt: ubi autem ordo a rectitudine flectitur, atque ut eat in diverſum, tanquam angulum facit, illud quod in angulo eſt, bis numeratur, in fine ſcilicet prioris ordinis, & in capite ipſius deflexionis: ſic & iſte Jeconias, qui angulum facit, bis enumeratur. Hieronymus vero propius ad literae ſenſum accedens, ideo nullam in hac genealogia deeſſe generationem dicit; quia ſub nomine Jeconiae, quod unam tantum perſonam ſignificare, atque unam tantum generationem complecti videtur, duo reges ac duae ipſorum generationes habentur. Fuerunt enim duo reges, pater, & filius, uterque Joachim nomine, & Jeconiae cognomine nuncupati, de quibus in poſteri Paralipomenon libro legitur. Differunt autem inter ſe; quia prior Joſiae filius eſt,

Hieronym. in Matth. cap. 1. & in Daniel. cap. 1.

1. Paral. 10.

est, de quo in principio Danielis mentio fit sub nomine Joakim, quod per קים Kim Dan. 1. a
scribitur: posterior vero Joakim filius, & Josiae nepos, qui in principio Ezechie- Ezech. 1. a.
lis ponitur, non per קים Kim. Sed per כין Chin, scribitur. Secunda igitur tessa-
radecas in Joakim Josiae filio desinit: & tertia incipit a Joachin filio Joakim:
quorum uterque Jeconias cognominatus est: quod ignorans Porphyrius calu-
mniam struit ecclesiae, suam ostendens imperitiam, dum Evangelistae Matthaei
arguere nititur falsitatem.

12. CAETERUM si valet, quod Faustus inquit, non debere credi Matthaeo August. cont.
de Christo testificanti, quia non interfuit, & qui non interfuit, vera non dicit, Faust. lib. 17.
sequitur ut nemo hodie de Christo vera dicat, quia nemo de his, qui hodie sunt, cap. 1.
praesens eum vidit, & audivit. Porro si hodie propterea de illo fidelibus ejus vera
dicuntur, quia illi, qui audierunt, vel viderunt, vel praedicando, vel scribendo
ea disseminarunt, cur ex ore Joannis condiscipuli sui non posset vera Matthaeus
audire de Christo, ubi ille adfuit, & ipse non adfuit? Huc accedit, quia & ipse
Dominus potuit narrare Matthaeo, quod antequam eum vocasset, cum his ege-
rat, quos prius vocaverat. At enim hoc ipse Joannes in Evangelio suo ponere de-
buit, si hoc dictum a Domino audierat, qui cum diceretur, praesens erat. Quasi
fieri non potuerit, ut cum omnia, quae a Domino audierat, scribere non posset,
inter alia, quae praetermisit, & hoc praetermiserit, cum in alia scribenda esset
intentus. Nonne Evangelium suum ipse ita conclusit, dicens: HAEC & alia qui- Joh. ult. 25.
dem multa fecit Jesus, quae non sunt scripta in libro hoc: quae si scriberentur
singula, nec ipsum existimo capere mundum, qui scriberentur, libros: hic utique
ostendit multa se scientem praetermisisse.

13. ADDIT praeterea, illam Christi sententiam, quae apud Matthaeum ca- Matth. 8.
pite octavo legitur, parum habere fidei, quia Matthaeus, & Lucas eam non eo-
dem tempore, non eadem occasione, ac loco a Christo dictam scribant, sed pla-
ne inter se diverso, Lucas quidem, post interrogationem de paucitate salvando-
rum a discipulis factam, Matthaeus vero post auditam Centurionis fidem. Atqui August. lib. 33.
levissimum est hujusmodi argumentum. Cur enim fieri non potuit, ut Christus con. Fau. c. 5.
eandem sententiam semel atque iterum diversis locis, ac temporibus repetierit;
& diversis etiam causis & occasionibus applicaverit? Sicut etiam possibile, ac ve-
risimile est, ut quod Matthaeus dixerit, Lucas praetermiserit: nec id absurdum
est, ut quod unus narraverit, alter vel de industria, vel quomodocunque omise-
rit. Nam quis unquam duos historicos legens de una re scribentes, utrunque vel
utrumlibet eorum, aut fallere aut falli arbitratus est, si unus eorum dixit, quod
alius praetermisit? aut si alter brevius complexus, eandem tamen sententiam sal-
vam, integramque custodiens, alter autem tanquam membratim cuncta digessit, ut
non solum quid factum sit, verumetiam quomodo factum sit, intimaret? sicut
Faustus hinc Evangeliorum veritati voluit calumniari: quia Matthaeus aliquid
dixit, quod Lucas cum idem narraret dicere praetermisit, quasi negaverit Lucas
dixisse Christum, quod eum scripsit dixisse Matthaeus.

14. SUPEREST ultimum Anabaptistarum argumentum, quod de vaticiniis
prophetarum falso adductis, & de Magorum adventu, ac caede infantium suspi-
cionem inducunt; quia de hac historia alii Evangelistae nihil locuti fuerint. Quae
sane argumentatio, si quicquam valeat, consequens est, ut ipsa quoque historia
de Lazari resurrectione, quam solus Joannes scribit, & ipsi Anabaptistae veram
negare non audent, falsa sit: quia nihil de ea caeteri Evangelistae meminerint:
qui ideo eam Deo disponente praeterierunt, ut (quemadmodum Chrysologus
inquit) tam grande miraculum, quo nullum in Judaea fuit illustrius, Joanni
Evangelistatum omnium supremo describendum relinqueretur. Joannes autem,
& Lucas, & Marcus propterea nihil de adventu Magorum, & infantium caede
scripserunt: quia de utroque Matthaeum, quantum opus erat, abunde locutum
viderant. Caeterum si Josephus inter alias Herodis saevitias, hanc occisorum in-
fantium crudelitatem non recensuit, nihil id Christianum virum movere debet;
praecipue cum ipse Josephus alia fere innumera, multo etiam majoris momenti,
multoque illustriora vel oblivione, vel incuria, vel potius malitia praeterierit,
sicuti eum Egesippus pervetustus historicus accusat, quod divinam Domini no-
stri

ftri Jesu Christi resurrectionem, ac pleraque ejus divina opera, volens sciensque tacuerit. Quin & Evangelii auctoritas a Spiritus Sancti, & ecclesiae Catholicae auctoritate pendeat, & non a testimonio Josephi, vel cujuspiam alterius prophani Scriptoris quantumcunque probati. Quanquam & inter illos etiam vetustissimos Scriptores non omnino facti hujus testimonium defuturum esset, si nobis in hoc infidelium testimonio opus esset. Siquidem Philo Judaeus tertio Chronographiae suae libello inter alias Herodis crudelitates, hanc infantium caedem enumerans, de Herode sic scribit: HERODES Ascalonita anno trigesimo principatus sui tyrannici, Sanedrim ex domo David delevit, & Annalaeum quendam atque alios Sanedrim ex proselytis suffecit, qui nimium videbantur in lege eruditi, rum & Salomen sororem suam, & virum ejus de tribu Juda, itemque proprium filium, quem ex uxore ejusdem susceperat, interfecit; quod diceretur, jam in lege promissus Christus natus. Cui Macrobius celebris inter Ethnicos auctor consentiens, itidem de filio, ac pueris intra bimatum interemptis, in secundo Saturnalium libro sic loquitur: AUGUSTUS cum audisset inter pueros, quos in Syria Herodes Rex intra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus ab eo occisum, ait: melius est porcum Herodis esse, quam filium: ad id scilicet alludens, quod Judaei ex religione porcos non occiderent. Cujus etiam dicti Dion Cassius Nicaeus, Graecus auctor, in vita ejusdem Augusti mentionem fecit. De stellae item apparitione in Christi nativitate Magis facta, Calcidius secundo in Timaeum Platonis libro scribit eam stellam non denunciasse mortem, & morbos, sed adventum Dei venerabilis ad humanae consummationis, rerumque mortalium gratiam: quam stellam cum nocturno tempore inspexissent Chaldaeorum viri sapientes, significasse dixerunt recentem ortum Dei.

DE TESTIMONIIS vero Prophetarum, quae falso & violenter in evangelium hoc immissa quaeruntur, occurremus ad singula per ordinem: & primum ad id: Quoniam Nazaraeus vocabitur: respondemus, quod Hieronymus non dicit, Matthaeum citasse illud ex aliqun particulariter determinato Propheta, sed interminate, ac indefinite ex prophetis: non enim dixit; Ut adimpleretur quod dictum est per prophetam, sed plurali numero per prophetas: innuens per hoc, se non verba, sed sensum de Scripturis accepisse. Sic enim ipsius verba Hieronymi habent: SI fixum de Scripturis posuisset exemplum, nunquam diceret. Quod dictum est per prophetas; sed simpliciter; Quod dictum est per prophetam: nunc autem pluraliter prophetas vocans, ostendit, se non verba de Scripturis sumpsisse, sed sensum. Nazaraeus enim sanctus interpretatur: sanctum autem Dominum futurum omnis Scriptura commemorat. Possumus etiam & aliter dicere, quod id eisdem verbis juxta Hebraicam veritatem in Esaia scriptum sit: EXIET virga de radice Jesse, & Nazaraeus de radice ejus ascendet. De verbis autem illis a Septuaginta interpretibus praetermissis, videlicet: Ex Aegypto vocavi filium meum: Nulla dubitatio est, quin sint apud Oseam in undecimo capite. Praetermissa sunt autem (ut Hieronymus testatur) a Septuaginta interpretibus prudenti consilio, sicut, &c. his similia loca, quae de Christo filio Dei loquuntur, vel ne Ptolemaeus, caeterique gentiles scandalizarentur, arbitrantes, Deum habere filium, ac proinde duos esse Deos putarent; vel ob alias causas a nobis indicatas, cum de translationibus sacrae Scripturae tractaremus. Quod vero dicunt, Hieronymum addubitasse, ubinam ea verba in veteri testamento legerentur, falsissimum est; cum ipse in Commentariis Oseae palam asserat haec verba juxta Hebraicam veritatem in undecimo capite contineri: atque ibidem Julianum Augustum, hunc locum multo ante Anabaptistas evertentem, his verbis refellat: HUNC locum in Septuaginta volumine, Julianus Augustus, qui adversus nos Christianos evomuit, calumniatur, & dicit. Quod de Israël scriptum est, Matthaeus evangelista ad Christum transtulit, ut simplicitati eorum, qui de gentibus crediderunt, illuderet. Cui nos breviter respondemus: primum, Matthaeum evangelium Hebraeis literis edidisse, quod non poterant legere, nisi qui ex Hebraeis erant: ergo non propterea fecit, ut illuderet ethnicis. Sin autem Hebraeis illudere voluit, aut stultus, aut imperitus, fuit: stultus, si apertum finxit mendacium: imperitus, si non intellexit, de quo haec dicerentur: stultitiam

Marginal notes: Hieronym. in cap. 2. Matth. — Isai. 11. 1. — Ose. 1. 11. — Hieronym in Prol. Pentat. — Hieronym. in Comm. Ose. cap. 11. & in Com. Matth. cap. 2.

titiam ipsum volumen excusat, quod prudenter, ordinateque compositum sit: imperitum non possumus dicere, quem ex aliis testimoniis Scripturarum scientiam legis habuisse cognoscimus. Superest ergo, ut illud dicamus, quod ea, quae τυπικῶς praecedunt in aliis, juxta veritatem, & adimpletionem referantur ad Christum. Haec Hieronymus, cujus ultima verba ad vaticinium illud quod nobis Anabaptistae ex Jeremia opponunt, ita aptari possunt, ut dicamus ea, quae olim de captivitate filiorum Israël, super Rachele ad literam dicta sunt, illa eadem juxta mysticam figurae impletionem ad caedem infantium referri. Jerem. 31. 15.

DE MARCI EVANGELIO. HAERESIS III.

MARCI Evangelium, quod nunc ecclesia legit, depravationis ac falsitatis suspicione non carere.

ASSERTORES HUJUS HAERESEOS.

HAEC Anabaptistarum nostri temporis haeresis est, qui in hoc ab Ebione, Cerintho, & Merintho, ac Marcione dissentiunt, quod illi hoc evangelium Marci prorsus abjiciunt: hi vero, cum se illud recipere fateantur, pro sua tamen libidine, aliqua ex eo suscipiunt, aliqua vero, quae adversus ipsorum dogmata pugnant, tanquam a falsariis immissa rejiciunt, affirmantes hoc propterea licere sibi, quia certo constet, evangelium Marci male a corruptoribus fuisse tractatum, aliis ordinem historiae pervertentibus, aliis vero multa, quae prius in eo non fuerant, superaddentibus, quemadmodum subjectis eorum argumentis ostenditur.

OBJECTIONES HAERETICORUM.

1. IN ipso statim exordio apparet, Evangelium hoc esse a corruptoribus contaminatum, in verbis illis: INITIUM evangelii Jesu Christi filii Dei, sicut scriptum est in Esaia Propheta: Ecce ego mitto angelum meum, qui praeparabit viam tuam ante te. Quae verba non a Marco Evangelista huic Evangelio praeposita sunt, sed a quodam inepto depravatore parum in Scripturis veteris testamenti versato, qui hoc exordium, non intellecto Prophetae testimonio convenire voluerit. Neque enim verisimile est, Marcum adeo fuisse divinarum Scripturarum expertem, ut nescierit, hoc non ab Esaia, sed a Malachia Propheta, scriptum. Nec valet illa solutio, Marcum, videlicet, quod Malachiae erat, Esaiae tribuisse: quia etsi non verba, sensus tamen reperiatur in Esaia. Nam si hoc fuerit admissum, nihil retulerit, quo titulo aliquid e Sacris literis citetur: quoniam iidem sensus ubique ferme sub diversis verbis in Sacris voluminibus reperiantur. Unde Hieronymus videns evangelistam, si hoc scripsisset, ab imperitiae calumnia vindicari non posse: in Commentariis super Matthaeum capite tertio errorem istum in falsarios rejecit, inquiens: Nos autem putamus, nomen Esaiae additum Scriptorum vitio, quod & in aliis locis probare possemus. Sed demus Marcum citasse nomen Esaiae pro nomine Malachiae: quia tunc ei scribenti aliud nomen non succurrisset, credibile tamen non est, eum adeo fuisse imperitum, ut ignoraverit, Malachiam, non de Joanne Baptista, sed de Helia Propheta fuisse locutum, ut verba ejus infra capite quarto, ad eundem propositum pronunciata testantur, scilicet: ECCE ego mittam ad vos Heliam Prophetam, Malac. 4. 5. antequam veniat dies Domini magnus, & terribilis: & convertet corda patrum ad filios, & corda filiorum ad patres eorum: quae verba ostendunt, prophetam non de adventu Joannis locutum, qui in primo adventu Christi in carnem venisse legitur, sed de adventu Heliae prophetae in ultimo judicii die, qui in Scripturis Domini magnus, & terribilis appellatur.

2. SED ne forte hujus Evangelii finis ab ipsius exordio discreparet, idcirco Scripturarum depravatores in calce ejus addiderunt totum illud, quod nunc in postremo ejus evangelii capite de resurrectione, & ascensione Domini legitur: quod capitulum inde sciri potest, non fuisse a Marco conscriptum. Primo, quia in eo caeteris Evangelistis contraria de resurrectione, & apparitione Christi referuntur. Secundo, quia, ut Hieronymus, Quaestione tertia, ad Hedibiam tradit,

postremum illud capitulum in nullis antiquis Graecis codicibus invenitur. Tertio, quia Hieronymus, & multi veterum Patrum, hujus capitis testimonium, tanquam incertae auctoritatis, rejiciunt. Sic enim de hoc ultimo evangelii capite, Hieronymus praedicto loco scribit. NON recipimus hoc Marci testimonium, quod in raris fertur evangeliis, omnibus Graeciae libris pene hoc capitulum in fine non habentibus: praesertim cum diversa, atque contraria evangelistis caeteris narrare videatur.

3. QUAE vero inter principium ac finem hujus evangelii posita sunt, tam praepostere, confuse; & inordinate referuntur, ut quae Matthaeus Evangelista prius dicta factave scribat, hic tanquam posterius gesta commemoret: & e contra, quae Matthaeus multo post tempore evenisse narrat, hic longe antea ponat, nulla servata temporum, ac gestarum rerum ratione. Unde facile judicatur, evangelium istud non hoc ordine primum a Marco fuisse digestum, sed magis secundum ordinem, ac dispositionem Matthaei, cujus, ut Augustinus in libris De evangelistarum concordia testatur, Marcus abbreviator fuit, cujusque evangelium in compendium contraxit, adeo etiam imitato Matthaei stylo, ut Erasmus in Apologia sua contra Albertum, Carporum principem, scripserit, eundem fuisse Scriptorem utriusque evangelii, Marci scilicet, & Matthaei; deinde vero post aliquod tempus, aut negligentia scriptorum, aut malitia haereticorum susque deque jactatum, & absque ullo ordine in acervum congestum. Haec Anabaptistae.

DILUTIO.

[Chrysostom. in 1.c.Marci.] 1. QUIBUS respondentes, dicimus, primum eorum argumentum non esse novum, sed multis jam ante saeculis a Porphyrio Christianis objectum, & in decimo quarto suorum voluminum libro annotatum: cui divus Hieronymus occur- [Hierony. sup. 1. cap. Matth.] tens, argumentum, ait, bifariam posse dissolvi: altero quidem modo, ut juxta veterum Ecclesiasticorum sententiam dicamus, Marcum propterea testimonium [Marc. 1. 2] illud Esaiae tribuisse, quia statim post illud alterum Esaiae testimonium seque- [Isa. 40. 3.] tur, ex quadragesimo ejus capite desumptum, videlicet: Vox clamantis in deserto: parate viam Domino, rectas facite semitas ejus. Quare cum Marcus ex illis duobus testimoniis unum corpus effecisset, totum illud sub nomine Esaiae citavit: [Rom. 3. 11.] quod & Paulus ad Romanos scribens, aliquando fecit: quo loco, cum ex Deuteronomio, & Psalmo tertio decimo, & ex aliis quibusdam Scripturae locis testi- [Psalm. 13. 3.] monium illud texuisset: OMNES declinaverunt, simul inutiles facti sunt: usque ad eum locum: Non est timor Dei ante oculos eorum: totum quasi de Psalmo citavit. Cum tamen verba illa ab eo versu: sepulchrum patens est guttur eorum: usque ad eum versum: Non est timor Dei ante oculos eorum; in Hebraeo non habeantur. Altero vero modo solvi potest, ut dicamus nomen Esaiae vitio Scriptorum fuisse additum, cum prius non esset. Verisimile enim est, Scriptores imperitos vicinitate duorum testimoniorum facile decipi potuisse, ut crederent, unum tantum esse testimonium, quae duo erant, & proinde nomen Esaiae ipsis forte ocius apposuisse. Nec tamen ex hoc sequitur, totum Marci evangelium esse de corruptione, & contaminatione suspectum, quia unicum verbum ex imprudentia Scriptorum additum sit: quod additum, vel subductum nihil de veritate lectionis diminuit. Unde & Graeci codices hujus testimonii citationem diverse legunt. Alii, scilicet recentiores, dempto Esaiae nomine, legunt, ὡς γέγραπται ἐν τοῖς προφήταις. SICUT scriptum est in Prophetis: vetustiores vero, sicut Epiphanius [Haeres. II.] citat libro secundo adversus haereses, legunt, ὡς γέγραπται ἐν τῷ Ἠσαΐᾳ προφήτῃ, sicut scriptum est in Esaia propheta. Quibus etiam consentit vetustissimum Vaticanae Bibliothecae exemplar Graecum, majusculis literis exaratum.

QUOD autem improbi Anabaptistae subdunt, Malachiae testimonium, non [Malac. 3. 1.] de Joanne Baptista, sed de Helia intelligi, commentum est, ac fabula Judaeorum nostri temporis, qui per angelum missum ante faciem, eundem angelum intelligunt, quem statim post Malachias appellat angelum testamenti, seu foederis. [Judaeorum insignis superstitio.] Hunc Judaei Heliam esse putant: quia ille zelum habuit pro foedere circuncisionis, proindeque semper cum puerum circumcidunt, in omni circumcisione adornant Heliae sellam, putantes, spiritum Heliae praeire ante faciem pueri circumciden-

di,

di, tanquam pro circumcisionis testamento, pactoque zelantem. Judaei quoque tempore Hieronymi primam partem istius vaticinii, scilicet, ECCE ego mitto angelum meum ante faciem tuam, de Helia interpretabantur: sequentia vero, ET statim adveniet ad templum suum, dominator Dominus, & angelus testamenti, quem vos vultis, ad ἠλειμμένον suum (ut Hieronymi verbo utar) hoc est, ad Christum suum, quem credebant, & adhuc credunt, ultimo tempore venturum, referebant. Verum Christus redemptor noster docet, de quo prophetia haec intelligenda sit, nempe de praecursore suo Joanne Baptista, qui angelum egit in officii dignitate, & vitae sanctitate, inquiens: HIC est enim, de quo scriptum est: ECCE ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam ante te. Nec obstat, quod Anabaptistae una cum recutitis Judaeis dicunt prophetam Malachiam seipsum declarare infra, quod de Helia loquatur, cum dicit: Ecce ego mitto ad vos Heliam prophetam, quoniam angelus apud Lucam, & Christus apud Matthaeum, eadem verba de Joanne Baptista exponunt. SI vultis scire, inquit Christus, ipse est Helias, qui venturus est: ideo Helias per similitudinem dictus, quia in virtute & spiritu venit Heliae, hoc est, parem habens sancti spiritus mensuram, vel gratiam, vel meritum, eandemque vitae austeritatem, ac mentis rigorem. Quod autem additur, Heliam venturum ante diem magnum, & terribilem: neminem movere debet, quasi ad Joannem, qui non in secundo, sed in primo Christi adventu venit, aptari non possit: quoniam in Sacris literis dies magnus Domini ac terribilis, non solum de secundo Christi adventu ad judicium, in quo venturus est Helias, sed etiam de primo Christi adventu in carnem, quem Joannes praecessit, intelligi solet. Dicitur autem primus Christi adventus secundum carnem Dies Domini magnus, & terribilis, vel propter excaecationem, & ruinam Hebraeorum terribilem in eo factam, vel (ut Beda inquit) propter diem nativitatis, & passionis Christi, qui a Petro Apostolo ex testimonio Joëlis Prophetae appellatus est dies Domini magnus, ac manifestus, eo quod cum Christo nato, novum sidus emicuit, & eo crucifixo sol obscuratus est, luna non dedit lumen, terra contremuit, petrae scissae sunt, monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, quae dormierant, magno spectantium terrore per urbem discurrere visa sunt.

Hieronym. in 1. cap. Malac.
Matth. 11. 10.
Luc. 7. 27.
Malach 4. 5.
Matth. 11. 14.
Joël. 2. 18.
Act. 2. c

2. QUO ad ultimum hujus evangelii caput pertinet, & Anabaptistae, ut haereticorum mos est, Hieronymi sententiam detruncatam producunt: dempta particula (AUT) quae in principio ejus sententiae legitur. Sic enim Hieronymus eam non asserendo, sed aliorum sententiam a sua distinguendo protulit, dicens: AUT non recipimus Marci testimonium, aut hoc respondendum est, scilicet, juxta nostram sententiam. Non enim poterat Hieronymus capitis hujus scripturam rejicere; quam, de Graeco traduxerat, ecclesiae legendam dederat, & adhibita etiam peculiari expositione comprobaverat. Quod autem subtexuit Hieronymus, olim caput istud in Graecis exemplaribus non fuisse, & ob id ab aliquibus rejectum, eo quod aliis evangelistis videretur contraria continere, non de tota hujus capituli scriptura intellexit, sed de quibusdam apocryphis capituli hujus perindis, ab incertis auctoribus, in quibusdam codicibus immissis: quae, quia vel dubiae, vel aliis evangelistis contrariae viderentur, idcirco a Patribus de Graecis codicibus subductae sunt: quod ipse Divus Hieronymus libro secundo adversus Pelagianos declarat his verbis: In quibusdam exemplaribus, & maxime Graecis codicibus, juxta Marcum in fine ejus evangelii scribitur: POSTEA cum accubuissent undecim, apparuit eis Jesus, & exprobravit incredulitatem & duritiam cordis eorum: quia his, qui viderant eum resurgentem, non crediderant, & illi satisfaciebant, dicentes: Saeculum istud iniquitatis & incredulitatis substantia est, quae non sinit per immundos spiritus veram Dei apprehendi virtutem: idcirco jam nunc revela justitiam tuam. Quae verba sic a Hieronymo citata, nunc, nec in Graecis, nec in Latinis codicibus habentur. Quod vero Anabaptistae ex Hieronymo adjiciunt, capitulum istud contraria aliis evangelistis De resurrectione Domini continere, idem Hieronymus solvit in hunc modum. De apparenti contradictione inter Matthaeum, & Marcum respondendum, quod uterque verum dixerit. Matthaeus, quando Dominus surrexerit vespere sabbati, Marcus autem, quando eum viderit

Marci ultim.
Hierony. ad Hedibi Qu. 1.

rit Maria Magdalena, id est, mane primo sabbati: ita enim distinguendum est t cum autem resurrexerit (& parumper spiritu coarctato inferendum) prima sabbati, mane, apparuit Mariae Magdalenae, ut qui vespere sabbati juxta Matthaeum surrexerat, ipse mane, prima sabbati, juxta Marcum apparuit Mariae Magdalenae: quod quidem & Joannes Evangelista significat, mane eum alterius diei visum esse demonstrans. Non oportet igitur ob tam levissimas causas capitulum istud in dubium revocare, quod in omnibus codicibus, tam Graecis, quam Latinis, legitur, & quod ecclesia singulis annis in sacris mysteriis sanctissimae resurrectionis, & ascensionis decantat.

3. QUOD de ordine rerum gestarum transposito, ac temeraria Erasmi conjectura opponunt, falsissimum est nempe, eundem esse Matthaei, & Marci evangeliorum auctorem. Matthaeum enim suum ipsius evangelium Hebraïce scripsisse, supra probatum est: Marcum vero etiam suum scripsisse, Irenaeus, Clemens, Eusebius, & plerique alii Patres testantur: praesertim vero Hieronymus in libro De viris illustribus, de Marco sic scribit: Marcus Petri in baptismo filius, atque in divino sermone discipulus, & interpres, qui juxta id, quod Petrum referentem audivit, rogatus a Patribus breve scripsit evangelium, quod cum Petrus audisset, probavit, & ecclesiae legendum sua auctoritate edidit, sicut Clemens in sexto ὑποτυπώσεων libro scribit.

DE ordine vero, dicimus evangelium istud eadem, qua nunc legitur, narrationis serie a Marco fuisse conscriptum: qui non ordinem temporum, sed narrationis veritatem solummodo curavit, quemadmodum Papias Joannis Apostoli discipulus in libris explanationis verborum dominicorum testatur: cujus verba Eusebius tertio libro historiae ecclesiasticae recitat hoc modo: MARCUS interpres fuit Petri, & quaecunque meminerat ab eo dicta, conscripsit, non tamen per ordinem ea, quae a Domino dicta sunt, vel facta digessit: quia non ipse auditor Domini fuit, vel sectator, sed novissime, ut dixi, Petro adhaesit, ad usum ac ministerium praedicandi, non ad conscribendos Domini sermones. Itaque nihil peccavit Marcus in eo, quod ita quaedam scripsit, quasi qui sparsim audita recordari videatur. Et hoc solum satis egit, ne quid ex auditis omitteret, aut aliquid falsum scriberet. Quae Papiae defensio pro ordine a Marco non servato, satis est, ad obturanda prophana haereticorum ora, qui contra ordinem a Marco praetermissum oblatrant.

Eusebius lib. 3. Hist. Eccl. c. 39.

DE LUCA EVANGELIO. HAERESIS IIII.

EX evangelio Lucae, quaedam a falsariis addita subtrahere, quaedam vero ab iisdem subtracta reponere.

ASSERTORES HUJUS HAERESEOS.

HAEC, Cerdonis, Marcionis, & Anabaptistarum; haeresis est, in qua quidem Marcion, & Cerdon ita differunt a Cerintho, Merintho, & Carpocrate, quod sicut illi prorsus evangelium Lucae abjiciunt, sic isti rejectis in totum aliis evangeliis, solum evangelium Lucae recipiunt. Ita enim de his Irenaeus in libro primo, Tertullianus in libro de haeresibus, Philastrius in catalogo, & Epiphanius referunt. Verum Marcion, & Cerdon, quamquam hoc solum evangelium profiteantur, non tamen eum integrum accipiunt, sed ubique adulteratum, mutilum, amputatum, nec principium, nec medium, nec finem habens, vestimento a tineis corroso persimile. Cujus depravationes, additiones, subtractiones, aliaque hujusmodi vitia Epiphanius longa admodum digressione, quod Pavimentum vocat, latissime explicavit, confutans in ea, quaecunque a Marcione adulterata & immutata fuerant. Eam nos digressionem in compendium brevius, & distinctius redactam, huic loco inserendam judicavimus, non sane quod multum referat hujusmodi Marcionis depravationes nosse, sed ut ex Epiphanii confutationibus, quas unicuique Marcionis depravationi secundum numerorum ordinem apposuimus, intelligant divinarum literarum studiosi, qua via & quo ingenio scripturae adulteratae & corruptae a synceris, & incontaminatis deprehendantur, & quibus ar-

Iren. advers. haer. libr. 1. cap 27. Tertul. Praescr. haeret. c 51. Philast. c. 45.

Epiph. lib. 1. adv. haer. 42

gumentis

gumentis redarguantur ejusmodi scripturarum depravatores, Marcionistis, & Anabatistis persimiles. Sunt autem hae, quae hic per ordinem capitulorum evangelii subjiciuntur.

LOCA A MARCIONE IN LUCA DEPRAVATA.

1. IN primo capite Lucae statim in principio rejicit prooemium, una cum his, quae habentur toto primo, ac secundo capitulo: de Zacharia & Helisabeth, de conceptione Joannis Baptistae, de nativitate Mariae*, de Christi nativitate in Bethleem, de circuncisione Christi, & praesentatione in templum, & inventione ejus in templo in medio Doctorum. Haec omnia resecuit, facto initio evangelii ab exordio tertii capitis: ANNO quintodecimo imperii Tiberii Caesaris, & juxta evangelii seriem sic usque ab initium octavi capitis perseveravit, paucis, ac fere nullis verbis immutatis.

* Annunciatione Mariae.

2. In octavo capite non habet: Venerunt autem ad illum mater, & fratres ejus, &, Mater mea, & fratres mei sunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt.

3. In decimo capite, ubi dicitur, Confiteor tibi Domine Pater coeli, & terrae, non habet: nec Pater, nec terrae.

4. In undecimo capite rejecta est historia, de Jona, Ninive, Regina Saba, & Salomone.

5. Item de eodem, praeteritis judicium Dei, habet vocationem Dei.

6. Ibidem non habet: propterea dixit Sapientia Dei: mittam ad ipsos Prophetas: nec de sanguine Zachariae, Abel, & Prophetarum.

7. In duodecimo, non habet, Nonne quinque passerculi duobus assibus veneunt, & unus ex ipsis non est in oblivione positus coram Deo?

8. Ibidem pro: confitebor ipsum coram Angelis Dei: legit: coram Deo.

9. Ibidem non habet: Deus vestit foenum, quod in clibanum mittitur.

10. Ibidem pro: Pater vester: legit: Pater: abjecto: vester.

11. Ibidem: pro secunda, & tertia vigilia: habet, Vigiliam vespertinam.

12. De tertiodecimo capite resecuit illud: Venerunt quidam nunciantes ipsi de Galilaeis, quorum sanguinem commiscuit Pilatus cum sacrificiis ipsorum: usquequo dicit: de decem & octo, super quos cecidit turris in Siloa.

13. Item ex eodem capite abscidit: Cum videritis Abraham, Isaac, & Jacob, & omnes Prophetas in regno Dei: pro hoc autem posuit: Cum omnes justos videritis in regno Dei, vos autem expelli foras, fecit, detineri foras: illic erit fletus, & stridor dentium.

14. Item rescidit. Venient ab Oriente, & Occidente, & quod reliquum est ejus capitis usque in finem.

15. De quintodecimo capite desecuit totam parabolam filii prodigi.

16. In decimoseptimo capite amputavit illud: Dicite, servi inutiles sumus.

17. In decimo octavo capite, ubi dicitur: Nemo bonus nisi solus Deus: adjecit: Pater: & pro: Mandata nosti: fecit: novi.

18. Item, amputavit: Cum assumpsisset Jesus duodecim, dixit: Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quae scripta sunt per Prophetas de filio hominis, tradetur enim & occidetur, & tertia die resurget.

19. In decimonono capite resecuit historiam de Asino, & Betphage, & de destructione civitatis, & templi, usque in finem capituli.

20. De vigesimo capite abjecit parabolam de vinea locata colonis.

21. Item ibidem amputavit hoc: Quod autem resurgent mortui, etiam Moses ostendit dicens, Deum Abraham, Deum Isaac, & Deum Jacob.

22. A vigesimoprimo capite rescidit: Tunc qui sunt in Judaea, fugiant ad montes, & caetera usque: ut impleantur, quae dicta sunt.

23. De vigesimosecundo capite detraxit illud: dico enim vobis, non edam ipsum posthac, donec impleatur in regno Dei.

24. Item illud, quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis: & hoc quod scriptum est: oportet perfici: nempe, & cum iniquis reputatus est.

25. Item, rescidit factum Petri amputantis aurem servi.

26. De

26. De vigesimotertio capite ad id,quod dicit: Hunc deprehendimus pervertentem gentem, adjecit, & destruentem legem, ac Prophetas; & post illud, vetantem tributa dari Caesari: apposuit: & avertentem mulieres, & liberos.

27. Item illud. Hodie mecum eris in paradiso.

28. De vigesimoquarto capite immutavit, quod dictum est ad discipulos. O stulti, & tardi corde, ad credendum omnibus, quae loquuti sunt Prophetae: nonne haec oportuit pati Christum? & pro eo quod dicit: quae loquuti sunt Prophetae: fecit. Quae loquutus sum vobis. HAEC ea sunt, quae Marcion ex evangelio Lucae corrupit, caeteris apud eum integris, & sine ulla depravatione remanentibus. Anabaptistae vero nostri temporis, nescio quid & ipsi contra hoc Lucae evangelium garriunt, defecisse scilicet ipsum ab antiqua sua synceritate, & se nunc aliter habere, quam olim habuerit, moti frivolis quibusdam indiciis vix dignis ut referantur, quorum,

Genes. 11. 1. PRIMUM est, quod cum Moses a diluvio, sive a Nohe usque ad Abraham decem tantum generationes numeret; in tertio tamen capite hujus evangelii undecim generationes, adjecta Cainam generatione a diluvio ad Abraham referuntur: quod quidem non Evangelistae culpa, sed falsatoris vitio accidisse credendum est.

2. SECUNDUM sumptum est ex testimonio quodam Epiphanii, qui libro primo, haeresi 42. loquens de verbis illis, quae habentur capite 20. hujus evangelii,

Luc. 20. f scilicet, Quod autem resurgent mortui, etiam Moses ostendit secus rubum, quando dicit. Dominum Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Jacob, Deus autem non est Deus mortuorum, sed vivorum: omnia enim vivunt ei: inquit in codicibus ecclesiae Catholicae bis haec verba in eodem capitulo replicari. Quae tamen verba nunc in vulgata nostra editione, tam Graeca, quam Latina, semel tantum leguntur. Ex quo apparet, verba ista, vel a Marcione ipso, ut ei Epiphanius imponit, vel a quovis alio corruptore, subtracta fuisse. Idemque Epiphanius in libro, quem Ancoratum inscripsit, commemorans locum illum Lucae de-

Luc. 19. g cimonono capite: VIDENS Jesus civitatem, flevit super eam: tradit, verbum illud, flevit super eam, a Catholicis de textu fuisse sublatum, veluti dubium, & non bene conveniens.

3. TERTIUM indicium ex quibusdam verbis Hieronymi deducitur, quod is in libro secundo adversus Pelagianos significare videtur, Historiam angeli apparentis in horto ad Christi consolationem, quae Lucae 22. capit. habetur, in vetustis ecclesiae exemplaribus non fuisse. Ait enim Hieronymus eo in libro: In quibusdam codicibus, tam Graecis, quam Latinis, invenitur scribente Luca: APPARUIT ei angelus de coelo, confortans eum: haud dubium, quin Dominum Salvatorem. Quae verba, si in omnibus ecclesiae exemplaribus fuissent, non oportuerat Hieronymum dicere, in quibusdam codicibus ea verba legi, sed in omnibus. Hilarius autem libro 10. de Trinitate, non solum Angeli consolationem, sed & historiam Christi sanguinem sudantis in evangelio non haberi, multo apertius affirmar his verbis: Nec sane ignorandum nobis est, & in Graecis, & in Latinis codicibus complurimis, vel de adveniente angelo, vel de sudore sanguineo, nihil scriptum reperiri. Ambigentibus igitur, utrum hoc in libris variis aut desit, aut superfluum sit, incertum hoc nobis relinquitur de diversitate librorum. His levissimis conjecturis phanatici Anabaptistae ducuntur. Quibus prius quam occurramus, restat ut videamus, quonam pacto ostendi possit supradicta Marcionis loca ab eo falsata fuisse, ut ex horum confutatione caeteri Scripturarum falsarii, de quavis codicis corruptione convincantur. Quod ut commodius fiat, regulas quasdam dignoscendis falsariis apprime necessarias apponemus; quas sparsim ex multis, ac longis Epiphanii confutationibus breviter collegimus. Hae autem sunt.

Regulae, quibus syncerae Scripturae ab adulteratis haereticorum scripturis deprehendantur, ac redarguantur.

I. REGULA: si qua praeter ea, quae Catholicis codicibus insunt, in haereticorum codicibus extent, eaque ipsa, vel cum antecedentibus, vel subsequentibus

tibus verbis in codicibus haereticorum adservatis pugnant, necessum est illa ab haereticis adjecta, aut immutata fuisse.

Expositio.

VELUTI de loco illo Lucae capite 24. O stulti, & tardi corde ad credendum omnibus, quae locuti sunt Prophetae. In quo Marcionis exemplar pro eo, quod nos legimus: Quae locuti sunt Prophetae: habet: Quae locutus sum vobis: manifeste apparet, quod a falsariis fuerit immutatus ex repugnantia verborum ad praecedentia, & subsequentia: io quibus dicitur, quod Christus non se praebuit agnoscendum discipulis in itinere, donec perveoisset in Emmaus. Non igitur potuit dicere Christus: quae locutus sum vobis: quia nec dum ille se revelaverat eis, nec ipsi eum agnoveruot pro Christo, oisi io fractione panis, ut Marcionis codex ipse testatur.

II. REGULA, praedictae cooversa. Si quaedam ex his, quae nostri habeot codices in exemplaribus haereticorum desint, eaque necessario sequuntur ad praecedentia, vel ad subsequentia, ut sine illis posteriora prioribus necti noo possint, consequens est, ea ab haereticis fuisse detracta; vel si ea, quae desuot, euodem seosum vel idem argumentum habent; idem judicium esto.

Expositio.

UT cum Marcion de suo exemplati detraxit ex Lucae capite 12. illa verba: NONNE quinque passeres asse veneunt, & unus ex ipsis non est in oblivione positus coram Deo: redarguitur ex antecedentibus & coosequentibus in suo codice reservatis. Si enim concedit antecedentia, quod Deus omnium curam habet, & sequentia, quod capilli capitis nostri numerati sunt, cogitur etiam fateri, passeres cadere sub divina providentia, quod ejusdem argumenti est.

III. REGULA. Si quid in codicibus haereticorum, vel eorum dogmatibus favens, redundet, vel iisdem repugnaus deficiat, apparet id ab haereticis, vel tanquam dogmatibus suis propitium, superadditum fuisse, vel detractum taoquam iisdem contrarium, & iofestum.

Expositio.

UT cum in codice Marcioois Lucae 13. capite non iovenitur illud: Cum videritis omnes Prophetas in regno Dei: patet illud a Marcione detractum, eo quod sit contra seipsum reprobantem omnes Patriarchas, atque Prophetas. Similiter cum apud Marcionem invenitur additum illud de Christo, videlicet: destruentem legem, & Prophetas, apparet id esse ab impostore illo factum in subsidium ejusdem erroris sui.

IIII. REGULA. Si facta collatione exemplarium, haereticorum codices cum ecclesiae Catholicae codicibus minime coovenire inveniaotur; apparet codices haereticorum ooo esse synceros.

Expositio.

HAC ultima Regula apud Catholicos, & pios, oulla potest esse certior, ac tutior: eaque sola ad confirmandum animum syncerum, ac pium satis esse potest: attamen, quia haeretici eadem facilitate codices ecclesiae Catholicae contemnent, qua ipsam ecclesiam contemnunt, ideo adversus illos etiam tribus superioribus regulis agendum est. Aggrediamur igitur juxta praedictas regulas Marcionis imposturas secundum assigoatam oumerorum seriem redarguere.

CONFUTATIO.

PRIMO, ex tertia Regula aperte cognoscitur, duo prima Lucae capita esse de industria resecta: quia in ipsis confirmatur veteris legis auctoritas, videlicet, in Zacharia, Elisabeth, Joanne Baptista, circuncisione Christi, purificatiooe Mariae, & inductione pueri in templum: quae omoia destruuot dogma Marcionis negantis legem, & Prophetas.

SECUNDUS locus redarguitur ex secuoda regula: quia cum coocesserit genealogiam progenitorum Christi, cogitur etiam concedere, Christum habuisse matrem in terris, & fratres etiam habere potuisse. Sed videtur Marcion verba haec abrasisse; quia in eis aliquid absurditatis contineri putaverit: quod ita non est. Nam licet Christus in verbis statim proximis succensere videatur, his qui ma- Luc. 8.

trem,

trem, & fratres foris ftare nunciaffent, non tamen, quafi matrem & fratres fecundum carnem negans, hoc dixit, fed tanquam intempeftivam locutionem ejus evertens, qui hoc dixit tanta turba circumftante, & ad falutarem ipfius doctrinam profufa, & ipfo circa praedicationes, & fanationes occupato: avocare enim videbatur Jesum a fufcepto negocio ille quod dixit: Ecce mater tua, & fratres tui
Matth.12.47. ftant foris.

TERTIO, cum abjicit verbum illud, Pater, confutatur per eandem regulam: quia ftatim infra haber: ita Pater, quoniam fic fuit placitum ante te. Cum refcidir verbum illud, Terrae, ex terria regula convincitur: quia negat Deum, patrem Chrifti, effe conditorem coeli, & terrae.

QUARTUS, quinrus, & fextus locus, ex tertia regula deprehenduntur falfati: eo quod auctoritatem veteris teftamenri a Marcione reprobatam confirment.

SEPTIMUS ex fecunda regula redarguitur: quia in antecedentibus & confequentibus divinam providentiam confitetur, etiam fuper capillos noftros extendi.

OCTAVUS, nonus, & decimus locus, ex quarta regula redarguuntur: quia non fic legitur in exemplaribus ecclefiae Catholicae.

UNDECIMUS locus redarguitur ex prima regula: non enim diurnae funt vigiliae, fed nocturnae, a vefpera ad matutinum progreffum habentes, & non a maturino in vefperum.

DUODECIMUS reprobatur ex tertia regula: quia Chriftus confentiens judicio Pilati, oftendit fe judicem omnium effe: quod Marcion negat.

TERTIUSDECIMUS, & quartusdecimus locus, ex tertia regula confutantur: deftruunt enim Marcionis dogma legi & Prophetis contrarium.

QUINTUSDECIMUS locus refellitur ex quarta regula: quia ea parabola in codicibus ecclefiae Catholicae legitur.

SEXTUSDECIMUS locus revincitur ex fecunda regula; quia docet humilitatis regulam, ne fideles per animi elationem operum fuorum mercedem amittant: & tales regulae ubique in evangelico Marcionis codice leguntur.

DECIMUSSEPTIMUS arguitur ex quarta regula.

DECIMUSOCTAVUS refutatur ex fecunda regula: quia ex confequentibus fui codicis admittit Chriftum fuiffe crucifixum: cogitur ergo fateri non effe falfum, quod in noftris exemplaribus habemus: Chriftum afcendentem Hierofolymam praedicere difcipulis paffionem & mortem fuam.

DECIMUSNONUS evertitur ex tertia regula: quia Chriftus ibi contra dogma Marcionis approbat templum, & cultum veteris legis, inquiens: Domus mea, domus orationis vocabitur.

VIGESIMUS dejicitur ex tertia regula; quia Chriftus in parabola Vineae teftatur, Patres Hebraeorum fuiffe ecclefiam Dei, & citat teftimonium Pfalmorum ex veteri teftamento: quae omnia dogma Marcionis de veteri teftamento fubvertunt.

VIGESIMUSPRIMUS ex tertia regula convincitur: quia favet Parriarchis veteris teftamenti, a Marcione reprobatis.

VIGESIMUSSECUNDUS ex tertia regula propellitur; quia favet Prophetis, quos Marcion negat.

VIGESIMUSTERTIUS confutatur ex fecunda regula: quia paulo infra in textu Marcionis legitur: Difpono vobis, ut edatis, & bibatis fuper menfam meam.

VIGESIMUSQUARTUS ex tertia regula deprehenditur: quia eft contra dogma de reprobatione veteris teftamenti.

VIGESIMUSQUINTUS rejicitur ex quarta regula: quia id habent Catholici codices.

VIGESIMUSSEXTUS ex tertia regula exploditur: appofuit enim hoc, quia favebat dogmati fuo de reprobatione legis.

VIGESIMUSSEPTIMUS confutatur ex quarta regula.

VIGESIMUSOCTAVUS arguitur ex prima regula: quia fi Chriftus nondum fe revelaverat difcipulis fuis quomodo poteft dicere: quae loquutus fum vobis?

Haec ad Marcionem dicta fint. Nunc ad parva illa Anabaptiftarum indicia tranfeuntes, breviter refpondemus; non effe ex uno, aut duobus locis, & iis, quo ad verba tantum, & non quo ad fenfum immutaris concludendum, evangelium

lium Lucae, quod nunc tenet ecclesia, quicquam falsitatis, aut perversae immutationis complecti. Quid enim obest, aut fidei, aut moribus; si verba ab Epiphanio citata, aut semel tantum, aut bis in eodem capite referantur? certe nihil: eandem enim vim & efficaciam habet idem Christi testimonium semel expressum, quam bis, & ter, & millies etiam repetitum haberet. Nec mirum est, si nostrum exemplar semel habebat, quod in codice Epiphanii bis legebatur; possibile est enim, id in codice Epiphanii, & in quibusdam aliis etiam ita se habuisse, ut ipse refert, quod forte in aliis Graecis codicibus non habebatur. Credibile est etiam, Patres illos, quibus ab ecclesia Catholica demandatum est munus recognoscendi Scripturas, judicasse hunc locum non fuisse bis ab Evangelista descriptum, sed per imprudentiam, & incuriam Scriptoris (ut plerunque fit) semel atque iterum repetitum: ac proinde eos hunc locum secundario positum amovisse, tanquam superfluum, ut in posterum semel tantum in hoc capite legeretur. Similiter & locum illum de fletu Christi, idem Epiphanius testatur, non fuisse ab omnibus codicibus per Catholicos ademptum, sed semper in correctis exemplaribus retentum, & a Divo Irenaeo, in libris adversus haereses citatum: quanquam nonnulli imperiti Catholici eum de quibusdam codicibus inconsulto detraxerint, ignorantes finem, ac robur verbi illius.

QUANTUM vero ad aliud indicium spectat, respondemus, quod licet in quibusdam codicibus verba angelicae consolationis minime fuerint, & Hieronymus & Hilarius, aut alter quispiam ex Patribus de his incertus fuerit, non tamen ob id de veritate hujus historiae nunc addubitandum est. Scimus enim Canonicas scripturas non solum eas esse, de quibus nunquam Patres dubitarunt, sed eas etiam, de quibus olim fuit in ecclesiis controversia, & postea re diligentius examinata, communi totius ecclesiae auctoritate receptae sunt. Ex quarum numero est praesens historia; de qua cum fuerit apud veteres aliquando dubitatum, tandem unanimi ecclesiarum omnium assensu recepta est: & eam rejicientes, anathemate damnati sunt: sicut apud Athanasium videre licet, libro sexto de Beatitudine filii Dei [a]: ubi inter caeteros anathematismos hic etiam legitur. SI QUIS negaverit verum hominem quem filius Dei assumpsit, sanguinem sudasse, anathema illi. Epiphanius vero totam hanc historiam in libro Anchorato adversus haereticos inducit, & exponit.

DENIQUE ad illud de adjecta Cainam generatione, dicimus ipsum evangelistam ex Septuaginta editione adjecisse eam; cum tamen in Hebraica veritate non haberetur. Cur autem id egerit, satius est reverenter admirari, quam anxie disquirere exemplo Bedae in Praefatione Actuum Apostolorum scribentis in hunc

 modum:

(a) Adnotavimus sup. I. Tom. Lib. I. *pag.* 40. Librum *de Beatitudine filii Dei* abjudicandum fore Athanasio, & ad firmitatem dogmatis Augustini & Epiphanii monumenta laudavimus, rem veluti digito monstrantes, quam hic plenius ornaremus: quare impraesentiarum adjicimus, quod etsi a veteribus Theologis, quibus N. Xystus adhaesit, laudatus liber olim fuerit M. Athanasio tributus; universim vero, nec perperam quidem, sed consultius a Criticis restituitur Vigilio Tapsensi, in Provincia Bizacena Episcopo, V. labente Seculo doctrina, & fidei confessione sub persecutione Hunnerici Clarissimo: quare vel ex eo non leve desumitur argumentum ad catholici dogmatis firmitatem. Ad magis tamen magisque ventilandos heterodoxos dicimus, quod historia sanguinei Christi sudoris a S. Luca recensita, vera sit, ab eodem Evangelista primitus tradita, ac in prioribus, iisque synceris Codicibus retenta, etsi aliquando ex vano quidam timore Syri, seu Armeni quidam (ut scribit Photius epist. ad Theodorum 138.) non sine superstitione ac temeritate eam eraserint ex Evangelico textu, formidantes nimirum, ne vel ea objecta historia Ariani possent fucum facere veritati de Verbi Divinitate, ut praeceteris Hieronymus, aliique plures adnotarunt. Verum fuisse eam primitus in omnibus codicibus retentam, ut ab Evangelista traditam, vel ex hoc posset ostendi, quia S. Justinus Philosophus, & Martyr in Dialogo contra Triphonem Judaeum ita scripsit „ In libris, qui sunt ab ejus (*Christi*) discipulis, ipsorumque Sectatoribus compositi, memoriae mandatum est, sudorem ipsius, tanquam guttas sanguinis defluxisse in terram „ &c. Ut autem eadem veritas clarius elucescat alios lubet producere testes cum ex Orientali, cum ex Occidentali Ecclesia, ex quibus praescriptio & traditio firmatur. Ex Graecis namque, ultra Epiphanium ab Authore laudatum, praesto sunt S. Justinus, S. Hyppolitus *contr. Noët.* editionis Fabricianae, & *de Resurrectione* apud S. Anastasium Sinaitam in *Hodega pag.* 356. S. Irenaeus *Lib. III. contra haeret c.* 32. vel 22. ex editione P. Massuet, S. Johannes Chrysostomus *Hom. LXXXIV. in Matth.* Ammonius *in Concordia*, Photios *ubi supra*, Theophylactus, & Euthymius in *Lucam*, Author Quaestionum ad Orthodoxos *Quaest. CV.* aliique. Ex Latinis S. Hilarius *Lib. X. de Trinit. cap.* 41. S. Hieronymus *Dialog. contra Pelag. lib.* 2. S. Augustinus *lib. 3. de Consens. Evangelistar. in Psalm.* 91. & alibi, Vigilius Tapsensis *ubi sup.* V. Beda *in Lucam*, ceterique. Legesis Cornelium Jansenium Gandavensem *Concord. Evangelic. cap.* 137. Richardum Simonium *Hist. Critic. novi Testamenti cap.* 17. Augustinum Calmetum *Dissert. de Sudore Christi sanguineo ad Evangelium Lucae*, N. Gravesonium *De Scriptur. Sacr. De S. Luca*, & alios.

modum: Maxime (inquit) mitor, & propter iogenii tarditatem vehementissimo stupore perculsus, nescio perscrutari, qua ratione, cum in Hebraica veritate a diluvio usque ad Abraham decem geoerationes ioveniaotur, ipse Lucas, qui Spiritu Sancto calamum regente nullatenus falsum scribere potuit, undecim generatiooes juxta Septuaginta interpretes, adjecto Cainam, in evangelio pooere maluerit. Quod si cui oon admodum satisfaciat hujusmodi Bedae admiratio, saltem oon erit ei aspernanda Aloysii Verooensis episcopi sententia: qui io Catena Geneseos hac de re scribens, ait, fieri potuisse, ut generationem Cainam, quam Lucas in evangelio posuit, & LXX. in Catalogo posteritatis Seem, Genes. cap. 11. recensuere, Moses instinctu divinitatis permotus praetermiserit, & ob occultam nobis ratiooem Cainam nomen silentio praeterierit, sicut & quoruodam nomina Evangelista Matthaeus in Genealogia Servatoris nostri taciturnitate involvit. Atque haec de Lucae Evangelio satis.

DE EVANGELIO JOANNIS. HAERESIS V.

EVANGELIUM, quod fertur secundum Joannem, propterea quod minime Joanois sit, noo esse recipiendum; vel si tanquam Joannis recipiendum sit, credendum est, illud multis in locis a falsariis contamioatum haberi.

ASSERTORES HUJUS HAERESEOS.

Philast. c.60. PRIMA hujus haeresis pars apud Philastrium ioter anonymas haereses computatur. Sic enim scribit io Catalogo suo: Post hos sunt haeretici, qui Evangelium κατὰ Ἰωάννην, & Apocalypsim ipsius non accipiuot: & cum oon intelligant virtutem Scripturae, nec desiderent discere, io haeresi permaneot pereuntes, ut etiam Cerinthi illud haeretici esse audeaot dicere, & Apocalypsim itidem non beati Joannis Evangelistae & Apostoli, sed Cerinthi haeretici. Augustinus vero io libro de haeresibus capite 30. dicit, hos haereticos fuisse olim appellatos Alogos, hoc est, sioe verbo (λόγος enim Graece verbum dicitur) quia Joannis evangelium, in quo Dei verbum describitur, recipere noluerunt. Imposuit autem illis primus Epiph. lib.2. Haer. 51. hoc nomen Epiphanius, qui contra eos scribens, ita de his loquitur: DICUNT itaque Alogi, id est, bruti illi, & verbo carentes (hanc enim appellationem ipsis impono, & ab hac die sic vocabuntur, & sic ipsis, o charissimi, oomen imponamus) cum enim verbum a Joanoe praedicatum noo recipiant, Alogi, id est, sine verbo appellabuntur. Et proximis statim verbis addit Alogos istos affirmare Joannis evangelium, quod nunc habemus, a Cerintho editum sub nomine Joan- Li.2. haer.54. nis. Post istos Alogos, ut in eodem libro refert Epiphanius, successit io eodem errore Theodorus Byzantius coriarius, qui primam hujus haeresis partem tutatus est. Secundam vero hujus haeresis partem Faustus olim cum suis Manichaeis, & nunc Anabaptistae nostrorum temporum defendunt, negantes evangelium Joannis apud nos haberi integrum, inviolatum, & intactum, sicut ipsum olim primus ejus auctor conscripsit, idque culpa falsariorum, qui cum oon habereot, unde fidem dogmatibus suis conciliarent, immiscuerunt ea huic evangelio, ut sub nomioe Joannis fidem apud Lectores invenirent.

IMPUGNATIO.

SED non est admodum difficile, Alogos primae assertionis defensores confu- Li.2. haer.51. tare. Quomodo enim (ut Epiphaoius ait) evangelium hoc erit Cerinthi, quod omnem prorsus Cerinthi doctrioam evertit? Cerinthus enim recentem, & nudum hominem Christum praedicat. Joannes autem praedicat illum Verbum sempiternum, Deum apud Deum semper existentem, oovissime vero temporaliter natum secundum carnem. Rursum, quae causa movere potuit, aut debuit Cerinthum, ut Evangelium a se ipso conscriptum alterius nomine inscriberet, quo se proprii laboris honore fraudaret, atque alium de operibus suis honoraret? praeferrim vero Joannem Apostolum, hostem suum, quo cum implacabiles inimici- Iren. advers. haer. li.3.c.3. tias habebat, & cui se propter haeresim adeo iofensum esse sciebat, ut nec conspectum praesentiamque suam ferre posset Joannes: qui (ut scribit Irenaeus) cum apud

apud Ephesum balneas lavandi gratia fuisset ingressus, & vidisset ibi Cerinthum, continuo illotus exiliit, dicens: FUGIAMUS hinc, ne & balneae ipsae corruant, in quibus Cerinthus lavatur veritatis inimicus. Denique, cur Evangelium suum de nomine Joannis inscriberet, qui omnino Joannis Evangelium negat, & praeter Matthaei Evangelium, quod secundum Hebraeos appellabat, nullum aliud Evangelium, ut superius diximus, rejiciebat? Ex his igitur Alogi convincuntur. Anabaptistae vero satis a nobis redarguti erunt, si cum produxerint ea, quae ipsi in hoc Evangelio adulterata calumniantur, ostendemus illa eadem integra esse, & omni ex parte intacta.

OBJECTIONES HAERETICORUM.

1. PRIMUM igitur (ut ex Epiphanio habetur) Alogi Evangelium hoc dixerunt indignum esse, quod in ecclesia legeretur: quia illud insufficiens sit, diminutum, incompositum, ac nullam habens rerum gestarum consequentiam. Cujus auctor Cerinthus multa, quae ad veritatem historiae attinent, veluti per inscitiam, & oblivionem, vel malitiam, praetermiserit. Cum enim aeternam generationem filii Dei enarrasset, dicens, IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Verbum caro factum est, statim addidit, quod Joannes Baptista in deserto vociferans clamat: HIC est, de quo dicebam vobis: Ecce agnus Dei: & caetera: praetermittit autem Joannis Baptistae conceptionem, & ortum, & Christi annunciationem, & nativitatem ejus temporalem in Bethlehem, circuncisionem ejus, & Mariae purificationem, Magorum adventum cum muneribus ad Christum, pueri fugam in Aegyptum, caedem infantium, reditum Jesu ex Aegypto in Nazaret, pueritiae exercitium sub parentibus, Baptisma Joannis una cum ejus concionibus, & Christi jejunium, & diabolicas tentationes in deserto, caeteraque hujusmodi, de quibus alii Evangelistae dixerunt. *Epiph. lib. haer. 51.* *Joan. 1. 29.*

2. SED neque consona dicit aliis Evangelistis: scribit enim primum miraculorum Christi factum esse in Cana Galileae, cum deficiente vino ad nuptias, aqua in vinum versa est. Hoc enim (inquit) est initium signorum Jesu in Cana Galileae: Lucas autem enarrat aliud miraculum multo ante istud a Christo adhuc puero factum; cum anno duodecimo aetatis suae monstravit divinam sapientiam suam in medio Doctorum sedens, & disputans magno omnium audientium stupore. Rursum Joannes refert secundum miraculum a Christo editum fuisse, cum paralyticum Centurionis filium sanavit: Lucas vero multa alia miracula ante hoc facta a Christo describit. Haec Alogi. *Epiph. ibid.* *Joan. 2. 11.* *Luc. 2.*

3. FAUSTUS autem asserit Evangelium istud variis locis viciatum, maxime vero capite quinto, in quo censet a falsariis addita fuisse verba illa Christi ad Judaeos: EST qui accusat vos Moses, in quo speratis: si enim crederetis Mosi, crederetis & mihi: de me enim ille scripsit. Movetur autem Faustus ad hanc suam sententiam his conjecturis. Primum, quia si Christus, cum magis res id postulare videbatur, testimonio Mosis ad Judaeos non est usus, multo minus credendum est eum Mosem advocasse testem, quando ejus patrocinio non egebat: nam cum se mundi lumen appellasset, ac Judaei indignantes reclamarent: TU de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum: tum maxime locus exigebat, ut diceret, Mosem de se prophetasse: quod tamen non fecit: sed tanquam nullum ex Mose testimonium habens, velut alienus respondit: IN lege vestra scriptum est, quod duorum hominum testimonium verum est. Ego sum qui testificor de me: & testificatur de me qui misit me: cur ergo Mosis testimonium praetermittit, quod prae omnibus magis futurum fuerat ad eam causam opportunum? Secundo non est verisimile Judaeos potuisse tacere, cum Christus diceret, de se scripsisse Mosem, quin statim, utpote maligni, & astuti quaererent: Quid nam illud esset, quod de se a Mose scriptum putaret? Unde eorum haec taciturnitas Jesum nihil tale dixisse significat. Tertio, quod magis movet, illud est, quia in Mose nullum invenitur de Christo vaticinium, aut testimonium: nam si quid Moses de Christo scripsit: certe illud est (quemadmodum nos dicimus) PROPHETAM suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tibi. Sed, haec minime ad Christum spectare, manifestum est, quia non Propheta Christus *Augu lib. 16. contra Faust. cap. 2.* *Joan. 5. 45.* *Joan. 8. 13.* *Deuter. 17. 6.* *August. ibid. cap. 4.* *Deut. 18. 15.*

Mosi similis: siquidem ille fuerit homo, hic Deus: ille peccator, hic sanctus: ille ex coïtu natus, hic secundum vos ex Virgine: ille offenso Deo suo occiditur in monte, hic Patri perplacens, patitur propria voluntate. Igitur cum nihil de Christo praedixerit Moses, consequens est, aut istud falsum pronunciare capitulum, aut Jesum veritatis auctorem (quod nephas est) arbitrari, mentitum. Sic Faustus.

4. POST quem Anabaptistae multa in eodem Evangelio superaddita conqueruntur: ac inter alia Mulieris adulterae in adulterio deprehensae historiam, octavo Joannis capite scriptam: quam olim in hoc Evangelio minime fuisse multi vetusti patres testantur. In primis vero Eusebius libro tertio historiae Ecclesiasticae cap. 39. loquens de Papia, haec habet. Papias historiam quandam subjungit de muliere adultera, quae accusata est a Judaeis apud Dominum: habetur autem in Evangelio, quod dicitur secundum Hebraeos scripta ista parabola. Quae verba ostendunt non solum Papiae temporibus, sed multo post, historiam hanc non fuisse in Evangelium Joannis, sed in Evangelio quodam apocrypho secundum Hebraeos: alioquin non appellasset eam Eusebius historiam quandam ex Evangelio secundum Hebraeos, quasi parum sibi notam significans, sed eam tanquam certam, & indubitatam de Joannis Evangelio pronunciasset. Hieronymus item libro secundo contra Pelagianos de hac historia ponit haec verba: In Evangelio secundum Joannem in multis & Graecis, & Latinis codicibus invenitur de adultera muliere, quae accusata est apud Dominum; significans his verbis multa fuisse Graeca, & Latina exemplaria, quae historiam istam non habuerint. Quod etiam indicant Graecorum in Joannem commentaria, in quibus cum alia Joannis capitula explanata inveniantur, de hac historia nulla in eis mentio, nedum expositio, invenitur. Unde satis constat, eam ab audace quopiam ex Evangelio secundum Hebraeos, quod a Tatiano haeresiarcha conditum Epiphanius libro secundo testatur, in hoc Evangelium fuisse translatam. Epiph. lib. 2. haer. 46.

5. ATQUE ejusdem audacis commentum Anabaptistae fuisse dicunt historiam illam de languido ad probaticam piscinam jacente, quam locus in quo Joannes eam factam fuisse scribit, omnino reddit falsitatis suspectam: tum quia in veteri testamento nihil quicquam de hac piscina cum quinque porticibus memoratur: tum, quia Josephus Hebraicarum antiquitatum, ac praesertim trium templi constructionum, sub Salomone, videlicet, Zorobabel, & Herode diligentissimus scriptor, nihil vel de piscina, vel de aqua frequenter, ac divinitus ab angelo turbata scribit. Nec verisimile est Josephum plus nimio Hebraeis suis faventem, praetermissurum fuisse tam insignem divinae bonitatis erga suam patriam favorem, qui in caeteris levioris momenti, & quae minus ad urbis suae decorem, & gloriam facere viderentur, usque ad superfluitatem scripserit, si tantae rei miraculum suoque potissimum tempore, & in suo natali solo fuisset. Quam suspicionem adaugent ipsi hujus historiae explanatores, dum eam confictis quibusdam appendicibus magis adornant: multa de loco, de loci virtute, & virtutis causa conquirentes. Quidam eam piscinam in atrio templi fuisse scribunt: cum tamen id, neque in libris Regum, neque in libris factorum Annalium, aut Esdrae, in quibus describitur tam prioris quam posterioris templi structura, legatur. Alii juxta urbis moenia eam ponentes, & inter se de causa virtutis contendentes, multo incertiores narrationes adjiciunt: de quibus Petrus Comestor, Scholasticae historiae auctor, affirmat eam sanandi virtutem aquae inditam ex praesentia ligni, ex quo postea fabricata est dominica crux: quod cum in fundo ejus piscinae jaceret, angelus reverentia ligni illius commotus, descendebat de coelo, & agitabat aquam: jusserat autem Salomon lignum illud multis antea saeculis in eam piscinam demergi, admonente id regina Saba, quae ex eo ligno ultimam cladem Hierosolymitanae urbi imminere praeviderat. Auctor vero historiae dominicae crucis addit fabulosa quaedam de Adam, & Seth, qui primi hoc lignum plantarunt, moniti a Deo quod in ipso per Christum peccatum eorum delendum esset. Alii autem ligni hujus fabulam irridentes, non a ligno crucis eam virtutem aquae insitam tradunt, sed a sacris hostiis; & victimis, quae prius, quam in ara cremarentur, in ea piscina a sacerdotibus lavabantur: contra id, quod scribitur secundo Paralipomenon,

pomenon, quarto, victimas non in piscina, sed in decem aeneis conchis in id
opus a Salomone constructis consuevisse lavari. Quae tam variae, & incertae
narrationes, totam hanc historiam in dubium revocare videntur.

DILUTIO OBJECTORUM.

1. IGNORANT (inquit Epiphanius) errantes, & mente caecutientes Alogi: Epiph. lib. 2.
quemadmodum Joannes, qui quartus, & ultimus scripsit post alios Evangelistas, haer. 51.
jam senex, & octogenarius, quae ante ipsum ab aliis probe exposita fuerant, edere non curavit, sed circa ea, quae ab his relata non fuerant maxime insistere voluit. Quare cum ab aliis non satis explicatam vidisset aeternam filii Dei generationem, ac divina Christi colloquia, idcirco praetermissa ejus temporali nativitate una cum aliis, quae Alogi commemorant, totus in hoc unum incubuit, ut Christum Dei filium ab aeterno per omnia Patri aequalem, contra impiam Ebionis, & Cerinthi doctrinam describeret, Evangelium suum ab aeterna Verbi generatione exorsus. SED inquient forrasse dementes Alogi. Si ob id haec scribere praetermisit, quia jam ab aliis fuerant Evangelistis abundanter explicata, cur non & multa alia, quae de Christo scripsit, eadem ratione praeteriit, quia de his alius ante eum Evangelistae satis superque tractaverant? Quibus respondemus, ita, ad fidei certitudinem, & ad salutem nostram, Deo volente factum esse, qui noluit singulis Evangelistis concedere, ut unusquisque eorum universa ac singula enarraret: sed unicuique eorum secundum proportionem scribendi per partes, ita distribuit, ut interdum unus eadem illa diceret, quae jam alius Evangelista narraverat: ut ex his, quae duo, vel tres, vel quatuor consone, & aequaliter dixerant, se ex uno eodemque veritatis fonte accepisse ostenderent. Interdum vero, alius quaedam sub silentio praeteriret, ac relinqueret, quae alter explicando suppleret: ne forte si omnia, quae de Christo scripta sunt in uno aut duobus Evangelistis habuissemus, caeteros Evangelistas, veluti eadem superfluo repetentes, fastiditemus: & solum eos, qui omnia perscripsissent, amplectantes, aliorum Evangelistarum laborem tanquam inutilem, ac superfluum negligeremus: atque hoc pacto sancta illa Evangelistarum quadriga dissolveretur, quam Dominus indissolubilem esse voluit. Itaque, ut indissolubilis permaneret, ita ipsorum Evangeliorum harmoniam temperavit, ut unius narratio absque alterius narratione consistere non possit, sed ex omnibus simul conjunctis, consonantissima ac perfectissima salutis nostrae historia resultet. Frustra igitur irrationales Alogi de his, quae ab Joanne per spiritus voluntatem praetermissa, vel una cum aliis Evangelistis narrata fuerunt, conqueruntur.

2. RIDICULUM vero est ac futile, quod Joanni opponunt, illum aliis Evangelistis contraria scribere, cum nulla sit inter eum & Lucam contradictio: non
enim dicit Joannes miraculum illud nuptiarum omnino primum fuisse omnium
Christi miraculorum, sed primum signum, quod fecit Jesus post baptismum Joan. 2. 11.
suum, ac discipulorum assumptionem: interim non negans, multa quoque miracula ante baptismum a Christo facta, de quibus Lucas id, quod a Christo jam puero in templum factum est, una cum multis aliis descripsit, ad confutandam haeresim eorum, qui Jesum ante baptismum Deum fuisse negant, sed tum primum deificatum affirmant, cum eo baptizaro, Spiritus ex apertis coelis, paterna voce contestante, descendit in eum. Consimili modo solvitur quod de puero Centurionis objiciunt: Joannem non dixisse hoc secundum fuisse miraculum Christi post susceptos discipulos, sed secundum postquam e Judaea in Galilaeam mi-
grasset: dicente ipso Evangelista, HOC iterum secundum fecit signum, cum ve- Joan. 4. 54.
nisset a Judaea in Galilaeam.

3. PORRO non minus debile, & enerve argumentum est, quod Faustus contra quintum Joannis capitulum affert; dicens Christum testimonio Mosis tum debuisse uti, siquid a Mose de se testatum nosset, cum ei Judaei objicerent, quod de
se ipso testimonium perhiberet. Si enim diligenter inspiciamus, quod Judaeis tunc Augu. lib. 16.
respondit Christus, videbimus de seipso grande testimonium ex Mose protulisse: contra Faust.
nam cum diceret: in lege vestra scriptum est, quod duorum testimonium verum cap. 16.
est: Ego sum qui testificor de me, & testificatur de me qui misit me pater: quid

aliud

aliud sonabat recte intelligentibus, nisi illum testium numerum in lege Mosi prophetico spiritu consecratum, & a Mose commendatum, ut etiam sic praenunciaretur futura revelatio Patris, & Filii, quorum Spiritus est, in illa inseparabili trinitate Spiritus Sanctus? Quod vero addit, propterea non esse credendum, quod Christus dixerit de se scripsisse Mosem, quia si hoc ille dixisset, Judaei se temperare nequissent, quin protinus quaererent, quodnam illud esset de se scriptum, puerile est: nam sicut fieri potuit, ut post conspecta miracula, dura Judaeorum infidelitas permaneret, ita fieri potuit, ut cum Christus diceret de se scripsisse Mosem, hoc magis maligna astutia timentes, unde convincerentur, audire omnino non quaererent quid de illo Moses scripserit. Cum autem subdit, nullum apud Mosem inveniri testimonium, quod pro se Christus producere potuisset, propterea quod testimonium illud Deuteronomii nihil de Christo loquatur, impudentissime mentitur. Sunt enim talia, ac tanta de Christo testimonia in libris Mosi, quemadmodum sequenti libro ostendemus, ut nihil plane scripserit Moses, quod non ad Christum tanquam ad finem ultimum totius legis referatur. Nec aliquid prorsus valet lepida illa Antithesis, qua luteum sermonem suum quasi pingere, & colorare voluit: dum Christum Mosi comparans nititur illum monstrare dissimilem: quasi vero cum simile aliquid dicitur, ex omni parte, atque ex omni modo, ita simile intelligatur, ut nulla prorsus inter ea, quae similia sunt, dissimilitudo remaneat: sicut in Christo accidit, qui servata sibi divinitatis a Mose dissimilitudine, in hoc similis dicitur Mosi, quia homo, quia factus in similitudinem carnis, ex muliere natus, quia missus ad liberandum populum Dei, non de Aegypto, sed de captivitate peccatorum, non a Pharaone, sed a potestate tenebrarum: similis item, quia vera morte in monte mortuus est. Dissimilis vero, quia Deus de Spiritu Sancto natus ex virgine, mortuus in monte, non propter peccata sua, sed ut a nobis offensi Dei iram, portans scelera hominum in corpore suo, placaret.

Deut. 17.

Augu. lib. 16. contra Faust. cap. 13.

4. SED insaniant quantum velint Anabaptistae, quoniam hanc historiam in antiquis semper Graecorum codicibus extitisse, sicut & nunc in his extat, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & plerique Graeci testantur, & ecclesia catholica ei parem auctoritatem detulit cum caeteris Joannis Evangelistae capitulis. Nec propterea quod Papias citaverit eam ex Evangelio secundum Hebraeos, credendum est, quod in Evangelio Joannis scripta non fuerit, vel quod eadem vera non sit, quia legatur in Evangelio secundum Hebraeos: alioquin nihil in sacris libris verum erit, quod in aliis gentium scripturis inveniatur scriptum. Vana sunt haec argumenta, & responsione indigna. Sed instant, ideo suspecta redditur historia, quia producitur ex Evangelio secundum Hebraeos, quod est Tatiani haeresiarchae opus. Verum imperiti isti falluntur ex ignorantia historiarum: Multo enim inter se differunt Evangelium secundum Hebraeos a Papia citatum, & Evangelium ab Epiphanio commemoratum. De utroque enim Eusebius scribens, ait Evangelium cujus Papias recordatur, olim in primaeva illa ecclesia in magna auctoritate fuisse; & eo, quanquam in canone non esset, consuevisse uti Judaeos ad Christum conversos: alterum vero, quod Epiphanius refert a Tatiano haeretico editum, omnino ait ab ecclesia fuisse explosum.

Euseb. Histo. Ecclef. lib 3. cap 25. lib.4. cap. 29.

ILLUD vero, quod ad fidem historiae labefactandam iidem haeretici afferunt, nempe Graecos historiam istam in commentariis suis non habere, nescio unde id noverint, cum nulla praesenti saeculo extent Graeorum integra in Joannem commentaria, praeter unius Chrysostomi, ac Theophylacti, & Euthymii abbreviatorum ejus; in quibus licet historia illa explicata non sit, non tamen ab eis repudiata est, & possibile est Chrysostomum eam historiam exposuisse, & eam deinde expositionem a quopiam Haeretico, cui historia illa, vel historiae explanatio non placuerit, e codice Chrysostomi fuisse detractam. De Hieronymi verbis nihil aliud libet respondere, nisi quod alias diximus, ridiculas esse consecutiones istas a particulari affirmativa ad negativam particularem, historia videlicet haec in multis voluminibus est: ergo in multis voluminibus non extat. Sunt haec certe vilia, & elementaria indigna, quibus respondeatur: at excusandi sumus, quod nos haereticorum improbitas in hanc tenuitatem descendere cogat.

5. SED

5. SED Quis non rideat illorum amentiam, dum historiam languidi ad piscinam idcirco credere nolunt, quia eam, nec in veteri testamenro, nec in Josepho, legerint? Quasi vero Miracula Christi ideo nobis credenda non sint, quia Josephus ea non scripsit. Sed nihil ajunt de hac piscina in veteri testamento scriptum est: concedimus nihil aperte de ipsa in veteri testamento affirmatum; sed nec aperte negatum: immo si diligenter consideremus ea, quae scribuntur secundo libro Paralipomenon, capite quarto, necessaria consecutione colligemus piscinam quandam, seu aquarum conceptaculum fuisse Hierosolymis in regione, quae a Joanne Probatica nominatur. Sic enim Graece, inquit, ἴστι δὲ ἐν Ἱεροσολύμοις ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα. Quae forte piscina ad infimas radices montis, qui templum sustinebat, extructa fuerat, ut in eam influeret omnis illa aquarum vis, quae quotidie effundebatur, tam ex Mari aeneo, in quo lavabantur sacerdotes; quam ex decem conchis, in quibus holocausta lavabantur: nam, ut de conchis taceam, Mare solum, ut eodem capite legitur, tria millia metretas capiebat. Oportuit igitur grandia quaedam fuisse aquarnm conceptacula, in quibus tot vasa exonerarentur: cui rationi etiam Aristeae vetustissimi scriptoris testimonium consentire videtur: is enim de hujusmodi aquarum conceptaculis Hierosolymitano templo deservientibus, in libro De septuaginta interpretibus ad Philocratem loquitur in hunc modum.

Joan. 5.

2. Par. 4.

Meminit etiā Flavius Josephus hujus piscinae lib. V de Bel. Jud. ca. 4. ubi eam Σολομῶνος κολυμβήθραν Solomonis piscinā adpellat. Vide illum.

AQUARUM vero receptacula, quae plurima ad diluendum jugulatarum hostiarum sanguinem funditur, commodis locis occuluntur: nam festis diebus multa victimarum millia caeduntur: etenim tantus est eductarum aquatum affiduus fluxus, ut perennem fontem inundare putes. Sed mirabilius est, & fere inenarrabile, subterraneorum conceptaculorum magnitudo, quae ad quinque usque stadia per circuitum templi cuncta penetrat: plumbeae ad ea fistulae quaecunque per muros, ac templi solum, quibus omnia abluantur, mundenturque, descendunt. Sunt & apud Araebasim frequentes aperturae, omnibus, nisi his, qui ministrant, incognitae, quarum influxu, ac impetu omnis ex hostiarum multitudine cruor purgetur: receptarum autem aquarum multitudinem per hunc modum conjectavimus: nam cum nos stadia quatuor ultra urbem duxissent ad quendam locum, jubent nos subterfluentium undarum sonitum audire, qui mihi quidem magnorum vasorum confluxus visus est. Haec Aristeas: ex cujus verbis conjicio facile accidere potuisse, ut aquae illae per occultas fistulas in hanc piscinam influerent, atque iterum ex ea per alios meatus extra urbem effunderentur. Verum quod nulla de hac piscina in veteri testamento facta sit mentio, mirandum non est: quia is locus tum temporis non erat adeo celebris, ut particulari narratione dignus videretur. Sed postquam ultimis Hebraeorum temporibus miraculi nobilitate illustratus est, verisimile est, locum ipsum tum primum quinque porticibus exornatum ad commoditatem languentium, qui sub his decumbebant, expectantes aquae motum. Quare non debet Evangelicae historiae fidei quicquam derogare, si quid de loci situ, ac virtute praedicti auctores inter se nonnihil dissentiant: praesertim cum auctor historiae scholasticae, quod de ligno crucis ex aliorum opinione referat, ipse non asserat, sed rarum id scribat, ut rem fama, sed non certa veritate compertam. Nobis satis est, hanc languidi historiam semper in omnibus tam Graecis quam Latinis codicibus extitisse, & a patribus Graecis, & Latinis expositam fuisse, ac totius ecclesiae auctoritate tot annorum saeculis fuisse comprobatam. Quare nulla causa est, cur eam propter inanes quasdam somniantium Anabaptistarum conjecturas deinceps in dubium revocemus. Et de Joanne quidem Hactenus.

DE ACTIS APOSTOLORUM. HAERESIS VI.

ACTA Apostolorum non recipere.

HANC haeresim Eusebius libro 4. historiae ecclesiasticae, ex sententia Irenaei tribuit Tatiano, ac Severo, a quo Severiani haeretici dicti sunt. Philastrius item in catalogo, Cerintho ascribit. Augustinus in libro de utilitate credendi ad Honoratum eandem haeresim assignat Manichaeis, qui librum hunc idcirco noluerunt

Cap. 29.

Cap. 36.

Cap. 2.

luerunt accipere, quia ejus auctor scriberet spiritum Paracletum a Christo promissum in die Pentecostes advenisse longe ante tempora Manichaei, quem ipsi credebant fuisse Pracletum illum spiritum a Christo promissum. Sed cum liber iste (inquit Augustinus) tanta in se habeat similia his, quae Manichaei de diuinis scripturis accipiunt & credunt, magnae stultitiae videtur esse, quod etiam non hunc credant, & accipiant. Hieronymus in Catalogo virorum illustrium scribit librum hunc olim a presbytero quodam Asiatico fuisse corruptum, sic inquiens. Igitur periodos Pauli, & Teclae, & totam baptizati leonis fabulam libro Apostolicorum actuum adjectam inter apocryphas scripturas computamus. Sed & Tertullianus vicinus Apostolorum temporibus refert presbyterum quendam in Asia σπουδαστὴν Apostoli Pauli convictum apud Joannem, quod auctor esset libri, & confessum se hoc Pauli amore fecisse. In hujus igitur erroris confutatione nihil mihi laboris insumendum est, quia cum nullas rationes apud quemquam scriptorum invenerim, ob quas haeretici hunc librum abjecerint, non opus est ut quicquam illis respondeamus, nisi hanc ipsorum haeresim damnari longaevo ecclesiae usu, Patrum omnium approbatione, & auctoritate Conciliorum omnium, praecipue Laodicensis, Carthaginensis tertii, & postremi omnium Tridentini, in quorum catalogis hic liber inter caeteras divinas scripturas recensetur.

DE EPISTOLIS PAULI APOSTOLI IN UNIVERSALI. HAERESIS VII.

EPISTOLAS Pauli Apostoli repudiare.

ASSERTORES HUJUS HAERESEOS.

SUB hac nefaria haeresi multi sunt haereticorum errores. Quidam omnes Pauli epistolas rejiciunt, quorum dux & antesignanus, ut Irenaeus, & Eusebius scribunt, fuit inops mentis Ebion (sic enim nomen ejus Hebraeis sonat) qui cum totam legem veterem una cum nova Christianis observandam esse doceret, & in hoc sibi Paulum fortissime reclamantem sentiret, epistolas ejus in universum abjecit, ipsumque Apostolum (ut Epiphanius refert) modo Tarsensem, modo Graecum, modo Apostatam legis, per contumeliam appellavit; accusans eum, quod cum Graecus esset, & ex patre Graeco, Hierosolymam ascenderit, & cum per tempus illic permansisset, concupierit filiam sacerdotis in uxorem accipere, & hujus gratia proselytus factus fuerit, simul & circuncisus. Deinde, cum puellam assecutus non esset, ira concitatus, contra circuncisionem, & contra legem scripserit. Huic Ebioni successerunt in errore Helchesitae haeretici tempore Philippi Augusti primi Christianorum Imperatoris: qui, teste Eusebio, omnes epistolas Pauli ex integro repudiarunt. Alii fuerunt haeretici, qui non omnes Pauli epistolas respuere sunt ausi, sed eas tantum, quas maxime dogmatibus suis infestas cognoverant: veluti Encratitae, Severiani, Marcionitae, Manichaei, Arriani, Aëriani, Anabaptistae, ac plerique alii haeretici. Ex quibus Encratitae, quorum princeps fuit Tatianus, quondam Justini martyris auditor, epistolas ad Titum, & Timotheum rejecit, Arrius epistolam ad Hebraeos, Marcion vero Ponticus, patria Synopeus, quatuor ex quatuordecim epistolis Pauli, quas habet ecclesia, in totum abjecit; videlicet, duas ad Timotheum, unam ad Titum, & alteram ad Hebraeos. Ex his vero, qui aliquas Pauli epistolas rejiciunt, alii eas epistolas, quas recipiunt, integras, & incorruptas accipiunt: alii vero etiam eas, quas suscipiunt, in multis falsatas, ac vitiatas esse contendunt: sicuti Marcion, qui decem illas Pauli epistolas, quas accipiebat, in pluribus locis habuit adulteratas, mutilatas, truncatas, & plerisque ascititiis additamentis intermistas: compegit autem ex eis volumen quoddam, quod librum Apostolicum appellavit: in cujus calce, etiam epistolam quandam ad Laodicenses addidit, Pauli nomine inscriptam. Qui vero epistolas quasdam incorruptas, & incontaminatas servant (quanquam eas Pauli Apostoli esse credant, & ad nos usque integras pervenisse fateantur) non tamen omnia, quae in eis scripta sunt, accipiunt, sed quaedam omnino reprobant; veluti anonymus quidam Fabritii

Iren. lib. 1. adver. haer. c. 2. Eus. lib. III. Histor. Eccl. cap. 27.

Epiph. lib. 5. Haeres. 50.

Lib. 6. cap. 27.

Euseb. lib. 4. Histor. ca. 29.

Hiero. Praef. ad Titum.

Epiphan. li. 1. Haeresi 42.

britii discipulus, contra quem Augustinus, sub nomine adversarii legis & propherarum, duos libros edidit. Hic, ut idem refert Augustinus, dixit Paulum pro qualitatibus ingeniorum sub quinque diversis personis locutum; quarum, prima esset Judaeorum, secunda eorum, qui sub lege sunt, tertia eorum, qui sub lege non sunt, quarta, infirmorum, quinta vero perfectorum, atque eum in quatuor primis personis multa dixisse, quae a perfectis suscipi non deberent. Aëriani quoque, ut annotat Epiphanius, distinguentes Pauli dicta, asserebant eum quaedam Spiritu Sancto plenum dixisse ac scripsisse; & haec sine ulla contradictione esse recipienda: nonnulla vero eundem Paulum, ut nudum hominem Spiritu Sancto destitutum dixisse; & haec abjicienda esse existimabant. Verum cum praedicti haeretici non reddant causas cur omnes Paulinas epistolas abjiciant, vel cur aliquas recipiant, aliquas vero spernant, vel cur in his magis haec quam alia dicta falsata sint; vel cur haec magis secundum hominem, quam secundum spiritum a Paulo dicta sint, nihil occurrit, quod adversus eos dicamus, nisi quod Hieronymus in praefatione commentariorum ad Titum contra hos temerarios scribit: Si redderent, inquit, causas cur has epistolas Apostoli esse, & Apostolo dignas non putarent, tentaremus eis aliquid respondere, & forsitan satisfacere lectori: nunc vero, cum haeretica auctoritate pronuncient, & dicant, illa epistola Pauli est, haec non est, ea auctoritate se pro veritate intelligant refelli, qua ipsi non erubescunt falsa simulare. Itidem & nos dicere possumus contra omnes praedictos haereticos, praesertim cum alibi in hoc Opere ostenderimus, nihil esse in divinis scripturis, quod sancti Dei homines e Spiritus Sancti afflatu non scripserint, nihilque in eis esse, quod falsitatis suspicione notari queat.

Augu. lib. 2. cont. adv. leg. & Proph c. 2.

Epiph. lib. 3. Haeres. 76.

OBJECTIONES HAERETICORUM.

1. CONTENDIT Faustus epistolas Pauli esse falsatas in omnibus iis locis, in quibus legitur, Christum factum ex semine David secundum carnem: sicut in principio epistolae ad Romanos scribitur: non enim credibile est, inquit, Apostolum Dei contraria sibi scribere potuisse, & modo hanc, modo illam, de Christo habuisse sententiam, ut scribens ad Romanos diceret, Christum esse filium David secundum carnem, & postea ad Corinthios scribens, sententiam illam tanquam falsam corrigeret, vel potius rejiceret, inquiens: Nos neminem novimus secundum carnem, & si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus. Quare cum tantum intersit inter haec duo capitula, ut aliud Christum secundum carnem nosse, aliud non nosse affirmet, restat, vel Paulum in primo capite errasse, & deinde secundo capite magis proficiendo mutasse sententiam, vel Pauli epistolam eorum falsitate corruptam, qui primum illum locum, & his similes Pauli epistolis inseruere. Verum cum fas non sit Apostolum Dei, quod aliquando aedificavit destruere, melius est dicere epistolam Pauli alterius pravitate vitiatam, quam ipsius errore vitiosam.

Augu. lib. 11. contra Faust. cap. 1.

Rom. 1. 3.

2. Cor. 5. 16.

2. AT innominatus ille Fabricii discipulus ad hanc Fausti calumniam multo graviorem blasphemiam adjecit, inquiens, multa esse in his epistolis rejicienda, in quibus Paulus infirmitati se auditorum accomodans, aliter sententiam protulit quam revera sentiret. Constat enim Apostolum pro qualitatibus ingeniorum in quinque personis locutum: insinuans enim rudi adhuc populo, quae Dei sunt, non debuit a perfectioribus incipere, & consuetudinem ab eis vetustatis excludens, a difficilioribus inchoare, ne novos adhuc ad fidem, perfecta doctrina turbaret: quod ex ipsius Apostoli verbis probatur, cum dicit: CUM liber essem ex omnibus, omnibus me servum subjeci, ut plures lucrifacerem: & factus sum Judaeis tanquam Judaeus, ut Judaeos lucrifacerem, & his, qui sub lege sunt, tanquam sub lege essem, ut eos, qui sub lege sunt, lucrifaciam, & his, qui sine lege erant, tanquam sine lege essem cum sine Dei lege non sim, ut lucrifacerem eos, qui sine lege sunt; factus sum infirmus, ut infirmos lucrifacerem: omnibus, omnia factus sum, ut omnes lucrifaciam. Ad quas quatuor personas, unam scilicet Judaeorum; alteram eorum, qui sub lege sunt, tertiam eorum, qui sub lege non sunt, quartam infirmorum, quintam quoque addidit perfectorum personam: dicens: SAPIENTIAM loquimur inter perfectos, his verbis indicans, multa in gratiam eorum,

Aug lib. con. adverf. leg. & Proph. 2. c. 2.

1. Cor. 9. 19.

1. Cor. 2. 6.

quorum personas sumpserat locutum, de quibus longe secus in corde sentiret: & se aliud saepe finxisse, quod non erat.

Hiero. Praef. in Comm. ad Tit. 3. AERIANI deinde, & alii quidam innominati haeretici, quos Hieronymus in praefatione Commentariorum ad Titum recenset, multa in epistolis Pauli tanquam humanitus, & non divinitus a Paulo dicta contemnunt: & inter caetera etiam totam epistolam Pauli ad Philemonem abjiciunt, quia etsi Pauli sit, nihil tamen habeat, quod aedificare possit: quia tantum commendationis officio, & non docendi gratia scripta sit: dicentes non omnia semper Apostolum Christo in se loquente dixisse: quia humana ejus imbecillitas eundem semper spiritus tenorem ferre non potuisset: sed aliquando fuisse tempus, in quo Paulus tanquam communis homo loqueretur, & ageret, & de corpusculi sui necessitatibus aliquid vel loqueretur, vel ageret, veluti cum prandium disponeret, cum cibum caperet, esuriret, saturaretur, ingesta digereret, & exhausta compleret, & corpori suo necessaria, aut ab aliis peteret, aut aliis imperaret. Tunc enim Paulus, sicut
2. Cor. 13. 3. & caeteri homines existens, dicere non ausisset: AN experimentum quaeritis
Galat. 2. d ejus, qui in me loquitur Christus? &, VIVO ego, jam non ego: vivit autem in me Christus. Neque hoc mirum esse, addebant, si Paulus aliquando sicut homo communis sine spiritu Dei viveret, ac loqueretur, cum hoc in prophetis quoque
Ezech. 3. a accidisse legatur: sicut de Ezechiele, & aliis prophetis scriptura dicit: FACTUM est verbum Domini ad Ezechielem: qui post expletum vaticinium rursus in semetipsum reversus, communis homo fieret ex propheta, & excepto Domino nostro Jesu Christo, in nullo Spiritum Sanctum remansisse. Quod signum etiam
Joan. 1. d Joannes Baptista acceperat, ut super quem vidisset descendere Spiritum Sanctum, & manere in eo, ipsum esse cognosceret. Ex quo ostenditur super multos quidem descendere Spiritum Sanctum, sed proprium hoc esse Salvatoris insigne, quod permaneat in eo. Igitur in epistolis Pauli multa sunt ab eo scripta, cum destitutus Spiritu Sancto, ut purus homo loquebatur, sicut indicant ea, quae passim in
Galat. 5. b eis inveniuntur, videlicet, ad Galatas; UTINAM excindantur qui vos contur-
2. Tim. 4. c bant: & ad Timoth. PENULAM, quam reliqui Troade, apud Cyprum, veniens
Philem. 22. tecum affer, similiter libros, & membranas; & ad Philemonem: PRAEPARA mihi hospitium, &c. ejusmodi humanae imbecillitatis exempla: in quibus cum nullum experimentum Christi in Paulo loquentis agnoscatur, licebit ea pro arbitrio vel recipere, vel abjicere.

DILUTIO OBJECTORUM.

Augu. lib. 11. contra Faust. cap. 4. 1. ALIQUID inquit Faustus in Paulo falsatum est: quia non potest utrunque verum esse, & quod in epistola ad Romanos, & quod in epistola ad Corinthios scribit. Nos vero demonstremus quod possit utrunque verum esse, & quod sibi haec duo non sunt contraria: Unum quippe eorum non esse Pauli, nullo modo possumus dicere, quia nulla in eo variat codicum auctoritas. Etsi enim in quibusdam Latinis exemplaribus non legitur, FACTUS, sed natus ex semine David, cum Graeca FACTUS habeant, unde non ad verbum, sed ad sententiam transferre voluit, dicendo natum Latinus interpres, tamen Christum ex semine David esse secundum carnem, omnium librorum, atque linguarum concordat auctoritas. In hoc autem Paulum aliquando errasse, & proficiendo mutasse sententiam, absit ut dicamus. Neutrum igitur ab altero dissonat; sed in eadem sane fidei regula utrunque concordat. Nam quod filius Dei ex semine David factus est, nec idem Apostolus uno loco dicit, & aliae sanctae scripturae apertissime praedicant. Quod vero dicit: & si noveramus Christum secundum carnem, sed jam nunc non novimus: ea ipsa circunstantia scripturae loci ejus satis ostendit, quid loquatur Apo-
Aug. ibid. c. 7. stolus, suo quippe more vitam nostram futuram, quae jam in ipso homine mediatore Christo capite nostro resurgente completa est: ita spe certa meditatur, tanquam jam adsit, praesensque teneatur, quae utique vita non erit secundum carnem, sicut Christi vita non est secundum carnem. Carnem nanque hoc loco, non ipsam corporis nostri substantiam, quam Dominus etiam post resurrectionem
Luc. 24. 39. suam carnem appellat dicens; PALPATE & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videris habere: sed corruptionem mortalitatemque carnis vult intelligi, quae tunc non erit in nobis, sicut jam in Christo non est. NO-

VERAMUS

VERAMUS ergo Christum secundum carnem, id est secundum carnis mortalitatem antequam resurgeret, sed nunc jam non novimus secundum carnalem corruptionis qualitatem, quia sicut idem dicit Apostolus, CHRISTUS resurgens a mortuis jam non moritur, & mors ei ultra non dominabitur. Noveramus eum secundum carnem, cum adhuc moriturus esset, inerat quippe in ejus corpore mortalitas, quam proprie carnem appellat Apostolus. Sed jam nunc novimus, illud enim ejus mortale jam induit immortalitatem: unde secundum pristinam mortalitatem jam caro appellari non possit. Sed si se ad verborum proprietatem Faustus teneat, mentitus est Paulus, quod ait: NOVERAMUS Christum secundum carnem, si Christus, ut Faustus inquit, nunquam fuit secundum carnem. Nemo enim noverat, quod non erat. Non autem dixit, putabamus Christum secundum carnem, sed, Noveramus. Veruntamen ut verbo non premam, ne quis affirmet per abusionem locutum Apostolum, ut pro eo, quod est, putabamus, diceret Noveramus: illud miror non attendere homines coecos, vel potius non miror non videre coecos, quia si Christus ideo non habuit carnem, quia dixit Apostolus, nunc jam se non nosse Christum secundum carnem: nec illi habuerunt carnem, de quibus eodem loco dicit: ITAQUE nos amodo neminem novimus secundum carnem. Amodo, inquit, neminem novimus secundum carnem, id est, tam certam spem tenemus futurae nostrae incorruptionis, & immortalitatis, ut amodo jam in ipsa contemplatione immortalitatis omnem pene mortalitatis corruptionem obliti, gaudeamus. Amodo neminem novimus secundum carnem, nondum in re, sed in spe intelligitur, quia spes nobis in Christo est, quia in illo jam completum est, quod nobis promissum speramus. Rom. 6. b

2. INSURGIT deinde contra Paulum Fabritii discipulus: qui, quod Apostolus dixit compatientis affectu, in fallaciam detestabilem vertit. Quam autem aperte blasphemet hic impius: quis non videt? Si enim se, talem finxisset apostolus, qualem insanus hic latrat, videlicet sine lege, apud gentiles, qui erant sine lege: non proposuisset illis cum tantis praeconiis imitandam fidem Abrahae, quem non noverant, utpote alienigenam, patrem gentis Hebraeae, longe ab eorum moribus, longe ab eorum ritibus, & cognationibus alienum: sed aliquem principem, sive Romanorum, sive Graecorum, sive aliquem Philosophorum debuit invenire, quem eis proponeret imitandum. Similiter si his, qui sub lege erant, Judaeis dolose factus erat sub lege: ut quid dicebat eos non esse haeredes ex lege? &, LEX iram operatur? &, LEX ministratio mortis? &, LEX propter transgressores posita est? quae aequo animo ferre non possent, qui in lege gloriabantur? Nunquam igitur Paulus fallendi studio diversas induit personas: sed eandem semper doctoris personam tam apud gentes, quam apud Judaeos retinens, eundem Deum, eandem legem, & prophetas, & Evangelium Israëlitis, gentibus, infirmis, & perfectis praedicavit. Sed dixerit aliquis, Frustra ergo dixit Apostolus, FACTUS sum omnibus omnia: &, NON potui vobis loqui spiritualia, sed quasi carnalibus lac vobis dedi non escam: sed absit ut putemus Apostolum ista fecisse, ut alios ex aliis fingendo falleret. Factus est omnibus omnia, non fallentis astu, sed compatientis affectu, diversis animarum morbis, diversis misericordiae affectibus subveniens: dans scilicet parvulis parva, non falsa; lactea, non noxia; nutritoria, non peremptoria, prima scilicet fidei rudimenta: perfectis vero grandiora mysteria: unicuique salubria pro sua capacitate accommodans. Aug. lib. 2. cont. advers. leg. & Proph. cap. 9. Rom. 4. c Galat. 3. c August. Ibid. cap. 2.

3. CAETERUM valde errant Aëriani, & alii haeretici eorum asseclae, si putant Paulum Spiritum Sanctum non habuisse, cum de humanae imbecillitatis necessitatibus loqueretur, aut Spiritu Sancto destitutum, cum corporis necessaria compleret: putantes cibum emere, hospitium praeparare, vestimenta conquirere, esse peccatum, & a nobis refugari Spiritum Sanctum, si corpusculi necessitatibus parumper serviamus. Spiritus Sanctus enim contristatur, & fugatur a nobis, non hujus vitae ministeriis, sed ex operibus immundis, & vitiis multis, quae cum per ordinem Propheta digessit, ad extremum intulit: IN omnibus istis contristabas me. At calicem aquae frigidae porrigere, pedes lavare, vitulum immolare, prandium praeparare, tantum abest ut peccata sint, ut his rebus quosdam in Dei filios adoptari legamus; proinde, Paulum ob huiusmodi aliquando Spiri- Hiero. Praef. Comment. ad Titum.

tu Sancto destitutum fuisse, minime credendum est, sed firmissime tenendum, Spiritum Sanctum ab ea die, qua Apostolus Christi e Saulo factus est Paulus, & ex vase contumeliae, vas electionis, & gratiae, ut portaret nomen Christi in nationibus, nunquam in eo per aliquod tempus spiritum Christi defecisse, a quo universa, quae scripsit, mirabiliter dictata sunt.

DE EPISTOLA PAULI AD HEBRAEOS. HAERESIS VIII.

EPISTOLAM ad Hebraeos neque esse Pauli, neque esse inter canonicas scripturas numerandam.

ASSERTORES HUJUS HAERESEOS.

Phila. ca. 89. PHILASTRIUS in catalogo haereseon recenset hunc errorem inter anonymas haereses, inquiens: SUNT aliqui, qui epistolam Pauli ad Hebraeos asserunt non esse ipsius, sed dicunt aut Barnabae esse Apostoli, aut Clementis de urbe Roma episcopi. Epiphanius autem in primo adversus haereses scribit, hujus erroris auctorem fuisse Marcionem, qui praesentem epistolam una cum epistolis ad Titum, & Timotheum ut apostolo indignas rejecit: cui Tatianus, teste Eusebio, in eodem errore successit. Deinde post istos (ut Epiphanius Theodoretus & Hieronymus narrant) Arrius, Aëriani, & Ariommanitae videntes hanc epistolam maxime eorum dogmati repugnare, negaverunt illam esse Pauli: atque ob id eam de canonicis scripturis tanquam adulterinam, & suspectam abjecerunt. Quorum perfidiam phanatici Anabaptistae, atque athei Servetani imitantes, eadem ex causa eam repudiarunt. Lutherus vero, ut Calvinus, atque alii ex eorum officina, licet eam de canone non excludant, Pauli tamen apostoli esse negant, dicentes illam nec Pauli spiritu, nec Apostoli majestate dignam esse: unde quoties eos ex hac epistola testimonium aliquod citare contingit, praetermisso semper Pauli nomine, pro eo Auctorem epistolae ad Hebraeos adducunt.

Epiph. lib. 1. Haeres. 42. Euseb. lib. 3. Hist. cap. 29. Epiph. li. 21. Haeres. 69. Theod. Praefat. Epist. ad Hebr. Hieron. Praefat. Epist. ad Tit.

IMPUGNATIO.

QUONIAM haec haeresis duo asserit, nimirum, & hanc epistolam non esse Pauli, & eam non esse Canonicam: ideo utrunque nobis particulariter confutandum est. Igitur exordientes ab epistolae auctore, ostendimus primum hanc sanctissimam epistolam esse Pauli apostoli, ex testimonio B. Petri: qui scribens & ipse ad Hebraeos per Galatiam, & Capadociam, ac Bithyniam dispersos, nomen auctoris hujus epistolae simul & intentionem ejus aperit, dum Hebraeos ad patientiam, & longanimitatem hortatur, facta mentione eorum, quae in hac sacratissima epistola continentur; sic inquiens: PROPTER quod charissimi haec expectantes, satagite immaculati, & inviolati inveniri in pace, & Domini nostri Jesu Christi longanimitatem, salutem arbitramini; sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis. Quod certe Paulus fecerat in tota hac epistola, totus semper in hoc unum incumbens, ut eos ad tolerantiam praesentium aerumnarum, & ad spem firmam, ac certam futurorum praemiorum induceret. Nam ut Theophylactus hujus epistolae argumentum explicans, ait: Duo quidem Paulus in hac epistola probat, & quod viriliter sint, quaecunque acciderint, toleranda, & quod expectanda sint pro laboribus praemia. Non enim neglecturus est Dominus, quos ab aeterno ad sanctimoniam destinavit. Quod quanquam Paulus per omnem epistolam latissime prosequatur: id tamen ardentius, ac vividius egit decimo, duodecimo, ac tertiodecimo capitulis.

1. Petr. 3. 14.

SECUNDO, manifeste apparet, neque Lucam, neque Clementem, neque Tertullianum, ut quidam existimarunt, fuisse hujus epistolae auctores, sed Paulum ipsum, idque ex verbis in calce epistolae positis, quibus auctor hortatur Hebraeos, ut pro salute sua Deum orent, quo celerius ipse ad eos reverti possit. Sic enim ait: AMPLIUS deprecor vos hoc facere, quo celerius vobis restituar. Quae verba Clementi, qui Romanus erat, nec unquam Roma abfuerat, nec apud Hebraeos vixerat, convenire non possunt, sicut nec Barnabae; quem licet Clemens in itinerario suo inter apocryphas scripturas computato, Romae fuisse scribat, major tamen scriptorum pars negat eum venisse in Italiam: Unde hanc epistolam a Paulo scriptam fuisse indicat ipsius epistolae subscriptio, quae in Graecis codicibus habetur: ἐγράφη ἀπὸ Ἰταλίας, διὰ Τιμοθέου, id est scripta ab Italia per Timotheum;

Hebr. 13. 19.

motheum: & Chrysostomus eam Romae scriptam testatur, & inde per Timotheum ad Hebraeos missam. Sed neque Tertulliano ea verba aptari possunt: tum quia ante tempora Tertulliani in scriptis Patrum plura inveniuntur testimonia ex hac epistola desumpta: tum quia Tertullianus ipse, ut Hieronymus in libro de viris illustribus annotat, de auctore hujus epistolae suam sententiam protulit. Huc accedit, quod auctor carceris, & vinculorum suorum mentionem faciens, juxta Graecam veritatem sic in capite decimo scribit: καὶ γὰρ τοῖς δεσμοῖς μου συνεπαθήσατε, hoc est. Si quidem & vinculis meis compassi estis. Quae verba Clementi convenire non videntur. Idemque in fine epistolae asserit, se hanc epistolam tradidisse Timotheo Hebraeis deferendam: quod sane magnum indicium est, Paulum eam scripsisse, eamque dedisse ferendam Timotheo discipulo suo, cui sanctissima necessitudine junctus erat: quod forte non fecisset Clemens, quippe qui non tanto societatis vinculo in aedificatione ecclesiarum Timotheo jungeretur. Hebr. 10. 34.

SED & ipse auctor finem hujus epistolae claudit in illa felicissima gratiae precatione, dicens: GRATIA Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis Amen. quam praecationem ipsemet Paulus in calce secundae epistolae ad Thessalonicenses testatur esse signum ac tesseram suam, quam omnes epistolas suas subscribere consueverat: SALUTATIO (inquiens) mea manu Pauli: quod signum in omni epistola scribo: Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis Amen. 2. Thess. ult.

PERSUADET etiam hanc epistolam esse Pauli ardentissimus ille zelus, ac fervor, quo totus flagrabat Pauli animus ad conversionem Hebraeorum ad fidei veritatem: quem ad Romanos scribens aperte indicat, dicens: OPTABAM anathema esse pro fratribus meis, qui sunt cognati mei, ex quibus est Christus secundum carnem. Et iterum: QUAMDIU ego quidem sum gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo, si quo modo ad aemulandum provocem carnem meam, id est Judaeos, & salvos faciam aliquos ex illis. Quomodo igitur Paulus ad Hebraeos suos non scriberet, quos adeo ardenter amabat? & cum ad alios, qui ei secundum carnem non erant conjuncti, multas epistolas scripserit, cur non saltem ad suos vel unam epistolam scripsit? Quod si eam scripsit, haec certa illa est, in qua Paulus divino illo igne agitatus, hortatur Hebraeos ut deposita vetustate legis, per patientiam, & laborum sustinentiam festinent ad coelestem illam Hierusalem, & ad perfectius illud aeternae redemptionis tabernaculum in umbris Mosaici tabernaculi designatum. Eandem hanc epistolam esse Pauli comprobat commune omnium vetustissimorum Patrum testimonium: & ante alios B. Dionysius Pauli discipulus in operibus suis citat testimonium ex illa epistola tanquam a suo (ut vocat) praeceptore, duceque, ac institutore composita. Cui subscribit B. Clemens, tertius a B. Petro Romanae urbis episcopus, de quo Eusebius libro tertio historiae sic loquitur: CLEMENS in epistola, quam Corinthiis scribit, meminit epistolae Pauli ad Hebraeos, & utitur ejus testimoniis: unde constat, quod Apostolus tanquam Hebraeis mittendam, patrio eam sermone conscripsit: &, ut quidam tradunt, Lucam Evangelistam, alii autem hanc ipsum Clementem interpretatum esse: quod & magis verum est: quia & stylus ipse Clementis cum hac concordat, & sensus nimirum utriusque scripturae plurimam similitudinem servat. Haec Eusebius, cui astipulatur Clemens Alexandrinus, qui eandem epistolam a Paulo scriptam, in libris suarum ὑποτυπώσεων asserit, ac deinde a Luca in Graecum fuisse translatam. Origenes vero in Psalmum primum, de hujus epistolae auctore scribit in hunc modum. QUAMVIS nonnulli de ea, quae ad Hebraeos scripta est, dubitaverint, pro eo quod non videatur in ea servari illa ejus sententia, quam de se ipso pronunciat dicens, Se imperitum esse sermone, sed ego dico, sicut mihi a majoribus meis traditum est, quia manifestissime Pauli est, & semper omnes antiqui majores nostri ita eam ut Pauli Apostoli acceperunt. Idem sentit Chrysostomus, cujus abbreviator Theophylactus, contra eos, qui negant hanc epistolam esse Pauli, ita invehitur. NON possum equidem non admirari multorum hominum impudentiam, qui cum intelligant per epistolae hujus exordium tam multas haereses fuisse confutatas, haud tamen desistunt affirmare hanc epistolam beato Paulo non convenire, ceu a caeteris epistolis alienam. Velim autem non

Rom. 9. 3.
Rom. 11.
Cap. 38.
Eufeb. lib. 3. Hist. cap. 11.
Idem habet lib. 6. cap. 18. ex Origen.

non esse hos nescios, epistolae hujus, & sensum, & profunditatem, & vim illam inconfusabilem nullius esse alterius posse quam Pauli, qui Christum habet in se loquentem. Et ne singula Patrum testimonia recenseam, Ambrosii videlicet, Hieronymi, Augustini, & aliorum, qui Pauli eam esse fatentur; satis sit nobis unicum totius ecclesiae catholicae testimonium, quae in natalitiis Domini nostri Jesu Christi solennitatibus hujus epistolae initium sub nomine B. Pauli apostoli in divinis mysteriis cantat. Ex quibus perspicuum fit epistolam hanc alterius non esse quam Pauli.

Ambro. lib. 2. de Cain. c. 2. Hiero. Epist. ad Dardan. August. lib. 2 de Doct. Chr. cap. 8.

QUOD autem praesens epistola in canone divinarum scripturarum recipienda sit: sacrosancta Conciliorum decreta in primis ostendunt: maxime vero sacratissima Nicaena Synodus eam tanquam ab apostolo Paulo scriptam inter sacra volumina recepit, & Concilium Laodicenum in catalogo retulit, & Concilium Carthaginense tertium, & Concilium Arausicanum canoni inseruere. Quibus subscribunt decreta Innocentii primi, & Gelasii, & Eugenii quarti, quae hanc epistolam in catalogo divinarum scripturarum enumerant. Quod etiam semper in ecclesia ut canonica recepta fuerit, & a nullo nisi ab haereticis reprobata, communis Patrum Graecorum consensus demonstrat; quorum ne testimonia universa percurram, unicam Theodoreti sententiam adducam, quam ille contra Arrianos hanc epistolam repudiantes expressit. Nihil faciunt (inquit) qui morbo Arriano laborant, si adversum literas apostolicas furiant, & epistolam ad Hebraeos a reliquis separent, & eam adulterinam appellent. Qui enim adversus Deum, & Salvatorem nostrum linguas movent, quid non ausi fuerint adversus ejus benevolos, & grandiloquos veritatis praecones? ipsius enim Domini vox est. SI me persecuti sunt, & vos persequentur. Oportebat autem ipsos, etsi nihil aliud, temporis quidem certe diuturnitatem revereri, quo hanc epistolam in ecclesiis perpetuo legerunt alumni veritatis. Ex quo enim literarum apostolicarum fuerunt ecclesiae participes, ex illo etiam epistolae ad Hebraeos utilitatem recipiunt. Quod si, ne hoc quidem ad eos persuadendum satis est, Eusebio quidem Palaestino oportebat eos credere, quem patronum suorum decretorum appellant: nam is etiam divinissimi Pauli hanc esse epistolam confessus est. Sed iis omnibus valere jussis, adversus veritatem impudenter decertant, apostolicae Theologiae, qua prooemium exornavit, splendorem non ferentes. Cum enim non possent iis, quae de unigeniti divinitate aperte dicta fuerant, resistere, ausi sunt totam epistolam rejicere; cum tamen ejus & decreta, & sententiae, magnam habeant cognationem cum aliis ejusdem epistolis. Haec Theodoretus. At Augustinus cum aliquos Latinos hanc epistolam non recipere audisset: malle se (dixit) orientalium ecclesiarum sequi auctoritatem, apud quas nulla unquam fuit de hac epistola ambiguitas. Hieronymus autem ad Dardanum scribens efficacissimum argumentum ejus auctoritatis existimat, quod eam longissimus ecclesiae usus continua lectione approbaverit. Haec adversus epistolae hujus hostes satis sint. Nunc ad ea, quae ipsi contra ejus auctoritatem objiciunt transeamus.

Nicaen. I. ex testim. S. Th. Laodic. Can. 59. Carthag. Ca. 47 Arausi. II. Can. ult.

OBJECTIONES HAERETICORUM.

DUO sunt adversariorum genera, cum quibus nobis de epistola Pauli ad Hebraeos certamen est. Primi (ut jam diximus) epistolam, cujuscunque ea sit, ut adulterinam de canone rejiciunt: alii quanquam eam ut sacram, ac divinam recipiant: Pauli tamen apostoli esse negant. Qui igitur illam de canone divinarum scripturarum explodunt, his de causis (ut refert Philastrius) moventur.

Philastr. in Catal. ca. 89.

1. PRIMUM epistola ad Hebraeos abdicanda est eo, quod auctor ejus in ipso statim exordio una cum Arrianis male de unigenito filio Dei sentire videtur; tum quia filium diversum a Patris substantia facit; dum nominat eum, non substantiam Patris, sed splendorem gloriae, & imaginem substantiae Patris, quorum certe neutrum substantia est; tum quod Filium non a Patre genitum, sed cum aliis creaturis factum demonstrat, cum addit: TANTO melior angelis factus, quanto prae illis excellentius nomen haereditavit.

Hebr. 1. 4.

2. AD hoc adjungitur, quod idem auctor capite sexto hujus epistolae favere videatur Novatianorum crudelitati, quae veniam denegat lapsis. Ait enim: IMPOSSIBILE

POSSIBILE est eos, qui semel illuminati, gustaverunt etiam donum coeleste, & Hebr. 6. 4. 5.
participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque saeculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam. Et rursum capite decimo ejusdem epistolae hoc idem confirmans addit. SPONTE Hebr. 10. 26.
nanque peccantibus nobis postquam accepimus veritatis agnitionem, non relinquitur hostia pro peccatis. Quae sententiae adeo crudeles sunt, ut imbecilles peccatorum conscientias in desperationem adducant. Haec Philastrius a vetustis haereticis objecta refert.

3. RECENTIORES vero Anabaptistae, ac Servetani aliis eam calumniis infestant, accusantes primo auctorem ejus, quod testimonia veteris testamenti perperam interpretetur, & longe a proposito inducat: sicut in principio epistolae fecit, ubi demonstraturus Christum esse filium Dei, testimonium illud ex secundo volumine Regum violenter detorsit, nempe: Ego ero illi in Patrem, & ipse erit Hebr. 1. 5.
mihi in Filium: quae verba non de Christo, sed de Salomone prolata sunt. Sic enim eo in loco Dominus per Nathan Prophetam ad Davidem loquitur: SU- II. Reg. 7. 12.
SCITABO semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus. Ipse aedificabit domum nomini meo, & ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium: qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis hominum: misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea. Quae dicta, tantum abest, ut de Christo loquantur, ut non sine maxima contumelia ei accommodari possint. Quomodo enim aptari poterunt ad Christum verba illa: QUI si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum: cum Christus, peccatum non solum non fecerit unquam, sed nec etiam peccare potuerit?

4. DEINDE auctor commentitia quaedam ex incertis Hebraeorum assertio- Hebr. 9. 4.
nibus assumit, asserens in arca foederis Judaeorum fuisse urnam quandam auream, cum manna, quae pluit in deserto, & virgam illam Aaron, quae fronduerat: cum tamen scribatur tertio Regum volumine, quod in arca non erat aliud, nisi 3. Reg. 8.
duae tabulae lapideae, quas posuerat in ea Moses in Oreb, quando pepigit foedus cum filiis Israël, cum egrederentur de terra Aegypti.

5. HINC accidisse apparet, quod eam Latina ecclesia in canonem non receperit, & ad probanda dogmata non assumpserit, quemadmodum e scriptis Tertulliani, Cypriani, Lactantii, & Arnobii conspicitur, qui nunquam ejus testimonio usi sunt: & Hieronymus usque ad tempora sua testatur illam in canone non fuisse assumptam. Ait enim super sextum Esaiae caput: UNDE & Paulus apostolus in epistola ad Hebraeos, quam Latina consuetudo non recipit: & in caput Esaiae octavum; CAETERUM (inquit) beatus Apostolus in epistola, quae ad Hebraeos scribitur, licet eam Latina consuetudo inter canonicas scripturas non recipiat. Quin & Hieronymus ipse parum hujus epistolae auctoritati tribuere videtur, dum eam semper praemissa dubitationis nota citare solet. Atque his argumentis utuntur, qui canonicam hujus epistolae auctoritatem infringere conantur.

6. ILLI vero, qui epistolam recipiunt, sed Paulum ejus infitiantur auctorem, multis id conjecturis, ac Patrum testimoniis persuadere contendunt, praesertim vero ex eo (ut Philastrius inquit) quod auctor ejus sermone plausibili rhetorice Philast. c. 89.
scripserit, splendidiori oratione, & grandiori stylo minime sententiam illam observans, quam de se ipso Paulus pronunciat dicens, se imperitum sermone: & NON veni ad vos in sublimitate sermonis, ut pote qui facundior esset; nec Pauli 1. Cor. 2. 1.
simplicitatem, quae in ejus epistolis apparet, potuerit imitari.

7. VERUM ne quis forte dicat Paulum Hebraïce scribentem eloquentiorem in hac epistola fuisse, quam caeteris ab eo Graeca lingua scriptis, sciendum est, eam non Hebraïca, sed Graeca primum lingua conscriptam: cujus rei indicia sunt. Primum, quia nec Hebraïce scripta invenitur, nec ullus unquam fuit, qui eam se in Hebraea lingua legisse, aut vidisse testatus sit, nec quis de Hebraea lingua eam in Graecam linguam verterit, satis constet, aliis Lucam, aliis Clementem ejus interpretem incerta auctoritate asserentibus. Deinde quod auctor ejus capite epistolae septimo nomen Melchisedech regis Salem interpretans, inquit: QUOD interpretatur Rex justitiae, & pacis. Sed si ipse Hebraeus, ad Hebraeos, & Hebraï- Hebr. 7.

eo

eo sermone scribebat, quaeso, cujus rei gratia voluit explicare, quod vox Hebraeis notissima ostendebat? Deinde, qua lingua illud interpretatus est? non Hebraea, ne idem per idem superfluo nugacitatis vitio exponeret. Restat ergo, epistolam esse Graece editam, & nomen Melchisedech, utpote Graecis incognitum, Graeca lingua interpretatum. His additur, quod auctor utitur veteris instrumenti testimoniis, non secundum Hebraïcam veritatem, sed juxta Graecam septuaginta editionem: quod Hebraeum scriptorem, & ad Hebraeos potissimum Hebraice scribentem fecisse, haud quaquam verisimile est. Cur enim relicto Hebraicae linguae fonte, de externarum interpretationum rivulis Hebraïca testimonia mendicasset?

8. ILLUD praeterea persuadere videtur epistolam non esse Pauli, quod ipse nomen suum, sicut in caeteris epistolis suis facere consueverat, huic epistolae non praeposuerit. Neque occasio dubitandi tollitur ex eo, quod inquiunt, Apostolum id consulto fecisse, ne Hebraei sibi infensi, conspecto in fronte epistolae, Pauli nomine, statim illam abjicerent: poterat enim Apostolus, si foret hoc veritus, nomen suum vel in media epistola vel juxta finem inserere, sicut in omnibus suis epistolis facere solebat.

Hebr. 2. 3. 9. HIS accedunt testimonia multa, & in primis ipsiusmet auctoris, quia cap. 2. hujus epistolae numerat se inter illos, in quos Evangelica salus confirmata est per illos, qui audierunt a Domino Jesu: cujus oppositum de se Paulus praedicat, in-
Galat. 1. 4 quiens, se neque ab homine, neque per hominem didicisse, sed per revelationem Jesu Christi, nihil sibi apostolis conferentibus.

10. SED neque illud Paulo convenire potest, quod auctor in calce epistolae
Hebr. ult. 4 pro Timotheo scribit: RECOGNOSCITE fratrem vestrum Timotheum dimissum, cum quo, si celerius venerit, videbo vos. Quomodo enim conveniens est, ut Paulus, qui jam Caesarem appellaverat, nec alia de causa, quam ut manibus Judaeorum elaberetur, tam repente mutatus, iterum velit ad eos reverti, promittatque eo se celerius reversurum, unde paulo ante metu mortis effugerat?

11. TESTIMONIA praeterea scripturarum ab auctore aliter inducta, & aliter intellecta, quam a Paulo induci, & intelligi soleant, indicant eam alium scripsisse quam Paulum. Quod enim praesentis epistolae scriptor e Psalmo secundo desum-
Psal. 2. 7. psit, ut ostenderet Christum esse angelis majorem inquiens: CUI aliquando dixit
Hebr. 1. 5. angelorum; Filius meus es tu, ego hodie genui te? Paulus aliter intellexit, assumens illud ad probandam Christi resurrectionem, cum in synagoga Antiochiae
Act. 13. 33. illud exponeret, dicens, ET nos annunciantes vobis eam, quae ad patres nostros repromissio facta est; quoniam hanc Deus adimplevit filiis vestris, resuscitans Jesum, sicut in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

12. COMMUNIS etiam omnium Latinorum, & Graecorum aliquorum consensus auctorem hujus epistolae non fuisse Paulum ostendit, sicut Hieronymus saepenumero id annotavit: velut in libro de viris illustribus, ubi: Haec epistola (inquit) apud Romanos usque hodie quasi Pauli non habetur. Et rursus in eodem libro, epistola (ait) quae fertur ad Hebraeos, non esse Pauli, creditur, propter styli sermonisque distantiam, sed vel Barnabae, juxta Tertullianum, vel Lucae evangelistae, juxta quosdam etiam Clementis urbis Romae. Idem quoque in epi-
Euseb. lib. 6. stola ad Paulinum, & in epistola ad Evagrium, ac plerisque aliis locis, confirmat.
Hist. cap. 16. Inter Graecos autem, sicut Eusebius refert, Gajus, inter Ecclesiasticos scriptores minime contemnendus, eam a caeteris Pauli apostoli epistolis rejicit.

13. TANDEM cujuscunque ea sit, nihil refert. Possumus enim citra ullum haeresis crimen affirmare illam non esse Pauli, neque, qui secus credat, haereticus censeri debet, ita definiente Hieronymo in epistola ad Dardanum, ubi sic ait: EAM epistolam plerique, vel Barnabae, vel Clementis, arbitrantur: verum nihil interest cujus sit, cum sit ecclesiastici viri, & quotidie ecclesiarum lectione celebretur. Haec hujus epistolae adversarii proferre solent.

DILUTIO OBJECTORUM.

1. QUIBUS respondentes dicimus, ad primum; ea Pauli verba tantum abesse ab Arrianorum favore, ut eis quam maxime adversentur. Siquidem, ut Theophylactus

phylactus edisserens ait, verba haec juxta Gregorii Nysseni explanationem Paulus Filium Patris splendorem, ac figuram docens, non eum significat Patre minorem, sed per splendorem quidem ostendit essentiae unitatem, qua Filius Patri coaeternus, & consubstantialis est, non secus ac luci splendor: per figuram vero naturae aequalitatem: quia neque suppositum figura excedit, neque a supposito figura exceditur: suppositum enim figurae lineas non transcendit, nec figurae lineamenta suppositi amplitudinem egrediuntur. Cum vero Filium factum dixit, non divinitate (inquit Philastrius) factum intellexit, sed corpore, & humanitate factum demonstrat. Theoph sup. 1.c. ad Hebr. Philast. c.89

2. NEC verba illa sexti capitis ulla ratione cum dogmate Novati conveniunt: quoniam cum Paulus ait non posse eos, qui prolapsi sunt renovari ad poenitentiam, non excludit a poenitudine peccatores, sed diversum (inquit Philastrius) dignitatis gradum ostendit inter eum, qui se integrum custodivit, & illum, qui peccavit: gloriosius enim est in peccati deformitatem non cecidisse, quam post casum a peccati deformitate resurgere: dignitatis itaque detrimentum est in eo qui peccavit, sed non damnum salutis. Quoniam sicut amisso insigni virginitatis decore impossibile est ad ipsum amplius corporaliter renovari, ita amissa pristinae justitiae dignitate impossibile est ad eandem amplius justitiae, & innocentiae dignitatem per poenitentiam renovari: neque enim fieri potest, ut qui vel semel in peccatum ceciderit, gloriari jam amplius queat se non aliquando in peccatum cecidisse. Verum quemadmodum ei, qui a virginitate lapsus est, secundus honor continentiae adhuc remanet, ita illi, qui post lavacrum collapsus est, secunda adhuc restat medela. Excludit etiam Paulus in his verbis non omnem prorsus poenitentiam, sed rebaptizantium poenitentiam, qui peccatores post lapsum ad poenitentiam non recipiebant, nisi reiterato secundo, ac tertio post peccatum baptismate, quod non multo post Pauli tempora Marcionem fecisse, ac pro cujusque gravis culpae remissione trina baptismatis ablutione poenitentes expiasse testis est Epiphanius. Quod cum etiam Pauli tempore fieri coeptum esset, Apostolus pronunciavit fieri non posse, ut peccatores per baptismi iterationem ad poenitentiam renovarentur. Et in hoc sensu verba illa decimi capitis intelligenda esse ostendit Chrysostomus, cujus haec verba sunt: HIC iterum exurgunt, qui poenitentiam auferunt dicentes, non est tutum dare peccatoribus sacramenta: siquidem non est secunda post peccatum remissio. Quid ergo dicemus? Quoniam in hoc non poenitentiam excludit, neque propitiationem, quae fit per poenitentiam, neque repellit, & dejicit per desperationem delinquentem, non enim ita inimicus est salutis nostrae. Sed quid? Secundum excludit lavacrum. Non enim dixit: non est ultra poenitentia: neque dixit: non est ultra remissio, sed hostia (inquit) ultra non est: crux secunda ultra non est, hostiam quippe hanc vocat. Ibidem. Hebr. 6. Epiph lib.2. Haeresi 59. Epiph. lib.1. Haeresi 42.

2. QUOD autem Anabaptistae ac Servetani calumniantur Paulum, scripturam illam secundi Regum violenter detorsisse ad Christum, proculdubio falsissimum est: multa enim, quae ad literam de aliquibus in veteri testamento dicta fuerunt, secundum spiritum, & perfectam veritatem in Christo impleta sunt, ac maxime praesens testimonium, quod, ut Lactantius inquit, secundum literam nequit omnino de Salomone intelligi: nam neque regnum Salomonis, quod in transmigratione Babylonis defecit, perpetuum dici potest; sicut ejus vaticinii verba pollicentur, cum dicit Deus: STABILIAM thronum regni ejus usque in sempiternum: neque de Salomone in totum possunt intelligi verba, quae sequuntur: ET fidelis erit domus tua, & regnum tuum usque in aeternum: quia Salomonis domus plena fuit mulieribus alienigenis, falsos deos colentibus, & ad idem Salomonem impellentibus. Restat ergo ut haec completa sint in Christo filio Davidis secundum carnem, cujus domus, hoc est coetus fidelium, in sempiternum fuit, eritque fidelis: cujus regnum, hoc est ecclesia Christianorum, in perpetuum est, juxta Danielis sententiam: POTESTAS ejus, potestas aeterna, & regnum ejus, quod non corrumpetur. Quare sicut praecedentia, & sequentia verba illius vaticinii de Salvatore nostro intelliguntur, ita & ea, quae in medio eorum posita sunt; videlicet, EGO ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium: de unigenito Filio Dei intelligenda sunt: quibus minime obstant subsequentia verba: SI inique Lactan lib 4. Div. Institut. cap.13. 1. Reg. 7. 13. Daniel 7. 14

aliquid egerit, arguam eum: quoniam licet ipsa Christi persona peccare non possit, Christus tamen mysticus, hoc est membra ejus, peccare possunt, & peccant interdum, & visitantur in virga iniquitates eorum, & in verberibus (ut ait Psal- Psalm.88. 13. mus) peccata eorum: misericordia autem Domini non aufertur ab eis.

Theoph. ad Hebr. cap.9. 4. AD ID, quod de arca testamenti commemorant, Theophylactus in explanatione noni capitis ad Hebraeos hunc in modum occurrit: QUAERES fortasse, cum constet in libro Regum literis proditum, nil aliud fuisse in arca praeter tabulas conditum, cur nunc, & urnam adjunxerit Paulus, & Aaronis virgam illam concludit? Eo forte id dixit, quia, ut a Gamaliele instructus, optime Hebraicam callebat historiam, & majorum traditione, rem se ita habere acceperat, praesertim, cum ex Hebraeis, qui Pharisaeos sectantur, idipsum & sentiunt, & profitentur: nec tamen in ipsis primordiis, sed longo post tempore cum esset necesse, ut Jeremiae temporibus arca occultaretur, in ea & urnam dicunt fuisse, & virgam reconditas. Haec Theophylactus, qui paulo supra reddens causam cur haec tria in arcam locata sint, inquit divina id providentia factum esse, ut in ea potissima Judaicae ingratitudinis monumenta servarentur. Ejus verba sic habent: HAEC haud dubio cuncta Judaeorum sunt ingratitudinis monumenta: nam quod in urna manna illud asservaretur, quo illi quondam cum alerentur obmurmurassent, en est constitutum, ut hujus rei fama transiret ad posteros, & quemadmodum illi Deum exacerbassent memoriae proderetur: Aaron autem virga, ut illorum contumacia innotesceret, & quemadmodum ipsi Aaron jam obstitissent: tabulae vero testamenti illos infidelitatis coarguerent, & inconstantiae: ut quorum de causa illae attritae, quia vitulum sibi conflassent, & idolis inservissent.

5. DE eo vero, quod ajunt epistolam hanc ab antiquis Latinis non citari, utpote, quae apud eos in canone non esset, nobisque eorum exemplo licitum esse eandem de canone abjicere, respondemus, haereticorum sententiam, ut falsam, ita temerariam esse. Falsam quidem, quoniam a vetustissimis Romanae ecclesiae patribus eam citatam legimus: atque in primis apud Clementem Romanum, qui in epistola prima ad Jacobum fratrem Domini ex ea producit verba illa, quae undecimo capite habentur: SINE fide impossibile est placere Deo: & Evaristus Papa primus, in epistola secunda, citat ex quarto capite hujus epistolae sententiam illam: NON est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: & omnia nuda & aperta sunt oculis ejus: & Iginus Pontifex ejus omninis primus, in epistola ad omnes Christi fideles, testimonium de secundo capite ad Hebraeos affert in hunc modum: IN eo enim, in quo passus est ipse & tentatus, potens est his, qui tentantur, auxiliari. Et ne fastidium lectoribus faciam in recensendis omnibus testimoniis, quae apud vetustissimos patres de praesenti epistola accepta inveniuntur, donemus eis nusquam ab antiquis Patribus epistolam hanc fuisse citatam, &, (quod plus est) etiam ab ipsis aliquando fuisse de ea dubitatum, quid ergo? Nunquid & nobis licebit iterum de ea dubitare? minime profecto. Nam etsi pervetustis illis Patribus ante universalem totius ecclesiae determinationem de hac epistola addubitare, eamque non temere in canone recipere licuit; nobis tamen post tot conciliorum decreta, & communem ecclesiae Catholicae sanctionem idipsum minime facere licet: cum ex his omnes illae causae dubitandi sublatae sint, quae Tertullianum, Cyprianum, Arnobium, Lactantium, atque alios Patres inducere potuerunt, ut de hac epistola non immerito haesitarent, ac proinde ex ea testimonia, ad confirmationem fidei nostrae non producerent. Inter caeteras vero suspicionum occasiones prima fuit, quod haec epistola esset de genere earum scripturarum, quae non statim ab initio nascentis ecclesiae, sed paulo serius ad notitiam totius ecclesiae Catholicae pervenerunt: cujusmodi sunt, epistola Jacobi, secunda Petri, secunda, & tertia Joannis, & ejusdem Apocalypsis, de quibus antequam in canone ponerentur, merito inter Patres disceptatum fuit, ne rem tanti momenti sine longa, & diligenti examinatione decernerent. Altera vero causa est, quia cum nondum totius ecclesiae auctoritas quicquam de hac epistola decrevisset, liberum erat cuique sine haeresis periculo de ea dubitare, ac differere. Nunc vero, quando epistola haec post tantam annorum multitudinem, tot conciliorum decretis in canonem assumpta est, non solum temerarium est, sed haereticum

iterum

iterum illius auctoritatem in dubium revocare. Quod autem subnectunt, hanc epistolam Hieronymi tempore non fuisse in canone, & Hieronymum ipsum auctoritati ejus parum tribuisse, mentiuntur. Siquidem ipsemet Hieronymus, & suam, & ecclesiae sui temporis sententiam, profert in epistola ad Dardanum, De terra promissionis, sic loquens: EPISTOLA, quae inscribitur ad Hebraeos, non solum ab ecclesiis Orientis, sed ab omnibus Graeci sermonis Scriptoribus, quasi Pauli Apostoli recipitur: licet plerique eam, vel Barnabae, vel Clementis, arbitrentur. Verum nihil interest, cujus sit, cum sit ecclesiastici viri, & quotidie ecclesiarum lectione celebretur. Quod, si eam Latinorum consuetudo non recipit, nec Graecorum quidem ecclesiae Apocalypsim Joannis eadem libertate recipiunt. Et tamen nos utranque suscipimus, nequaquam hujus temporis consuetudinem, sed veterum Scriptorum auctoritatem sequentes, qui plerunque ejus utuntur testimoniis, non ut interdum de Apocryphis solent, sed quasi ecclesiasticis, & canonicis. Ex quibus verbis patet, quod licet irrationabilis vulgi consuetudo tempore Hieronymi epistolam hanc non reciperet, Hieronymus tamen, caeterique ecclesiae praesides, ac moderatores, quorum erat de auctoritate divinarum literarum decernere, contempta incerti vulgi consuetudine, epistolam ad Hebraeos pro canonica recipiebant. Haec ad illos, qui hanc epistolam de canone abjiciunt [a].

6. VENIO nunc ad eos, qui epistolam recipientes, Pauli eam esse negant: quia auctor ejus per loca rhetorica divagatus, splendidiore stylo utitur, quam Apostolus soleat. Quibus dicimus; id non esse mirandum, cum naturale sit unicuique plus in sua, quam in aliena lingua vigere: caeteras enim epistolas Apostolus peregrino sermone, hoc est, Graeco composuit, hanc autem Hebraeus; & Hebraïce, id est, proprio eloquio, in quo facundior erat, disertius scripsit. Credibile est etiam, quemadmodum Origenes in Psalmum primum inquit, ut quae Paulus Hebraïca lingua eloquenter scripserat, Graecus interpres (quisquis ille fuerit) eloquentius etiam in Graecum sermonem transtulerit. Orig. in Ps.

7. JAM vero quod afferunt, epistolam hanc scriptam non fuisse Hebraïce, quia nec interpretis nomen scitur, nec Hebraïce scripta invenitur, parvi admodum est momenti. Quid enim refert, an Hebraïce scripta inveniatur, nec ne, cum omnes consentiant eam ex Hebraeo in Graecum conversam? Quis autem fuerit interpres, sive Lucas, ut Clemens Alexandrinus in libro Hypotiposeon putat, sive, ut alii arbitrantur, Clemens Romanus, tam exigui ponderis res est, ut consideratione non egeat, sed, ut inquit Origenes, si requiratur, per quem sit ejus sermo compositus, pro certo quidem Deus viderit, opinio tamen, quae ad nos usque pervenit, est, vel, quod Clemens Apostolorum discipulus, & episcopus urbis Romae, Graeco eam sermone, non tamen sensibus expoliverit; vel quod Lucas, qui Evangelium scripsit, & Actus Apostolorum, exornaverit. ILLUD item, quod ajunt, interpretationem nominis Melchisedech, Graecum Scriptorem praeferre, levissimum est, cum id ab interprete Graeco factum esse, nemo sit, qui non statim agnoscat, si consideraverit, usitatissimum esse in Sacris literis, ut interpretes Origen. Ibid.

(a) Quia N.Xystus inter primores Ecclesiae Latinae Patres Canonicam adstruentes, & Paulo vindicantes epistolam ad Hebraeos, adnumeravit subdititia quaedam opera, supposititiosque RR. PP. de quibus ubertim supra, & pluries, est actum; ideirco ne vel heinc audeant nebulones fucum facere veritati, operae pretium est hic alia addere, & aliqua expendere ad majorem veritatis notitiam, & dogmatis firmitatem. Falsum imprimis est Cyprianum hanc epistolam haud laudasse, cum eam laudaverit *Lib. I. Testimon. cap.* t. *& epistola XI.* ex editione Felli, seu *VIII.* ex editione Pameiii. Tertullianus vero, etsi sub nomine Barnabae Apostoli eam laudaverit, tamen ut summae authoritatis Apostolicum monumentum commendavit, praesertim *Lib. de Pudicitia*. Porro & Canonicam & Paulinam hanc epistolam adseruerunt Latini PP. (ultra superius laudatos Ambrosium, Hieronymum, Innocentium I. Gelasium, & Augustinum) Clemens Romanus *Epistol. I. ad Corinth.* Hilarius *in Psalm. CXXIV.*, & *CXXX.*, Rufinus *in Symbol.* Avitus Viennensis *in Carmine*, Cassiodorus *Lib. I. Divin. Instit.* Isidorus Hispalensis *Lib. VI. Origin.* & alii. Quapropter ex constanti traditione, & solida praescriptione hanc epistolam, & Canonicam, & Paulinam vindicant doctiores Acatholici Johannes Pearsonius *Annal. Paulin.* Guillelmus Cave *Histor. Litterar. Sec. I.*, Fridericus Spanhemius Junior libro Londini 1661. recuso, Guillelmus Hernestus Tentzelius, & Ernestus Salomon Cyprianus *not. ad S. Hieronym. de Viris illustribus*, aliique plures. Legi itidem possunt ad majorem eruditionem Cardinales Baronius, *Ad An. LX.* & Bellarminus *de Verbo Dei Scripto Lib. I. C. XVII.* Ludovicus Tena *in Epist. ad Hebr.* Sebastianus Tillemontius *Com. Hist. Eccl. T. I. P. II.* & alii. Ex NN. Ambrosius Catharinus *Dissert.* de hac re, Natalis *Sec. I. Cap. XII.* Card. Gotti *T.I. Christ. Relig.* & alii.

terpretes frequenter ejusmodi nomina interpretentur, sicut in Genesi, & in Exodo factum est, de nominibus Benoni, & Beniamin, & Phase: quorum primum, Septuaginta verterunt, filium doloris mei, secundum, filium dexterae, tertium, transitum Domini. Quod autem dicimus de horum nominum interpretatione ab interprete factum esse, idem quoque dicimus de testimoniis veteris testamenti, juxta Septuaginta in hac epistola inductis. Verisimile enim est, interpretem (quisquis ille fuerit) in vertendis veteris Scripturae testimoniis, quae Paulus juxta Hebraïcam veritatem citaverat, Septuaginta editione tanquam sibi, qui Graecus erat, magis familiari usum esse.

8. DE nomine autem Pauli, quod epistolae nec praescriptum, nec inscriptum est, satisfacit D. Hieronymus, inquiens. QUOD si epistola haec non est beati Pauli, quia nomen ejus praescriptum non habet, ergo nullius erit, quia nullius alterius ei praescribitur nomen. Quanto ergo prudentius, vel ob hoc ipsum existimare eam esse beati Pauli, quia singularis in ea fuit nominis supprimendi ratio? ea vero duplex fuit: una, quod ad eos scribens, qui ex circuncisione crediderant, quasi gentium Apostolus, & non Hebraeorum, sciens quoque eorum superbiam, suamque humilitatem ipse demonstrans, meritum officii sui noluit anteferre. Nam simili modo Joannes Apostolus propter humilitatem in epistola sua nomen suum eadem ratione non praetulit. Altera causa est, quod Paulus Hebraeis odiosus erat, quibus & Gentium Apostolus, & legis destructor videbatur: itaque nomen suum odiosum epistolae non praeposuit, ne praescripti nominis invidia sequentis utilitatem excluderet lectionis, atque ea de causa nomen suum, nec inscripsit, nec subscripsit, sicut in caeteris epistolis fecerat, ut epistola inter infensos sibi Hebraeos tutior absque proprii nominis impedimento vagaretur, ac liberius a principio usque ad finem tota ab omnibus perlegeretur.

Hiero. Praef. Ep. ad Hebr.

9. DE verbis autem Apostoli, quibus se inter eos annumerare videtur, qui non a Christo, sed ab Apostolis acceperunt, dicitur Paulum his verbis asserere, se non de doctrina, sed de salute ab aliis didicisse, quae salus confirmata est in ipso per eos, qui audierunt a Domino, nempe ab Anania discipulo Domini, ad quem missus est, ut per illum in eo confirmaretur Salus ex baptismi ablutione, & visus restitutione. Quanquam si de doctrina ejus loquamur, haec quoque per eos, qui videbantur esse columnae ecclesiae, confirmata est: quemadmodum ipsemet ad Galatas testatur, se cum Apostolis contulisse evangelium suum, quod praedicabat in gentibus, ne forte in vacuum curreret.

Galat. 2. 6

10. NEC mirum cuiquam videatur, si Paulus, qui ob metum Judaeorum Caesarem appellaverat, ad Judaeos iterum, quasi mutato consilio, reverti desideraverit, quando Christus in Judaeam, unde paulo ante vix e manibus lapidantium effugerat, etiam reprehendentibus Apostolis reverti voluerit: duodecim enim horae, ut tum dixit Christus, sunt diei. Unde & possibile est, Paulum tum admonitum Dei spiritu, illud a quo prius abhorrebat animus, desiderasse: praesertim vero cum exacto Romae biennio, tutius crediderit, se Hierosolymam reversurum, vel quod jam sedatam Judaeorum invidiam speraret, vel si nondum sedatam crederet, tamen cum jam solutus esset, facile a Caesare tutum sibi reditum ad suos polliceri poterat.

Joan. 9.

11. ILLUD vero, quod de testimonio Psalmi secundi aliter hic, quam in Actibus a Paulo inductum objicitur, facillime diluit Beda, inquiens, testimonium Psalmi a Paulo in Actibus recitatum, non ad resurrectionem Christi, de qua proxime Apostolus in concione sua dicturus erat, pertinere, sed ad utranque Christi nativitatem, aeternam scilicet, ac temporalem, de qua paulo supra locutus erat in eadem concione, dicens, eum natum de semine David secundum carnem, & a Joanne tanquam Messiam, verum Dei filium praedicatum.

Beda super ca. 13. Actor.

12. AD omnia Hieronymi testimonia, ut jam supra dictum est, respondemus; eum non secundum suam ipsius sententiam loqui, sed secundum aliquorum Latinorum opinionem, & praesertim juxta vulgi consuetudinem, usu potius quam ratione, ac eruditorum judicio, eo tempore introductam. Quo tempore licet aliqui etiam Latinorum illustres de hac epistola dubitatint, an in Canone recipienda esset, nostra tamen aetate post ecclesiae determinationem tam diuturnam ac certam,

tam, non licet amplius de ea dubitare.

13. ET ne quis dicat, se citra haeresis crimen saltem de auctore hujus epistolae dubitare posse, quia Hieronymus dixerit; CUJUSCUNQUE illa sit, nihil interest: sciendum est, ipsum, non in morem asserentis ac determinantis id verbum protulisse, sed ex adversariorum sententia; ut secundum disputantium legem, ostenderet absurdam illationem eorum, qui ex incertitudine auctoris, epistolam hanc non esse canonicam inferebant. Hanc igitur Hieronymus consecutionem rejiciens, inquit, quod cujuscunque epistola sit, nihil interest, aut obest, quin canonica esse possit, dummodo orthodoxi & ecclesiastici viri sit. Desinant igitur mirari temerarii isti, si eos, cum tantis testimoniis non credant, haereticos pronunciemus. Nec ultra dicant: Quid magni interest, si quis de auctore hujus epistolae dubitaverit? Nam satis, ac multi refert: etenim Arriani, Servetani, & Anabaptistae hinc primum ansam arripuerunt rejiciendi hanc epistolam, quod profecto facere non ausissent, si eam tanquam Pauli Apostoli pro certo ab omnibus accipi vidissent. Sed & multi sanctorum virorum libri, nulla alia de causa ab ecclesia de canone rejecti sunt, nisi quod eos auctorum illorum, quorum nomine praenotabantur fuisse, creditum non sit: sicut accidit de libro Enoch, & plerisque aliis libris, qui in Scripturis sanctis citantur, quos Augustinus dicit ecclesiam respuisse; non quia eorum hominum, qui Deo placuerunt, reprobaret auctoritatem, sed quia illos eorum esse non crederet, quorum esse dicebantur. Deinde plurimi refert, ut auctoritas tot Patrum, qui id nobis testari sunt, integra, indubitata, & ab omni deceptionis suspicione immunis servetur. Nam si in hoc uno tot Patres fuisse deceptos concedamus, quid obest, ne in aliis quoque erroris, & imprudentiae suspecti reddantur? Cum his, qui fallitur, & fallit in uno, etiam in aliis falli, & fallere potuisse credendus sit. Hactenus de epistola ad Hebraeos. Aug. lib. 18. de Civit. Dei cap. 38.

DE CANONICIS SIVE CATHOLICIS EPISTOLIS. HAERESIS IX.

EPISTOLAS Canonicas rejicere.

ASSERTORES HUJUS HAERESEOS.

HAEC haeresis bipartita est, alii omnes prorsus Canonicas sive Catholicas epistolas abjiciunt, ut Marcion, atque omnes hi, qui praeter evangelium Lucae nihil de Novo Testamento accipiunt: alii vero, aliquas tantum ex eis rejiciunt, quemadmodum Lutherus, qui cum duas tantum Canonicas epistolas, nescio, qua religione commotus, intactas reliquerit, videlicet primam Petri, ac Joannis, in quinque alias libere debacchatur: abjiciens primum de canone epistolam Jacobi, nulla alia de causa, quam quod dogmati suo de Justificatione per solam fidem adverseur: asserit autem illam falso Jacobi nomine inscriptam, eo quod nihil Apostolici spiritus contineat, sed tota (ut verbis ejus utar) arida, ac straminea sit, tumoris, & contentionis plena. Negat etiam epistolam Judae esse canonicam, & dignam, quae inter catholicas scripturas numeretur. Similiter & alias tres Canonicas epistolas, Petri videlicet secundam, & Joannis secundam, ac tertiam vertit in dubium, astruens illas non esse eorum, quorum nomine praenotantur, sed incerti cujuspiam auctoris, qui foetus suos alieni nominis splendore illustrare voluerit. Anabaptistae vero, ac Servetani sentientes impietatem ab eis adversus majestatem sanctissimae Trinitatis excogitatam prosterni ex prima Joannis epistola, asseverant eam ab assertoribus Trinitatis fuisse adulteratam, additis in ea nonnullis, quibus assertionem suam tuerentur.

IMPUGNATIO.

QUORUM nos audaciam ecclesiasticae auctoritatis pondere comprimentes, ostendimus non solum omnes has epistolas esse canonicas, sed etiam eorum esse, quorum nominibus praescribuntur. Primum igitur, quod prior Joannis, ac prima Petri canonicae sint, & eorum quoque auctorum, sub quorum nomine feruntur, adeo constanter perpetuus ecclesiae consensus, & omnis veneranda Patrum antiquitas, quae, ut Eusebius asseverat, de his duabus epistolis nunquam dubi- Eus. lib. 3. Hist. cap. 25.

tavit,

tavit, semperque eas in ordine Sacrarum literarum sub nomine Petri, & Joannis, recensuit, ut superfluum sit id conari ostendere. De aliis vero quinque epistolis, quanquam aliquando inter Patres fuerit dubitatum, quia non statim sub ipsis Apostolorum temporibus, sicut primae duae epistolae, sed longe post ad totius Ecclesiae notitiam pervenerunt, tamen & ipse tandem unanimi omnium Patrum voluntate, ac totius ecclesiae consensu, in numero sacrorum voluminum sub eodem nomine Apostolorum, quod nunc in frontibus eorum legitur, receptae sunt; easque semper omnia sancta concilia, a concilio Laodiceno, & Carthaginensi tertio, usque ad novissimam sanctam Tridentinam Synodum in Catalogis divinae Scripturae numerarunt; tametsi etiam longe antea praedicta concilia vetustissimi illi nascentis ecclesiae Patres harum epistolarum testimoniis, non tanquam de apocryphis, sed tanquam de canonicis Scripturis, ad confirmanda ecclesiastica dogmata, usi sunt. In primis vero Clemens, tertius post Petrum Pontifex, in epistola sua secunda, accepit ex quarto Jacobi capite verba illa: SI AUTEM judicans legem, non es factor legis, sed Judex: & iterum: HUMILIAMINI in conspectu Domini, & exaltabit vos: & Anacletus Papa, in epistola sua prima, citat sub nomine Jacobi testimonium ex secundo capite, inquiens: QUICUNQUE autem (ut ait Apostolus Jacobus) totam legem servaverit, defecerit autem in uno; factus est omnium reus, & Alexander Papa Primus Jacobum ex quinto capite hujus epistolae testem inducens, ait: MULTUM enim (ut ait beatus Jacobus Apostolus) valet deprecatio justi assidua. Urbanus Primus, in epistola prima, verba secundi capitis hujus epistolae sub Jacobi titulo allegat, dicens: QUID prodest fratres mei (Jacobus Apostolus ait) si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Quod autem maxime facit ad confirmandam hujus epistolae majestatem, illud potissimum est, quod universalis totius catholicae ecclesiae auctoritas, ex hac una epistola Sacramentum extremae unctionis, prius in evangelio Marci insinuatum, confirmat; quemadmodum ex decreto Innocentii ejusdem nominis primi apparet, & ex his, quae post Innocentium fuerunt, Conciliis constat (a).

SIMILITER quoque ex secunda Petri epistola, Anacletus in epistola sua tertia inducit verba quaedam tertii capitis, veluti a Petro prolata, inquiens: PRO-
1. Pet. 3. 14. PTER quod charissimi expectantes satagite (ut Petrus ait) immaculati & inviolati inveniri in pace. (b) Ratio quoque ostendit secundam hanc epistolam esse Petri: quia si ejus non sit, profecto erit impudentissimi cujuspiam nugatoris, ac fabulonis. Testatur enim ibi auctor, se fuisse unum ex his, qui in monte sancto fuerunt, & viderunt magnificam Christi gloriam de nube allatam: quod si circulator hic tam turpiter nobis imposuisset, ut se fidelibus omnibus pro Petro venditasset; qui fieri potuisset unquam, ut ecclesia, quae errare non potest, hunc impostorem inter sacros Scriptores computasset, & in conventibus fidelium, in sacris etiam mysteriis, legi jussisset? Huc accedit, quod auctor hujus epistolae cum laudatissimum illud testimonium redderet de epistola Pauli, scripta ad Hebraeos,
2. Pet. 3. 15. appellat se non solum Pauli fratrem, sed charissimum fratrem, inquiens: SCRIPSIT vobis charissimus frater noster Paulus. At certe nullus inter Apostolos Petro charior fuit quam Paulus; qui ut in vita semper dilexerat eum, ita & in morte ab eo non est separatus, una die, & uno loco, eundem habens passionis comitem, quem semper habuerat praedicationis evangelicae socium.

DE DUABUS autem posterioribus epistolis Joannis Apostoli palam est, Hieronymum,

(a) Iterum N. Xystus hic laudat subdititias RR. PP. epistolas: quare iterum ad vindiciam Jacobeae epistolae genuina ac solida loca Patrum sufficere oportet ad majorem veritatis triumphum. Pro ea quidem aperte stant Origenes *Hom. 3. in Exod. & Com. in cap. V. ad Roman.* Athanasius *Orat. V. cont. Arian. & de Synod. Nicaen. decret.* Basilius *L. 2. de Baptismo*, Epiphanius *Haeres LXX.* Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi IV. & VII.* Rufinus *in exposit. Symbol.* Augustinus *lib. 2. de Doctr. Christ.* Innocentius *I. Epist. ad Exuper.* Consule laudatos ortodoxos Scriptores nuper a me commendatos Natalem &c. nec non eruditos Polemicos, similiter & doctiores ex Acatholicis iisdem a me relatos, aliosque in Bibliotheca Ecclesiastica Johannis Alberti Fabricii.

(b) Idem esto judicium de epistola decretali Anacleti R. P. hic laudata a N. Xysto, ac de eadem, aliisque id genus supra rejectis: quare alia decreta Conciliorum Laodiceni, Carthaginensis III. &c. quae supra commemoravit Xystus, ad majorem vindiciam II. Petrinae Epistolae, sicut etiam & III. sat erit sufficere Authorem *Synopseos*, Gregorium Nazianzenum in *Carmine*, Hieronymum *Epist. ad Paulinum*, Augustinum *ubi sup.* &c. Consule laudatos Orthodoxos Scriptores, apud quos plura reperies, & etiam ad vindiciam epistolae Judae,

ronymum, Ambroſium, & Auguſtinum, frequenter teſtimonia ex ſecunda hujus Apoſtoli accipere. De tertia vero (ut caeteros vetuſtos Scriptores omittam) Dionyſius omnium antiquiſſimus, in libro coeleſtis Hierarchiae, cap. 3. citat verba quedam ex primo hujus epiſtolae capite.

DE EPISTOLA itidem Judae Apoſtoli Anacletus in tertia ſua epiſtola accipit verba illa: HI ſunt, qui ſegregant ſemetipſos, animales ſpiritum non habentes, &c. & Alexander Primus, epiſtola tertia, impoſito nomine Judae Apoſtoli, teſtimonium profert, citat in hunc modum: ECCE (ait Judas Apoſtolus) veniet Dominus in millibus ſuis, & reliqua. Sed & quem ante omnes nominare debueram, Divus Dionyſius in libro de divinis nominibus de hac epiſtola teſtimonium ſumpſit: & Divus Epiphanius libro primo adverſus haereſes, citans ex hac epiſtola teſtimonium contra Gnoſticos, ait: QUARE de his arbitror, commotus eſt Spiritus Sanctus in epiſtola Judae, in catholica inquam epiſtola ab ipſo ſcripta: Judas autem hic eſt, qui frater Jacobi & Domini dicitur. Et Hieronymus in libro De viris illuſtribus, de hac ipſa epiſtola ſic ſcribit: JUDAS frater Jacobi parvam quidem, quae de ſeptem Canonicis eſt, epiſtolam reliquit, & quia de libro Enoch, qui apocryphus eſt, in ea aſſumit teſtimonia, a pleriſque rejicitur: tamen auctoritatem vetuſtate jam & uſu meruit, & inter ſanctas Scripturas computatur. Idemque in epiſtola ad Marcellam de ea teſtimonium profert his verbis: In epiſtola canonica Judas Apoſtolus frater Jacobi ſcribit, dicens: COMMONERE autem vos volo, &c. De omnibus vero Canonicis ſimul epiſtolis, deque earum numero, auctoritate, & auctoribus idem Hieronymus ſuam, ac totius eccleſiae ſententiam exprimens in epiſtola ad Paulinum, ſic inquit: Jacobus, Petrus, & Joannes, & Judas, ſeptem ſcripſerunt epiſtolas, tam myſticas, quam ſuccinctas, breves, & longas; breves in verbis, longas in ſeotentiis: & in Prologo ſeptem Canonicarum ad Euſtochium ſingulariter numerum, & ordinem earum explicans ait: NON ita eſt ordo apud Graecos, qui integre ſapiunt, fidemque rectam ſectantur, epiſtolarum ſeptem, quae canonicae nuncupantur, ſicut in Latinis codicibus invenitur, ut quia Petrus eſt primus in ordine Apoſtolorum, & primae ſint etiam ejus epiſtolae in ordine caeterarum: ſed ſicut Evangeliſtas dudum ad veritatis lineam correximus, ita has proprio ordini Deo juvante reddidimus: eſt enim prima earum, una Jacobi, duae Petri, tres Joannis, & una Judae. Ex quibus luce clarius apparet omnes iſtas epiſtolas uſque ad ipſa Apoſtolorum tempora in maxima ſemper auctoritate fuiſſe, & eorum, quorum nomine praenotantur, ſemper fuiſſe creditas.

Dionyſ. c. 4. Epiph. lib 1. Haereſ. 26.

OBJECTIONES HAERETICORUM.

1. ADVERSUS Jacobi epiſtolam, quae prima eſt in ordine, prophanus Lutherus inſurgens objicit primum, quod ejus ſenteoriae cum doctrina Pauli pugnent. Paulus enim ad Romanos ſcribens, dicit, Hominem juſtificari non ex operibus, ſed ex fide: comprobans hoc Abrahae exemplo, qui non ex operibus, ſed ex fide juſtificatus eſt apud Deum, ſicut ſcriptum eſt: CREDIDIT Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam: cujus oppoſitum docet auctor praeſentis epiſtolae, aſſerens Abraham non ex fide, ſed ex operibus juſtificatum, inquiens: ABRAHAM pater noſter, nonne ex operibus juſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare? & paulo poſt: Videtis quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantum. Jacobus igitur contrarium ejus docet, quod Paulus docuit.

Rom. 4. Geneſ. 15. 6. Jacob. 2. 21.

2. DEINDE, quod multum ab evangelica pietate diſtet haec epiſtola, ex eo apparet, quod auctor ipſius magis quam deceat evangelicum virum & a jugo legis, Chriſti benignitate liberarum, oſtendat ſe amarulentum, & aſperum, dum ſeveriſſimam legis Moſaicae maledictionem jam per Chriſtum abolitam, iterum fidelibus intentat, dicens: QUICUNQUE totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus. Quae quidem ſententia ſi vera ſit, quomodo verum erit Chriſtum acerbiſſimam legis duritiem in jugum evangelii ſuave, & onus leve, pro animarum quiete commutaſſe? Rurſus cum in multis (ut idem ait auctor) offendamus omnes, nonne per omnem vitam rei ſemper erimus univerſae

Jacob. 2. 10. Jacob. 3. 2.

verſae

versae legis, & post hanc vitam, ab aeterna quoque vita excludemur?

3. QUIN & ipse hujus epistolae stylus arguit eam non esse Jacobi Apostoli: phrasis enim ejus non refert majestatem illam & gravitatem Apostolicam, nec Hebraismi tantum, quantum in Jacobo Hierosolymorum episcopo credibile est adfuisse. Deinde salutatio epistolae tam pura est, ac omnis Christiani spiritus expers, ut nulli Apostolicarum epistolarum conformis sit: nihil Dei, nihil Jesu Christi, nihil gratiae, nihil pacis, ut caeterae Apostolorum epistolae, annuncians, sed prophano more tantum salutem proferens. Sed nec ipse se Apostolum in titulo epistolae nominat, sed solummodo Jacobum; tametsi in nostris Latinis codicibus Apostoli cognomen adjectum fuerit, contra Graecorum exemplarium veritatem, in quibus tale cognomen nusquam legitur. Ex quibus simul junctis, hujus epistolae minus certus redditur auctor, ejusque auctoritas non parum imminuitur.

4. ADSUNT praeterea non contemnenda veterum Scriptorum testimonia, qui hujus epistolae auctoritatem vertant in dubium, quos inter Eusebius Caesa-
Capite 13. riensis secundo libro historiae Ecclesiasticae sic ait: HACTENUS de Jacobo, cujus illa habetur epistola, quae prima scribitur inter eas, quae Catholicae appellantur. Sciendum tamen est, quod a nonnullis non recipitur, nec facile quis antiquorum meminit ejus, sicut nec illius quidem, quae dicitur Judae, quae etiam
Capite 3. ipsa est una ex septem. Et Divus Hieronymus in libro De viris illustribus, sic scripsit; JACOBUS frater Domini unam tantum scripsit epistolam, quae de septem Canonicis est, quae & ipsa ab alio quodam sub nomine ejus asseritur, licet paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem. Ex quibus Hieronymi verbis duo sese offerunt colligenda: unum, hanc alterius esse epistolam, qui se Jacobi nomine ornaverit, aliud, quod epistola canonicam auctoritatem habere non potest: quia nec temporis diuturnitas, nec fidelium consuetudo, nec tacita conniventis ecclesiae permissio efficere possunt, ut doctrina aliqua (quaecunque ea sit) incipiat esse vera, canonica, & divina, si ex se talis ipsa non fuerit. Neque enim est in potestate hominum efficere, ut quae divino spiritu revelata non sunt, divinitus edita sint, & ut quae ab uno auctore scripta non sunt, ab eo auctore scripta sint. Haec Lutherus contra Apostoli Jacobi epistolam.

5. DE secunda vero epistola Petri idem dubitat, an Petri sit: quia Eusebius
Capite 25. libro tertio Historiae de ea ponat haec verba: PETRUS Apostolus praedicationis suae monumenta perpauca reliquit: una etenim ejus epistola est, de qua nullus omnino dubitavit, nam de secunda multis incertum est. Et D. Hieronymus in libro De viris illustribus: Secunda, inquit, Petri epistola, a plerisque ejus negatur, propter styli ejus cum priori dissonantiam.

6. DE epistolis item secunda, & tertia Joannis, certum est, quod ejus non sint; quia ipse auctor in utriusque epistolae salutatione se Joannem, non Apostolum, sed presbyterum appellat, tacito etiam nomine Joannis, dicens: PRESBY-
2. Joan. v. 1. TER electae dominae: &, PRESBYTER Cajo charissimo. Unde Hieronymus in
3. Joan. v. 1. libro De viris illustribus, inquit: Scripsit Joannes unam epistolam, cujus exordium est: QUOD FUIT AB INITIO; quae ab universis ecclesiasticis, & eruditis viris probatur: reliquae autem duae, quarum primae principium est, SENIOR ELECTAE DOMINAE, & sequentis: SENIOR CAJO CHARISSIMO, quem diligo in veritate; Joannis presbyteri asseruntur, cujus & hodie alterum sepulchrum apud Ephesum ostenditur.

7. IPSAM vero primam Joannis epistolam, Anabaptistae contendunt, adscititiis additionibus falsatam, sumpto hinc argumento, quod in quinto ejus capite
1. Joan. 5. 7. addita sit sententia illa: Tres sunt, qui testimonium dant in coelo, Pater Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum sunt: quam sententiam eo in loco dicunt insertam a fautoribus Trinitatis, reclamantibus omnibus vetustis Graeciae exemplaribus, in quibus ea verba olim non fuisse, etiam Hieronymus in Praefatione canonicarum epistolarum testatus est. Erasmus vero, qui in prima editione sua Novi testamenti eam non habet; idcirco illam se praeteriisse affirmavit, quia in Graecis codicibus ea verba non legerentur.

Capite 25. 8. DE epistola autem Judae, praeter id, quod Eusebius libro tertio Historiae, & Hieronymus

& Hieronymus in libro virorum illustrium, asserunt, fuisse de ea veteribus dubitatum, & quod prisci Patres nulla de ea, utpore de apocrypha, testimonia citant. Illud quoque ostendit epistolam esse apocrypham, & fide indignam, quod Apocryphis testimoniis doctrinam suam confirmet, inducens ad id incertam Enoch scripturam, dicens: PROPHETAVIT autem de his septimus ab Adam, Enoch: ecce veniet Dominus in sanctis millibus suis, facere vindictam contra omnes, &c. Ad haec etiam citat altercationem Michaëlis cum diabolo de corpore Mosi, quae nullibi in Sacris literis legitur. Quare cum auctor epistolae relicto canonicae Scripturae fonte, unde innumera testimonia ad suum argumentum de perpetua punitione impiorum accepisse poterat, ab incerta scriptura auxilia mutuarit, merito epistolam suam suspectam fecit, ut eam quae incertis apocriphae Scripturae testimoniis innitatur. Cui absurditati etiam aliud magis absurdum adjecit, quod apocryphos libros de prophetia Enoch, & diaboli certamine, suo testimonio approbaverit, & eis parem cum canonicis scripturis auctoritatem detulerit, dum ex eis testimonia ad probandam canonicam doctrinam, tanquam ex libris certis approbatis, & canonicis, accepit. Haec haeretici.

DISSOLUTIO OBJECTORUM.

1. LUTHERUS, malitia excaecatus, longissime fallitur, dum credit Jacobi sententiam doctrinae Pauli esse contrariam. Oportebat enim eum legisse Augustinum, qui in Praefatione Psalmi trigesimiprimi, Paulum, & Jacobum, his inter se verbis conciliat: DE ipso Abraham invenimus in epistola alterius Apostoli, qui volebat corrigere homines, qui male intellexerunt ipsum Apostolum Paulum. Jacobus enim in epistola sua contra eos, qui nolebant bene operari, de sola fide praesumentes, ipsius opera commendavit, cujus Paulus fidem; & non sunt sibi adversi Apostoli. Cum enim Abraham, secundum Paulum, justificatus sit ex fide, tanquam ex radice, & fundamento: secundum Jacobum, justificatus est ex operibus, tanquam ex fructu, & superaedificatione. Atque, hoc modo intellecti hi duo Apostoli, sunt inter se omnino concordes. [Augu. Praef. In Psalm. 31.] [Rom. 4.] [Jacob. 2.]

2. NEC adeo severa est Jacobi sententia, ut nos pro quocunque levissimo crimine reos universae legis statuat, quemadmodum Lutherus conqueritur. Non enim Jacobus per unicum illum in uno defectum intelligit quodcunque minimum, ac veniale peccatum, sed illud unum grave, ac magnum delictum, quo contra legem charitatis Dei, & proximi, & contra legislatorem, non ex humana fragilitate, sed ex legislatoris contemptu peccatur, adversus quam charitatatem, ac legislatorem, si quis crimen admiserit, merito totius legis fit reus: quia totius legis plenitudo est charitas, & in ea tota lex pendet. Ita hunc locum exposuit Augustinus, sermone quarto, de tempore, dicens: Qui offenderit in uno, factus est omnium reus. Quid est hoc unum, nisi illud quod Apostolus dicit: omnis lex in uno sermone completur: Diliges Dominum tuum, & proximum tuum sicut teipsum? Et in epistola 29. ad Hieronymum ait: Qui in uno offenderit, fit omnium reus, si contra charitatem facit, unde tota lex pendet: reus enim fit omnium faciendo contra eam, in qua pendent omnia. Ex quibus apparet, ejus sententiae severitatem non contra omnes peccatores, qui in aliquo offendunt, promulgari, sed contra eos solum, qui legem charitatis, atque ejus legislatorem Deum ex contemptu, & despectu legis, ac legislatoris, non carnis fragilitate, sed malitiae, ac malignitatis iniquitate offendunt. Rursus juxta Cyrilli expositionem dici potest eos, qui in uno defecerint, pronunciari totius legis reos, non quia punientur de caeteris praeceptis, quae observarunt, tanquam si ea transgressi forent (hoc enim iniquum esset omnino) sed quia propter unius mandati transgressionem privabuntur aeterno praemio, non aliter, quam si omnia divina praecepta contempsissent. D. Thomas ab hac interpretatione non admodum discrepans, ait peccatorem in uno deficientem, reum fieri omnium mandatorum ea ratione, quod in unius transgressione illum ipsum contemnit, qui omnium praeceptorum est auctor. [Author li. de ver. & fals. poen sub nomine August.] [S. Thom. 1. 2. Qu. LXXIII. Art. 9. ad 2. arg.]

3. QUOD autem salutationem epistolae accusat, tanquam eam, quae nihil Dei & Christi contineat, aperte delirat. Ponitur enim in ea: Jacobus, Dei, ac Do-

mini nostri Jesu Christi, servus: quo quid Christianius dici potuit? Sed inquit, praeponit epistolae vocem illam salutis gentilibus usitatam. O insanum, & stolidum Lutherum. Nonne Lucas Actuum quintodecimo testatur, Apostolos ex Concilio Hierosolymitano scribentes ad gentes, eandem vocem epistolae proposuisse in his verbis? APOSTOLI & Seniores his, qui sunt Antiochiae, & Syriae, & Ciliciae, fratribus ex gentibus, salutem. Et tamen non pudet eum ejusmodi ineptias in medium proponere. Suadet etiam consimili insania epistolam rejiciendam, quod salutationibus persimilis: & tamen habet ob oculos tertiam epistolam, cujus salutatio nulli Apostolicarum epistolarum similis sit, item & primam Joannis epistolam, in qua Apostolus nulla praemissa salutatione, veluti ex abrupto orditur: QUOD FUIT AB INITIO. Dicit etiam prophanus hic, non inesse epistolae tantum Apostolici spiritus quantum deceat Jacobum. At longe aliter judicant catholici Patres, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & omnes alii, qui eam Spiritu Sancto dictante conscriptam decernunt; quibus magis credimus, quam insano Lutheto. Dicit Apostoli cognomen in Graecis exemplaribus deesse: sed redarguitur ejus temeraria impudentia; quia, vetustissimi quique Latinorum codices, & praeter hos etiam nonnulla Graeca exemplaria, illud habent, quod manifestum indicium est, vetusta Graecorum exemplaria idipsum Apostoli cognomen in salutatione epistolae habuisse, & postmodum, vel casu, vel malitia, intercidisse.

Actor. 15. 23.

4. INDUCIT etiam verba Eusebii, sed juxta haereticorum consuetudinem detruncata, praeteriens id, quod statim Eusebius addit: Nos tamen scimus istam cum caeteris ab omnibus ecclesiis recipi. His etiam apponit Hieronymi dictum, quod tamen nihil causae suae patrocinatur: cum satis constet, ex aliis compluribus Hieronymi sententiis eum non propriam, sed aliorum sententiam referre. Nec ita perperam sequentia verba Hieronymi intetpretanda sunt, ut ex his cum Luthero deducamus, epistolam hanc, vel temporum successu, vel ecclesiae dissimulatione divinam factam, & Jacobo ascriptam, cum talis ipsa non esset: (hoc enim impossibile prorsus est) sed sic porius juxta veram Hieronymi mentem exponenda sunt, quod epistolam hanc, de qua primum inter aliquos ambigebatur, an divino spiritu, & an ab Apostolo Jacobo scripta esset, ecclesia Christi paulatim tempore procedente comperit esse veram, & canonicam, & ipsius Jacobi germanam: sicque, quod ipsa ecclesia in morem aurorae magis ac magis progressu temporis illuminata invenerat, omnibus palam fidelibus manifestavit, declaravitque, nempe epistolam vere esse Jacobi Apostoli, & ab eo Spiritu Sancto dictante compositam. Haec de epistola Jacobi.

5. DE secunda autem Petri epistola, cum Lutherus contendit esse de ea dubitandum propter verba Eusebii, & Hieronymi, vanum & puerile est argumentum. Nam praeter id, quod uterque non suam, sed aliorum incertam referat opinionem, si propter hoc de epistola hac ambigere nunc licet, quia quondam aliqui de ea dubitarunt, licebit quoque de Christi divinitate dubitare, quia de ea aliquando ab Apostolis nondum plene credentibus, ante susceptionem Spiritus Sancti fuerit dubitatum. Quare si tempore Eusebii plerisque incerta fuit secunda Petri epistola, quod nondum quicquam de ea ecclesia definierat, nunc post ecclesiae definitionem, adeo certa est, ut nullus amplius de ea dubitandi locus, nisi haereticis relinquatur. De stylı vero diversitate, qua inter se duae Petri epistolae dissident, Hieronymus in Quaestionibus ad Hedibiam satisfacit his verbis: DUAE epistolae, quae feruntur Petri, stylo inter se, & charactere, structuraque verborum discrepant: ex quo intelligimus, Petrum pro necessitate rerum diversis fuisse usum interpretibus. Quae Hieronymi sententia ostendit ex diversitate styli, non auctorum, sed interpretum, diversitatem inferri.

6. ILLUD item, quod contra duas epistolas Joannis, Lutherus de praenotatione Presbyteri opponit, nullum habet momentum. In his enim epistolis ille idem est Joannes Presbyter, qui & Apostolus & Evangelista: vocat autem se presbyterum, vel seniorem, ob notabilem aetatis diuturnitatem. Vixit enim, ut Hieronymus in libro De viris illustribus tradit, usque ad sexagesimum octavum annum, post passionem Domini, & Ephesi longo senio confectus, postquam

Capite IX.

Asiae

Asiae fundasset ecclesias, mortuus est. Neque Hieronymi testimonium quicquam istis epistolis officit, cum certum sit, eum non secundum propriam mentem, quam ipse Incis superius a nobis adductis expressit, sed ex aliorum sententia loqui: quemadmodum ipsemet eo in loco testatur, praedictis verbis suis haec statim subnectens: SUPER qua re cum per ordinem ad Papiam ejus auditorem ventum fuerit, differemus. In Papia vero cum de duplici Joanne loqueretur, subinrulit: HOC autem diximus propter superiorem opinionem, quam a plerisque retulimus traditam, duas posteriores epistolas Joannis, non Apostoli esse, sed Presbyteri.

7. AD id vero, quod impii Anabaptistae, ac Servetani, de verbis illis, quae in quinto capite primae Joannis adjecta contendunt, responde . us, ea verba apud catholicos indubitatae semper veritatis fuisse, & in omnibus Graecis exemplaribus ab ipsis Apostolorum temporibus lecta: nec opus est quicquam de ipsorum perpetua integritate, sinceritateque dubitare, cum Iginus Papa Primus inducat ea adversus haereticos, tanquam invictum pro summa Trinitate testimonium. Sic enim in epistola ad omnes Christi fideles scribit: ET iterum ipse Joannes Evangelista ad Parthos scribens, ait: Tres sunt qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt. Quin & sancta mater ecclesia testimonium istud quotannis per octavam Paschae in sacris mysteriis, ut ex vera & germana ejusdem Evangelistae epistola decantat. Nec Hieronymus usquam dixit illud in codicibus Graecis ecclesiae catholicae defuisse, imo in Prologo Canonicarum ad Eustochium conqueritur, haec verba ab infidelibus, & haereticis translatoribus in Latinum versa non fuisse, cum passim in Graecis voluminibus legerentur. Haec enim sunt Hieronymi eo in Prologo verba: QUAE scilicet epistolae, si ut ab eis, hoc est, Graecis auctoribus, digestae sunt, ita quoque ab interpretibus fideliter verterentur in Latinum eloquium, nec ambiguitatem legentibus facerent, nec sermonum sese varietas impugnaret, illo praecipue loco, ubi de unitate Trinitatis, in prima Joannis epistola positum legimus, in quo etiam ab infidelibus translatoribus multum erratum esse a fidei veritate comperimus: trium tantummodo vocabula, hoc est, aquae, sanguinis, & spiritus, in ipsa sua editione ponentibus, & Patris, Verbique, ac Spiritus Sancti testimonium omittentibus, in quo maxime & fides catholica roboratur, & Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, in una divinitatis substantia comprobatur. Haec Hieron mus. Quod autem ex prima Erasmi traductione adjiciunt, nihil nos movet viri hujus auctoritas, cujus non paucas sententias nuper catholica ecclesia damnavit, cum ea verba in Graecis exemplaribus, ut ostendimus, semper fuerint, & nunc quoque in nostris Graecis codicibus palam in hunc modum legantur: τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες, ἐν τῷ οὐρανῷ, πατὴρ, λόγος, καὶ πνεῦμα ἅγιον, καὶ οἱ τρεῖς εἰς τό ἕν εἰσι. Et ipsemet Erasmus in Annotationibus suis fateatur haec eadem verba haberi in pervetustis Graecis exemplaribus Britanniae, Hispaniae, ac Rhodi.

1. Joan. 5.

Vide quae adnotavimus T. I. p. 31.

8. DENIQUE de Judae epistola nihil mirum, si nonnulli veterum, de ea dubitarint, aut raro de ea testimonia protulerint, cum & ipsa de numero sit earum Scripturarum, quae sero (ut jam diximus) in notitiam totius ecclesiae pervenerunt. Nec quicquam ex ejus auctoritate subtrahitur, quia auctor ejus apocrypha de Enoch libro citaverit, cum Paulus Apostolus (ut Hieronymus prudenter observavit) non ex apocryphis solum, sed de gentilium quoque poëtarum libris testimonia in confirmationem doctrinae suae adduxerit: quale illud, cum in Martis curia disputaret: τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν: hoc est, Ipsius enim & genus sumus: & illud, φθείρουσιν γὰρ ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί: id est, corrumpunt bonos mores colloquia mala: & illud ad Titum Cretensibus scribens: Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί: id est, Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri: quorum primum hemistichion testatur Hieronymus esse Arati poëtae in exordio, τῶν φαινομένων, secundum vero jambicum de Menandri comoedia, & tertium integrum ex libro oraculorum Epimenidis Cretensis, vel ex Callymacho Cyrenensi in his, quae de Jovis laudibus cecinit. Neque ob id Paulus gentilium testimoniis usus est, quasi illi ex libris Sacris divina testimonia deessent, sed ut gentilium librorum studiosos etiam de propria suorum librorum lectione convinceret: quod & Apostolum Judam scholastica quadam arte prudenter fecisse credendum

Actor. 17. 28.

1. Cor. 15. 33.

Tit. 1. 12.

Hieronym. in Comment ad Tit & in ep. ad Magnum.

dendum est, dum eos, ad quos scribebat, etiam ex his libris, qui apud illos auctoritatem habebant, productis testimoniis persuadere vellet. Neque idcirco sequitur, Judam libros Enoch approbasse, quia de eis testimonia sumpserit, sicut nec Paulus Epimenidis, Menandri, & Arati libros comprobavit, cum de eis testimonia acciperet. Uterque enim non totos, ac integros auctorum illorum libros approbavit, sed ea sola testimonia ex libris illorum, caeteris, quae in his legebantur, omissis, accepit. Unde Hieronymus in Commentariis epistolae ad Titum confutans eos, qui Paulum propterea reprehendebant, quia contra Cretenses Epimenidis versiculo usus esset, sic inquit: PUTANT quidam Apostolum reprehendendum, quod imprudenter lapsus sit, dum falsos Doctores arguit, illorum versiculos comprobavit. Quibus breviter respondendum est, in eo, quod ait: CORRUMPUNT bonos mores colloquia mala, & in illo: IPSIUS & genus sumus; non statim totam Menandri comoediam, & Arati librum praesenti loco, non totum opus Callimachi, sive Epimenidis, quorum alter laudes Jovis canit, alter De oraculis scripsit, per unum versiculum comprobavit; sed Cretenses tantum mendaces vitio gentis increpavit, non ob illam opinionem, qua sunt arguti a poëtis, sed ob ingenitam mentiendi facilitatem de proprio eos gentis auctore confutans. Qui autem putant, totum librum debere sequi eum, qui libri usus sit versiculo, videntur mihi & apocryphum Enochi, de quo Apostolus Judas in epistola sua testimonium posuit, inter ecclesiae Scripturas recipere. Hactenus Hieronymus: ex cujus verbis habetur, Judam non ideo totum Enochi librum approbasse, quia testimonium illud in eo comprobaverit, & de Canonicis quidem epistolis haec dicta sunt.

DE APOCALYPSI JOANNIS EVANG. HAERESIS X.

APOCALYPSIM, nec esse Joannis Apostoli, nec inter Canonicas Scripturas recipiendam.

ASSERTORES HUJUS HAERESEOS.

UTRANQUE hujus haereticae assertionis partem primi in ecclesiam invexerunt Alogi, sive Alogiani, de quibus, cum de Evangelio Joannis ageremus, iterum meminimus. Hi (quemadmodum Epiphanius, Philastrius, & Augustinus referunt) librum hunc arbitrantur a Cerintho haeresiarcha Apostolorum adversario confictum, & innumeris figmentis, ac praestigiis refertum, quorum blasphemiae astipulatur Theodorus Byzantius, Theodotianorum princeps, adversus quem Epiphanius libro 2. scribit. Lutherus vero, & sui conjurati, quanquam aperte non audeant contra universalem ecclesiae Catholicae assertionem, hunc librum per se ipsos damnare, illum tamen callide sub aliorum persona vituperant, & multis rationibus, quas indissolutas relinquunt, labefactare conantur, dicentes, eum ab eruditissimis, & gravissimis olim viris explosum, ceu fabulosae, & confictae rei narrationem, cui nihil inesset Apostolici pectoris. Ambigunt autem & de libri auctore, an is fuerit Joannes quidam presbyter, Ephesi sepultus, an alius quispiam: nam, Joannis Apostoli Opus non esse, ajunt se pro comperto habere.

Epiph. lib 2. Haeres. 50. Philastr. in Catalo. c. 60. Augu. lib de Haeresibus c. 30. haer. 34.

IMPUGNATIO.

ADVERSUS istorum temerarium errorem pugnant, vetustissimorum Patrum testimonia, conciliorum determinationes, ac totius Catholicae ecclesiae auctoritas. In primis vero Dionysius Areopagita, Pauli discipulus, hunc librum esse Joannis, Apostoli, & Evangelistae, primus ostendit: is enim in libro de Ecclesiastica Hierarchia ponens universam Scripturae sanctae partitionem, de Apocalypsi haec fatur. SIVE arcanam illam, ac mysticam omnino visionem dilecti discipuli, divinamque Domini Jesu, & altissimam theologiam eis, qui dii fieri merentur, exponit, eosque per mysteria sacra & divina sustollit, atque confirmat. Quibus sane verbis Dionysius sanctam Joannis Apocalypsim clarissime designavit. Sed quia Lutherus cum Academicis suis, omnia in dubium revocantibus, Dionysii testimonium contemnunt, dicentes, eum non esse Dionysium illum Areopagitam

gitam Pauli discipulum, quod is nulla volumina scripserit, sed novum quendam, ac supposititium Dionysium, a Graeculo quopiam paulo ante quingentos annos emissum in lucem, & ementito Areopagitae cognomine adornatum, sciat se multorum veterum Scriptorum testimonio refelli, ac multorum insuper Conciliorum auctoritate damnari. Gregorius nanque Magnus in homilia de centum ovibus, & Agatho Papa in epistola ad sextam synodum, ipsaque sexta synodus, & Martinus Papa in synodo Romae celebrata, Joannes item Damascenus in libris de fide orthodoxa, & adversus Iconomastichos, Dionysii Areopagitae, & ejus librorum mentionem faciunt, & ex ipsis tanquam ex auctoritate sanctissimi ac vetustissimi viri ecclesiastica dogmata comprobant. Post Dionysium vero Justinus philosophus, & martyr Apocalypsim Joannis Apostoli esse non solum testatus est, sed eam quoque (ut Eusebius in Chronicis, & Hieronymus in libro De viris illustribus testes sunt) luculentissima expositione prosecutus est. Irenaeus quoque in quinto adversus haereses libro Apocalypsim a Joanne Evangelista scriptam, prope finem Domitiani Caesaris testatum reliquit, & in eam Commentaria edidit. Theophylus item Antiochiae episcopus, ut Eusebius scribit, testimoniis hujus libri tanquam de Scripturis canonicis contra Hermogenis haeresim usus est: & Melito Asianus, Sardensis ecclesiae episcopus, Commentaria in hunc librum, tanquam in canonicum Opus composuit. Concilium quoque Ancyranum sub Diocletiano Augusto celebratum, hujus libri sententiis utitur ad dogmatum confirmationem sub nomine Joannis Apostoli, quem etiam libri hujus asserit auctorem. Sic enim in sexto Eusebii volumine loquitur: Joannes Apostolus Apocalypsis sacramentum in spiritu, non in corpore vidit, sicut ipse dicit: FUI in spiritu in Dominico die, &c. Dionysius etiam, Corinthiorum ecclesiae Pontifex, inter ecclesiasticos Scriptores nobilis, apud eundem Eusebium de Joannis Apocalypsi hunc in modum fatur: EGO vero, quantum ad meam sententiam pertinet, spernere, aut abjicere scripturam libri hujus nullatenus audeo, maxime cum multi ex fratribus ita mecum sentiant, sed hoc magis de eo judico, quod excedant, atque emineant, quae in eo scripta sunt humanae auditionis modum, & sit in eo arcanus quidam, ac reconditus, atque admirabilis sensus, quem & ego admiror, ac veneror, etiam si non intelligo; & ita sentio, quod divina aliqua sacramenta sermonibus contegantur humanis, non tamen judicio meo discernens, quam fide credens, & ita non reprobo, quae non intelligo, sed tanto magis admiror quanto minus assequor. Sed & Joannes Damascenus libro quarto de Fide, postquam Catalogum divinorum voluminum contexuit, ultimum in eo librum Apocalypsis sub nomine Joannis Evangelistae collocavit. Hieronymus autem in libro De viris illustribus, de Apocalypsi haec habet: Quartodecimo igitur anno, secundam post Neronem persecutionem, movente Domitiano, Joannes in Pathmos insulam relegatus, scripsit Apocalypsin, quam interpretatur Justinus Martyr, & Irenaeus. Et in epistola ad Paulinum idem hujus libri encomium texens: Apocalypsis (inquit) Joannis, tot habet sacramenta, quot verba: parum dixi; pro merito voluminis laus omnis inferior est; in verbis singulis multiplices latent intelligentiae. Divus quoque Augustinus tractatu trigesimo sexto in Joann. dicit, Apocalypsim ejusdem esse Joannis, cujus est Evangelium, & in libro De sancta virginitate asserit Apocalypsim ejus esse discipuli praedilecti, qui supra pectus Domini in coena recubit: & in libro De doctrina Christiana secundo, numerat eam inter canonicos libros, in quam etiam Annotationes particulari volumine edidit. Praetereo Ticonii Afri testimonium de Apocalypsi, & ejus in eam commentaria, quae se Gennadius in Catalogo legisse scribit, itemque Epiphanii, & Isidori contestationem libro sexto etymologiarum, Ambrosii quoque, ac divi Gregorii, Bedae, Haymonis, & aliorum sine numero scriptorum. Taceo etiam Synodi Toletanae quartae, & aliorum Conciliorum pro hujus libri veneranda auctoritate decreta, animadvertens me longe plura quam oporteret testimonia produxisse: Sed ita me facere coëgit temeraria Novatorum assertio, qui librum hunc a vetustis patribus, ac praesertim Graecis vix agnitum praedicent. Volumus itaque ostendere eum per cunctas Patrum successiones ab ipso statim nascentis ecclesiae primordio usque ad nostra tempora fuisse semper, tanquam verum,

De operibus Dionysii vide sup. dict.

Justin. Dialog. cum Tripħon.

Similiter idē Irenaeus lib. 4. cap. 37.

De hisce commentariis, vide Tillemontium Tom 1. mem. H. E. p.637.

Apoc. 1. 10.

Dionys. Coriot. apud Euseb. lib.7. cap.25.

Epiph. Haer. 51. & 76.

Lege Cl. Danielem Huetium in Demonst. Evangelica.

verum, ac legitimum, Joannis, Apostoli, & Evangelistae, Opus in numero sacrotum voluminum receptum.

OBJECTIONES HAERETICORUM.

Euseb. Histor. Eccles. lib. 3. cap. 39. 1. PRINCIPIO etiam atque etiam constat, Apocalypsim non esse Joannis Apostoli ex Operis inscriptione, quae in omnibus Graecis codicibus habetur, Ἀποκάλυψις τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ θεολόγου, id est, Revelatio beati Joannis Theologi: hunc autem theologum longe alium fuisse a Joanne Evangelista, Papias Joannis auditor testatus est, scribens in libris, quos VERBORUM DOMINICORUM attitulavit, duos fuisse Joannes, alterum Apostolorum, alrerum vero extra Apostolorum numerum, quem distinctione quadam facta, Joannem presbyterum appellavit, & cum Aristone quodam sociavit. Ex quibus verbis, cum Eusebius Caesariensis libro tertio historiae Ecclesiasticae capite 38. incidisset in suspicionem, ne Joannes Evangelista esset Apocalypsis auctor, dixit: PER haec comprobatur, verum esse illud, quod quidam Asiani scribunt, quod duo sunt apud Ephesum sepulchra, & utrunque Joannis appellatur: quibus si diligentius intendamus, fortassis secundus hic erit Joannes, si ille non creditur primus, sub cujus nomine revelatio habetur, quae appellatur Joannis. Verum, quod Eusebius de auctore hujus libri sub dubio protulit, Dionysius Alexandrinus episcopus, testante Eusebio in septi-
Capite 25. mo historiae, clatissime expressit, non solum Apocalypsim Joannis Evangelistae non esse affirmans, sed id quoque rationibus adhibitis ostendens, videlicet.

2. Ex ipso Scripturae stylo, tum quia utriusque voluminis, Evangelii scilicet Joannis, & Apocalypseos phrasis ac dicendi modus sit diversus, tum quia Joannes, qui evangelium scripsit, nusquam in evangelio suo nominis sui mentionem fecerit, ac sese signaverit nominatim: hic autem, qui Apocalypsim scripsit, tertio ferme verbo nominis sui mentionem facit, illud saepe repetens: EGO JOANNES:
Apoc. 1. 9. EGO JOANNES: quasi non librum, sed nobis syngrapham scriberet, praeter morem aliorum Apostolorum, ac suum, qui in evangelio nomen subticens, auctorem
Joan. 21. 24. tantum indicat, dicens: HIC est discipulus ille, quem diligebat Jesus, &c.

3. DEINDE illi ipsi ecclesiastici Scriptores, qui Apocalypsim Joanni Apostolo adscribunt, adeo inter se de loco, ac tempore, in quo, & quando eam Joannes scripserit, dissident, ut evidenter appareat, Joannem Apostolum non potuisse ejus esse auctorem. Nam Irenaeus in fine quinti libri memoriae prodidit, Apocalypsim scriptam sub exitum imperii Domitiani: cui consentiens Eusebius in chronicis, & Hieronymus in libro De viris illustribus, asserunt, eam in insula Pathmo
Epiphan. lib. 2. adv. haer. quartodecimo Domitiani anno a Joanne scriptam. Epiphanius vero Salaminae episcopus, Arethas, & Andreas Cappadociae episcopi, ac plerique alii Graecorum sub Claudio Nerone quadraginta ferme annis antea editam tradunt. Dorotheus autem episcopus Tyrius memoriae prodidit Evangelium a Joanne scriptum in Pathmo, Apocalypsim vero nequaquam: sed & ipse auctor in ipso libri initio, tempus suae visionis enarrans, dicit se revelationem suam audisse in die sancto Do-
Apoc. 1. 10. minicae: Ego (inquiens) Joannes fui in spiritu in die Dominica: sed certissimum est, tempore Joannis Evangelistae nondum institutionem, & appellationem Dominicae diei fuisse, quae multo post a Patribus statuta est. Quare cum de auctore, loco, & tempore hujus revelationis nihil certum habeatur, restat, non posse a nobis pro comperto affirmari, Apocalypsim esse Joannis Apostoli, & Evangelistae. His atque ejusmodi innituntur hi, qui librum hunc esse negant Joannis Evangelistae.

4. QUI vero hoc ipsum volumen de canone abjiciunt, eumque Cerintho haeretico adscribunt, ceu Alogiani, hi sumpta occasione ab his, quae in hac revela-
Epiphan. lib. 2. Haeres. 51. tione tractantur, his armis, ut Dionysius, & Epiphanius recitant, contra ipsum sese armant, dicentes: Primum, nihil esse in eo Joannis fauctitati, majestatique conveniens, sed omnia vana, ac prope ridicula, nullius utilitatis, ac fructus. Quae enim nobis inquiunt ex hac Apocalypsi utilitas, quae nihil nos docet praeter inania quaedam de septem stellis, septem angelis, septem oculis, septem candelabris, septem tubis, septem phialis, septem sigillis, & hujusmodi frivolis rebus, quae cum crasso quodam ignorantiae velamine, sub involucris visionum ac somniorum

somniorum aenigmatibus contegantur, non revelationis, sed velationis & obvolutionis potius nomine digna sunt.

5. HIS adde, quod in nonnullis etiam manifeste deprehenditur mendax, scribens his, quae nusquam fuot, aut fuerunt ecclesiis, dicens: ET angelo ecclesiae, quae est in Thyatiris, scribe: Haec dicit filius Dei, qui habet oculos, &c. verum Apoc. 2. 6 in Thyarira, quae urbs est in Mysia, ad sinistam Cayci fluminis partem, nulla unquam fuit tempore Joannis ecclesia Christianorum: quomodo igitur ei scribit, quae nusquam est?

6. PRAETER haec autem, haeretica Cerinthi dogmata continet, videlicet, instaurationem terreni regni in Hierusalem, & templi, & Judaïcarum festivitatum, cum ait: Vidi civitatem sanctam Hierusalem, novam descendentem de coelo, a Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo; & audivi vocem: ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis: & paulo post: ET reges terrae afferent gloriam suam in illam, & ambulabunt gentes in lumine ejus, & portae ejus non claudentur per diem. Item ciborum satietatem, & poculorum abundantiam, cum dicit: NON esurient, neque sitient amplius, & deducet eos ad fontes aquarum: & iterum: VINCENTI dabo edere de ligno vitae, quod est in paradiso Dei mei,& dabo ei manna absconditum: & rursum futuras nuptias, & conjugii libidinis, caeterasque carnis illecebras, inquiens: GAUDEAMUS, & laetemur, quia venerunt nuptiae Agni, & uxor ejus praeparavit se. Beati qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt: & deinde post haec, tempus regni Christi, & sanctorum juxta χιλιαστῶν haeresim per mille annorum spacium in terris duraturum designat, dum ait: ET vidi animas decollatorum propter testimonium Jesu, & vixerunt, & regnaverunt cum Christo mille annis: caeteri vero mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni: haec est resurrectio prima. Beatus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem: sed erunt sacerdotes Dei, & Christi: & regnabunt cum eo mille annis. Quae omnia Cerinthus, carnis ac libidinum amicissimus, pro sui ingenii lascivia dictavit. Utque ea Apostolici nominis auctoritate firmaret, sub Joannis titulo evulgavit. Haec Alogiani apud Epiphanium, ac Dionysium.
Apoc. 21. 2. Apoc. 7. 16. Apoc. 2. 7. Apoc. 19. 7. Apoc. 20. 4.

7. LUTHERANI vero, his Alogianorum argumentis, superaddunt Eusebium in 3. historiae volumine referre, quod Cajus antiquissimus ac celebratissimus ecclesiae Catholicae Scriptor, in dialogo suarum disputationum scripserit, Cerinthum haereticum hujus Apocalypseos librum, sub nomine Joannis composuisse, ut Apostolici nominis auctoritate, terrenum Christi regnum, per mille aonos permansurum, firmaret. Ad quod & aliud addunt huic Operi incommodum, quod nulla Graecarum ecclesiarum, illud in canone sacrorum voluminum recipiat, sicut Hieronymus ad Dardanum inquit: NEC Graecorum quidem ecclesiae Apocalypsim Joannis eadem libertate suscipiunt. Sed neque Anastasius Graecus auctor, neque Concilium Laodicenum, Apocalypsim in Catalogo divinorum literarum enumerat. Cap. 18.

DISSOLUTIO OBJECTORUM.

1. QUAM levibus de caussis haeretici hi sanctam Apocalypsim abjiciant, ostendit in primis levissima illa conjectura, quam de libri inscriptione producunt; nescientes, B. Joannem Theologum eundem esse, qui & Apostolus, & Evangelista fuerit: qui ob sublimitatem Evangelii sui, in quo altissima de verbi divinitate attigit, & sese caeteris Evangelistis altius extulit, Theologi nomine celebratus est a veteribus Scriptoribus Dionysio praesertim Areopagita, cujus adhuc extat epistola, numero decima, his verbis praenotata. JOANNI THEOLOGO, APOSTOLO, ET EVANGELISTAE, IN PATHMO INSULA RELEGATO, in qua ipse Dionysius de Joannis Evangelistae theologia loquens, haec verba inserit: Nos autem nulla procella, nulla adversitas privabit Joannis clarissimo radio, id quidem consecuturos memoria, ac renovatione tuae verissimae theologiae, &c. Ita pariter invalida conjectura est, quam trahunt de suspicione Eusebii, & testimonio Dionysii Alexandrini perperam intellectis. Eusebius enim in Chronicis suis, & in plerisque historiae Ecclesiasticae capitulis adeo aperte Apocalypsim Joannis Apostoli esse fatetur, ut sese facile ab hac suspicione liberet, ac se ex aliorum sententia ea verba protulisse ostendat.

dat. Dionysius autem non negat, Apocalypsim esse Joanois Apostoli, sed hoc tantum ait, scire se auctorem Apocalypsis vocari Joannem, eamque per Spiritum Sanctum scriptam esse, sed hoc ooo liquido sibi constare, ao Joaoois Apostoli sit ob styli diversitatem, & crebram proprii oomiois repetitionem. Cujus etsi olim qualiscunque fuerit dubitatio, ante factum de ea io ecclesia decretum, nos post tam longam ecclesiae Patrumque approbationem de illa amplius ambigere non possumus.

2. DE styli autem diversitate, quam io omnibus pene Scripturae libris Novatores ii semper inculcant ac repetuot, respondemus, imbecillam esse styli conjecturam, quippe quem oporteat pro argumenti diversitate variati: quare cum in Evangelio Joannis, & Apocalypsi diversum sit argumentum, non esset magnopere mirandum, si Joannes in utroque diversum dicendi geous servasset: quanquam nec utriusque voluminis character admodum discrepet: ambo enim commuoi Graecorum dialecto, & iisdem Hebraïcae linguae phrasibus & idiotismis scripta sunt. Quod si in Apocalypsi frequentem nominis sui mentionem facit, cujus nunquam in Evangelio suo meminerat, nihil mirum: in Evangelio enim alienam, videlicet Jesu Christi scribebat historiam, unde se ipsum nominare noo opus erat. In Apocalypsi vero de seipso scribebat revelatiooes, ac visiooes sibi enarratas, in quibus nomen suum frequeoter interponere non erat omnino praeter rem.

3. NEC minus infirmum est argumentum, quod ex controversia Patrum de tempore, & loco ioter se dissonantium adducunt. Non eoim sequitur, quin Ilias Homeri ab Homero ipso edita sit, quia de tempore, ac loco, in quo Homerus scripserit, itemque de Homeri patria, semper inter expositores ejus certatum fuerit, adhuc lite sub judice pendente. Quamobrem etiam si Patrum sententiae, de loco, & tempore scripturae differant, non propterea de scriptura dubitandum esset. Quanto igitur minus nunc ambigendum est, cum praedictae Patrum sententiae diligenter cooslderatae nihil ioter se differant? Dorothaeus etenim noo negat Apocalypsin scriptam in Pathmo, sed tacet, ac sub silentio praeterit: quod si ex ejus silentio concludere velint, Apocalypsim oon esse Joannis Apostoli, eadem ratione oportebit eos concludere primam Joannis Apostoli epistolam ejus non esse, quia illius Dorothaeus iste non meminerit. Caeterum, quod de die Dominico nondum tempore Joannis instituto objiciunt, falsissimum est, reclamante totius ecclesiae coosensu, quae Dominicae diei solemnitatem ab ipsis Apostolis in memoriam Dominicae resurrectionis conditam credit: de cujus etiam ab Apostolis institutione, Augustinus sermone vigesimoquinto de tempore, his verbis testatur: DOMINICUM ergo diem ipsi Apostoli, & Apostolici viri, ideo religiosa solemnitate habendum sanxerunt, quia in eo redemptor noster a mortuis resurrexit. Nec illud Apocalypsis derogat auctoritati, quod usque ad tempora Eusebii in ecclesia de auctore, & auctoritate ejus disputatum sit: quinimo id ei multo majorem praestat fidem. Cum enim Joannes novum scribeodi genus exorsus esset, resque futuras scriberet, non gestas, ut alii Scriptores novi testamenti fecerant, rei novitas admirationis, & ambiguitatis ansam praestitit primis illis Patribus, eaque dubitatio cessit ad majorem Operis fidem, quia noo nisi re diligenter exacta, ac discussa, liber hic ab eis in sacrorum voluminum ordinem receptus est. Quare, etsi de eo aliquando dubitatum sit, oon debet nunc minoris esse auctoritatis, quam caeteri libri Sacri, cum ecclesia pari eum cum aliis veoeratione in Canonem receperit. Et haec ad eos, qui Joaonem Apostolum negaot Apocalypsis auctorem.

4. RESTAT nunc ut calumnias confutemus eorum, qui Apocalypsim ceu inutilem, ac peroiciosam, & Cerinthi dogmatibus plenam accusaot, vituperantes ea, quae de septem tubis, candelabris, & angelis in ea obscure narrantur, quasi Judaïce, hoc est, carnaliter, & juxta mortuam literam (ut ipsi prave existimant) intelligeoda sint, & non magis spiritualiter, & mystice, juxta auctoris mentem: qui in principio narrationis suae docet se non carnaliter, & corporaliter vidisse, quae scripsit, sed spiritualiter, cum in spiritu raptus esset in die Dominica, & divino spiritu permonstrante, non corporis, sed mentis oculis intellectualium visionum sacramenta conspexisset. Sacramenta enim, hoc est, sacra secreta, ipsemet ibidem

Apoc. 1.

ibidem suas visiones appellat; ut ex hoc sciamus, quod quemadmodum in omnibus sacramentis, aliud extrinsecus videtur, & auditur, aliud vero intrinsecus per allegoriam spiritualiter intelligitur, ita in visionibus ejus aliud repraesentatur exterius, aliud invenitur, & detegitur interius: ita ut per septem candelabra aurea, septem ecclesias ardentes charitate divina, & illuminatas sapientia divini luminis, ad quas Joannes scribit, intelligamus: & per septem stellas, & septem angelos, septem ecclesiarum rectores, & episcopos, ut ipsemet Joannes exponit, qui aliis lucere debeant, splendore doctrinae, & operis: per septem oculos Agni, septem dona Sancti Spiritus, quibus Agnus ille Christus, tanquam septem clarissimis radiis tenebras animarum nostrarum irradiat: per septem sigilla, septem revelationes rerum, per septem futura tempora in ecclesia gerendarum, usque adeo in libro divinae mentis sigillatas & clausas, ut nisi Agnus librum suorum arcanorum aperuisset, nos nec eas unquam legere, nec intelligere potuissemus: per septem tubas, septem praedicantium, ac docentium ordines, qui per septem ventura tempora, usque ad saeculi consummationem erant sibi invicem successuri, ad detegendas Evangelicae vocis sono haereticorum insidias, & deterrendas divini verbi clangore rebelles tyrannorum mentes, & ad excitandum fidelium animos, ut hostium sustinerent impetus, & adversus eorum conatus acriter dimicarent: per septem vero phialas, septem plagas, & septem tribulationes, quas ecclesia per septem sibi succedentes aetates usque in finem praesentis saeculi passura erat. Quae quidem universa, ac singula, non frustra, & sine ullo ecclesiae emolumento (ut haeretici calumniantur) a Joanne Apostolo scripta sunt, sed ad perpetuam fidelium consolationem, & fidei Christianae stabilitatem. Voluit enim Apostolus memoriae ad posteros mandare, quae sibi Deus revelavit de futuris ecclesiae tribulationibus, ac persecutionibus; ne fideles improviso rerum adventu perterriti, scandalum paterentur, & a fide Christi recederent, existimantes ecclesiam Christianorum tantis cladibus oppressam, Deo curae non esse, eamque desperatis in totum rebus, ad ultimum exitium devolvi. Huic igitur fidelium scandalo Joannes occurrens, calamitates, & aerumnas ecclesiae usque ad finem mundi imminentes prophetice praedixit: ut cum plenitudo temporis illarum advenerit, electi Dei, jam ex ejus Scriptura praemoniti, non turbentur, aut quicquam haesitent: sed in fide firmiores, ac stabiliores perseverent, videntes tunc ea in ecclesia compleri, quae longe antequam evenirent, Spiritus Sanctus per os Apostoli sui praedixerat; & in spe in dies, & patientia robustiores evaderent, sperantes iterum post modicum, & brevem ecclesiae laborem, promissam laborantibus requiem, certantibus victoriam, victoribus palmam, & palmam adeptis aeternae foelicitatis coronam. Et haec est admiranda hujus libri utilitas, ut nos in eo denunciata supplicia terreant, & praemia promissa laetificent. Scripsit tamen Joannes ea obscure, & involute, ne scripturae suae prophetia vilesceret, & ne pateret haereticis latrunculis eam pervertendi locus. Vocavit autem illam decimiiimo nomine Apocalypsin, eo, quod omnia hoc in libro contenta sibi revelata, ac manifestata fuerint, & ipse etiam ex eis nonnulla nobis revelaverit. Unde frustra haeretici criminantur potius eam involutionem quam revelationem debuisse inscribi.

5. VERUM, quod de ecclesia, quam in Tyatira Joannis tempore minime fuisse reprehendunt, respondet Epiphanius, Joannem spiritu prophetico, non ad eam, quae tunc non erat, sed ad eam, quae postea ibi futura erat, ecclesiam scripsisse, denunciasseque ei, quomodo erratura erat, decepta a falsis Phrygastarum prophetissis, Priscilla videlicet, Maximilla, & Quintilla, quas sub nomine Jezabelis prophetissae seducentis servos Christi designavit. Hanc autem ecclesiam temporibus suis ab omni Phrygastarum haeresi repurgatam fuisse, idem Epiphanius scribit. Apoc. 2. 18 Epiph. Haeres. 51.

6. AD ea demum, in quibus de dogmatibus Cerinthi hunc librum accusant, graviter errant, ignorantes ea, quae de instauratione Hierusalem, & de nuptiis Agni, & de famis, ac siris satietate in hoc libro referuntur, non corporaliter, & carnaliter intelligi de Judaica illa corruptibili Hierusalem, sed de coelesti, ac sempiterna Hierusalem, hoc est, de ecclesia sponsa Christi, quam Joannes ornamentis immortalitatis, & impassibilitatis, caeterisque divinis dotibus exornaram, una

una cum sponso suo Christo in sempiterna foelicitate post judicium futuram vidit; non tamen prius, quam fieret resurrectio illa prima, quae non corporalis, sed spiritualis est, animae videlicet a peccatis, & hanc quidem resurrectionem primam appellavit, ad differentiam secundae generalis resurrectionis, in qua omnes animae cum corporibus resurgent, sicut per secundam mortem, animae, & corporis perpetuam damnationem intellexit, per mille vero ejus resurrectionis annos, spacium inter septimam ecclesiae tribulationem usque ad Antichristi adventum designavit, ita, ut numerum determinatum (quod in divinis literis frequentissimum est) pro indeterminato annorum numero sumpserit. Quod autem de coelesti & spirituali Hierusalem, & non de terrena scripserit Joannes, ipsemet aperit, Apoc. 21. 22. cum addit, non vidisse se in ea templum, quia Dominus Deus omnipotens, & Agnus templum illius erat, neque Solem, neque Lunam, quae in ea lucerent; quia claritas Dei illuminaret eam, & lucerna ejus esset Agnus, de cujus & ecclesiae gloriosa conjunctione, in aeterna beatitudine, laetantur sancti illi dicentes: GAU- Apoc. 19. 7. DEAMUS & laetemur, quia venerunt nuptiae Agni; in quibus scilicet juncta est Ecclesia Christo, quae cum prius militando sponsa Christi fuisset in spe, tum demum triumphando facta est sponsa Christi in re: cujus sponsae vestes, & mystica ornamenta sunt justificationes (ut ait Joannes) & merita sanctorum. Nuptiae vero, ad quas invitati sunt sancti, non corporeis epulis, caeterisque gulae, & carnis illecebris explentur, sed manna absc ondito, hoc est, praesentia divinitatis Christi, quae verum est manna, & ligno vitae, hoc est, praesentia gloriosae humanitatis Christi, in quarum rerum conspectu finis aderit omnium nostrorum desideriorum, nec ultra erit in nobis gemitus aut fletus, sed perpetua, stabilisque, rum animae, tum corporis beatitudo in sempiternum duratura.

7. JAM vero, quod Lutherani de Caji verbis inducunt, futile admodum est: nam neque id ex Caji verbis deduci potest, neque id Eusebius affirmat, neque Euseb. Histo. Eccles lib 3. cap. 28. Caji sententia ab Eusebio recitata quicquam tale commemorat, sed hoc solummodo indicat, quod Cerinthus haeresim suam introduxerat per revelationes quasdam, tanquam ab Apostolo magno conscriptas: quae verba non afferunt Cerinthum auctorem fuisse illarum revelationum, sed quod ex revelationibus illis Apostoli magni prave intellectis, falsitatem sui dogmatis introduxit: quemadmodum Euseb. libr. VII. Hist. Ecc. Dionysii Corinthiorum episcopi verba statim post haec ab Eusebio inducta luce clarius ostendunt, & Dionysius apud eundem Eusebium latius enarrat. De Anastasii vero, & Laodiceni Concilii Catalogis, in quibus Apocalypsis non recensetur, mirandum nihil est, cum temporibus illis nondum quicquam de ejus auctoritate Catholica ecclesia statuisset, sicut postea decrevit eam in sanctorum voluminum Canone recipiendam. Desinant igitur omnes haeretici sanctam Joannis Apocalypsim maledictis incessere, & se ex his, quae a nobis, Deo auxiliante, dicta sunt, superatos agnoscant.



FR. SIXTI

FR. SIXTI SENENSIS
E X
ORDINE PRAEDICATORUM,
DE HIS, QUI VETERIS TESTAMENTI VOLUMINA OPPUGNARUNT, SIVE ADVERSUS VETERIS SCRIPTURAE DESTRUCTORES,
BIBLIOTHECAE SANCTAE
LIBER OCTAVUS.

PRAEFATIO.

DESTRUXIMUS in praecedenti septimo volumine omnes haereses, quae adversus Evangelicas, & Apostolicas novi testamenti scripturas in haec usque tempora exortae sunt: nunc disputationis ordine deducente, huic Operi subnectimus librum octavum atque postremum, prosequentes in ipso enarrationem, & confutationem earum haereseon, quae adversus Mosaicos, Propheticos, Paraeneticos, & Historicos Veteris instrumenti libros, varii sub diversis temporibus haeretici excitarunt. Quibus divino favente numine expletis, optatum finem totius nostri Operis labor inveniet.

HAERESEON, QUAE IN HOC OCTAVO LIBRO CONFUTANTUR, CATALOGUS.

DE VETERI TESTAMENTO IN UNIVERSALI. HAERESIS I.

VETUS omne testamentum pro solis Judaeis, a malo Judaeorum Deo conditum, & a sectatoribus ejus, confictis narrationibus auctum, Christianae vero fidei nulla ex parte proficuum, bonis quoque moribus noxium, & Evangelicae doctrinae contrarium, abjicere.

ASSERTORES HUJUS HAERESEOS.

PRIMI hujus prodigiosae, & abominandae haereseos auctores fuere, quicunque duos introduxerunt Deos, unum videlicet Hebraeorum, malum, ac falsum; alterum vero Christianorum Deum patrem Domini nostri Jesu Christi, bonum, ac verum: quorum princeps (Epiphanio teste) fuit Simon Magus Samarita, primus a Christi ascensione haereticus, qui vetus testamentum, legem scilicet, ac prophetas a sinistra virtute, & malis angelis editum docuit. Cui in eodem errore successerunt, Basilides, Carpocras, Valentini, qui & Gnostici, Ptolemeïtae, Heracleonitae, Cajani, Archontici, Cerdoniani, Marcionistae, Apellejani, & Severiani, qui eodem assensu vetus testamentum, vel ex integro, vel ex parte abjecerunt. Post alios, Aureliani Augusti temporibus, Cubricus quidam Persa, cognomento Manes, hanc haeresim aliquantulum sopitam, adeo extulit, ut ferme ejus nomen apud eum remanserit. Deinde discipuli ejus, qui praeceptorem suum honoris gratia MANICHAEUM, hoc est, mannae effusorem appellarunt, emissis perniciosis ejusdem erroris libris, haeresim jam celebrem, latius toto orbe invulgarunt. Ex horum numero magis excelluerunt, Addas quidam cognomine Adimantus, Manichaei adhuc viventis discipulus, & multis post eum annis Faustus Afer, patria Milevitanus, & innominatus quidam Fabricii discipulus, multo Manichaeis deterior, quorum adhuc voluminum fragmenta in libris Augustini inter Manichaeorum confutationes servantur. Fuerunt etiam, ut Augustinus refert, nonnulli haeretici Patritiani, a Patritio quondam appellati, qui eidem haeresi subscripserunt. Post quos multis annorum saeculis Bogomilae Bulgaricae nationis haeretici, ac demum Albanenses hunc ipsum errorem, tam longa temporum diuturnitate sepultum, iterum in lucem revocarunt. Atque hi sunt, qui omne vetus testamentum ex integro rejiciendum putarunt.

Epiphanius in Anacephaleosi. Hierony. in Praef. ad Tit. Augustin. in Catalo. Haeref. & lib. 2. cont. advers. legis cap. 12.

Epiph. lib. 2. Haeres. 66.

August. lib. 2. cont. advers. legis, & prophet. c. 12.

Euthymius lib. 2 Panop. tit. 23.

IMPUGNATIO.

QUINQUE detestandas, ac blasphemas propositiones, praesens haereticorum assertio complectitur, quas per ordinem, quanta fieri poterit, brevitate destruere conabimur.

Propositio prima.

PRIMA propositio est: VETUS OMNE TESTAMENTUM ESSE A MALO HEBRAEORUM DEO, QUI DIABOLUS EST. Destruitur autem haec execrabilis sententia ex novi testamenti testimoniis, quae unum eundemque Deum faciunt utriusque testamenti auctorem. Paulus enim dicens, Abraham duos filios habuisse, unum de ancilla, & alium de libera, quae per allegoriam, duo significant testamenta, ostendit, quod sicut duae sunt mulieres, & unus vir, sic etiam duo sunt testamenta, & unus est Deus, qui ambo legavit. Et ad Hebraeos idem Apostolus scribens, facta utriusque testamenti invicem collatione, alterum novum, alterum vero vetus appellat, ac novum quidem a testatore suo ait ad imitationem & complementum veteris in sanguine confirmatum per mortem Christi: ut morte ejus intercedente in redemptionem praevaricationum, quae erant sub veteri testamento, repromissiones, quae in illo significabantur, acciperemus. Ergo nisi vidisset novi testamenti mediator Christus, testamentum vetus esse a bono Deo, non utique illud imitando complevisset. Sed ideo illud imitatus est, quia sicut ipse in Evangelio dicit: QUICQUID videt Filius Patrem facere, sic & ipse similiter facit. Quod autem idem Deus in utroque testamento locutus sit, idem Paulus ubique aperte docet, inquiens: PAULUS Apostolus segregatus in Evangelium Dei, quod antea promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo: & iterum: MULTIFARIE, multisque modis olim Deus loquens Patribus in prophetis, novissime locutus est nobis in Filio: & alibi: HABENTES eundem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum: insinuans per hoc ab eodem spiritu utrunque testamentum fuisse inspiratum, & Zacharias testatur eundem esse Deum Israël, qui locutus est in veteri testamento per os sanctorum prophetarum, & qui in novo testamento visitavit, & fecit redemptionem plebis suae; cui Maria in cantico assentiens, canit: SUSCEPIT Israël puerum suum, recordatus misericordiae suae: sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham,

Galat. 4. Epiphan. lib. 2. Haer. 66.

Hebr. cap. 9.

Joan. 5. a

Rom. 1. a

Hebr. 1. a

2. Corint. 4.

Psalm. 115.

Luc. 1. 70.

Luc. 1. 55.

Abraham, & femini ejus in faecula. Et ne quem forte crederemus fuisse prophetam, in quo Deus non esset locutus, ideo Petrus addidit: Deus, qui praenunciavit per os omnium Prophetarum pati Christum suum, sic & implevit. Quibus testimo-
niis haec etiam demonstratio adjungitur, cum lex Mosaica, in qua totum vetus te- Actor. 3. 18.
stamentum pendet, ideo ab auctore suo condita sit, ut cultores ejus deducat ad Chri-
stum, tanquam ad finem legis, dicente Paulo, finis legis est Christus, &, LEX nobis Rom. 10. 3.
fuit paedagogus in Christo, Qui fieri potest, ut malus ille Manichaeorum Deus, Galat. 3. 24.
perpetuus Domini nostri Jesu Christi hostis, legem ac testamentum promulgave-
rit, cujus ductu sectatores sui deducerentur ad cultum Christi, per quem ipse de
regno ejiciendus erat, dicente Christo: PRINCEPS hujus mundi ejicietur foras? Joan. 12. 31.
Unicus igitur est auctor utriusque testamenti Deus pater D. N. Jesu Christi.

Secunda propositio.

SECUNDA propositio est: VETUS TESTAMENTUM NON AD CHRI- Augu. lib 10.
STIANOS, SED AD SOLOS TANTUM JUDAEOS PERTINERE. Hujus Contr. Faust.
absurditas ex hoc deprehenditur, quod testamentum ad eos pertinet, ad quos
testamenti dona, ac promissiones pertinent, & qui testamenti conditiones exe-
quuntur. Certum vero est, nec veteris testamenti conditiones ab his, qui secun-
dum carnem tantum Judaei sunt, servari; nec propter tales ejusdem testamenti
promissiones factas esse, sed propter veros Israëlitas promissione seminis Abra-
hae contentos, hoc est propter eos, qui credunt in Christum, qui est summa, &
finis omnium promissionum veteris testamenti, dicente Paulo: QUOTQUOT 2. Cor. 1. 20.
enim promissiones Dei, in ipso sunt: & iterum: DICO Christum ministrum Rom. 15. 8.
fuisse circuncisionis, ad confirmandas promissiones Patrum. Quae quidem, non
ad eos pertinent, qui tantum de semine Abrahae sunt secundum carnem, sed ad
eos, ut Paulus ait, qui filii sunt promissionis Abrahae, & computantur in semine Rom. 9. 7.
Isaac, de quo dictum est: IN Isaac vocabitur tibi semen, qui est Christus. ABRA- Galat. 3. 16.
HAE enim, ut idem Apostolus ad Galatas scribit, dictae sunt promissiones, & se-
mini ejus, non dicit & seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, & semini tuo,
qui est Christus. DE cujus salute, ut Petrus ait, exquisierunt, & scrutati sunt 1. Petr. 1. 10.
omnes prophetae, qui de ventura in nos gratia vaticinati sunt. Quod autem,
non solum veteris testamenti promissiones, sed & cuncta alia ejus mysteria, pro-
pter nos harum promissionum haeredes facta sint, ut ad eas consequendas redde-
remur idonei, Paulus ad Corinthios aperte his verbis expressit: NOLO vos igno- 1. Cor. 10. 1.
rare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare tran-
sierunt, & omnes in Mose baptizati sunt in nube, & in mari, & omnes eandem
escam spiritalem manducaverunt, & eundem potum spiritalem biberunt: bibe-
bant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Cristus: haec au-
tem in figura facta sunt nostri. Et paulo post: OMNIA contigebant illis in figu- Ibid. v. 11.
ram. Scripta sunt autem propter nos, in quos fines saeculorum devenerunt. Et
ad Romanos iterum: QUAECUNQUE scripta sunt, ad nostram doctrinam scri- Rom. 15. 4.
pta sunt; ut per patientiam, & consolationem spem habeamus. Quod etiam vera
veteris testamenti intelligentia, a Judaeis ablata, ad nos transierit, idem testatur
Apostolus inquiens: USQUE in hodiernum diem idipsum velamen in lectione ve- 2. Cor. 3. 14.
teris testamenti manet non revelatum, quod in Christo evacuatur, sed usque in
hodiernum diem cum legitur Moses, velamen positum est super cor eorum. Qua-
re cum ipsi testatoris voluntatem, & conditiones in testamento traditas nec intel-
ligant, nec servent; manifestum est, testamentum illud ad nos pertinere, qui
Christum, ejus promissionum finem, tenemus, testatoris voluntatem cognosci-
mus, & propositas ab eo mandatorum conditiones servamus.

Tertia propositio.

TERTIA propositio est: VETUS TESTAMENTUM CONFICTIS NAR-
RATIONIBUS A JUDAEIS CONTAMINATUM ESSE. Adversus adeo im-
probam, & impiam propositionem omnes Evangelicae & Apostolicae scripturae
clamant, de veteribus libris innumera testimonia, & exempla sumentes ad do-
ctrinae confirmationem, ad exhortationem, correctionem, & consolationem
fidelium, non tanquam de fabulosis, sed tanquam de veracissimis scripturis, Spi-
ritu Sancto dictante, conscriptis: Ad has, ceu ad incontaminatum veritatis fon-
tem,

Joan.5.39. tem, Christus, legis peritos misit, inquiens: SCRUTAMINI scripturas: quia ipsae testimonium perhibent de me. Ad has, ut ad intactas & incorruptae fidei literas suos revocavit discipulos, cum exorsus a Mose, & per psalmos, & prophetas excurrens, omnia, quae de eo in veteribus libris scripta erant, exposuit, & certis-
Luc.24. simo eventu in se ipso completa demonstravit. Ex iis tanquam ex synceris & inviolatis scriptis duo evangelistae Matthaeus, & Lucas duas Domini nostri genealogias breviter collegerunt, alter incipiens ab Abraham, & per patriarcharum, ac regum successiones usque ad Christum descendens, alter per singulas veteris testamenti generationes ac tempora usque ad Adam ascendens: nimirum, ut ex compendio historiarum totius veteris testamenti, quas utraque genealogia perstrinxerat, omnem totius antiquae scripturae summam indubitata certitudine re-
Actor.22. cipiendam indicarent. Paulus item, qui se ad pedes Gamalielis veteris testamenti non fabulas, sed veritatem didicisse gloriatus est, quamplura veteris instrumenti dicta factaque, ac praesertim illas historias, quas Manichaei derident, auctoritate sua confirmavit in illo brevissimo veteris scripturae compendio, quod in epi-
Hebr.11. stola ad Hebraeos artificiosissime contraxit, ubi omnes fere antiqui testamenti historias a principio Geneseos usque ad ultimum Maccabaeorum volumen summatim enumerans: Fide, inquit, intelligimus aptata esse saecula, & caetera, quae toto illo capitulo ita commemorat, ut videatur de industria velle veteris testamenti gesta digito demonstrare. Mitto nunc innumerabilia ejusdem Apostoli, & aliorum apostolorum de hac re testimonia, ne fastidium ingeram lectori in re notissima, & cui omnes novi testamenti literae, & stabilis ac perpetuus ecclesiae catholicae consensus attestantur. Quod si quis ad confirmationem propositionis hujus plura desiderat, legat quae infra a nobis in confutatione secundae haereseos dicta sunt.

Quarta propositio.

QUARTA Propositio asserit: VETUS TESTAMENTUM ESSE AD FIDEI NOSTRAE CONFIRMATIONEM INUTILE, ET BONIS MORIBUS CONSEQUENDIS ADVERSUM. Quam impietatem omnes novi testamenti literae apertissime confutant. In primis vero Paulus testamentum vetus tam ad fidem quam ad mores necessarium profitetur, scribens ad Timotheum his verbis:
2.Timo.3.14. TU vero permane in his, quae didicisti, & credita sunt tibi, sciens a quo didiceris, & quia ab infantia sacras literas nosti, quae te possunt instruere ad salutem per fidem, quae est in Christo Jesu: omnis enim scriptura, divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad redarguendum, ad corripiendum, & erudiendum in justitia; ut perfectus sit homo Dei ad omne bonum opus instructus. Quibus verbis Apostolus scripturas veteres in duobus maxime necessarias ostendit, videlicet ad fidem instruendam, & bonos mores formandos. Cum enim omnis Christiana professio in duobus posita sit, in contemplatione scilicet, quae fidem insinuat, &
August.cont. Faust. in actione, quae mores docet, Apostolus utrique negocio veteris testamenti scripturas accomodat; Contemplationi quidem, quoniam cum duo sint Christianae contemplationis officia, hoc est, veritatem docere, & falsitatem redarguere, utrunque Paulus complexus est dicens: OMNIS scriptura utilis est ad docendum, scilicet veritatem, & redarguendum, videlicet falsitatem. Actioni vero vetus scriptura utilis est, quia cum universam actionem duae partes absolvant, nempe ut quis-
Psalm.33.15. que juxta prophetae sententiam a malo declinet, ac bonum faciat, idcirco Paulus dicit scripturas illas esse utiles ad corripiendum, hoc est ad arripiendum homines a peccatis, & erudiendum in justitia, hoc est ad homines instruendos in justitia & bonitate. Proinde Christus videns quam necessariae sint ad fidei confirmationem veteres scripturae, cum de se ipso ad legis peritos loqueretur, induxit
Joan.5.46. ad eos libros Mosi dicens: SI Mosi crederetis, & mihi crederetis; de me enim ille scripsit. Et cum de passione sua ad discipulos loqueretur, ex prophetis eam con-
Luc.18.31. firmavit, CONSUMMABUNTUR, inquiens, omnia, quae dicta sunt per prophetas de filio hominis. Et cum a mortuis resurrexisset, omnes fere Evangelicas veritates de veterum librorum auctoritate firmavit. Cum enim se duobus discipulis euntibus in Emmaus comitem dedisset; INCIPIENS, ait Lucas, a Mose, lateque per prophetas excurrens, interpretatus est illis omnia, quae erant de se in
Luc.24.27. veteri

veteri testamento praedicta. Et iterum, cum clausis foribus in medio discipulorum stetisset, seque non solum intuendum discipulorum oculis, sed etiam contrectandum manibus obtulisset: ne quid tamen cum suis mortalibus oculis, & carnalibus sensibus fallaciter agi arbitrarentur, magis eos de veterum librorum testificatione firmavit, dicens: HAEC sunt verba, quae locutus sum ad vos, quando adhuc eram vobiscum: quoniam necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Mosi, & prophetis, & psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum scripturarum, ut intelligerent scripturas, & dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportet pati Christum, & resurgere a mortuis tertia die, & praedicari in nomine ejus poenitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes. Aug. lib. 4. contr. Faust. cap. 2. Luc. 24. 44.

HIS ITAQUE testimoniis quemadmodum Christus ostendit vetus testamentum ad fidei nostrae firmitatem, ac certitudinem esse necessarium, ita demonstravit illud ad moralis vitae institutionem utilissimum, cum de eo tam multa exempla ad honestae vitae informationem acceperit: qualia ea sunt, cum segnitiem auditorum ad vigilantiam excitat exemplo eorum, qui in diebus Nohe inopinata diluvii inundatione demersi sunt: vel cum in peccata relabentes admonet exemplo conjugis Loth, MEMENTOTE, inquiens, uxoris Loth: vel cum obstinatas Judaeorum mentes recordatione Sodomorum, ac Ninivitarum, & reginae Austri deterret: vel cum Pharisaeis exprobrat, quod Abrahae opera non faciant, cujus se filios glorientur: vel cum imitatores divitis illius in inferno sepulti ex Abrahae verbis ad poenitentiam revocat, inquiens: HABENT Mosen & prophetas, audiant illos. Paulus quoque, omne vetus testamentum ad morum eruditionem deducens, ait, omnia, quae in eo scripta sunt, in figuram propter nos contigisse, ut non simus concupiscentes malorum, neque idololatrae, neque fornicatores, neque edaces, neque murmuratores, aut Dei tentatores, ne pereamus sicut illi, qui in veteri testamento ob talia facinora perierunt, quorum flagella scripta sunt, inquit Apostolus, ad correptionem nostram, in quos fines saeculorum devenerunt. Quae omnia, ut alia innumerabilia praetermittam, quae in hanc sententiam de veteri testamento produci possent, efficacissime convincunt veteres scripturas tam ad fidem, quam ad mores esse magnopere necessarias. Matth. 24. Luc. 17. 32. Matth. 12. Joan. 8. Luc. 16. 29. 1. Cor. 10. 11.

Quinta propositio.

QUINTA Propositio asserit, VETUS TESTAMENTUM PER SINGULA ADVERSUS NOVUM TESTAMENTUM PUGNARE. Et hanc potissimum adnisus est astruere Adimantus Manichaeus, edito libro, in quo singulis veteris instrumenti sententiis singulas e contrario novi testamenti sententias opposuit. Caeterum quod in scripturis divinis nihil novi queat esse contrarium, aut pugnans: ex his, quae superius dicta sunt, manifeste convincitur. Nam cum veteres scripturae Deo inspirante scriptae sint, dicente Petro, NON humana voluntate illata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirante locuti sunt sancti Dei. Deus vero summa veritas sit, ex qua spiritus unionis, & non dissensionis procedit; necesse est, ut in scripturis ejus afflatu conditis nihil adversum, aut dissonans inveniatur. Ut enim a summa veritate nihil nisi verum procedere possibile est: ita verum, quod ab ea procedit, sibi ipsi pugnare est impossibile. Praeterea, ut recte Augustinus infert, si inter se pugnantes, & discordes divinae scripturae fuissent, quomodo unquam fieri potuit, ut scripturis adeo inter se dissonis, ac pugnantibus tot tantique populi crediderint, non indocti solum, & in agris assueti, sed in urbibus, in scholis, & gymnasiis inter litigiosas disputationes detriti? cum semper garruli de philosophiae dogmatibus dissentirent, discipuli a magistris, & inter se condiscipuli, tandem unanimes sub harum scripturarum concordia convenerunt: quod nullis unquam philosophorum scriptoris nec antea, nec post contigisse legitur. Pythagorae enim in plerisque dissentit Plato, Platoni Aristoteles adversatur, Aristoteli vero sui etiam discipuli contradicunt: at nostri semper scriptores inter se concordes sunt, nec aliud apostoli praedicant, quam quod prophetae pronunciant, qui etsi tam multi non sint ut gentilium scriptores, nec sicut illi multitudine vilescant; non tamen ita sunt pauci, ut eorum non sit miranda consensio. Fatemur tamen multa in sacris literis inveniri, quorum cum 2. Petr. 1. 21. Aug. lib. 18. de Civit. Dei cap. 41. Aug. ibid. c. 7.

eadem

eadem sententia sit, verba tamen apparenter discrepant: ita divina sapientia disponente ad exercitium fidei nostrae, ut dum eas ad concordiam reducere nescimus, oremus eum, qui fecit utraque unum, ut aperiat nobis apparentis contradictionis conciliationem. Atque haec adversus quinque haereticorum propositiones dicta sufficiant.

OBJECTIONES HAERETICORUM.

[Manes apud Epiph. lib. 2. Haeresi 66. Judic. 9. 1. Reg. 18. 2. Paralip. 18. Esai. 6. Esai. 4. Exod. 34. 3. Reg. 22. Ezech. 10.]

1. NULLA se nobis causa offert, cur Vetus testamentum recipiamus: nam si testatoris personam, quae primum in omni testamento quaeritur, consideremus; merito propter ipsam vetus testamentum execramur. Est enim testamenti hujus conditor malus ille Hebraeorum Deus, perpetuus Dei optimi ac patris Domini nostri Jesu Christi hostis, a quo mala omnia, caedes, furta, & concupiscentiae, qui occidit, excaecat, indurat, immittitque concupiscentias malas in mentes hominum, & mulierum, dat leges malas, ut ipsemet per prophetas suos testatur, & praecepta non bona, in quibus cultores legis vivere non possint.

[Faustus apud Augu. lib. 4. contr. Faust. c. 1 & lib. 30. cap. 1.]

2. DEINDE & ipsa in eo testamento relicta haereditas adeo misera est, corporalis, ac longe ab animae commodis, ut post beatam illam novi testamenti pollicitationem, quae coelorum nobis regnum, & vitam perpetuam repromittit, etiam si gratis eam mihi testator suus ingereret, ultro fastidirem. Cum enim tot mihi immortalia bona in novo testamento relicta sint, carnalia bona, quae vetus suis promittit, divitias scilicet, ac ventris saturitatem, filios, ac nepotes, vitamque longaevam, Judaeis, tanquam sua, volens, libensque permitto, sola scilicet novi testamenti, & regni coelorum splendida haereditate contentus.

[Faustus ibid.]

3. TESTAMENTUM praeterea illis accipiendum est, quibus una cum testamento haereditas consignatur: cùm autem vetus testamentum nos non solum non constituat haeredes, sed prorsus etiam exhaeredet, quaenam improbitas est usurpare nobis veteris testamenti tabulas, quae, transmissa ad alios haereditate, nos exhaeredatos testentur? quis enim ignorat Testamentum vetus Chananaeorum terram repromittere, eamque solis Judaeis, id est circuncisis, & sacrificantibus, & abstinentibus a porcina, ac reliquis carnibus, quas Moses immundas appellat, sabbata observantibus, atque azymorum solemnitatem, ac reliqua hujusmodi, quae ipse testator eis observanda mandavit: quae quia Christianorum placuere nemini, (neque enim quisquam nostrum ea custodit) dignum est, ut cum refusa haereditate reddamus & tabulas.

[Faustus apud Augu. lib. 10. cap. 3.]

4. FRUSTRA etiam testamentum ab illis accipitur, qui testatoris voluntatem, ac testamenti conditiones servare nolunt: cum autem testamenti conditiones sint, ut testamenti haeredes circuncidantur, sacrificent, & ab illicitis cibis abstineant, &c. nec nos illa servemus; vereor ne mihi jure Judaeus increpitans dicat: Cur improbe tibi vetus testamentum usurpas, cujus praecepta non servas? & quid tibi cum veteri testamento, cujus mandata contemnis?

[Faustus apud Augu. lib. 16. cap. 4.]

5. ADHUC, si qua sit causa, ob quam vetus testamentum recipiendum sit, haec sane erit, propter testimonia, quae de Christo in lege, & prophetis habentur: quae cum nulla in his inveniantur, jure scripturae ipsorum contemnendae videntur. Quod vero nulla sint in eis de Christo vaticinia, apparet ex his testimoniis, quae ad confirmationem fidei de Christo ex veteri testamento adhiberi solent, ex quibus cum vulgatissimum illud testimonium ex Deuteronomio prolatum,

[Deut. 18. 15.] PROPHETAM scilicet suscitabo eis similem tibi, &c. minime spectet ad Christum, quid quaeso existimandum est de aliis testimoniis, quae consimili exemplo subnectuntur huic testimonio? quod certe de Christo intelligi non potest: quia non propheta Christus, nec Mosi similis: siquidem ille fuerit homo, hic Deus: ille peccator, hic sanctus: ille ex coitu natus, hic secundum vos ex virgine natus: ille offenso Deo suo occiditur in monte, hic patri perplacens propria patitur voluntate. Quomodo ergo ipse erit propheta similis Mosi? Quod si nullum de Christo inest veteri testamento testimonium, ergo ad fidei nostrae confirmationem est inutile.

[Faust. ap. Augu. lib. 32. c. 4.]

6. SI vero nihil ad fidei nostrae certitudinem confert, multo minus juvabit ad mores. Quomodo enim ad eruditionem bene vivendi prodesse nobis possunt pessi-

ma illa exempla omni odio & fastidio digna, quae nobis ubique in viris patriar-
charum, & prophetarum vetus testamentum proponit? videlicet soceros dormi- Genes. 38.
re cum nuribus, tanquam Judas: patres cum filiabus, tanquam Loth: prophetas Genes. 19.
cum fornicibus, tanquam Oseas: Nasaraeos Dei cum scorris, tanquam Samson: Oseae 1.
maritos uxorum suarum noctes amatoribus vendere, tanquam Abraham: duabus Judic. 14.
germanis sororibus unum misceri maritum, tanquam Jacob: rectores populorum, Genes. 12. Genes. 20.
& quos maxime entheos voces, tanquam David, & Salomon, millenis, & cen- 2. Reg. 11.
tenis volutari cum scortis: & alia multa consimilis foeditatis exempla, quae enu- 3. Reg. 11.
merare longum esset.

7. NARRAT etiam vetus testamentum fabulosa multa, & conficta, quae a Aug. lib. 2. contr. adver. leg. & Proph. c. 1.
nobis suo loco dicentur, propter quae Paulus non injuria veteres scripturas vocat
prophanas, & aniles fabulas, & genealogias stultas. De his enim ad Timotheum
dixit: PROPHANAS, & aniles fabulas devita. Et iterum, NE intendas fabulis 1. Tim. 4. 7. 1. Tim. 1. 4.
Judaïcis, & genealogiis interminatis, quae quaestiones magis praestant, quam
aedificationem, quae est in fide; sicut quidam volentes esse legis doctores. Et
rursum, STULTAS, & sine disciplina quaestiones devita, sciens, quia generant 2. Tim. 2. 23.
lites. Et ad Titum eadem de re scribens ait: QUAESTIONES & genealogias & Tit. 3. 9.
pugnas devita: sunt enim inutiles & vanae. Quae omnia de legis, & prophetarum
eloquiis a Paulo dicta sunt.

8. HIS additur, quod vetus testamentum usque adeo infensum est, ac repu- Ex Augustino cont. Adimant.
gnans novo testamento, ut ambo in unum convenire non possint. Et quidem pri-
mum in Genesi scriptum est, quod Deus per seipsum fecerit coelum & terram: in Genes. 1.
Joanne vero scriptum est, per D. N. Jesum Christum factum esse mundum: ubi Joan. 1.
dicitur: ET mundus per ipsum factus est. In Genesi legitur: QUIEVIT Dominus Genes. 2. 2.
die septimo ab omni opere quod patrarat: in Evagelio autem e contrario dicit Joan. 5. 17.
Christus: PATER meus operatur usque modo. In Genesi scribitur: FACIAMUS Genes. 1. 26.
hominem ad imaginem & similitudinem nostram: Christus autem Judaeis dicit:
Vos ex patre diabolo estis. Non autem possunt esse filii diaboli facti ad imaginem Joan. 8. 44.
& similitudinem Dei. Separationem ab uxore prohibet vetus testamentum dicens:
IDEO relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhaerebit uxori suae, & Genes. 2. 24.
erunt duo in carne una: cujus contrarium suadet Christus, dicens: NEMO est, Luc. 18. 29.
qui relinquat uxorem, & filios propter regnum coelorum, qui non recipiat mul-
to plura in hoc tempore, & in saeculo futuro vitam aeternam. In Exodo dicitur: Exod. 20. 20
HONORA patrem & matrem tuam: Christus vero ei, qui sepulturae officio pa-
trem honorare volebat, diversum praecipit, inquiens: SINE mortuos sepelire Luc. 9. 60.
mortuos suos. In veteri testamento dicitur Deum visum esse a Jacob, a Mose, Genes. 32.
multisque aliis facie ad faciem: contra vero in Evangelio dicitur: DEUM nemo Joan. 1. 18.
vidit unquam. Vetus testamentum describit Deum odientem malos, & vindican-
tem peccata, cum dicit: EGO Deus Zelotes visitans iniquitates Patrum in filios Exod. 20. 5.
usque in tertiam & quartam generationem his qui oderunt me: Christus vero as-
serit illum esse benignum super malos, dum ait: QUI est benignus super bonos, Luc. 6. 35.
& malos. Ipseque jubet ut peccanti fratri ignoscamus non solum septies, sed se- Matth. 18.
ptuagies septies. Vetus testamentum vindictam praecipit, dicens: OCULUM Exod. 21. 24.
pro oculo, dentem pro dente: Christus vero in Evangelio destruens hoc praece-
ptum, ait: AUDISTIS quia dictum est antiquis, oculum pro oculo, dentem pro Matth. 5. 37.
dente: ego autem dico vobis, nolite resistere malo. Et si quis percusserit te in
unam maxillam, porrige ei & alteram. Ex quibus, & aliis his similibus, in qui-
bus veteres scripturae cum novis pugnant, perspicuum evadit, non injuria a no-
bis vetus testamentum dedignari tanquam novo testamento contrarium.

9. HORTANTUR insuper nos ad veteris testamenti reprobationem non mi- Faustus apud Aug. li. 9. c. 2.
nus Evangelicae & Apostolicae adhortationes, quam exempla, praesertim vero
apostolorum exemplum; qui ne intolerabili veteris vestimenti servitute diutius
premerentur, quanquam Judaei essent, ac sub veteri testamento nati, illius ta- Actor. 15. b
men jugum excusserunt. Nos vero e contra naturae beneficio consecuti, ut sub ser-
vitutis lege non nasceremur, Christo nobis protinus occurrente cum pleno mu- Faustus apud Aug. li. 8. c. 1.
nere libertatis, quam miseri, & stulti erimus, & insuper ingrati, si nos ultro ad-
dixerimus servituti? quippe Paulus inde Galatas arguit, quod in circuncisionem Galat. 4. b

relabentes, ad infirma repedarent; & egena elementa, quibus denuo fervite vellent. Quomodo ergo nos id admirtemus, in quo videamus alios reprehendi? Turpe eft cerre in fervitutem ire: fed turpius redire.

[Fauftus apud Aug. lib. c. 1. Marcion. ap. Epiph. lib. 1. haer. 4] 10. FREQUENTES denique Chrifti, & apoftolorum ejus admonitiones idem nos admonenr. NEMO, inquit Chriftus, pannum novum affuit veftimento veteri, alioquin major fciffura fiet: neque vinum veternofis utribus credit: innuens [Matth. 9. b] Chriftianam novitatem Hebraicae vetuftati uon effe mifcendam. [Manes apud Epiph. lib. 2. haer. 66.] Cum enim fordidum fit novis veftibus induris, non donare inferioribus veteres veftes: idcirco monuit nos veftimentum vetus, hoc eft vetus teftamentum, Judaeis tanquam infimis fervis relinquere, idemque legem, & propheras reficcatis & inveteratis arboribus comparavit, [Luc. 16. b] dicens: LEX & prophetae ufque ad Joannem, ut videlicet, [Hebr. 8. d] juxta Paulum, oftenderet nobis, omne, quod veterafcit, & fenefcit, interitui propinquum effe: & Paulus idcirco vetus teftamentum mortis miniftrationem ap- [2. Cor. 3. b] pellavit, cum diceret: MINISTRATIO mortis, feu teftamentum mortis in literis formatum lapideis: ut illud non aliter quam ab auctore mortis proditum vitare- [1. Tim. 1. 6.] mus, fcientes, quod lex illa, ut idem alio loco dicit, jufto non eft pofita, fed parricidis, matricidis, & perjuris, non autem his, qui jufte vivunt in Chrifto.

DISSOLUTIO OBJECTORUM.

1. SI Temerarii haeretici in his, quae effreni lingua adverfus Deum optimum obloquuntur, particulariter, & expreffe commemorarent quando, quomodo, & quo loco ea ab ipfo Deo facta fint, tentaremus utique & nos particularim, ac membratim ad fingula refpondere: nunc autem quoniam ipfi univerfaliter quaedam, quafi fugienres attingunt, & nos fimiliter generarim & univerfali modo refpondemus, non effe a Deo veteris teftamenti concupifcentias malas. Quomodo [Epiphan. li. 7. Haeref. 66.] enim concupifcentiam immitteret, qui dicit: NON concupifcas quae proximi funt, neque uxorem ejus, neque bovem, neque afinum, neque quaecunque pro- [Exod. 20. 17.] ximi tui funt? Si ergo tollit concupifcentiam, non eft concupifcentiae fuppedi- [August. lib. 2. contr. adverf. leg. & Proph. c. 8.] rator. Quod fi indurat, & mentes excaecar aliquorum; non ideo malus effet, qui dicit: IN judicium veni in hunc mundum; ut qui non vident videant, & qui vi- [Johan. 9.] dent, caeci fiant. Ille igitur, qui fecundum apoftolicam fententiam cujus vult [Rom. 9. 19.] miferetur, & quem vult obdurat, proculdubio quem vult illuminat, & quem [Pfalm. 100. 1.] vult excaecat: fed non eft iniquitas apud Deum; cui dicit ecclefia: Mifericordiam [Rom. 11.] & judicium catabo tibi Domine. Illuminat ergo mifericordia: excaecat judicio utrique aequiffimo, etfi occultiffimo: infcrutabilia enim funt judicia ejus: cui ta- [Pfalm. 9. 5.] men dicitur: Sedifti fuper thronum qui judicas juftitiam. Cum autem dicunt mife- [Epiph. in lib. Anchorat.] ri ifti, Quomodo Hebraeorum Deus bonus eft, qui furta praecipit? nefciunt vani homines quod apud Deum nihil perit, & quod juftum judicium eft, & quod Deus nafo non fufpenditur, ut putabant Aegyptii, qui volebant fine mercede operatos effe Judaeos, & quidem non paucis annis, fed ducentis, & quindecim annis. Aequum igitur erat apud Deum, & homines, ut illis in finem merces red- [Exod. 12. e] deretur: & hac de caufa juftus Deus juffit fuos praedari Aegyptios, & cum fpoliis eos illic exire: eademque de caufa caedes juftiffimas, & ftrages tam in fuos, quam in alienos dedit, ut nullum cujufvis peccatoris fcelus remaneret inul- [Ezech. 20. Joan. Caffian. colla. 21. c. 4.] tum. Sed inquiunt, Quomodo bonus eft Deus legis, qui gloriatur fe dediffe fuis praecepta non bona? & non afpiciunt imperitiffimi nebulones praecepta illa vira- [Rom. 7. 12.] lia, & fancta veteris legis, de qua Paulus dixit: LEX quidem fancta, & mandatum fanctum, & juftum, & bonum: idcirco vocari non bona, non quia fecundum fe mala fint, fed quia facta collatione ipforum ad Evangelicam perfectionem, minus bona fint, & quodam modo mala, ufitata videlicet divinae fcripturae locutione, quae frequenter ea, quae minus bona funt, appellare folet non folum [Luc. 18. 19] non bona, fed etiam mala: ficut Chriftus tam multos bonos homines, qui in mundo fuerunt, intuitu divinae bonitatis negat bonos, dicens: NEMO bonus, nifi folus Deus: & ficut apoftoli, qui electionis merito bonitatem generis humani multis exceflerunt modis, ad Dei bonitatem comparati mali dicuntur, Domino [Matth. 7. 11.] ad eos dicente: SI vos cum fitis mali, noftis bona dona dare filiis veftris; quanto magis pater vefter de coelo dabit fpiritum bonum petentibus fe? Apoftolus quo-

que

que ita novi testamenti lumine gloriam legis affirmat obtundi, ut eam Evangelici comparatione fulgoris, nec glorificatam esse pronunciet, dicens: NAM nec gloriosum est id, quod glorificatum est propter excellentem gloriam. Bonus itaque sanctus, & justus est Deus veteris testamenti testator. 2. Cor. 3 c

2. CUJUS sane testamentum non ideo recipimus, quia spes nostra in temporalium rerum promissione defixa sit, quandoquidem nec ipsos illius temporis sanctos, & spiritales viros patriarchas, & prophetas his terrenis rebus fuisse deditos credimus. Audivimus enim prophetam abjicientem talem felicitatem, & ad unum Dominum confugiendum esse cantantem: ERUE me de manu filiorum alienorum, quorum filii velut novellae constabilitae in juventute sua: filiae eorum circumpositae, & ornatae velut similitudo templi: cellaria eorum plena eructantia ex hoc in hoc: oves eorum foecundae, boves eorum crassae: non est ruina sepis, neque exitus, neque clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum cui haec sunt. Quam felicitatem David irridens, protinus e contrario addidit: BEATUS populus cujus est Dominus Deus ejus. Sed sicut patres illi veteres in his promissis intelligebant revelante spiritu, quae per ipsa futura praenunciabantur, & ob hoc ad novi testamenti desiderium accendebantur: ita & nos cognoscentes ea, quae per illa signabantur in nobis fuisse completa, hac de causa veteris testamenti memoriam, veluti praesentis nostrae felicitatis promissionem veneramur, & accipimus.

August cont. Faust lib 4. c 2 & contra Adimant. c 18. & 20.
Psal. 143. 11.
Ibid. v. 15.

3. NON itaque scripturas ejus ad consequendam terrenam illam haereditatem tenemus, sed ad intelligendas in eis novi testamenti promissiones accipimus: veteris quippe testificatio fidem novo conciliat. Scimus enim temporalium rerum promissiones testamento veteri contineri, & ideo vetus testamentum appellari; & quod aeternae vitae promissio, regnumque coelorum, ad novum pertineat testamentum; sed in illis temporalibus figuras fuisse futurorum. Quo quidem modo accipiendum esse a nobis vetus testamentum Paulus docuit, cum ait: OMNIA contingebant illis in figura: scripta sunt autem propter nos, in quos fines seculorum devenerunt.

August cont. Faust. lib. 4. c. 2.
1. Cor. 10. 6.

4. NEQUE periculum est, ut me jure Judaeus increpitet: dicenti enim cur tenes vetus testamentum, cujus praecepta non servas? respondebo, in libris illis duo esse praeceptorum genera, praecepta scilicet vitae significandae, ac praecepta vitae agendae: quorum ista nunc a Christianis observantur, illa vero tunc a Judaeis recte sunt observata, quando ista praenunciabant, quae modo revelata sunt: nunc autem postquam lux venit Christus, superfluo a nobis umbrae illae observarentur: tenemus tamen illas non ad religionem, sed ad testificationem, sicut & promissa carnalia, quae in eis continentur, tenemus, quoniam per ea spiritualia nobis speranda revelata sunt.

August li 10. contra Faust. c. 2.

5. SED ajunt, quid opus veteri testamento ad fidei nostrae certitudinem, in quo nullum est de Christo testimonium? Quod enim in Deuteronomio scriptum est, ad Christum non pertinet: quia Christus Mosi non est similis: quibus ita occurrimus. Illud, quod simile dicitur, non ex omni parte & modo simile intelligitur: non enim ea tantum, quae unius ejusdemque naturae sunt, dicuntur inter se esse similia, ut olea oleae, sed etiam quae naturae disparis sunt, ut olea oleastro, & far tritico. Sic & filius Dei, qui tam longe a rebus mortalibus abest, agnus & leo in scripturis appellatur, ut in Joanne legitur, ECCE agnus Dei, & in Paulo, PETRA erat Christus: quae ipsi nullo modo dixissent, nisi Christus aliquam cum illis similitudinem susciperet. Cum igitur Christus factus sit similis ovi, quid mirum, si non dedignatus sit fieri similis Mosi, qui Mosi dissimilis erat? similis quippe, quia homo; dissimilis, quia Deus: similis quia factus in similitudinem carnis peccati, dissimilis quia sanctus, & sine peccato: similis quia natus de muliere, dissimilis quia de Spiritu Sancto natus: similis quia vera morte in monte mortuus est, dissimilis quia non propter sua peccata, propria potestate mortuus est: similis quia offenso Deo propter scelera hominum offensas humani generis pertulit moriens in corpore suo, dissimilis quia non offenso propter suam culpam Deo mortuus est.

August. li. 16. contra Faust. c 15.
Deut. 18.
Joan 1. 29.
1. Cor. 10. 4

6. AD ea, quae impurissimi haeretici in Vitiis Patriarcharum & Prophetarum
August li 22. con. Fau. c. 40

vituperant, respondemus, quod quanquam ex his vitiis, quae de patribus in veteri testamento narrantur, quaedam gravia fuisse crimina concedantur, non ob id scripturae minuitur auctoritas, immo nobis magis commendatur, quod ipsa non temere, sed justissimis de causis talia vitia sapienter narret, nempe ut eorum consideratione quatuor haec, scilicet fidem, eruditionem, timorem, ac spem consequamur. Primo fidem; ut nihil de veritate illius historiae dubitemus, videntes quod ipsa tanquam fidelis speculi nitor admotarum sibi personarum non solum, quae pulchra atque integra, verum etiam, quae deformia vitiosaque sunt, indicat, nulliusque excipit adulandam personam, sed tam laudanda quam vituperanda hominum facta vel ipsa judicat, vel legentibus judicanda proponit, nec solum homines ipsos vel laudabiles, vel vituperabiles intimans, verum etiam quaedam in vituperabilibus laudanda, & in laudabilibus vituperanda non tacens. Secundo ad eruditionem nostram vitia Patrum refert, non quidem ut illa imitemur & sequamur, sed ut sciamus ea vitanda & fugienda esse, quae scriptura vituperat. Tertio ad timorem; ut casus majorum sit timor minorum: si enim illos tam sanctos viros perniciosa hujus mundi blandimenta vicerunt, quanto magis imbecillioribus nobis timendum est? Quarto ad spei consolationem, ut discamus in talibus lapsibus non desperandam salutem: quidam enim in peccata prolapsi, desperatione plus peccant: nec solum poenitendi negligunt medicinam, sed ad explenda inhonesta & nefaria desideria, servi libidinum & sceleratarum cupiditatum fiunt, quasi perdant; si non fecerint quod vestigat libido, cum eos jam maneat certa damnatio. Adversus hunc modum nimis periculosum, & exitiabilem valet commemoratio peccatorum: in quae justi sancti prolapsi sunt.

(Augu. lib. 22. contr. Faust. cap. 65.) (Augu. Lib. L. Homil Hom. 31.) (Idem lib. de nat. & grat. cap. 35.)

7. QUO vero ad fabulas attinet, quas impii de Pauli testimonio confirmant, quis ita, nisi haereticus multum caecus, erraret? cur hoc Apostolus ipse non fecit, si has esse aniles fabulas judicavit? cur ad eundem Timotheum scribens dicit: SCIMUS quia bona est lex, siquis ea legitime utatur? & cur eidem praecipit, ut permaneat in sacris literis, quas ab infantia didicit, instruentibus ad salutem per fidem? Sed sciant insani isti, Judaeos praeter scripturam sacram habere quasdam traditiones δευτερώσεις appellatas, in quibus tradunt Deum primo homini duas creasse mulieres, ex quibus varias texunt genealogias, alios ex una, alios vero ex alia muliere descendisse contendentes: de quibus traditionibus cum olim Pharisaei Christum interrogarent dicentes, QUARE discipuli tui non ambulant juxta traditiones seniorum? redarguti sunt ab eo, dicente: Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras? quae verba D. Epiphanius exponens, dixit traditiones istas esse quatuor genera expositionum, quae apud Judaeos sunt: quarum una sub nomine Mosi fertur, altera vero est Rabbi Aciba, tertia Adda, seu Juda, quarta filiorum Asamonaei: de quibus etiam Judaeorum genealogiis & Thalmudicis quaestionibus a Paulo damnatis nonnulla scitu digna scripsit Annius antiquitatum peritissimus in commentariis Chronographiae Philonis, ad quos lectorem hujus cognitionis avidum brevitatis gratia mittimus, transeuntes ad loca illa, quae Manichaei de utroque testamento ceu inter se pugnantia afferunt.

(August. lib. 1. contr advers. leg. cap. 1.) (1. Tim. 1. b) (2. Tim. 3. 8.) (Marci 7. a) (Epiph. lib. 2. Haeresi 66.)

8. QUORUM contradictio (quod in solis verbis posita sit) facili momento dissolvitur.

PRIMA igitur oppositio ad exordium Geneseos spectans tribus modis tollitur. Primo, cum dicitur, IN principio creavit Deus coelum, & terram: per Deum significatur Trinitas, in qua non solum Pater, sed & Filius, & Spiritus Sanctus intelliguntur. Secundo, cum ibidem scribitur, Dixit Deus, Fiat lux; & facta est lux: necesse est ut intelligamus Deum per Verbum fecisse quod fecit: Verbum autem Patris Filius est. Tertio, si propterea ibi non intelligitur Filius, quia non est dictum quod per Filium Deus fecit mundum, nec in Evangelio Deus per Filium aves pascit, & lilia vestit: & caetera innumerabilia, quae Christus dicit facere Patrem, quamvis non dicat quod ea per Filium faciat.

(August. cont. Adiman. c. 1.)

SECUNDA contradictio removetur, quia non scriptum est, quod quieverit Deus ab omnibus operibus suis, ita ut deinceps nihil prorsus operetur: sed quod requievit ab omnibus operibus, quae tunc fecit, id est ab instituendis rerum naturis, ut jam ultra non faceret mundum, a quo opere post perfectionem cessaverat,

(August. cont. Adiman. c. 2.)

rat, sed in administrando mundo semper operatur: & in hoc opere eum esse Christus intimavit, cum diceret: PATER meus usque modo operatur. Joan. 5.

TERTIA quoque contradictio sic solvitur. Tripliciter in scripturis nomen filiorum accipitur: secundum naturam, ut Isaac filius Abrahae: secundum doctrinam, sicut filios suos appellat Apostolus, qui ab eo Evangelia didicerunt: tertio secundum imitationem, sicut filios Abrahae nos vocat Apostolus, quia ejus fidem imitamur. Judaei igitur disciplina & imitatione sunt filii diaboli, natura vero filii Dei. August. cont. Adiman. c. 5.

QUARTA sic tollitur. Cum causa non extat obtinendi regnum coelorum, si quis reliquerit uxorem, improbatur a Domino: cum vero uxor virum impedit a possessione regni coelorum, tunc uxor relinqui praecipitur: quia uxor conjungitur viro, ut simul mereantur regnum coelorum. August. cont. Adiman. c. 3.

QUINTA eodem modo sedatur, ut propter regnum coelorum parentes honoremus, eosdemque, cum opus fuerit, propter annunciationem regni Dei contemnamus: nam dilectio parentum certus est gradus ad dilectionem Dei: quo manifestum est, & honorem parentum in suo gradu esse servandum, & eos tamen in comparatione divini amoris, praesertim si impedimento sunt, nulla dubitatione oportere contemni. August. cont. Adiman. c. 6.

SEXTA sic solvitur. Cum dicitur, DEUM nemo vidit unquam, intelligitur de Deo secundum incommutabilem suae divinitatis essentiam, quae nisi a purgatissimo, & simplicissimo corde videri non potest: cum vero eum legimus & visum, & locutum pluribus, hoc per visibilem aliquam creaturam fuisse ab eo factum intelligimus, sicut quibusdam locis scriptura testatur angelum visum, ubi dicitur Deum visum; sicut in illa luctatione Jacob, angelum vocat scriptura illum, quem Jacob Deum vocat, dicens: VIDI Dominum facie ad faciem: & illum Deum, quem sibi in rubo, & in Sina cum lege apparuisse Moses dixit, hunc ipsum Stephanus in Actis Apostolorum angelum fuisse testatur. Idem contra Adiman. c. 9. Genes 32.30. Exod. 3. Actor. 7.

SEPTIMA hoc modo sedatur. Deus zelotes est & benignus: benignus quidem, ut Paulus ait, dum malos sua benignitate & patientia ad poenitentiam invitat: zelotes, & puniens in tertiam & quartam generationem, dum sua justitia punit eos, qui, spreta correctione, in eadem perversitate parentum perseverare voluerunt: indulgens vero & ignoscens est non solum septies, sed septuagies septies erga illos, qui, accepta correctione Dei, per poenitentiam reconciliantur. August. cont. Adiman. c. 7. Rom. 2.

OCTAVA ad concordiam sic reducitur. In his duabus sententiis non testamentorum contrarietas ostenditur, sed eorum in perfectione diversitas: nam cum duo sint lenitatis gradus, primus ut acceptae injuriae mensuram nullo modo dolor vindicantis excedat, secundus ut totam quis injuriam placata mente condonet; Vetus testamentum quasi minus perfectum, carnales homines ad primum gradum mensurandae vindictae constituit: novum vero testamentum tanquam perfectius, spirituales homines usque ad secundum omnimodae remissionis gradum perduxit. August cont Adiman. c. 8.

9. DE exemplo autem apostolorum legalibus praeceptis renunciantium, dicimus illos non defecisse a praeceptis illis vitae significandae secundum fidem, ut ea non crederent fuisse futurorum figuras, sed a sola eorum observatione destitisse, quorum umbrae coruscante jam Evangelica luce aufugerant. Neque nos illa credentes iterum in servitutem relabimur: quia non observamus, quae olim patribus jussa fuerunt ad nos praenunciandos, sed in libertate legimus, quae scripta sunt ad nos confirmandos. Paulus autem Galatas arguit, non tanquam religiose scripturam circuncisionis legentes, sed tanquam superstitiose circuncidi volentes. August cont Fau. li. 9. c. 2.

10. NEQUE testimonia illa Christi, & Pauli ullum habent momentum: pannum siquidem novum, & vestimentum vetus, & vinum novum, & utres veteres, non duo testamenta significant, sed duas vitas, & duas spes. Duas enim spes si quis habendas putaverit, ut & propter felicitatem terrenam, & propter regnum coelorum Deo serviat, haec illam non capit. Cum enim haec aliqua tribulatione fuerit perturbata, deficiens homo amittet etiam illam. Inde est illud, NEMO potest duobus Dominis servire: quod Christus exposuit, dicens: NON August. cont Faust. lib 12. c. 2. Marc. 9. Matth 6. 24.

potestis

poteſtis Deo ſervire & mammonae. Miſcet itaque pannum novum veteri veſtimento, non qui vetus teſtamentum novo miſcet, ſed qui continentiam vult habere ſpiritualem, & nondum ſpem depoſuit carnalem. Quod autem adducunt, LEX & Prophetae uſque ad Joannem perdurant: non ita intelligendum eſt, ut poſt Joannem utraque omnino abjicienda ſint; ſed quod lex & Prophetae uſque ad Joannem ſunt, tanquam praeparatores & praenuncii adventus Chriſti: quo adveniente, praeparatio & praenunciatio eorum ceſſat: utraque tamen remanent ad praenunciatorum confirmationem, ut ſciamus, adventum Chriſti ab eis divina diſpoſitione praenunciatum longe ante, quam adveniſſet: remanent etiam ad conſervandam animi noſtri gratitudinem, ut eis gratias habeamus, qui nobis tam felicem Chriſti adventum praenunciarunt. Quemadmodum enim ſi quis paedagogum haberet, (velut etiam Apoſtolus dicit, legem fuiſſe nobis paedagogum ad Chriſti adventum) ubi pervenerit ad aetatem, & acceperit praeceptorem, non omnino rejicit paedagogum, veluti inimicum, ſic & nos cum deducti ſimus in lege, & Prophetis uſque ad adventum praeceptoris Chriſti, reperto praeceptore, non reprobamus paedagogum, ſed gratiam ipſi confitemur, quod pueritiam noſtram deduxit, & ad perfectiores diſciplinas demiſit. Manet igitur lex, quam ideo dicit Paulus juſto non eſſe poſitam: quia non eſt contra juſtum, eo quod juſtus jam anticipaverit perficere, quae ſunt legis: ſed poſita eſt injuſto, hoc eſt contra injuſtum ad condemnationem, & ob hoc teſtamentum mortis dicta, non quia ab auctore mortis data ſit, ſed quia mortem dari jubeat homicidis, adulteris, & praeceptorum ejus transgreſſoribus. Sic enim decebat mortis praeire teſtamentum, ut primum mortui peccatis, juſtitiae viveremus.

[Margin: Luc. 16. 16. Epiphan li. 2. Haereſi 66. — 1. Tim. 1.]

DE VETERI TESTAMENTO IN UNIVERSALI. HAERESIS II.

IN Veteribus ſcripturis, quas nunc tenet eccleſia, multa tam a Judaeis, quam a Chriſtianis falſata, multa quoque partim ſuperaddita, partim vero ſubtracta fuiſſe.

ASSERTORES HUJUS HAERESEOS.

HUNC peſtilentiſſimum errorem profitentur aetate noſtra recentiores Anabaptiſtae, quibus in eodem errore conſentiunt Servetani, ſic dicti ab impio quodam Michaële Serveto Hiſpano, quem anno M.D.LIIII. propter ejus execrabiles haereſes in urbe Allobrogum Geneva publico incendio exuſſerunt illi iidem Lutherani, * qui contendunt haereticos quantumlibet pertinaces, nulla ratione occidendos. Hi ergo Servetani cum de divinitate Chriſti, & ſancta Trinitate, quam ipſi negant, multa teſtimonia in veteri teſtamento ſciant eſſe deſcripta, eaque tam aperta, ut eludi non poſſint, dicunt illa teſtimonia a Trinitariis (ſic enim illi impii catholicos Trinitatis aſſertores per contemptum appellant) fuiſſe vitiata.

[Margin: * Calviniani]

IMPUGNATIO.

DICI non poteſt divinas Veteris inſtrumenti ſcripturas, aut Judaeorum, aut Chriſtianorum malignitate falſatas: Nam ſi a Judaeis dicamus illas fuiſſe corruptas, tunc merito quaeritur, inquit Origenes, an ne ante adventum Chriſti eas Judaei corruperint, vel poſt ipſius adventum? ſi antea, nunquam profecto Chriſtus, & Apoſtoli, qui caetera crimina arguunt in Scribis, & Phariſaeis, de hoc crimine, quod erat maximum, tetiuiſſent: nec Chriſtus auditores ſuos ad illos miſiſſet, dicens: SUPER cathedram Moſi ſederunt Scribae, & Phariſaei: quaecunque dixerint vobis, facite: ſi eos de cathedra Moſaicae lectionis falſa proferre ſciviſſet. Sin autem quis dicat poſt adventum Domini Salvatoris, & praedicationem Apoſtolorum libros illos ab Hebraeis fuiſſe falſatos, cachinnum tenere non potero, ut Salvator, & Evangeliſtae, & Apoſtoli ita teſtimonia protulerint, ut Judaei poſtea falſaturi erant. Quod ſiquis dixerit libros illos a Chriſtianis poſt Chriſtum fuiſſe depravatos, reſpondet Auguſtinus, divina providentia factum eſſe, quod non univerſi Judaei fuerint occiſi, ſed per orbem terrarum diſperſi virtute Dei, ut ex eorum intactis voluminibus poſſimus agnoſcere noſtros non eſſe falſatos: & ne ipſi Judaei libros illos nobis occultare poſſent, aut corruptos oſtendere,

[Margin: Orige. Hom. VIII. in Iſai. Hiero. lib. 3. comment. in Iſai. — Matth. 23. 2. — Auguſtin. in Pſalm. 58. — Euſeb. lib. 8. Evang. praep.]

dere, Deus quinquaginta & ducentos annos ante Christi adventum inspiravit Ptolemaeum Philadelphum Alexandriae regem, ut per septuaginta celebres interpretes Hebraeos scripturas illas traducere curaret, & per Demetrium bibliothecae praefectum una cum Hebraeis exemplaribus in sua bibliotheca reponi, & diligenter servari: quae volumina una cum Hebraïcis exemplaribus Tertullianus in Apologetico testatur usque ad sua tempora in eadem bibliotheca fuisse, & a Judaeis frequenter lectitata, & ab eis fidelissima judicata. Neque prudens aliquis credere potest Judaeos cujuslibet perversitatis atque malitiae, in codicibus tam multis, & tam longe lateque dispersos in unum convenisse, & odio Christianorum in corruptione suorum voluminum conspirasse, ut scilicet dum aliis inviderent scripturae veritatem, ipsi se ipsos privarent veritate: qui etsi id unanimi consensu facere voluissent, nemini tamen persuaderi poterit, fuisse Christum Salvatorem nostrum tam grave facinus per manus hostium ecclesiae suae permissurum, ne ecclesia in verbi sui veritate fundata, ab inimicis suis tantum veritatis detrimentum reciperet, ac perpetuae deceptionis errore, falsa pro veris amplectendo, teneretur. Nec etiam credibile est Deum ecclesiae dilecti Filii sui denegare voluisse post Christi adventum, quod ante ejus adventum Synagogae Hebraeorum concesserat, ut nemo auderet scripturis ejus vel adjicere vel auferre, adhibitis etiam evidentibus miraculis contra illos, qui id tentare praesumpserunt. Legimus enim apud Aristaeam, & Josephum, illustres quosdam viros ea de causa adversa mentis valetudine, & languore corporis diu conflictatos, veluti Theodorum, ac Theopompum: quorum ille tragoediarum scriptor, cum nonnulla ex Judaicae scripturae verbis ad fabulam quandam referre vellet, luminibus privatus est: hic vero cum aliqua ex divina lege in Graecam linguam transferre coepisset, turbatione quadam mentis & animi illico percussus est: unde postea magnopere Deum orans, quare id sibi contigisset, responsum accepit per somnium, quod divinas scripturas inquinasset.

Tertul Apol. cap. 18 & 19.
Augu lib 15. de Civit Dei c. 13.
Augu. lib 13. contra Faust. c. 6.
August lib 2. de Doct. Chr. c. 14.
Aristaeas li. de LXX Int. Josephus lib. XI. Antiqu. c. 2.

HIS accedunt tot labores ac vigiliae vetustissimorum ecclesiae Patrum, qui indefessis studiis adnisi sunt, ut nobis Hebraïcas scripturas ab omni falsationis, ac vitii suspicione liberas relinquerent, emptis hac de causa magno sumptu antiquissimis, ac emendatissimis codicibus, cum quibus nostra exemplaria conferrent, & collata verterent, emendarent, exponerent; ne deinceps infideles, & haeretici possent nos de veterum scripturarum falsitate reprehendere. Scit enim Deus (inquit Hieronymus) me in peregrinae linguae eruditione sudasse, ne Judaei de falsitate scripturarum ecclesiis ejus diutius insultarent. Sed si quis iterum instet veteres libros, quibus nunc utimur, post aetatem illorum Patrum fuisse falsatos, respondebimus, hoc fuisse verendum, nisi esset late sparsus lateque notus populus Judaeorum, apud quem ipsorum codices tanta semper diligentia conservati sunt, ut a Christianis vitiari non potuerint. Sunt enim Judaei geruli nostri, qui sibi libros portant ad onus, nobis vero ad eruditionem ac fidem: ut cum de codicum nostrorum synceritate inciderit dubitatio ex incorrupta Hebraicorum voluminum fide tollatur. Denique adimit omnem falsationis scrupulum irrefragabilis, ac perpetuus omnium Patrum in lectione Veteris testamenti consensus: ita enim per cunctas temporum successiones sibi invicem succedentes scriptores ac doctores, veteres libros legerunt, ut nos nunc legimus, & easdem sententias & iisdem verbis semper citarunt, quibus nunc nos in nostris codicibus Hebraeis, Graecis, & Latinis utimur. Ex his igitur, ac plerisque aliis, quae in hoc argumento, superiori volumine, in confutatione primae haeresis apposuimus, Veteris instrumenti scripturae ab omni falsationis suspicione liberantur.

Hiero Praef. in Isaiam.
Augu lib. 12. contra Faust. c. 10. & c. 14.

OBJECTIONES HAERETICORUM.

1. MULTIS jam saeculis tam apud Christianos, quam apud Hebraeos veteris instrumenti scripturas fuisse corruptas, & ob id varias, atque etiam inter se dissonas, ex multitudine translationum veteris testamenti invicem discrepantium convincitur. Sunt enim translationes Septuaginta interpretum, & Aquilae, & Symmachi, & Theodotionis, & praeter has, aliae tres, quae Quinta, Sexta, & Septima nuncupantur, & post illas etiam Octava, quae Hieronymi creditur, adeo

inter

inter se variae, ac pugnantes, ut altera ex his plura, alia pauciora, alia diversa, & perperam transposita, alia non solum in verbis, sed & in sensibus ad fidem pertinentibus contraria, & aliis editionibus repugnantia contineat: quod quidem tot eruditissimorum interpretum vitio minime credendum est evenisse, sed potius ex diversa Hebraicorum exemplarium varietate contigisse. Cum autem dissona varietas nunquam sine falsitate consistat, consequens est Hebraïcos codices, unde tam multiplex interpretum discordia nata est, fuisse non solum varios, sed etiam vitiatos, & falsatos.

2. ILLUD etiam arguit veteris testamenti contextum successione temporum ab antiqua synceritate mutatum, quod in Hebraeis aetatis nostrae codicibus omnis a principio usque ad finem scripturae narratio, sola prosa extenditur: neque in eis vix unum extat de tot carminibus, quibus multos libros veteres traditur fuisse conscriptos. Testatur enim Hieronymus in praefatione Chronicon Eusebii, in praefatione libri Regum, & in praefatione Esaiae, Psalmos quamplures, & lamentationes Jeremiae, aliaque multa diverso metri genere in eis contineri. Et in praefatione libri Job scribit eundem librum hexametris carminibus dactylo, spondeoque currentibus componi, intermistis interdum tinnulis quibusdam ac dulcibus rythmis, esseque in sacris voluminibus varia carminum genera, qualia sunt in poëmatibus Virgilii, ac Horatii nostri, & Graeci Pindari, atque Alcaei, quibus Psalterium, & Lamentationes, & omnia ferme scripturarum cantica constant, Idem ad Paulam Urbicam scribens addit, extremam partem libri Proverbiorum claudi alphabeto, quod tetrametro jambico supputatur; Lamentationes vero quadruplici alphabeto, quorum secundum, tertium, & quartum Sapphico metro ex tribus versiculis, heroico semper commate, sive Adonio conclusis, scripta sint. Eusebius item Caesariensis libro decimo Evangelicae praeparationis affirmat inveniri in veteri testamento artificiosissima carmina, ut Canticum Mosi magnum, & Davidis Psalmum centesimum decimum octavum heroico versu conditum, & alia multa carmina trimetra ac tetrametra elegantissime, quo ad dictionem pertinet, composita. Josephus quoque libro secundo Hebraicarum antiquitatum scribit Mosem post transitum maris Erithraei canticum illud, quod nunc extat, hexametro versu cecinisse. At nunc in Hebraïcis voluminibus ne vestigium quidem ullum apparet hujusmodi sive heroici, sive lyrici versus: & quo de caeteris carminibus taceamus, in toto veteri testamento nec unum hexametrum invenies dactylo, ac spondeo Latinorum, vel Graecorum more contextum: nec duo similiter cola reperies, quae secundum rythmi consuetudinem, vel pari syllabarum numero, vel eadem finalis syllabae terminatione claudantur. Quae cum in nostris exemplaribus nulla sint, reliquum est, ut dicamus, veterum librorum contextum ac totius narrationis faciem immutatam fuisse, & antiquam illam carminum sublimitatem in hanc prosae humilitatem demissam.

(Capite 8. Deuter. 32.)

3. FACIT ad hoc etiam nonnullorum Latinorum, Graecorum, ac illustrium Hebraeorum auctorum testimonium; qui Hebraicos codices ab ipsismet Hebraeis olim depravatos affirment: de quorum numero Justinus Philosophus & Martyr annis ab hinc mille quadringentis scribens contra Tryphonem, ostendit Judaeos in odium Christi multa prophetica testimonia de scripturis sanctis abscidisse, & abstulisse. Origenes Homilia 12. in Jeremiam scribit Judaeos exemplaria sua falsasse, praesertim in libro Jeremiae, ubi pro eo quod ibi legebatur, PECCATUM Juda scriptum est, &c. ipsi nolentes se peccarores confiteri, pro peccato Juda, posuerunt, peccatum eorum. Hieronymus quoque in commentariis tertii capitis ad Galatas exponens dictum illud, MALEDICTUS omnis, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis, dicit, in exemplaribus Hebraeorum sui temporis defuisse duo illa verba, OMNIS, & OMNIBUS, & incertum se habere, an Septuaginta interpretes illa addiderint, vel an in veteri Hebraico ita fuerint, & postea a Judaeis deleta sint, se vero in suspicionem adduci, ut credat particulas illas a Judaeis fuisse sublatas, tum ne Hebraei viderentur esse sub maledicto non potentes servare, quae scripta sunt, tum quia Paulus vir Hebraeae peritiae, & in lege Domini doctissimus, nunquam ea protulisset, nisi in Hebraeis voluminibus haberentur, tum quia in Hebraeis Samaritanorum voluminibus suo

(Gal. 3. 10.)

tempore

tempore inveniretur scriptum כל chal, quod interpretandum est OMNES, vel OMNIBUS. Similiter quod legitur in Deuteronomio: MALEDICTUS a Deo omnis, qui pendet in ligno, arbitratur Hieronymus eodem in loco ab Hebraeis ad Christi ignominiam tam in Hebraeis, quam in nostris codicibus fuisse falsarum, interpositis duabus particulis, A DEO, & OMNIS, ut scilicet Christianis infamiam inurerent, qui in Christum a Deo maledictum crederent: cujus rei non leve indicium Hieronymus attulit, quod in veteri testamento nullo loco scriptum sit, aliquem a Deo esse maledictum: & ubicunque maledictio ponitur, nunquam Dei nomen adjunctum inveniatur. Jacobus item Christopolitanus episcopus in praefatione suarum enarrationum in Psalmos scribit, Hebraeos, Arabes, & Chaldaeos non habuisse olim nec vocales, nec puncta in literis suis, sed omnem scripturam sacram fuisse ab Esdra sine vocalibus, & sine punctis conscriptam; Rabbinos vero Judaeorum post conversionem Constantini Magni loco vocalium finxisse puncta, & secundum sensus suos humanos scripturam sacram pervertisse, atque his praesertim locis, ubi latebant manifesta mysteria aut de Christo, aut de ecclesia: unde etiam concludit, scripturis Hebraeorum sic per puncta scriptis, & interpretatis nullam adhibendam esse fidem. Deut. 27.

4. SED quid externis testimoniis opus est, quando ipsimet Hebraei sponte fatentur sua volumina jam inde a multis saeculis fuisse corrupta? hoc est, ab ipso statim Hierosolymitanae urbis excidio, praecipue vero, quando Nabuzardan praefectus regis Assyriorum, ut habetur in quarto Regum volumine, succendit domum Domini, & domum regis, & omnes domos Hierusalem combussit: tunc sacra illa volumina, & authentica, quae in locis publicis servabantur, omnia incendio absumpta sunt, nec unquam postea ad pristinam sinceritatem restitui potuerunt, quamvis id facere multi conati sint, collatis ad invicem particularibus quibusdam codicibus, qui apud quosdam incertae auctoritatis remanserant. Testes sunt hujus rei plerique Rabbinorum, ac inter alios David Kimki, cujus sententiam ingens Rabbinorum numerus sequitur. Is in expositione tertii libri Regum, & in praefatione Prophetarum sic loquitur: In captivitate prima corrupta sunt exemplaria, eliceruntque ex uno exemplari sic, & ex alio aliter: & ubi clarum non potuerunt habere sensum, scripserunt unam dictionem intra contextum, & aliam ad marginem: perierunt quoque exemplaria, & distracta sunt, & morientibus sapientibus, qui tenebant scripturae sensum, conati sunt hi, qui erant de synagoga magna, restituere legem ad vetustatem suam: invenientesque dissensiones in exemplaribus, adhibuerunt fidem pluribus exemplaribus consentientibus: ubi vero claram cognitionem habere non potuerunt, scripserunt unam dictionem absque punctis, aut scripserunt in margine, & non intra contextum. Haec R. David. Thalmudistae vero fere omnes in libris Thalmudicis frequenter mentionem faciunt de correctione quadam veteris testamenti, qua olim Rabbini ipsorum in emendando sanctae scripturae textu usi sunt, quam תיקון סופרים Tikun sophrim, hoc est, Correctionem sapientum scribarum vocant, juxta quam scribae etiam ante natum Christum quaedam in libris legis & Prophetarum immutaverunt, nunc scripturam quibusdam punctis distinguentes, nunc alia in marginibus apponentes, quae loco eorum, quae in contextu scripta erant urbanitatis, ac modestiae gratia honestius, ac decentius legerentur: ut pro coïre cum concubina, jacere cum illa, & pro humano stercore, egestionem: cujus rei gratia, interdum quoque id, quod erat scriptum a Propheta, eradentes, in locum illius, quod ipsi magis e scripturae decoro judicassent, reponebant: unde factum est, ut sensus multo a Prophetae sententia diversus emerserit: cujus rei testis est Prochetus Hebraicorum voluminum observator diligentissimus libro primo Victoriae adversus Hebraeos, indicans olim in calce primi capitis Malachiae scriptum fuisse אותי othi, hoc est me: in cujus locum scribae subrogarunt אותו otho, hoc est eum, vel illum: ex quo sequitur, quod ubi nos nunc juxta correctionem scribarum legimus, ECCE de labore vestro, & exsufflastis illum: ibi quondam a Propheta dictum fuerit, ECCE de labore vestro, & exsufflastis me, dicit Dominus: seu afflixistis, vexastis, vel expirare fecistis me, dicit Dominus. Similiter quod nunc legimus Michaeae primo capite, IN domo pulveris, pulvere aspergite vos, vel involvc te; secundum aliam translationem, hoc inquit R. Scelomo

IV. Reg. c. 25.

Capite 11. ad 1. Cap. Mala.

Mal. 1. d

Mich. 1. c

est correctio scribarum, qui puncta facientes correxerunt, & dixerunt חת פלשתי, chir palaschiti, id est, INVOLVI TE, ubi a Michaea erat scriprum: חת פלשי hith palasci, id est, INVOLVI ME: sic enim in Propheta scriptum erat: IN domo pulveris, pulvere aspersi me. Item quod nunc legimus Oseae nono, IN RECES-
Ose. 9. 12. SU MEO, vel recessio mea, sive, Cum recessero ab eis, R. Scelomo, & R. Kimki dicunt, sic legi secundum correctionem scribarum, videlicet בשורי מהם bessuri mechem, id est, IN RECESSU MEO: cum verus Propherae textus olim habuerit בשירי מהם bescuri mechem, id est, INCARNATIO MEA EX EIS: quarum sentenriarum sensus, ut nunc juxta textum a scribis correctum habemus, valde distat a sensu illarum sententiarum, quas olim prima scriptura habuit, in qua filius Dei per Prophetas istos loquens, mysterium, Secundum vos, fututae incarnationis designavit, qui tunc diciris eum se in domo pulveris aspersisse pulvere, cum carnis nostrae pulverem induit, quem Judaei afflxerunt, & expirare fecerunt. Haec, & pleraque alia Rabbi Scelomo, R. Kimki, R. Simeon, & R. Johannam a scribis olim correcta fuisse testantur: quorum scribarum exemplum imitati posteriores Rabbini, idem fecerunt, & discipulis suis idem facere persuaserunt, sicut R. Johannam ex sententia R. Simeon in libro Jevamoth dixit: Bonum est, ut evellas unam literam de lege, & enuncietur ח, Chet in publico. Haec Prochetus. Ex his igitur universis perspicuum est, veteres libros correctione, seu potius corruprione scribarum fuisse falsatos.

DISSOLUTIO OBJECTORUM.

1. ADEO stulta est hypothesis, cui Anabaptistarum argumentum innitur, ut nihil stultius: diversitas enim translationum non ex illa sola causa, quam ipsi afferunt, oriri potest, sed ex aliis multis, ut ex vario interpretum ingenio, ac judicio, vel interdum imperitia, aut negligentia, vel etiam malitia: quibus omnibus accidit, ur interpretationes ejusdem Scripturae inter se frequenter, & in multis differant. Fieri etiam potest, ut diversorum interpretum editiones, quae prius inter se conveniebant, postea quammaxime inter se distent, seu incuria, seu ignorantia, seu fraude scriptorum, ac librariorum, qui eas ab emendatis & sinceris exemplaribus perperam descripserunt: sicut in omnibus editionibus vereris testamenti ante Hieronymi tempora emissis conrigit, ut singulae a singulis discreparent, tam ob Scriptorum quam ob Interpretum varietatem, e quibus aliqui prudenret, aliqui maligne, aliqui per insciriam mulra vel immutarunt, vel tacue-
Hiero. Praef. in Pentat. & Isai & in Apolog contra Rufinum. runt, vel addiderunt. Prudenter quidem, ac pie, Septuaginra interpretes multa racuerunt, tum ne arcana fidei ethnicis proderent, & sanctum darent canibus, tum quia multa non plene intellexerunt, urpote interprerantes ante Christi adventum: & quae non intellexerunt, aut omiserunt, aur dubiis sentenriis protulerunt, ita in eis operante divino spiritu, qui pro tempore & loco, mysteriorum formas obtectas esse voluit in Scripturis, ut earum manifestatio Evangelistis, & Apostolis, manifestato Christo reservaretur. Malitiose vero multa permutarunt, subtraxerunt, & addiderunt, Aquila, Symmachus, Theodotion, ac plerique alii Judaïzanres, & haeretici translatores, quorum editiones abjecit ecclesia Christi,
Hiero. Praef. in Job. sola Sepruaginra interpretum edirione usque ad tempora Hieronymi contenta.
Irenaeus li 3. cap 24. Hieronym. in Prol Paralip. & in Prolog. IV. Evan. Multa quoque per imperitiam, & negligentiam dormitantes librarii, quae bene edita fuerant, perperam describentes perveterunt. Unde his omnibus causis in unum concurrenribus factum est, ut ex uno eodemque Hebraïcae veriratis fonte, ranta editionum, & codicum varietas emanaverit. De harum editionum diversitate, & quomodo, & quando iis usa fuerit ecclesia, fusius dicemus in fine hujus Operis, cum de editionibus sanctae Scripturae tractabimus.

2. DE diversis autem carminum generibus, quibus dicunt Anabaptistae olim plures veteris instrumenti libros fuisse compositos, qui nunc apud nos soluta oratione leguntur, aut impudentissime mentiuntur, aut imprudentissime decipiun-
Cyrill. Alex. lib. 7. advers. Julianum. tur ex ignoranria Hebraïcae poëseos, sicut olim consimili de causa Julianus Apostata seipsum decepit, accusans Eusebium Caesariensem, quod multas carminum species in Scripturis sanctis inveniri falso persuaserit: vero ramen similius est, imperitos

peritos haereticos ex ioscitia falli. Cum enim nec Hebraïcarum artium peritiam habeant, nec Hieronymi verba consideraverint, existimanr hexametros illos, ac trimetros, & terrametros, quos Hieronymus, Eusebius, ac Josephus, commemorant, esse ejusdem generis cum carminibus poëtarum nostrorum, eademque pedum qualitate, quantitate, ac dispositione constare, quia dixerit Hieronymus esse apud Hebraeos, versus spondeo, dactyloque currentes. Quae quidem verba indocti Anabaptistae non intelligunt: neque enim ita est iotelligenda Hieronymi similitudo, ut Hebraeorum versus Graecorum, Latioorumque carminibus siot per omnia similes, sed in hac parte solum, quod pervetusta illa Hebraeorum poësis, perinde ac nos, habet non solum multos pedes nostris consimiles, conficiendis carminibus aptos, videlicet, dactylos, spondeos, jambos, & alios complures, verum etiam plura carminum genera, hexametra, trimetra, terrametra, & hujusmodi alia, quae pari pedum numero cum nostris hexametris, ac trimetris incedunt, sed differunt a nostris variata pedum qualitate, situ, & ordine: quia Hebraeorum hexametri saepe inter dactylos & spondeos, alios quoque pedes recipiunt, variato etiam ordine sedium, in quibus apud nos pedes collocari solent. Crebro enim (ut Hieronymus inquit) Hebraeorum hexametri ob linguae proprietatem alios praeter dactylum, ac spondeum pedes recipiunt, oon earumdem syllabarum, sed eorumdem temporum. Interponunt etiam Hebraei contra nostrorum poëtarum consuetudinem, carmioibus suis rythmos quosdam insuetos, quos, ut Hieronymus ait, simplex Lector intelligere non potest, sed solum metricae artis peritissimus. Quamobrem non mirentur Anabaptistae, si in veteri testamento oon invenerint rythmos nostris consimiles, paremque syllabarum numerum habenres, & in eandem extremam syllabam post certum versuum ambitum recurrentes: quando nec apud nos singula rythmorum genera eundem syllabarum numerum, ac eosdem carminum fines retinent: sed alii, quemadmodum apud Hetruscos in usu est, undecim syllabis constant, decantaodis heroïcis accommodati: alii ex septem syllabis, modulandis ad lyram odis aptissimi, ac jocundissimi: alii ex duodecim syllabis, in dactylum semper terminantes, citati, ac lubrici, scenae mirabiliter deservientes. Et ex his omnibus rythmis, alii rursum apud Hetruscos poëtas semper rythmi legem servant, finalium syllabarum similitudioe conclusi: alii vero ea lege soluti, neglectaque finalium syllabarum similitudine, moventur, unde & rythmi soluti dicuntur. Sic igitur in Hebraïcis divinis Scripturis multa sunt hujusmodi rythmorum, & versuum geoera, quorum canones & mensuras nuoc enarrare longum & superfluum esset. Quod si quis illarum desiderio tenetur, legat Hebraeorum poëtas, ac inter alios Rabbi Scelomo, cognomento Gabirol, eximium apud suos poëtam, & Rabbi Josephi Hyssopaei poëma jambico carmine scriptum, quod Scutella argentea inscribitur: apud quos duos omnia ferme praedicta carmina inveniet. Cur autem Sacri interpretes in transferendis divinis literis Hebraïcorum carminum leges non servaverint, Augustinus in epistola ad Memorium episcopum causam assignat, his verbis: Neque enim ex Hebraea lingua voluit numeros interpres exprimere, ne metri necessitate ab interpretandi veritate amplius, quam ratio sententiarum sinebat, digredi cogeretur: certis tamen numeris Davidicos Psalmos constare credo: amavit enim vir ille sanctus musicam piam, & in ea studia oos magis ipse, quam ullus alius auctor accendit.(a)

Hieronym. in Praef. Job.

Hetrusci carminis varietas.

3. QUANTUM vero attinet ad Patrum testimonia, quae veteres libros olim indicant falsatos, ultro fatemur, eos oonnullis in locis a quibusdam Judaeis fuisse depravatos, sed talem depravationem tanti momenti fuisse non credimus, quin facile ab Origene, Eusebio, Epiphanio, Hieronymo, & aliis Patribus Hebraeae linguae peritis facile emendari potuerit, facta collatione cum caeteris antiquissimis Hebraeorum exemplaribus: tum quia paucissima fuerunt ea loca ab Judaeis corrupta, tum quia non adeo fuit universalis eoruodem locorum corruptio, ut in omnibus simul Hebracorum exemplaribus toto orbe terrarum dispersis, iidemmet loci, ac eademmet verba essent corrupta, non permittente hoc divina Christi providentia, ne ecclesia sponsa sua divinae Scripturae veritate fraudaretur.

(a) De Poësi Hebraeorum consulendi sunt praecipue Julius Bartoloccius, Augustinus Calmetus, Blasius Caryophilus, & ex Acatholicis Franciscus Gomar, & Augustus Pfeiffer.

Quare cum neque universalis, neque magna fuerit veteris Scripturae corruptio, facile ex pluribus codicibus; in quibus integra remanserant, quae in aliis vitiata fuerant, Hebraïca lectio ad pristinam sinceritatem restitui potuit, ac re ipsa restituta est a Hieronymo, & aliis eruditis Patribus: unde stultum est, & sine ratione velle nunc asserere Hebraïcos codices, olim in locis illis fuisse falsatos, in quibus universi omnium Hebraeorum codices, tam recentes, quam vetusti consentiunt. Neque vocalium punctorum additio facta ab Judaeis quicquam derogat perpetuae divinorum voluminum sinceritati: nam etsi nunc Hebraei adjectis punctis sub consonantibus, aliter interpretentur, atque aliter intelligant Scripturam, quam debeant; non tamen illam adeo universaliter per hanc punctorum adjectionem depravare, & contaminare possunt, ut veterem suam integritatem non semper retineat: sublatis enim Rabbinorum punctis, semper veterem Scripturam, cum suis radicalibus, & servilibus literis in sua puritate integram, & incorruptam necesse est remanere. Quamvis (ut verum fatear) nullum mihi unquam videre contigit Hebraeorum volumen, in quo puncta consonantibus addita, ita redderent significationem verborum diversam ab antiqua illa significatione, ac sensu, quam tempore Origenis, Eusebii, Epiphanii, & Hieronymi habuerunt, ut ex ea diversitate quicquam absurdi in his, quae ad dogmata fidei nostrae pertinent, sequeretur.

4. AD ultimum, quod afferunt de תיקון סופרים Tikun sophrim, nihil aliud respondere libet, nisi nos portentosa Thalmudicorum voluminum testimonia non recipere, utpote eorum librorum, qui omni mendacio, contumelia, & blasphemia pleni sunt, non solum adversus Christum, quem ipsi pro hoste habent, sed etiam adversus Deum creatorem coeli & terrae, quem solum Judaei se colere fatentur: qui etiam publico totius ecclesiae decreto damnati sunt, ac per omnes Christianorum urbes proximis annis in medio foro exusti: quorum etiam testimonium si reciperemus, nihil tamen inde Anabaptistae assequerentur ad causae suae defensionem. Sunt enim singula, quae Sophrim, id est, Scribae, erasisse dicuntur, in multis, & authenticis Hebraeorum Commentariis annotata, & memoriae diligenter prodita: ex quibus annotationibus (ut jam saepe visum est, & videri adhuc potest) omnia, quae a Scribis fuerunt abrasa in Hebraeis exemplaribus, quae nunc toto orbe extant, usque ad minimum jota, vel apicem, restituta sunt: & ipsimet Judaei opinionem eorum damnant, qui ausi sunt inter eos dicere, libros sacros aliquando fuisse corruptos. Unde Jacob Benhaim de regno Thuneti reprobans praedictam R. Kimki sententiam ab haereticis inductam, scribit contra eam in hunc modum: Sententia illorum longe est a me: nec enim adduci possum ut credam, & labiis confitear, Ezram scribam librum legis divinae, atque libros prophetarum dubios, corruptos, & confusos invenisse: quin magis sententia mea haec est, quod Esdras, & collegae ejus invenerint Biblia sacra integra, & illaesa, quodque Ezras judicio suo cognoverit, qui libri scripti essent per sapientiam illam excellentem, & quare quaedam literae scriberentur, quaedam vero non, quare etiam dictiones quaedam extraneae scriptae essent: dimisitque eas in ipso textu ut scriptae erant, adjiciens in margine veluti glossam, quae naturam vocabuli extranei explicaret. Haec R. Jacob. Ex quibus delirae Anabaptistarum nugae exploduntur.

DE LIBRIS MOSAICAE LEGIS. HAERESIS III.

QUINQUE libros Mosaicae legis repudiare.

ASSERTORES HUJUS HAERESEOS.

PTOLEMAEITAE haeretici, qui a Ptolemaeo Gnostico de secta Valentinianorum descendunt, quemadmodum Epiphanius scribit, damnarunt hos libros, quia crediderint ea, quae in ipsis continentur, non esse a Deo bono, sed a tribus diversis auctoribus condita, videlicet unam partem eorum a Deo opifice hujus mundi, qui esset medius inter Deum bonum, & diabolum: aliam vero a Mose, juxta propriam mentem, & non secundum Dei voluntatem: tertiam a senioribus

Epiph libr. 1. Haeresi 33.

bus

bus Judaeorum, secundum ipsorum ingenium excogitatam. Manichaei vero longe iniquiores, ideo libros istos se rejicere affirmant, quod a principio usque ad calcem a malo Hebraeorum Deo dictati sint, & a filiis ejus Judaeis, nimia turpitudine, ac foeditate referti: qui, ut eas foeditates contegerent, inseruerunt eis pauca quaedam verba de lege illa naturali, quam Deus bonus mentibus humanis impressit, ut tanquam velo, ac nebula divinorum verborum superinducta, fidem, auctoritatemque libris suis conciliarent. Collegerunt autem, Faustus, & Anonymus, Fabricii discipulus, ad subversionem horum librorum, quaecunque Celsus, Porphyrius, Julianus, & alii sacrorum voluminum hostes adversus divinam legem delatrarunt. August. cont. Faust. lib. 32. cap. 2.

IMPUGNATIO.

JAM satis in his, quae superius initio bujus libri dicta sunt, confutavimus praesentem haereticorum insaniam, ostendentes omnem veteris testamenti Scripturam emanasse a Deo bono, patre Domini nostri Jesu Christi, a quo ejus Scriptores afflati, ea solummodo literis illis mandarunt, quae Spiritus a Patre & Filio procedens suggessit. Quamobrem non opus est, ut eadem, vel iisdem similia, iterum hoc loco repetamus.

OBJECTIONES HAERETICORUM.

1\. NOS, inquiunt Ptolemaeitae, libros Mosi non accipimus ut divinos: quia scimus eos non secundum boni, ac perfecti Dei mentem, sed partim juxta hominum, partim juxta Dei medii voluntatem conscriptos: & primum, quod lex illa, quae Decalogus dicitur, geminis tabulis exarata non sit a Deo bono, ac perfecto, apparet: quia perfecti Dei perfecta sunt opera: haec autem imperfecta est, & completione indigens, ob cujus impletionem, & perfectionem consummandam, Salvator noster se venisse testatus est. Apparet etiam esse in his libris aliam quandam legislationem non a Deo latam, sed a Mose, quam ipse non Dei voluntatem, sed propriam intelligentiam secutus dictavit, legem Dei permutans juxta debilitatem, ac necessitatem eorum, qui gravi divinae legis onere premebantur: ne, dum illam servare non possent, desperatione addicti, in omnem se injustitiam praecipitarent: veluti cum a se ipso legem repudii legi divinae contrariam dedit, ob populi duritiem, ut si divinam legem dicentem, QUOD Deus conjunxit homo non separet, servare non possent, non ad caedem uxoris illico saeviendo verterentur, sed ad repudium, tanquam ad leviorem culpam haberent refugium, quod Christus testatur, dicens: MOSES ob duritiem cordis vestri permisit dimittere uxorem, sed non sic fuit ab initio. Deus enim dixit: ERUNT duo in carne una: quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Rursus & aliae quaedam leges ac traditiones seniorum in his libris implicitae inveniuntur, contra quas adhibito Esaiae testimonio Salvator noster invehitur, inquiens: DEUS dicit, Honora patrem tuum, & matrem tuam: vos autem dixistis (inquit ad seniores, loquens) donum quodcunque est ex me in tuum vertitur commodum: hypocritae, recte de vobis dixit Esaias: Frustra colunt me docentes doctrinas, & mandata hominum: irritum enim fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras. Haec Ptolemaeus in epistola ad Floram. Epiph. libr. 1. Haeresi 33. Deuter. 5. Matth. 5. Matth. 19. 6. Deuter 24. 1. Matth. 19. 8. Matth. 15. 4. Exod. 20. 12. Marc. 7. 2. Esai. 29. 13.

2\. MANICHAEI vero, inter quos, & Anonymus, Fabricii discipulus, addunt, se libros Mosis non recipere, quia in eis ab initio usque ad calcem legantur indigna de Deo bono, ac filio ejus Christo, pietatem, & mores destruentia. Primumque omnium in ipso Geneseos vestibulo, Moses describit Deum quendam in tenebris ab aeterno versatum; inquiens, tenebras fuisse ante lucem conditam, & Deum super aquas tenebris obsitas inambulasse per noctem, antequam faceret lucem. Ex Augustin. lib. 22. contr. Faust. cap. 4. Genes. 1.

3\. DESCRIBIT etiam Deum admirantem ad insolitae lucis aspectum obstupescere, atque adeo antea nescientem, quid esset lux, ut cum primum eam vidisset, tunc optimam judicasset. Ibid. Gen. 1.

4\. MALEVOLUM quoque ostendit, qui prohibuerit hominem sumere cibum dignoscentiae boni ac mali, hoc est, prudentiam, qua sola videtur contineri pos- Genes 3. Ex Aug. cont. adv. leg. lib. 1. c. 14.

se

Julian Apostat apud Cyrillum lib. 3 cont. Julian.

se humana vita: tanquam eum parem esse voluisset pecoribus ista nescientibus, cum illi, quem superiorem fecerat bestiis, hoc negasset, quo solo homo superat bestias.

Ex Aug. con. adv leg. li. 1. c. 15. Genes. 3. 22.

5. SERPENTEM vero facit, vel ipso Deo meliorem vel fortiorem: meliorem quidem, quod hominem ad prudentiae cibum alliciendo similem fecerit Deo, sicut ipsemet Deus testis est, inquiens: ECCE Adam sicut unus ex nobis factus est, sciens bonum & malum: fortiorem vero, quia hominem decipere, ac vincere potuit, quem fecerat Deus.

Ex Aug. cont. adv leg lib. 1. c. 14 Genes. 2.

6. FACIT etiam Deum vel ignarum futurorum, cum praeceptum illud, quod nesciret, si Adam servaturus esset, ei mandaret; vel imprudentem, cum illud, quod sciret Adam non servaturum, praeciperet.

Augu. lib. 22. cont. Fau. c. 4. Genes. 3. 9.

7. IMPROVIDUM similiter, cum hominem in angulo paradisi latentem post agnitam nuditatem, quasi illum videre non posset, clamoribus inquireret, dicens: ADAM ubi es?

Aug ibid. c. 4. Julian. apud Cyrill. lib. 3. Genes. 3.

8. NEC minus invidum, quam timentem, dum angelum ad custodiam paradisi ignea framea armat, veritus, nec forte primi nostri parentes, qui jam serpentis beneficio facti erant prudentiae participes, in paradisum rursus reverterentur, & de ligno vitae gustarent, unde in posterum, se etiam invito, immortalitare fruerentur.

August. ibid. Exod. 20.

9. DESCRIBIT quoque Deum appetentem sanguinis, adipisque, dum ex omni genere sacrificiorum, quasi carnium, & viscerum avidus, sibi offerri jubet.

August ibid. & Julian. Apostat. apud Cyril lib 4. Ezechiel. 21. 8

10. ITEM zelantem, aegteferentem, ac zelotypia laborantem, dum aliis diis, quibus aemulatur, eadem, quae sibi offerri vetat.

11. IRACUNDUM praeterea, comminantem, ac truculentum, & injustum, cum toties nunc in suos, nunc in alienos irascitur, perimens tot hominum millia ob levia quaedam, vel nulla commissa: minitans sese cum gladio devorante venturum, & parciturum nemini, nec justo, nec injusto.

Ex Augustino li. 14 cont. Faust. cap. 1. Deut. 21. d

12. NEC solum hujusmodi contumeliis affecit Moses Deum suum, sed quod magis execrabile est, Christum filium Dei, qui nostrae salutis causa in ligno pependit, diro devotionis convirio lacessivit, pronuncians maledictum esse omnem, qui pependit in ligno: qui seu volens, seu casu id fecerit, neutro tamen excusandus est: si enim nolens Christo maledixit, constat eum non fuisse divinum, ac prophetam. Si vero volens, nec futura haec ignorans, invidus certe fuit nostrae Salutis, quae futura erat ex ligno, in cujus auctorem maledici oris sui venena deprompsit. Quod convitium omnes etiam tangit justos, ac martyres, quotquot simili passionis exitu defuncti sunt, ut Petrus, & Andreas, & reliqui ejusdem sortis: neque enim vulgo saltem eos maledictos dicit, id est, apud homines tantum, sed maledictos a Deo.

Aug ibid. c. 1. Exod. 1. f Deuter. 7. c & 28. d

13. SIC enim & omnes Dei pueros, ac virgines, pari devotione prosequitur, dicens, maledictum esse omnem, qui non suscitaverit semen in Israël. Quod aeque convitium principaliter Christum tangit: qui ortus, ut dicitur, ex Judaeis, nullam tamen inter eos servandae posteritatis causa sobolem suscitavit. Deinde & discipulos ejus, quorum nonnullos ab uxoribus sejunxit, quos copulatos invenerat, quosdam vero & conjungi vetuit, quos deprehendit intactos.

August. cont. adv. leg. li. 2. c. 6. Levit. 17. 11.

14. PRAETER haec etiam Moses omnem spem futurae resurrectionis in hominibus extinxit, qui mortalem esse animam pronunciavit, & eam sanguinem esse dixit, cum scriberet: ANIMA omnis carnis, sanguis est.

DILUTIO OBJECTORUM.

Epiph. libr. 1. Haeresi 33.

1. ETSI temeratius Ptolemaeus contentiose asserat, libros legis aliquid habere ex Deo medio, aliquid ex Mose, aliquid ex senioribus, non tamen potest alicubi ex sanctis Scripturis, quas ignotat, ostendere, quod universa Mosi lex non sit ex Deo optimo, & perfectissimo: quae licet omni ex parte perfecta non esset, & impletione facta per Christum indigeret, tamen secundum temporum illorum distributionem, & personarum dispositionem, quantum ejus decebat officium, perfecta erat, conveniens rudi, & carnali populo, quem ipsa veluti paedagogus

Galat. 4.

deducebat

deducebat ad Christum perfectionis praeceptorem, cujus gratia lex ista data est Mosi: qui nihil unquam extra Dei voluntatem in libris suis vel praecepit, vel scripsit: Neque inseparabilem conjugii unionem a Deo institutam dissolvi mandavit, quamvis de dando libello repudii tulerit legem. Aliud enim est repudium, & aliud libellus repudii. Repudium, permissio est, dare libellum, praeptio est. Non autem dixit Moses: QUI voluerit, dimittat uxorem: quod contrarium legi Dei erat, sed, SI QUIS dimiserit, non dimittat, nisi prius dato libello repudii: ut scilicet interposita mora, animus in dissidium praeceps, libelli conscriptione refractus, absisteret, & quid mali esset uxorem dimittere, cogitaret: & a judicibus sapientia, & pietate praeditis, ante quos legere libellum tenebatur, ad conjugalem concordiam revocaretur. Quod si tantum intercederet odium, ut extingui, emendarique non posset, tunc permisit fieri divortium, sciens, quod vir non frustra dimitteret uxorem, quam sic odisset. Omnis igitur Mosis legislatio ex Deo est, nec ullae sunt in ea traditiones seniorum admixtae: nam traditiones de quibus Salvator locutus est, omnino sunt extra legem, & sunt, sicut jam diximus, quadruplices Judaeorum expositiones, *videlicet, R. Mosis, R. Akiba, R. Juda, & filiorum Asamonaei. Quod autem de his intellexerit Christus, sermo ejus aperte ostendit, cum inquit: SI QUIS dixerit patri suo Korban, hoc est, donum, &c. quae verba, cum nullibi in libris Mosis inveniantur, consequens est, Christum de traditionibus seniorum, quae sunt extra legem locutum.

August. cont. Faust. lib. 9 c. 26.

Deut. 24. a

Epiphan. lib. 1 Haeres. 31

Marc. 7. 6

2. QUANTUM vero attinet ad Manichaeorum calumnias, respondemus, primum, quod etsi lux non erat super faciem abyssi, antequam Deus conderet lucem, non tamen Deus in tenebris versabatur, priusquam faceret lucem. Non enim deerat ante hanc temporaneam, & visibilem lucem, alia aeterna, & inaccessibilis lux, quam Deus inhabitaret, scilicet ipsemet Deus, in quo tenebrae nullae sunt: hanc lucem Deus ab aeterno incoluit, sibimet solus ad perpetuam lucem unus ipsi sufficiens. Proinde cum spiritus Domini super aquas adhuc tenebris obsitas ferebatur, easque sua virtute confovebat, non in tenebris tanquam luce destitutus latebat, sed in clarissimo lumine, videlicet in se ipso manebat.

August. lib. 22. con. Fau. c. 8

3. QUOD autem calumniantur, miratum esse Deum, id neque scriptum est, neque ex his, quae scripta sunt, sequitur. Legitur enim: ET vidit Deus lucem, quod esset bona: quae verba Deum potius creatae a se lucis approbatorem, quam inopinatae lucis admiratorem demonstrant. Sed & si vetus Scriptura Deum mirarum esse dixisset, nihil inde absurdi pateretur, cum & in novo testamento Christum, quem Deum Manichaei fatentur, audita Centurionis fide, miratum legamus: non quia aliquid praeter opinionem tum primum in Centurione videret, sed quasi id quod jam antea praecognoverat futurum, ita debuisse fieri, approbaret.

August. lib. 22. con. Fau. c. 13. Genes. 1. a

Matth. 8. 10.

4. JAM vero ad illam malevolentiae calumniam, respondemus, dignoscentiam boni, & mali, duplicem esse: alteram per scientiam, quae beati hominis est: alteram per experientiam, quae miseri hominis est, ac infoeliciter discitur, & foelicius ignoratur: morbos enim, & dolores, quanto foelicius nesciremus? Ergo Deus, quia ab hac infoelici dignoscentia hominem prohibuit, non malevolus, sed benevolus dicendus est: sicut medicum benevolum diceremus, qui nos ab aliquo cibo prohiberet, quo nos accepto aegrotaturos esse praesciret: & ob id ab ipso eventu appellaret eundem cibum dignoscentiae sanitatis, & imbecillitatis, eo quod per ipsum homo, cum aegrotare coepisset, experiendo dignosceret, quid interesset inter contractam malam valetudinem, & bonam perditam sanitatem: quod utique melius ignorasset, si in illa, quam perdidit, sanitate mansisset, credens medico per obedientiam, non morbo per experientiam.

August. lib. 1. cont. adv. leg. c. 15.

5. SI igitur misera est illa scientia, quam Deus homini prohibuit, satis apparet, serpentem non fuisse Deo meliorem, ut impii nugatores blasphemant, sed ultra quam dici possit malum, ac pessimum, qui tam infoelicem malorum omnium scientiam homini ostenderit. Nec verba illa, ECCE Adam factus est sicut unus ex nobis, Dei sunt affirmantis, sed magis exprobrantis: sicut illud Apostoli, cum dicit: DONATE mihi hanc injuriam. Utique a contrario vult intelligi,

August. lib. 1. cont. adv. leg. cap. 15.

Genes. 3.

2. Corint. 12. e

ligi, si adsit pronunciator doctus, non calumniator indoctus. Neque ideo fortior est serpens quam Deus, quia hominem decepit, quem fecit Deus: nullo enim modo deciperetur, si non in corde recessisset a Deo: quia igitur recessit a Deo, ideo a Deo desertus est, & a serpente victus est. Sed neque serpens vicit, cum a semetipso sit ipse deceptus ac victus: tam enim ille, qui decepit, quam ille, quem decepit, ambo decepti sunt, recedendo ab eo, qui non potest decipi, & ambo sunt victi, recedendo ab eo, qui non potest vinci, a quo utique, qui plus recedit, plus vincitur: quia tanto fit deterior, quanto remotior. Et ideo necesse est, ut qui malum alteri prius inferendo vincere videtur, amplius ipse bonum amittendo vincatur: neque potest fieri, ut ei locus sit melior, cui causa sit pejor: & cum ad tempus praevaluisse visus est diabolus, homine superato, etiam sic in aeternum victus est, homine reparato.

August. lib. 1. cont. advers. leg. cap. 14.

6. DE eo vero, quod Deum non aliter quam futuri ignarum superbe derident, dicimus, non ignarum fuisse Deum hominem peccaturum, sed simul etiam, quid justi & boni fuerat de peccante facturus, summa utique divinitate praescivit: nec instituit, quod obesset, si homo sibi obesse noluisset, sed potius instituit, quod prodesset: quia homo non sine bona mercede obedientiam custodisset, & non sine utili exemplo, ut eam sancti ejus posteri custodirent, poenas inobedientiae persolvisset. Nec voluit quod non potuit: hoc enim voluit, ut aut obediens homo esset, aut inobediens impune non esset: nec infructuose voluit, quod homo non fuerat servaturus: quia poena contemptoris docuit alios obedire.

August. ibid. c. 14.

7. NEQUE improvidus Deus erat, quia latentem Adam, ubi nam esset, interrogaret: quia ideo interrogavit, ut hominem sua responsione convinceret. Cum tamen sciret non solum ubi esset, sed etiam quid sibi esset responsurus, & ea sibi vellet responderi, ut confessione criminis extorta, non injuste illum punire videretur.

August. ibid. c. 14.

8. SIMILITER nec invidiae arguendus est Deus, quod ad vitalis ligni esum peccatores ingredi paradisi januas ultra non permiserit, sed ut justus merito laudandus, qui ab aeternitate, quae juste obedientibus data fuerat, praevaricatores juste prohibuerit: sicut nec Christum timentem, aut invidum Manichaei dicerent, quia virgines fatuas in regnum suum clausa janua intrare non permiserit, sed justum, qui ad vitam aeternam non admiserit peccatores.

Matth. 25.

August. ibid. c. 17.

9. EXISTIMARE autem Deum esse sanguinis & adipis appetentem, quia sibi animalium adipem, & viscera offerri jubeat, hominis est divina sacramenta ignorantis. Non enim haec Deus praecepit, quasi animalium nece, & sanguinis effusione delectaretur, aut eorum odore vesceretur, vel victimarum sanguine, & holocaustorum nidoribus exsaturari desideraret, sed ut illis sacrificiis praenunciaret nobis verum illud sacrificium, quod uni vero Deo, unus verus Deus sacerdos, mediator Dei & hominum obtulit, cujus sacrificii promissivas figuras in victimis animalium celebrari oportebat, propter commendationem futurae carnis, per quam unam victimam fieret remissio peccatorum, de carne contractorum.

August. lib. 22. contra Faust. c. 18.

10. NIHIL praeterea Deo indignum Scripturae attribuunt, nominantes eum zelotem, cum etiam in novo testamento Christus ejectis de templo nundinatoribus, de seipso dicat: ZELUS domus tuae comedit me. Est enim Dei zelus non ea animi perturbatio, qua maritus conjugis adulterio turbatus contabescit, sed diligens custodia conservandae conjugalis pudicitiae, quam Deus adhibere solet, cum aut plebem suam tanquam conjugem monet, ne per multos falsos Deos fornicetur, aut cum unumquenque hortatur, ne castitas, quam uni Deo anima debet, per falsas hujus mundi illecebras, corrupta & prostituta turpetur. Tribuitur ergo Deo zelus, non secundum lividae perturbationis anxietatem, sed secundum tranquillissimam erga nos benevolentiae bonitatem, vel secundum linguae Hebraïcae proprietatem, vel secundum nominis abusionem, qua virtutes vitiorum vocabulo frequenter apud omnes gentes appellari solent.

Joan. 2. 17.

August. ibid. cap. 18.

August. ibid.

11. CONSIMILE quoque sentiendum est de ira ac furore Dei, qui cum nullis humanis passionibus turbari queat, irasci tamen dicitur, cum sceleribus nostris

poenas

poenas debitae ultionis infligit. Significat etiam ira ejus vindictam, sive aliqua Hebraeae linguae proprietate, sive nominum abusu, qui in omnibus linguis latè patet, cum nominibus, quibus proprie vitia denotantur, etiam virtutes appellent, astutiam pro prudentia, & cupiditatem pro voluntate dicentes. Deus igitur non ira, velut humana, turbide saevit, sed alia divina ira, justa retribuit, quae non propter ulciscendi libidinem, sed propter vindicandi rigorem, certo usu locutionis, ira nominatur. De peremptis autem hominum millibus, ob levia quaedam, seu nulla, si ea stolidi isti expresse commemorarent, ostenderemus, nec nulla esse, nec levia, sed gravissima. Quod enim majus nephas esse potest, quam praeponere creaturas creatori, aut tentare Deum, aut murmurare contra illum, aut ab ejus cultu deficere, aut de ejus providentia, & auxilio desperare: quae omnia illi perpetrarunt, quorum multa millia in deserto caesa leguntur: unde nec truculentus, nec injustus est Deus, qui minetur se nemini parciturum, nec justo, nec injusto: quia summus ille vitis agricola aliter parat falcem sarmentis infructuosis, aliter fructuosis, istis quidem ut purgandis, illis vero ut amputandis: non parcit impiis, tanquam sarmentis praecisis ad combustionem, justis vero non parcit, ad perficiendam purgationem: non parcit justo, nec peccatori, illum flagellando, ut filium, istum puniendo, ut impium. Sic igitur justis salubrem adhibens correptionem, misericors, & clemens, non truculentus, & iracundus est: peccatoribus vero debitam severitatem propter peccata retribuens, non injustus, sed justissimus est.

August. ibid. Capite 19.

Aug ibi. c. 20.

12. SED jam videamus, quam intelligentiam habeat, quod execrabiles haeretici de maledictione pendentis in ligno a Mose prolata vituperant. Sciendum est, quod sicut lingua, & manus, aliquo modo ipsas corporis partes ac membra significant, aliquo vero modo opera, quae ex ipsis sequuntur, veluti hominum sermo, lingua dicitur, quia per linguam fit, & hominis scriptura manus dicitur, eo quod manufacta sit, ita peccatum, vel maledictum, quod idem est, non tantum ipsum opus malum, sed etiam ipsam mortem in Scripturis sanctis significat: quia mors ex peccato est, quod dicitur maledictum. Quo sensu Moses Christum appellavit maledictum: quia Christus sine reatu suscepit mortem, maledicti nostri supplicium. Quo etiam sensu Paulus Christum nuncupavit peccatum, & maledictum, cum dixit: EUM, qui non novit peccatum, fecit pro nobis peccatum: hoc est, peccati nostri supplicium: &, FACTUS est pro nobis maledictum: hoc est, pro nobis mortuus: idem est enim mortuus, quod maledictus: quia mors ipsa ex maledicto est, & maledictum est omne peccatum.

August. cont. Faust. lib. 14. cap 3. & 4.

Deut. 21. 23.

2. Cor. 5. 21.

Galat. 3. 13.

13. QUOD autem Moses non sit continentiae, vel virginitati infensus, quia dixit: MALEDICTUS omnis qui non suscitaverit semen in Israël: legant Esaiam eodem spiritu clamantem: HAEC dicit Dominus spadonibus omnibus, qui observaverint praecepta mea, dabo illis in domo mea locum nominatum meliorem filiorum, & filiarum, nomen aeternum dabo illis, & non deerit eis. Aut si contrarium putant Esaiam Mosi, is eis placeat, si ille displicet. Non est hoc parum adversus istos: nobis enim sufficit scire, unum Deum locutum, & per Mosen, & per Esaiam, & secundum spiritualem intelligentiam maledictum esse omnem, qui non reliquerit semen in Israël, hoc est, omnem, qui pro modulo suae virtutis non institerit Dominicis lucris, & non reliquerit semen, quod videat Deum, id est, qui non habuerit aut filium, aut servum, aut proximum, quem timorem Dei doceat super terram. Spiritualiter itaque intelligendus est Moses.

Esai. 56. 4. 5.

Augu. lib. 14. contra Faust. c. 13.

Et Author Q. Vet. & Nov. Test. qu. 17.

14. QUI sane si animam credidisset esse mortalem, non alio loco diceret: OMNIS, qui contigerit mortuum, & mortuus fuerit, & non fuerit purificatus, execretur anima ejus de Israël: quia adhuc immundus est. ADHUC, utique dixit, etiam post mortem, quia non est purificatus. Vocavit autem animam sanguinem, non substantiae, sed significationis causa, quo modo dictum est: PETRA erat Christus: non quia hoc erat, sed quia hinc significabatur. Non autem frustra animam voluit significare per sanguinem, quia sicut sanguis in nostro corpore plus caeteris humoribus principatur, ita anima omnibus, quibus constamus, invisibiliter praevalet. Hactenus de libris legis; nunc ad libros Propheticos transeamus.

August. cont. adv leg lib 2. cap. 6.

Num. 19. 11.

Levit. 17. 14.

1. Cor. 10. 4.

DE LIBRIS PROPHETICIS. HAERESIS IIII.

PROPHETARUM libros nihil in se habere, cujus gratia recipi debeant.

ASSERTORES HUJUS HAERESEOS.

Faustus apud Augu. lib. 12. ET haec quoque Manichaeorum haeresis est, quam prae caeteris Faustus, & anonymus Fabritii discipulus tutati sunt: iis Theodorus quidam Mopsuestites consentire videtur: qui, ut legitur in actis quintae Synodi, asseruit, nihil in prophetis contineri, quod evidenter de Christo pronunciatum sit, sed majores nostros ea, quae de aliis rebus dicta fuerant, ex propria voluntate ad Christum traxisse: propter quam haeresim merito in quinta synodo damnatus est. Quod autem in prophetis omnibus sint innumerabilia vaticinia, praesagia, & oracula de Christo, cui, ut Petrus ait, testimonium praebent omnes prophetae, (Actor. 10. 43.) insuper & exempla multa honestae vitae, & quod hac de causa libri eorum, tam ad fidei veritatem, & firmitatem, quam ad bene, justeque vivendum summopere nobis sint necessarii, abunde ex novi testamenti auctoritate superius comprobavimus. Restat igitur ut videamus, quam levia sint ea, quae Manichaei contra prophetarum libros objiciunt.

OBJECTIONES HAERETICORUM.

Ex Aug. li. 16. contra Faust. c. 4. & lib. 12. cap. 1. 1. SI prophetarum libri recipiendi sunt, propter duo potissimum recipiendi sunt; vel quod ad fidei testificationem, vel quod ad vitae informationem conferunt, quorum cum neutrum praestent prophetarum libri, nulla se offert causa, quae nobis illos faciat commendatos. Quid enim opus est nobis eorum scriptis propter testimonia de Christo Salvatore, quae nulla in eis sunt? vel, si qua forte sint, nos tamen neque illis ad fidei confirmationem egemus, neque ipsis uti debemus. Inertis enim fidei confessio est, in Christum sine teste, & argumento non credere: nam cum vos ipsi dicere soleatis, nihil esse curiosius exquirendum, quia simplex & absoluta sit Christiana credulitas, quomodo non destruitur fidei simplicitas indiciis eam ac testibus fulciendo, & maxime Judaeis?

Ex Aug. li. 13. cont. Fau. c. 1. 2. QUORUM sane testimonia adeo nobis sunt ad fidem inutilia, ut nec post fidem, nec ante fidem de Christo acceptam aliquid prosint. Nam si Gentili ante susceptam fidem in Christum credendum sit ob testimonia Hebraeorum prophetarum, quae vos in libris eorum inveniri putatis, ergo illi antea prophetis credendum erit, quam Christo. Sed dicite, quaeso, si Christum per prophetas mihi accipiendum existimatis, prophetas ipsos per quem accipiam? & quis mihi pro illis faciet fidem? certe non alii prophetae: quia tum quaestio in infinitum abiret, iterum atque iterum percontantibus nobis, quis pro illis prophetis nuper inductis testimonium reddat. At si dicatis esse accipiendos ex Christi testimonio, ut vicissim, id est prophetae illi Christum, & Christus illos commendet, Gentilis profecto utriusque conditione liber, nec Hebraeorum prophetarum scripturis de Christo dicentibus crederet, nec Christo de scripturis illorum testanti. Quare satis patet, Judaeorum prophetarum testimonia ante fidem in Christum inutilia esse: quia ante fidem cum Gentiles essemus, ipsis tanquam Hebraeis credere non poteramus; post fidem vero cum jam in Christum credidimus, superflua testimonia sunt, cum ipsis non ultra indigeamus, ut quae jam credimus, credamus.

Ex Aug. li. 12. contra Faust. c. 1. 3. QUOD si quis dixerit nobis testimoniis post fidem acceptam opus esse ad stabiliendam susceptae credulitatis firmitatem, quaeso, quae necessitas cogit, ut ab externis, obscuris, & incertis Hebraeorum testibus superflua testimonia mendicemus? quasi non satis sint nobis locupletissimi & fidelissimi testes, quos habemus. Quis enim fidelior nobis testis esse potest quam Deus ipse de filio suo? qui non per vatem, neque per interpretem, sed ultro coelitus erupta voce cum eum mitteret in terris dixit: (Matth. 17. 5.) HIC est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. (Joan. 16. 28.) Necnon & ipse Christus dicit de se: EXIVI a patre, & veni in mundum: atque multa hujusmodi, (Joan. 8. 13. 14.) ad quae cum Judaei dicerent: TU de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum: ipse respondit: ET si ego testificor

stificor de me, testimonium meum verum est; quia non sum solus: nam & in lege vestra scriptum est: Duorum hominum testimonium verum est. Ego sum, (Deut. 17. 6. & c. 19. v. 15.) qui testimonium testificor de me: & testificatur de me, qui misit me pater. Non autem dixit Prophetae, sed Pater. Ad haec & opera sua sibi in testimonium vocat; SI MIHI NON CREDITIS (dicens) operibus credite. Non dixit, Si mihi (Joan. 10. 38.) non creditis, prophetis credite. Quapropter cum testem habeamus patrem, & filium, externis testimoniis non indigemus ad fidem.

4. DEINDE, quomodo ad exemplar honestae vitae possumus eos legere, quorum flagitia novimus tam aperte a Christo fuisse damnata? (Ex Aug. li. 16. contra Faust. c. 2. & contr. adv. leg. lib. 2. cap. 4.) ipse enim Salvator, omnium simul prophetarum vitam moresque unica sententia perstringens, latrones, & fures eos appellavit, inquiens: OMNES quotquot ante me venerunt, (Joan. 10. 8.) fures sunt, & latrones.

DILUTIO OBJECTORUM.

1. DEMENTISSIMI hominis est dicere, inertis esse fidei sine teste non credere: (Augu. lib. 13. contra Faust. c. 4. & 45.) quomodo enim ad nos notitia Christi sine homine teste pervenire potest? quomodo enim credent ei, quem non audierunt? & quomodo audient sine praedicante? (Rom. 10. 14.) Quare cum dicimus simplicem fidem Christiano necessariam, non persuademus testimoniis veteris testamenti non esse credendum, sed monemus simplici fide prius nutriri oportere mentem Christianam, ut ea capax reddatur ad intelligendum superna. Sic enim ait propheta: NISI credideritis, non intelligetis. (Esai. 7. juxta vers. LXX.) Haec est simplex illa fides, qua credimus ante, quam cognoscamus supereminentem scientiam charitatis Christi, (Ephes. 3. 19.) in quo sunt omnes thesauri sapientiae, & scientiae Dei absconditi, (Colos. 2. 3.) qui nulli aperiuntur, si sibi per maternam carnem trajectum cibum, id est per apostolica, & prophetica ubera lactis alimenta contempserit, & tanquam infantilem victum, quasi praegrandi aetate fastidiens, prius in venena Haereticorum, quam in sapientiam, cui se idoneum arbitratur, irruerit.

2. QUOD autem contendunt Hebraeorum prophetas nec ante, nec post fidem prodesse, (Augu. lib. 13. contra Faust. cap. 14.) quaerentes, quisnam Gentili, qui neque Christo, neque prophetis credit de scripturis, prophetarum faciet fidem? facile refellimus, dicentes ipsam sibi prophetarum scripturam conciliare fidem, suamque ipsius apud omnes gentes auctoritatem commendare; dum omnia ea, quae per temporum successiones evenerunt, tanto ante quam fierent fienda praenunciavit: atque ea praesertim, quae novissimis istis diebus completa fuisse Gentiles ipsi & sciunt, & fatentur: veluti de Christianae religionis propagatione, quam ipsi vident, & de persecutionibus contra eam a regibus excitatis, quarum frequens memoria in historiis Gentilium extat, & imperatorum leges eorum literis mandatae testantur. Item de imperatorum fide, & saluberrima servitute sub Christo, & de Christi nomine longe lateque in omnes gentes diffuso, de idolorum abolitione, & Judaeorum caecitate, & captivitate: quae omnia si ex prophetarum scripturis ante quam ista facta fuissent, Gentili ingererem, ut ea crederet, quae nondum facta videret, merito fortasse diceret: Quid mihi cum istis scripturis, quas unde veraces probem, non mihi ostenditur? Cum vero jam magna, & tam multa, quae dixerunt, jam ad effectuum manifestationem perducta sint, plane ille, si perversus esse nollet, nec ista ullo modo contemneret, quae tanto ante tempore ac tanto apparatu praevidendo, ac praenunciando commendari meruerunt: nullis enim prudentius credimus, vel de praeteritis, quae olim facta sunt, vel de futuris, quae nondum facta sunt, quam eis, qui nobis fidem verborum suorum in tam multis ac magnis, quae ab eis praedicta, jam facta sunt, probaverunt. Sunt igitur prophaeticae scripturae ante fidem in Christum Gentilibus utiles. Sed (Augu. lib. 13. contra Faust. cap. 18.) nec post fidem propterea supervacuae sunt, quia jam credimus: alioquin oporteret illos, qui credunt, libros omnes abjicere, per quos factum est ut crederent; nam si hoc verum sit, cur vel ipsum Evangelium a Christi fidelibus legatur non video: ante fidem quippe inutile est: quia gentilis ille, quem Manichaei inducunt, non credit in Christum: post fidem vero, supervacuum, si etiam veris de Christo praeconiis jam supervacuo creditur, cum in eum creditum fuerit. Hic

forte dicent: Sed Evangelium debet legere jam fidelis, ne obliviscatur quare crediderit. Sic ergo o insani etiam prophetarum vera testimonia legere debet, ne obliviscatur quare crediderit. Quod si oblitus fuerit, firmum apud eum non poterit esse, quod credidit.

Ex Aug. li. 12. contra Faust. c. 45. 3. JAM vero cum quaerunt, cur post Patris & Filii testimonium, externa Judaeorum testimonia sequimur? respondemus, non hoc a nobis fieri, quia Christi testimonio sine alio teste non credamus, vel quod aliorum testimonia Christi testimonio praeferamus, sed quia nos ad hoc duplex causa impellit. PRIMA quidem ut sciamus, quare his credidimus, qui nobis ea, quae nunc credimus, tradiderunt, & hoc scientes stabilius in fide eorum, quae nobis tradiderunt, firmemur. Cum enim nos nec vocem illam patris de coelo allatam audierimus, nec opera Christi viderimus, testimonio eorum, qui ea viderant, & audierant, indigebamus: ut ex eorum praedicatione talia Christum fecisse audiremus, & audientes, in Christum nobis antea incognitum crederemus: atque hac de causa apostolorum praedicatio in omnes facta est, quae ne ab hominibus contemneretur, & fabulosa putaretur, necessaria fuerunt apostolis prophetarum vaticinia, ac testimonia, quibus demonstrarent ea, quae ipsi praedicabant, longe antea a prophetis fuisse praedicta. Nam etsi apostolorum praedicationi miracula ab iis edita attestarentur, non defuissent tamen quidam (sicut etiam nunc adhuc quidam mussitant) qui magicae potentiae cuncta illa tribuerent, nisi talis eorum cogitatio contestatione prophetica vinceretur: magicis enim artibus longe ante, quam nascerentur, prophetas sibi constituisse, a quibus eorum praedicatio praenunciaretur, nemo utique diceret. Haec igitur una causa est. ALTERA vero est, ut
Augu. lib. 13. contra Faust. cap. 10. & 14. veterum testimoniorum auctoritate omnes infideles tam Hebraeos, quam Gentiles, aut non resistentes ad amplectendam Christi fidem suaviter inviremus, vel renitentes eos, & contradicentes, fortiter propulsemus: Hebraeos quidem, dum illis ea, quae credimus non a nobis tanquam post rerum eventum commonitis fuisse conscripta ostendimus, sed per eorum codices probamus a prophetis eorum apertissime probata fuisse: Gentiles vero, dum ex nostrorum hostium libris tanta ab eis diligentia servatis, ut a nobis vitiari non potuerint, tanto jam antea tempore praenunciata ostendimus, quae Gentiles ipsi jam completa vident, de vocatione scilicet gentium ad Christum, de eversione idolorum, de ecclesiae persecutionibus, quas Gentilium historiae describunt, & de excellentia ecclesiae nostrae, caeterisque hujusmodi, quae ipsi prae oculis habent, & etiam, si velint, negare non possunt.

Joan. 10. 8. 4. ILLUD quoque maligne addunt, dixisse Dominum: OMNES, qui ante
August. lib. 1. contr. advers. leg. c. 4. me venerunt, fures sunt & latrones: non enim ita scriptum est, sed ita: OMNES quot quot venerunt, fures sunt, & latrones. Venisse quippe hoc loco intelligi voluit eos, qui missi non fuissent, quos arguit etiam Jeremias dicens: Haec di-
Jerem. 14. 15. cit Dominus de prophetis, qui prophetant in nomine meo, & ego non mittebam eos. Illi autem, quos insani isti blasphemant, a Domino missi sunt, non
Augu. lib. 16. contra Faust. cap. 12. sponte venerunt. Vel si scriptum sit: OMNES quotquot ante me venerunt, fures sunt, & latrones: prout Graecus nunc habet, πάντες ὅσοι πρὸ ἐμοῦ ἦλθον: ante quippe venisse vult intelligi eos, qui non cum eo venerunt, sed ante eum per superbiam praecedere voluerunt: & cum Christo, id est cum verbo Dei venire noluerunt, sed, cum eos non miserit Deus, mendacia sua hominibus attulerunt: sancti vero prophetae non ante Christum, sed cum Christo venerunt; quia non eum per superbiam praecedere voluerunt, sed eum per ipsos loquentem humiliter portaverunt.

DE LIBRO PSALMORUM. HAERESIS V.

LIBRUM Psalmorum falso Davidis nomine inscriptum, & absque ullo prophetico spiritu conditum, praeter humanas quasdam saecularium poëtarum cantilenas, nihil aliud continere.

ASSERTORES HUJUS HAERESEOS.

Philast. Cat. Haeres. c. 127. PHILASTRIUS in catalogo haereseon attribuit hanc haeresim Nicolaitis,

Gnosticis,

Gnosticis, & Manichaeis, qui etiam dixerunt Davidem non fuisse Christi prophetam, & divinarum scripturarum scriptorem, sed humanae ac saecularis cantationis compositorem. In epistola vero concilii Antiocheni, quae habetur libro septimo historiae ecclesiasticae, idem error Paulo Samosateno ascribitur his verbis: Paulus Samosatenus psalmos, qui in Dominum nostrum Jesum Christum dicebantur, cessare fecit, velut neotericos, & nuper inventos: a semetipso vero compositos, diebus Paschae, in medio ecclesiae canere mulieres jussit; maxime, quas ipse prius ad canendum instituerat, ita ut horresceret siquis audiret. Theodorus quoque Mopsuestires (ut in actis Quintae Synodi annotatur) nihil esse de Christo in psalmis scriptum affirmavit. Postremo Anabaptistae nostrorum temporum hanc haeresim iterum suscitarunt, asseverantes psalmos neque a Davide, neque ab aliquo sancto viro divinitus conditos, sed a recentioribus quibusdam Judaeorum magistris post Christi adventum compositos: & diris multis, & imprecationibus in Christum, & Christianorum gentem repletos, ut haberent Hebraei ad captivitatis solatium cantilenas nonnullas, quibus publice in synagogis suis convenientes, orando, & canendo, eorum hostibus calamitates, & exitium imprecarentur.

[Euseb. lib. 7. Histor. Eccl. c. 25.]
[Thom. Aqu. in Praef. Ps.]

IMPUGNATIO.

DUO ab haereticis dicuntur, quorum primum est: librum Psalmorum falso Davidis prophetae nomine praenotari. Cujus levissimae sententiae vanitatem gravissima divinae scripturae testimonia conterunt. Legimus enim in primis Davidem admirabilem psaltem fuisse, & ob hanc causam a rege Saulo accitum, ut aegrum ejus animum modulatis ad cytharam carminibus deleniret; & cum arca adveheretur in Hierusalem, legimus eum in organis cecinisse hymnos ante Dominum. Unde in libris Regum de eo scriptum est: DIXIT vir, cui constitutum est de Christo Dei Jacob, egregius psaltes Israël. Quod autem Psalmos ediderit, ac dederit cantandos in templo Domini, primus liber Annalium testatur, commemorans Davidem posuisse in templo quatuor millia psaltes, canentes Domino in organis, elegisseque ex eis potissimum filios Asaph, & Heman, & Idithum, qui juxta eum in templo canerent cantica in cytharis, psalteriis, & cymbalis. Inveniuntur etiam passim in multis sanctae scripturae libris Psalmi quamplures ex hoc libro Psalmorum particulariter sub nomine Davidis citati: ita ut negari non possit librum ejus esse, cujus nomine inscribitur. In secundo Regum volumine, recitatur integer Psalmus ex ore Davidis, qui in libro Psalmorum decimus septimus numeratur. Et in primo Annalium refertur similiter totus Psalmus centesimus quartus, quem David, cum arca reduceretur, dedit cantandum Asaph principi cantorum. Et in primo libro Esdrae scribitur post templi instaurationem Levitas filios Asaph in cymbalis laudasse Deum, per manus David regis, hoc est, per Psalmos a Davide conditos, & ex his nominatim cecinisse illos, quibus est initium; CONFITEMINI Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia ejus: hoc est, centesimum quintum, 106. & 117. & 135. omnes ab hoc uno carmine incipientes. Et in novo testamento Christus ex hoc libro sub nomine Davidis Psalmum 109. contra Pharisaeos produxit dicens: QUOMODO ergo David in spiritu vocat eum Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis. Quae verba ne quis suspicetur a Salvatore nostro de alio potius Davidis libro citari, quam de isto, Lucas in Actibus addidit: IPSE David dicit in libro Psalmorum: Dixit Dominus Domino meo, &c. & Petrus in Actibus Psalm. 15. hujus libri Davidi ascripsit, inquiens: DAVID dicit in libro Psalmorum: Providebam Dominum in conspectu meo semper. Cujus etiam Davidis Apostoli Psalmum secundum esse testati sunt, dicentes: DOMINE, qui Spiritu Sancto per os patris nostri David pueri tui dixisti: Quare fremuerunt gentes? quem Psalmum Paulus nominatim secundum appellavit, inquiens: SICUT scriptum est in Psalmo secundo: FILIUS meus es tu; ego hodie genui te: & alibi idem Apostolus Psalmum 31. & similiter Psalmum 68. Davidis esse testatus est. Manifestum est etiam ex nonnullis inscriptionibus, quibus Psalmi quidam hujus libri praenotantur, Davidem praeter jam dictos Psalmos, etiam multos alios ore proprio decantasse, videlicet

[1. Reg 16. 18.] [2. Reg. 6. 5.] [2. Reg. 23. 1.] [1. Paral. 16.] [1 Paral. 15. 16.] [1 Para. 16. c. 7.] [1. Paral. 23. 5.] [1. Paral. 25. 6] [2. Reg. 22. & sequent.] [1. Paral. 8.] [1. Esdr. 10 11.] [Matth. 22. 33. 34.] [Luc 20. 41. 42.] [Psalm. CIX.] [Actor. 2. 34.] [Actor. 2. 25.] [Psal. 15. 8.] [Actor. 4. 25.] [Actor. 13. 33.] [Psalm 2. 7.] [Rom. 4. 6.] [Rom. 11. 9.]

delicet eos, quorum argumenta & historiae in libris Regum leguntur: ut
sunt Psalmus tertius, cui praeponitur titulus: PSALMUS David cum fugeret a fa-
2. Reg. 15. cie Absalon filii sui: cujus historia scribitur in secundo Regum: & Psalmus 27. ar-
2. Reg. 23. gumenti consimilis, adtitulatus: PSALMUS David, quando fugiens a facie Ab-
salonis ascendebat Clivum olivarum nudis pedibus, & operto capite: & Psalm. 33.
1. Reg. 21. habens pro titulo: PSALMUS David cum immurasset vultum suum coram Abi-
melech, & ejecit eum, & dimissus abiit: cujus argumentum habetur in primo vo-
lumine Regum: item Psalmus quinquagesimus, & 51. atque alii complures, quo-
rum occasiones in libris Regum, & Annalium referuntur.

SECUNDUM ab haereticis assertum est, universum hunc librum sine ullo
prophetico spiritu conditum, nihil in se divinum continere. Cujus stoliditatem
caeteri divinae scripturae libri redarguunt, praesertim vero libri Regum, in qui-
bus ipsemet David aperta voce praedicat se Spiritu Sancto afflatum, ut venturum
2. Reg. 23. 1. 2. Christum praecineret, inquiens: DIXIT vir, cui constitutum est de Christo, egre-
gius psaltes Israël: Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam
meam: dixit Israël mihi locutus fortis Israël, dominator hominum, justus, do-
minator in timore Dei. Quod Salvator noster confirmavit cum ad Judaeos dice-
Matth. 22. 43. ret: QUOMODO ergo David vocat eum in spiritu Dominum, dicens: Dixit Do-
minus, &c. Et post resurrectionem suam cum sensa scripturarum discipulis suis
Luc. 24. 47. aperiret, testatus est Spiritum Sanctum in libro Psalmorum de vita, passione,
morte, & resurrectione sua, & praedicatione Evangelii fuisse locutum. Et Aposto-
li Davidem hujus libri auctorem Prophetam appellant, & ejus vaticinia tanquam
Actor. 2. 30. Prophetae veridici ubique producunt. PROPHETA, inquit Petrus, cum esset, &
Act. 4. 25. sciret, quia jurejurando jurasset ei Deus, &c. Et Apostoli in Actibus: DOMINE,
Act. 13. 34. qui Spiritu Sancto per os pueri tui David locutus es. Et Paulus: DABO vobis san-
cta David fidelia: hoc est, dabo vobis ut agnoscatis sancta Davidis vaticinia fuis-
se fidelia. Caeterum, etsi dubium fuerit apud patres catholicos, ut Augustinus li-
Capite 14. bro decimo septimo de Civitate Dei scribit, num omnes Psalmi hujus libri a Da-
vide sint editi, vel an plerique ex his compositi sint ab aliquibus sanctis viris, quos
David ordinaverat psaltes in templo Dei, videlicet ab Asaph, Heman, Idithum,
Chore, & filiis eorum, quia multi Psalmi eorum nominibus praenotantur, crede-
te tamen oportet etiam illos, cujuscunque fuerint, a Spiritu Sancto fuisse dicta-
1. Paral. 25. tos. Scriptum est enim in primo libro Annalium, omnes cantores illos, videlicet
Asaph, Heman, Idithum, Chore, Mosen, ac filios eorum fuisse Prophetas ac
doctores sanctos in templo Dei: unde ipsorum Psalmos Christus, & Apostoli tan-
quam spiritu prophetico editos approbarunt, & de ipsorum auctoritate praedica-
tionem suam firmarunt. De Psalmis ipsi Asaph inscriptis, invenimus Salvatorem
Joan. 10. 34. nostrum citasse illud Psalmi octogesimiprimi; EGO dixi, dii estis: & Matthaeum
similiter ipsum Asaph appellasse prophetam, cum producto Psalmi ejus versiculo
Matth. 13. 34. dixit: HAEC omnia locutus est Jesus in parabolis, ut adimpleretur quod dictum
Psal. 81. 6. est per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum. De Psalmis Mosi
Hebr. 3. 7. inscriptis, Paulus testimonium sumpsit dicens: SICUT dicit Spiritus Sanctus: Ho-
Psalm. 94. 8. die si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra: & de Psalmis Chore
Hebr. 1. 8. adtitulatis idem Apostolus testimonium illud accepit: THRONUS tuus Deus in
Psalm. 44. 1. saeculum seculi. Ex quibus omnibus evidenter apparet, Psalmos omnes a Spiritu
Sancto conditos, & per os Davidis & cantorum ejus cantatos. Inscribitur autem
praesens Psalmorum Liber nomine Davidis prophetae, vel quia prima, & nobi-
lior libri pars a Davide per semetipsum composita sit, vel quod Davide suggeren-
te materiam psalmorum cantoribus suis, major libri pars ab eis conscripta, &
cantata fuerit.

OBJECTIONES HAERETICORUM.

1. QUI librum psalmorum Davidis esse affirmant, nulla (inquiunt Anabapti-
stae) certa conjectura ducuntur. Nam neque libri inscriptio id ostendit, in qua
nomen David non ponitur, neque in tota sancta scriptura fit unquam mentio de
auctore hujus voluminis: neque legitur unquam Psalmum ullum a Davide fuisse
2. Reg. 22. 1. compositum praeter unicum tantum, cum Deus liberasset eum de manu Saulis, cu-
jus

jus initium est: DOMINUS PETRA MEA: qui in secundo libro Regum scriptus est: & de hoc unico Psalmo, an vere ejus sit, vix constat: eo quod aliter de ipso sentiat Liber psalmorum, & aliter Regum secundus, in quo scribitur hunc Psalmum fuisse novissimum omnium verborum, quae dixit David: in libro vero Psalmorum scribitur postremum omnium psalmorum Davidis fuisse eum, qui ponitur in numero septuagesimus secundus, in cujus calce scriptum est; FINITAE sunt orationes David filii Isai. Psalm. 17. 1. 2. Reg. 23. 1. Psal. 71. 20.

2. SUNT deinde in hoc libro Psalmi quamplurimi, quos nec a Davide, nec Davidis tempore fuisse compositos compertum est, tum ex inscriptionibus eorum continentibus nomina virorum, qui multo post Davidis tempora fuerunt, tum ex his, quae in eis referuntur, multis post Davidem annis facta: sicut excidium Hierosolymitanum, de quo Psalmus septuagesimus tertius tanquam de re jam praeterita loquitur: & luctus captivorum ad flumina Babylonis, qui Psalmo 136. commemoratur: & reditus de captivitate Babylonis in Hierusalem, de quo Psal. 125. ut jam completo loquitur. Quod etiam apertius indicant septem & quadraginta Psalmi, videlicet a centesimo undecimo usque ad finem libri Psalmorum, qui REVERSIONES Aggaei, & Zachariae inscribuntur, eo quod per hos duos Prophetas fuerint cantati pro reversione filiorum Israël de Babylone in Hierusalem.

3. HUC accedit, quod omnes fere ram Judaei, quam Christiani auctores affirmant, majorem partem hujus voluminis non esse Davidis. R. David Kimki putat eos tantum Psalmos esse Davidis, quibus praeponitur titulus לדוד lo David, hoc est, IPSI DAVIDI, alios vero esse eorum, quorum nomine intitulantur; quos Aben Ezra in dubium revocans, dicit incertum esse, an omnis Psalmus, cui praefigitur nomen לדוד lo David, hoc est ipsius Davidis sit, vel potius cantoris alicujus, qui eum de Davide condiderit. Hieronymus quoque in epistola ad Cyprianum, ERRANT, inquit, qui arbitrantur omnes Psalmos Davidis esse, & non eorum, quorum nominibus inscribuntur, ut David, Asaph, Iditum, filiorum Core, Heman, Ezraite, Mosi, & Salomonis, & reliquorum, quos Esdras primo volumine comprehendit. Augustinus vero in praefatione secunda Psalmorum censet Davidem novem tantum Psalmos cecinisse, alios vero quibus nomen ejus praeponitur, a cantoribus ejus fuisse cantatos. Joannes Chrysostomus in secunda Psalmorum praefatione asserit inscriptiones, quae nunc Psalmis praefiguntur, pro majori parte esse falsas. Quae opinionum consensio fidem facit hunc librum non esse Davidis.

4. QUOD autem nihil propheticum sit in hoc libro, ipsi Hebraei testantur, qui eum a propheticis scriptis excludunt; & vos etiam idipsum confirmatis, dum libri auctorem facitis Davidem, qui Propheta non fuit, sed rex ad regni gubernationem assumptus. Prophetae enim in Scripturis dicuntur, qui ad prophetandi munus divinitus vocati, vel ad regem, vel ad populum aliquem mittuntur cum publica officii dignitate, ut eis futura annuncient, ut Moses ad Pharaonem, & Esaias, Jeremias, & alii Prophetae ad populum Israël: Davidem vero ad hanc prophetandi dignitatem nusquam legimus fuisse vocatum. Sed & ipsi hujus libri Psalmi clarissime ostendunt nihil inveniri in hoc libro, quod ad prophetiam pertineat: nam testimonia illa, quae de Psalmis tanquam praesagia de Christo proferri solent, nulli minus conveniunt quam Christo. Quomodo enim attinent ad Christi crucifixionem verba illa; FODERUNT manus meas, &, DIVISERUNT vestimenta mea, quae nullo modo ad Christum aptari possunt? nam praeterquam quod Hebraei aliter legunt ea verba, dicentes; SICUT leo manus meas, & pedes meos observaverunt: etiam evidens est Christum adactis per manus, ac pedes clavis non fuisse crucifixum: quia mos non fuit in Israël, ut rei, qui in ligno suspendebantur, manibus, & pedibus clavo transfixis cruci affigerentur: ita praecipiente lege, ut suspensi, & non transfixi in cruce penderent. Item quod de Psalmo decimooctavo sumitur: IN omnem terram exivit sonus eorum; quomodo ad Apostolorum praedicationem torqueri potest, cum de ipsis coelis secundum quandam poëticam prosopopoejam expresse loquatur? quibus duobus testimoniis, si res attentius inspiciatur, similia inveniuntur etiam alia testimonia, quae majores nostri ad Christi vaticinia retulerunt. Psal. 21. 17. 18. Psalm. 18. 5.

5. SEN-

5. SENTENTIAE praeterea, & verba hujus libri adeo abhorrent a cujusque pii hominis animo, ut appareat auctorem ejus non fuisse divinum, sed barbarum quendam, inhumanum, caedis, ultionis, ac sanguinis avidum, qui ubique adver-[Psalm. 34. 1. & sequ.] sus hostes suos diras, imprecationes, & execrationes immittat: JUDICA, inquit, Domine nocentes me, expugna impugnantes me, effunde frameam: & conclude adversus eos, qui me persequuntur. Fiant tanquam pulvis ante faciem venti, qui persequuntur me, & angelus Domini coarctans eos. Fiant viae illorum tenebrae, [Psal 54. 16.] & lubricum, & angelus Domini persequens eos: &, VENIAT mors super illos, & [Psal 82. 10. & sequent.] descendant in infernum viventes: & rursum, FAC illis sicut Madian, & Sysarae, & sicut Jabin, in torrente Cyson: dispereant & fiant sicut stercus terrae. Pone principes eorum sicut Oreb, & Zeb, & Zebee, & Salmana. Deus meus pone eos ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti, sicut ignis, qui comburit sylvam, & sicut flamma comburens montes, persequaris eos in tempestate tua, & in ira turbes eos. Quibus indignationibus & maledictionibus ita omnes pene Psalmi pleni sunt, ut similitudinem gerant earum imprecationum, quibus Callimachus Apollonium Rhodium, & Ovidius Ibin suum devovere.

DILUUNTUR OBJECTA.

1. ADEO inepta sunt objecta Anabaptistarum, ut supervacua quodammodo videatur responsio. Nam si liber ob hoc Davidis esse negatur, quia ejus non praeferat inscriptionem, ergo neque Moses auctor erit quinque librorum legis, quia [Joan 5. 45.] Mosis nomine adrulati non sunt: cujus rei oppositum docet Christus dicens: MOSES de me scripsit; & id omnes tam Hebraei quam Christiani auctores confirmant. Et ne mirentur imperitissimi homines, quod nomen Davidis libro huic non praeponatur, sciant apud Hebraeos divina volumina variis modis inscribi, vel ex nomine auctoris, ut liber Josue; vel a prima libri dictione, ut liber Genesis, qui a prima ejus dictione intitulatur בראשת ברת Berescith barah; vel a materia in libro contenta, ut liber Regum, & praesens Psalmorum volumen, quod ab hymnis, & odis in ipso contentis, praetermisso auctoris nomine, ספר תהלים Sepher theillim, hoc est, liber Psalmorum, seu hymnorum, sive orationum appellatur: quem tamen librum Salvator noster Davidis esse testatus est, quando ad scribas [Lu. 20. 42. 43.] inquit: IPSE David dicit in libro Psalmorum: dixit Dominus Domino meo. Et [Augu lib 17. de Civit Dei c 14.] nos jam ostendimus omnium Psalmorum, qui in eo sunt, auctorem fuisse Davidem, qui praeter Psalmos illos, quos ore proprio cecinit, cuncta argumenta alio-[Chrysosto 2. Praef. in Psal.] rum Psalmorum, ut Augustinus, & Chrysostomus inquiunt, cantoribus illis suppeditavit, qui eos cecinerunt, eosque de suis nominibus inscripserunt, & accepta ipsorum argumenta carminibus explicaverunt. Confutantur autem, qui dicunt Davidem unum tantum Psalmum edidisse per eademmet verba, quae contra nos afferunt. Si enim Psalmus is, qui in secundo Regum volumine legitur, fuit novissimus Psalmorum, ergo oportuit ante eum plures alios Psalmos a Davide fuisse conditos: neque enim ultimus diceretur, nisi eum alii praecessissent. Quod autem post finem septuagesimi primi Psalmi scriptum est: FINITAE sunt orationes David, non ita intelligendum est, ut credamus ibi Psalmos Davidis esse finitos, & illum esse postremum omnium Psalmorum, sed ut sciamus finitas esse eo loco orationes illas, quibus Deum deprecatus est pro salute ac regno filii sui Salomonis. Similiter de Psalmo libri Regum, sentiendum est eum non fuisse novissimum omnium Psalmorum Davidis, sed eorum solummodo, quos is durante hostium suorum persecutione composuit.

2. SECUNDAE Anabaptistarum objectioni de Psalmis, qui post Davidis tem-[Augu. lib. 17. de Civit. Dei c. 14.] pora conditi videntur, Augustinus libro decimoseptimo de civitate Dei respondet his verbis: MIHI, inquit, credibilius videtur existimare, qui omnes istos Psalmos operi Davidis tribuunt, eumque aliquos praenotasse etiam nominibus aliorum, aliquid, quod ad rem pertineat, praefigurantibus. Neque movere debet ad hoc non credendum, quod nonnulla prophetarum nomina, qui post tempora regis David fuerunt, quibusdam Psalmos in eo libro leguntur inscripta, & quae ibi dicuntur velut ab eis dici videntur: potuit enim Spiritus prophetanti David haec etiam futurorum prophetarum nomina revelare; sicut rex Josias regnaturus

post

post annos amplius quam trecentos cuidam prophetae eum suo nomine revelatus est. (3. Reg. 13. a.) Haec Augustinus. Sed inquiunt Anabaptistae ea, quae in Psalmis continentur, non tanquam futura praenunciari, sed tanquam praeterita narrari: quibus D. Hieronymus occurrit, inquiens esse hoc in more positum apud prophetas, ut (Hieronym. in Psalm. 2.) de futuris tanquam jam praeteritis ob prophetiae certitudinem pronuncient.

3. AD tertiam objectionem respondemus, tria in Psalmis considerari, inventionem, dispositionem, & pronunciationem. Si inventionem inspicimus, certum est Davidem materiam, & subjectum omnium Psalmorum adinvenisse, inventamque cantoribus suis praebuisse, quemadmodum libri Regum, & Paralipomenon testantur, & Aben Ezra in praefatione Psalmorum, & Augustinus decimoseptimo de civitate Dei, & Hieronymus, & Chrysostomus in praefatione psalmorum confirmant. Si de dispositione psalmorum sermo est, recte sentiunt praedicti auctores, non omnes psalmos a Davide per carmina & modulos fuisse dispositos, sed ab Asaph, Chore, Idithum, Mose, & Samuele filio ejus, atque aliis cantoribus ad metra, & cantus accommodatos, & ad diversa musica instrumenta aptatos. Si vero de pronunciatione vivae vocis sermo est, optime dixit Augustinus in secunda praefatione psalmorum, Davidem solummodo novem psalmos ore proprio cecinisse. De titulis vero psalmorum, quos Chrysostomus dixit esse falsatos, non est credendum, quod ipse putaverit veros titulos fuisse abrasos, & in locum eorum alios falsos titulos subrogatos: sed quod magis existimaverit, titulos illos fuisse transpositos, & confuso historiae ordine permutatos, ut verba ejus sequentia indicant cum ait, Esdram post captivitatem Babylonicam hos psalmos hinc inde dispersos in unum volumen, praetermisso historiae ordine, collegisse: quod & ipsa libri psalmorum series prodit: in qua psalmus tertius editus a Davide cum fugeret a facie Abfalon, praecedit psalmum trigesimumtertium, quem David multis ante annis fecerat, cum dissimulata insania e manibus Abimelech aufugit.

4. CUM autem addunt Davidem nec fuisse prophetam, nec psalmos illi inscriptos esse divinos, ipsi multo se Judaeis deteriores ostendunt: qui quanquam non credant psalmos de Salvatore nostro quicquam praenunciasse, credunt tamen Spiritum Sanctum hujus libri fuisse auctorem. Et licet eum non ponant inter prophetas, sed in principio librorum, quos כתובים chethubim, hoc est ἁγιόγραφα, vel sancta scripta nominant, non tamen negant quin multa in eo prophetico spiritu scripta inveniantur, ut psalmum secundum, & psalmum quadragesimumquartum, & centesimumdecimum, quos de Messia suo exponunt. Igitur ad ea vaticinia, quae tanquam a nobis violenter detorta, haeretici una cum auctore libri Nizaon Judaeo calumniantur, respondemus, ea verba psalmi vigesimiprimi, OBSERVAVERUNT ut leo manus meas, ita legi apud Chaldaeum translatorem, qui ut ei visum est, transtulit, sed in exemplari Hebraeo legitur: כארי ידי ורגלי Chaari iadai, veragelai: hoc est, FODERUNT manus meas, & pedes meos: unde translationem Chaldaicam tanquam Hebraicae veritati repugnantem abjicimus. Nec quicquam nos movet quod lex non jusserit manus, & pedes damnatorum cruci infigi: quia cum illo tempore Judaeis potestas judicandi esset per Romanos adempta, jam non exacte secundum Mosaicam legem noxii puniebantur, sed ut praeses Romanus, qui provinciae Judaeorum praeerat, sententiam tulisset, sic poenae infligebantur. Unde & Joseph rogavit Pilatum, ut illi donaret corpus Jesu, quod tamen secundum legem ante Solis occasum erat deponendum: crurifragium quoque, & transfixio pectoris ex lege non sunt: atque eadem ratione & clavorum infixio. Vere itaque verba hujus vaticinii in Christo impleta sunt, sicut etiam verba illa psalmi decimi octavi in Apostolis secundum mysticum, & allegoricum sensum verissime impleta sunt, & a Paulo in epistola ad Romanos fide- (Rom. 10. 18.) lissime exposita. Apostoli enim verissime coeli sunt, qui per universum orbem terrarum divulgarunt Solem justitiae Christum, & splendore ejus omnem terram illustraverunt. (a)

(a) Non levis, nec brevis apud eruditos extat dissertatio de laudato testimonio Psalmi XXI. v. 17., quare sat erit hic aliqua vel breviter obiterque adnotare, ceteris indigitatis, quae apud inlustres scriptores plenius uberiusque possunt offendi. Certe Rabbini, qui Massorae adlaborarunt, varietatem in

Augu Ser II. de Sanctis, seu potius incertus Auctor, qui nonnullas sententias ex Gregorio M. desumsit, nunc in Appe. 281.

5. DE imprecationibus, quae in psalmis leguntur, dicimus eas non esse malas, quia non ex odio, sed ex ardenti charitatis affectu nascuntur: haec enim est consuetudo justorum, ut vindictam de inimicis suis duobus modis petant, vel ut per vindictae occasionem hi, qui praedestinati sunt ad vitam, convertantur a malo

in laudato Hebraico textu observarunt, Ipso etiam R. Jacob Benchalim testimonium perhibente. Eorum quippe Seculo, X. nimirum, vel XI. nostrae Salutis in Hebraico textu legebatur כרו *Caru*, vel כארו *Caaru* (per *ἐπένθεσιν*, *insertionem*, א, quod est Hebraeis pragmaticum consuetum) idest *foderunt*, vel *transfoderunt*: Verum in aliquibus exemplaribus, ad oram, seu marginem scriptum erat כרי *Cari*, vel כארי *Caari*: *sicut leo*; & fortasse ex amanuensis cujusdam Rabbini ad explicandam nimium saevitiam in manuum pedumque Messiae transfixione, ita ut, omni commiseratione deposita, instar leonis dentibus pungentis, transverberantis, mordentis, ac discerpentis, pedes manusque Messiae erant transfixuri, qui illum in Crucem forent acturi: quod marginale כרי *Cari* vel כארי *Caari* sive ex oscitantia, sive ex errore, sive etiam per fraudem irrepsit in textum, & facile nimium fuit *Caru* commutare in *Cari*, ex sola detruncatione lineolae ו *Vau*, qua detruncata י *Jod* statim consurgit, ut notum est iis etiam, qui vel Hebraicum Alphabetum aliquando viderunt. Ex quo factum est, quod recentiores Hebraei ut fucum facerent veritati כרי *Cari sicut Leo* legendum contenderunt, ut propheticum Davidis vaticinium de Messia in Jesu a Nazareth impleto ventilarent, esto incassum, ut ex innumeris momentis monumentisque eisdem objectis luce meridiana clarius innotescit. Ut autem rem praesentem firmemus, ut ad nostrum institutum pertinet, כרו *Caru*, vel כארו *Caaru*; secus vero כרי *Cari*, vel כארי *Caari* legendum esse impraesentiarum adhuc, & juxta nostram Vulgatam *foederunt &c.* secus vero *Sicut Leo*, ex iis ostenditur. I. quia in vetustis sincerisque Exemplaribus ita scriptum erat, ut testatur etiam Johannes Isaac Ex-Judaeus *Lib. 2. advers. Lindanum*, & plura ex eisdem exemplaribus percensent Gerardus Velruick apud Genebrardum *in Psalm. XXI.* & P. Martianaeus contra Richardum Simonium *pag. 159.* eaque certe lustravit N. Raymus Martin, qui XIII. Seculo floruit (de quo supra *in Auctario*) eumque textum Judaeis objecit *P. III. pug. fidei*, retulitque etiam ejus plagiarius Petrus Galatinus. II. Quia Primores Ecclesiae Patres Hebraice docti non כרי *Cari*, sed כרו legerunt, & expenderunt *foderunt* &c. quinimo Judaeis non semel objecerunt, quod certe peragere nequibant, si vel dubium ea de re tunc temporis fuisset exortum. Ita quidem scribunt Justinus *Dialog. cum Triphon.* Irenaeus *lib. 3. cap. 24.* & *lib. 4. cap. 25.* Origenes *contra Celsum*, & *Homil. 24. in Jeremiam*, Epiphanius *de ponderib. & mensur. c. 15. & 26.* Sed & Hieronymus, qui *Epist. 134. ad Sophronium* aperte testatur se Latine vertisse Psalmos ex Hebraico textu, & juxta Hebraeorum intelligentiam ac sensum, in laudati versiculi XVII. ex Psalmo XXI. versione expressiorem, ac in nostra vulgata legitur, adjecit significationem, ex כרו reddens *fixerunt manus meas, & pedes meos*. III. Quia clariores vetustioresque Bibliorum versiones ex sinceris antiquioribus Hebraeorum Codicibus factae eundem retinuerunt sensum, quod praesertim observare est in septuagintavirali, in qua sic redditur versiculus ille *ὤρυξαν χεῖράς μου καὶ πόδας*, cui adstipulantur Arabs, & Aethiopicus interpres; quinimo etsi Aquila Ponticus christiani nominis hostis ut Judaeis faveret omnem moverit lapidem, in versione hujusce versiculi certe nec per somnium vertit *sicut Leo*, sed *ᾔσχυναν* (*foedarunt*, vel *pudefecerunt*, vel *deturpaverunt*) ex quo tamen aiclam suis met crucibus adlisit. Latini quoque veteres PP. qui Latina usi sunt vetusta editione, idem quoque firmarunt, idemque testimonium Judaeis objecerunt. Tertullianus namque *lib. contra Judaeos c. 10.* ita scripsit: „ Foderunt manus meas, & pedes meos, quae „ propria est atrocitas crucis. „ Cyprianus *Lib. II. Testim. advers. Judaeos c. 20.* „ Effoderunt manus „ meas, & pedes meos. „ IV. Neque Chaldaicus Paraphrastes eidem veritati obest, quum ad expositionem כרי adjiciat: „ Momorderunt quasi leo pedes meos & manus meas. „ Ad rem autem penitius rimandam consulendi sunt Eruditi de hac re ex professo agentes, Daniel Huetius *Demonstr. Evang. Propos. IX. c. 174.* Augustinus Calmet *Dissert. & Comment. in Psalm. XXI.* N. Hyacinthus Serry *de Christ. & Deipara Exercit. VII.* Capito *Institut. Hebraic. lib. 1. cap. 17.* Johannes Buxtorfius *Vindic. lib. 2. cap. 8.* Hugo Grotius in Psalm. XXI. & novissime etiam Samuel Basnagius *ad An. Christ. XXXIII. fol. 391.* aliique, cum Romanae, tum exterae communionis viri Hebraice docti.

Dum autem N. Xystus subdit Christum Romanorum more fuisse damnatum ad crucem, non habentibus tunc Judaeis jus gladii, (esto non plene ea potestate fuerint destituti qui Johannem Baptistam decollarunt, lapidaverunt Stephanum, Jacobum fratrem Domini occiderunt gladio, Petrum comprehenderunt, ut post Pascha producerent eum populo &c.) insinuat quidem Crucis supplicium Romanorum, non Hebraeorum legibus fuisse praescriptum; quam in re nec novam quidem, nec omnino alienam a vero sententiam tenet, esto non universim ea probetur ab aliis. Fuisse quidem consuetum Hebraeis sontes jam vita privatos brachiis in Crucem, sive in palum erectum adpendere; secus vero viventes criminosos configere patibulo Rabini docent, quibus etiam Cardinalis Cajetanus adhaesit, nec renuit S. Thomas *III. P. Qu. XLVII. Art. 4. ad 3.* ubi asserit idcirco Judaeos dixisse: *nobis non licet interficere quemquam*, „ quia non licebat eis crucifigere (quod cu- „ piebant) sed lapidare, quod in Stephano fece- „ runt. „ & post Xystum etiam tradunt quamplures viri docti, ne dum Orthodoxi, verum etiam & alieni a Romana communione, iique dubio procul eruditi scriptores, nimirum Johannes Maldonatus, NN. Hyacinthus Serry, & Card. Gotti, aliique. Sebastianus Munsterus, Isaac Casaubonus, Hugo Grotius, Johannes Nicolai Batavus, Johannes Seldenus, Henricus Kippingius, Samuel Basnagius ceterique plures. At e contra alii, iique haud ignobiles Doctores, cum ex Lege Divina Deuteronomii XXI. tum alibi ex Verbo Dei scripto, tum etiam ex Philone, & Josepho, aliisque monumentis adstruunt, ne dum apud Syros, Aegyptios, ac Romanos; verum etiam apud Hebraeos consuetum fuisse, saltem in gravi scelere, nefarios agere in crucem. Et ita docent Alphonsus Tostatus, C. Baronius, Justus Lipsius, Carolus Sigonius, Petrus Lanselius, Cornelius a Lapide, Guillelmus Estius, Cornelius Jansenius Gandavensis, Augustinus Calmet, Jacobus Tirinus, Jacobus Gretserus, Franciscus-Lucas Brugensis, &c. Georgius Moebius, aliique, quos consulere poterit rem penitius scrutari exoptans. Hoc unum tantum addidisse sufficiat, nimirum extremis Judaici regni temporibus, sive ex furore & contra jus, exemplo a Graecis sumto, ex quibus subjugati Hebraei consuetudines didicerunt retinueruntque; sive alia ex caussa, aliove momento Alexandrum Johannis Hircani filium octingentos captivos in media Civitate cruci adfixisse, ut scribit Flavius Joseph *lib. I. de Bello Judaico, cap. 4.* Reliqua vero momenta ac monumenta, quae ab alterutrius partis scriptoribus in medium proferuntur, apud eosdem consulantur.

so ad bonum, vel ut hi, qui praesciente Deo damnandi sunt, moriantur, & peccare desistant, ut per haec minorem poenam in inferno habeant, ubi unusquisque secundum qualitatem operum sustinebit magnitudinem poenarum. Quibus duobus modis etiam tertius additur: quo scilicet sancti mala imprecantur, non optantis voto, sed praevidentis intuitu praenunciantes hominibus futura mala; ut postquam praenunciata evenerint, sciant se homines non casu aut fortuna pati, sed certa Dei deliberatione, & consilio pati.

DE LIBRO DANIELIS. HAERESIS VI.

EX libro Danielis, qui sub nomine ejus falso conscriptus est, multas fabulosas narrationes abscindere.

ASSERTORES HUJUS HAERESEOS.

HANC haeresim de Manichaeorum fontibus haustam licet omnes Anabaptistae unanimiter tueantur, aliquantulum tamen circa eam inter se dissident. Alii enim totum prorsus Danielis volumen tanquam supposititium falsumque rejiciunt, alii vero ea tantum recipiunt, quae Hebraei Danielis esse credunt, & sola inter Agiographa computarunt, abjectis caeteris, quae in Hebraïcis codicibus non habentur: ceu sunt hymnus trium puerorum, Susannae historia, Belis narratio, ac Danielis in lacum dejecti, & rapti Abacuch historia. Dan. 3. Dan. 13. Dan. 14.

IMPUGNATIO.

EA omnia, quae in libro Danielis ab Ecclesia leguntur, verissima ostendunt infallibiles, certissimique eventus earum rerum, quae in ipso multis antea saeculis quam evenirent praedicta inveniuntur. Reliquit enim Daniel, ut inquit Josephus, ex his, quae scripsit, unde ejus prophetiae integritas, & nulla mutatio, variatioque in his, quae praedixit, agnosci possit: non enim solum futura praedixit, quod omnibus prophetis commune est, sed etiam quo tempore, & quibus sub regibus, numeratis per ordinem annis, quibus ea evenire debuerant, certissime praevidit: cujus prophetiae tanta fides fuit, ut incredulis hominibus non videatur futura dixisse, sed narrasse praeterita. Nihil enim enim ferme de quatuor Monarchiis Babylonum, Persarum, Graecorum, ac Romanorum in historiis gentium continetur, quod non in libro Danielis ante saecula plura praenunciatum legatur. Siquidem illa, quae de tribus prioribus Monarchiis usque ad Antiochi illustris tempora idem Propheta praedixit, etiam Gentiles, qui contra ejus prophetias scripserunt, universa verissime completa fassi sunt. Porphyrius enim, qui duodecimum ex quindecim libris suis contra Danielem scripsit, cum omnia fidelissime, quemadmodum praenunciata fuerant, impleta videret, attestantibus eventui Gentilium historiis, superatus historiae veritate, negare non potuit Danielem saltem usque ad Antiochi tempora verissime pronunciasse. Quod autem de his, quae post Antiochum evenerunt absque ullo errore prophetaverit, eaedem gentium historiae lucidissime ostendunt. Unde recte Hieronymus in Praefatione Commentariorum Danielis dixit, ad intelligendum hunc librum multiplici Graecorum & Latinorum historia opus esse, videlicet, Suctorii, Callinici, Diodori, Hieronymi, Polybii, Posidonii, Claudii, Theonis, & Andronici, Josephi quoque, & eorum, quos ponit Josephus; praecipue vero nostri Livii, & Pompei Trogi, atque Justini, qui omnem extremae visionis narrant historiam, & post Alexandrum usque ad Caesarem Augustum, Syriae, & Aegypti, id est, Seleuci, & Antiochi, & Ptolemaeorum bella describunt. Quae omnia non solum contra haereticos, sed contra infideles satis hujus libri veritatem tuentur. His accedit consensus sacrorum voluminum, tam veteris, quam novi testamenti Danielis prophetiae attestantium. In primo Maccabaeorum volumine Mathatias morti proximus, filios suos hortatur ad legis observantiam & aerumnarum tolerantiam, acceptis ex hoc libro exemplis trium puerorum, qui de camino ignis ardentis liberati sunt, & Danielis, qui de ore leonum salvatus est. Et Christus apud Matthaeum ex hoc libro excidium urbis, & templi Hierosolymae abominationem a Daniele propheta

Li. 10. Antiq. Capite 13.

Hiero. Praef. in Com. Dan.

Berof. lib. 3. Chald. Histo. Metast lib 4. Indicorum... Dyocles li 2. Colonorum. Philostratus in Indicia, & Phoenicijs historiis.

1 Macc. 2. 59. 60.

Matth. 24. 15. Dan. 9. 27.

Hebr. 11. 33. propheta praedictam denunciat. Et Paulus ad Hebraeos meminit historiae trium puerorum, & Danielis in lacu leonum, cum ait: EXTINXERUNT impetum ignis, obturaverunt ora leonum. Quibus testimoniis additur, quod in omnibus divinorum librorum Catalogis, per omnes ecclesiarum successiones, semper inter prophetas Danielis volumen annumeratum fuit, & una cum hymno trium puerorum, & historia Susannae, Belis, & Abacuch, in auctoritate receptum. Hymnum siquidem trium puerorum usque ab initio nascentis ecclesiae, semper in omni solemnitate, in sacris fidelium conventibus fuisse cantatum, testantur, Rufinus libro 2. adversus Hieronymum, & Augustinus sermone de Sanctis 47. [a] Susannae vero historiam Ignatius Martyr in epistola ad Magnesianos laudat, & Rufinus praedicto jam libro affirmat eandem historiam per 400. annos ante ipsum ad exemplar castitatis, & pudicitiae nuptis, & innuptis in ecclesiis lectam. Et Origenes homil. 1. super Leviticum Susannae historiam approbans, inquit: SED tempus est adversus improbos uti Susannae vocibus, quas illi jam repudiantes, historiam de Catalogo divinorum voluminum desecuerunt, Nos autem & suscipimus, & op-
Dan. 13. 22. portune contra ipsos proferimus: ANGUSTIAE MIHI SUNT UNDIQUE. Ecclesia vero quotannis hanc historiam Quadragesimae tempore in sanctis Missae mysteriis legit, ac simili honore historiam Belis, Draconis, & Abacuch discophori eodem tempore legens veneratur.

OBJECTIONES HAERETICORUM.

1. PRINCIPIO satis constat, Danielem cujus gesta, & visiones praesenti volumine referuntur, non esse Danielem illum, qui inter sanctos viros, ac prophetas, in quibusdam sanctae Scripturae locis memoratur, sed alium quempiam, qui sibi nomen ejus falso usurpaverit, cui nullatenus accommodari possunt, quae de Propheta Daniele scripsit Ezechiel: qui cum prophetaret anno sexto Joachim
Ezech. 14. 14. regis Juda, recensuit Danielem prophetam inter viros provectioris aetatis, ac natu jam grandes, & inter viros conjugatos filios, & filias habentes computavit. At Danielem, de quo hic liber loquitur, eodem anno Joachim regis Juda puerum adhuc fuisse, & cum tribus pueris, Annania, Azaria, & Missaële Chaldaeorum lite-
Dan. 1. 6. ris eruditum, primum hujus voluminis capitulum commemorat, & inter regios Eunuchos enumerat. Et Hieronymus libro primo adversus Jovinianum spadonem illum fuisse confirmat, impletumque in eo vaticinium Esaiae, quod protu-
Esai. 39. 7. lit super Ezechiam regem, dicens: DE filiis tuis, qui nascentur ex te, tollent, & facient Eunuchos in domo regis. Alius igitur est Daniel hujus libri auctor ab eo,
Rufin. lib. 2. in Hierony. Hiero. Praef. Com. in Dan. qui inter prophetas nominatur. Quod etiam, Rufino teste, sensisse visus est Hieronymus, dum in Praefatione Danielis Lectores admonuit librum hunc apud Hebraeos inter propheticos libros non haberi.

2. APPARET etiam librum hunc non a propheta Daniele, sed ab incerto auctore post tempora Antiochi conscriptum, qui non futura praedixerit, sed jam praeterita narraverit. Cujus rei argumentum est, quod visiones de leone, urso, & pardo, rebus a Nabuchodonosor usque ad Antiochum illustrem gestis, respondent: sed in his, quae post Antiochum usque ad haec nostra tempora praedixit, quoniam vates non erat, se ipsum, atque alios, qui ei crediderunt, fefellit. Nihil enim
Dan. 7. 23. 24. adhuc impletum est de his, quae de quarta Bestia, hoc est, de quarta Romanorum Monarchia praevidit, describens decem cornua, hoc est, decem reges, uno eodemque tempore in regno Romano sessuros; & statim aliud parvum cornu, hoc est, parvum regem ascensurum, & tres ex illis regibus eversurum.

3. INDICAT praeterea diversi voluminis phrasis non Danielem, sed Graeculum quendam Judaeis amicum, fuisse libri auctorem, qui tametsi tam Chaldaeum, quam Hebraeum sermonem, quo facilius imponeret Lectori, egregie mentitus sit, non tamen potuit tamdiu imposturam celare, quin tandem in calce fere voluminis se proderet Graecum, cum Danielem Graecis allusionibus presbyteris respon-
Dan. 13. 55. & 59. dentem induxit, deductis verbo σχίσαι, hoc est, scindere a dictione σχίνου, id est, lentisco, & verbo πρίσαι, id est, secare, a nomine πρίνου, hoc est, ilice: quae etymologiae,

(a) Sermo S. Augustini XLVII *de Sanctis*, nunc in Appendicem rejectus CCXXV. potius Caesario Arelatensi restituendus est. Vide PP. San-Mauraeos in nova editione Operum S. P. Augustini.

etymologiae, nec Hebraeae, neque Chaldaeae linguae coaptari possunt.

4. SED utcunque de auctore hujus libri credatur, negari certe non potest, magnam hujus voluminis partem fuisse confictam: veluti id quod de adoratione Danielis in eo legitur. Daniel. 2. 46. Nam esto impossibile non fuerit, ut Nabuchonosor talis ac tantus rex Eunuchum servum suum adoraverit, quod vix credi potest, tamen credere nephas est, Danielem virum bonum passum adorari se, ac tanquam Deum sacrificio adhibito, a potentissimo rege suo coli, cum Paulus eundem honorem a Lycaonibus, qui sibi sacrificare volebant, scissis vestibus fuerit exsecratus: Act. 14. 12. 13. & angelus Joannem ad genua ejus procumbentem increpaverit: dicens: NE feceris, quoniam conservus tuus sum. Apoc. 19. 10. Similiter & hymnus trium puerorum suspectus est, nam ultra id, quod verisimile non est, tres pueros tantum otii habuisse, ut in mediis flammis hexametris luderent, & omnia elementa per ordinem ad Dei laudem invocarent, etiam nullibi in Hebraeis exemplaribus invenitur.

5. INSUPER historiam Susannae, quam ab auctore Graeco scriptam indicant praedictae ilicis & lentisci etymologiae, vetustissimi ecclesiae Patres, ut confictam rejiciunt, & Eusebius libro sexto Ecclesiasticae historiae Origenis, & Julii Africani de hac historia sententiam refert his verbis: PER idem tempus erat etiam Africanus, vir in Scripturis ecclesiasticis nobilis: hujus epistola fertur ad Origenem scripta objicientis ei vel proponentis, quod historia Susannae, quae in Daniele scripta est, ficta videatur, & aliena a Scriptura prophetica: cui Origenes magnificentissime rescribens, asserit, nequaquam Judaeorum commentis, & fraudibus auscultandum, sed hoc solum pro vero habendum in Scripturis divinis, quod Septuaginta interpretes transtulissent: nam id esse solum, quod auctoritate Apostolica confirmatum sit. Quibus verbis apparet, Africanum putasse historiam hanc Graeci cujusdam commentum, Origenem vero eandem existimasse Judaei alicujus, Symmachi forte, vel Theodotionis fraudem fuisse. Praeter haec, etiam tempus judicii Susannae cum aetate pueri Danielis non convenit. Susannae siquidem factum, ut scribitur in calce decimitertii capitis contigit post mortem Astyagis Medorum ac Persarum regis, Dan. 13. 65. regnante Cyro, qui Astyagis regnum suscepit: quo quidem tempore, ut ex eodem libro constat, Daniel non puer erat, ut in judicio Susannae inducitur, sed jam sexagenario major apud Cyrum in honore vivebat.

6. SED super omnia Belis destructio, & Abacuch translatio ad Danielem in lacum Leonum fabulosae sunt. Nam praeterquam quod Draco ille ad imitationem Cretensis Minotauri ossa picis fingitur interfectus: & sacerdotum fraus deprehensa cineris inspersione, quod sine ullo prophetico spiritu a quocunque vel mediocris ingenii homine fieri potuit. Hoc etiam accedit, quod auctor fabulae sibi ipsi non constat: qui cum prius dixisset, Danielem unam tantum noctem fuisse in lacu, & inde mane primo a rege detractum, postea parum sui memor, scribit eum continuis septem diebus in lacu permansisse, Dan. 6. 17. 19. & a propheta Abacuch prandio refectum, Dan. 14. 30. si tamen credere dignum est, hominem gravi corpore de Judaea in Chaldaeam tanta terrarum spacia in momento temporis permensum, cum nihil unquam simile in Scripturis factum legatur.

7. QUAPROPTER prudentissime Josephus hujusmodi narrationes, cum Danielis gesta in decimo Antiquitatum libro perscriberet, tanquam fabulosas omisit: & Hieronymus in Praefatione Danielis eas fabulas appellavit, & velut lectu indignas, obelo, seu veru jugulante transfixit, & a reliquo Danielis volumine detruncavit, & assumpta arguentis Judaei persona, multis argumentis illas confutavit. Et in Praefatione Commentariorum in Danielem, irridens harum fabularum defensores, MIROR, inquit, quosdam μεμψιμοίρους, id est, querulos indignari mihi, quasi ego dettuncaverim librum, cum & Origenes, & Eusebius, & Appollinarius, aliique Ecclesiastici viri, & doctores Graeci, has, ut dixi, visiones non haberi apud Hebraeos fateantur, nec se debere respondere Porphyrio pro his, quae nullam sanctae Scripturae auctoritatem praeberent.

DISSOLUTIO OBJECTORUM.

1. PRIMUM, quod ab Anabaptistis affertur argumentum, Divus Hieronymus libro

libro primo adversus Jovinianum dissolvit his verbis: Dicimus Ezechielem Danielis non viri, sed adhuc pueri meminisse. Si vero aliquis illud opposuerit, quod
Ezech. 14. 7. in Ezechiele dicitur; Nohe, & Daniel, & Job in terra peccatrice filios & filias suas liberare non posse: respondendum est, quod juxta hypothesin dictum sit: nec enim eo tempore Nohe, & Job erant, quos multis ante saeculis fuisse cognovimus: & est sensus: si tales, & tales viri fuerint in terra peccatrice, filios suos, & filias suas liberare non poterunt. Annumeratur autem puer Daniel inter duos grandaevos viros, vel quia adhuc puer notus erat populo, aut propter interpretationem somniorum regis, aut propter Susannae liberationem, & occisionem presbyterorum. Annumeratur etiam inter viros illos conjugatos, non quod conjugem & filios habuerit, sed quia tres illi viri, ut idem Hieronymus libro quarto in Ezechielem, & Rabbi Kimki super decimumquartum caput Ezechielis existimant, magnam prae caeteris calamitatem, ac foelicitatem in tribus diversis statibus, experti sunt. Nohe vidit saeculi prosperitatem ante diluvium, ruinam in diluvio, & reparationem ejus post diluvium. Vidit Job foelicitatem suam, deinde vidit filiorum, ac omnium bonorum suorum interitum, & tursus vidit se restitutum. Vidit se Daniel in regia regni sui charum ante captivitatem, vidit deinde se captivum, & post captivitatem vidit se ad regnum sublimatum. Quod autem Rufinus Hieronymo objecit, eum negasse Danielem esse prophetam, abunde ipsemet Hieronymus confutavit, ostendens, se Danielem nunquam negasse prophetam, quem statim in fronte Prologi prophetam esse confessus fuerat, sed tantum se, quod Hebraei dicerent, indicasse.

Hiero. Praef. Com. in Dan. 2. SECUNDO Anabaptistarum argumento, quod ex libro duodecimo Porphyrii, teste Hieronymo, sumptum est, idem beatus pater septimo in Danielem capite satisfecit his verbis: ERGO dicamus, quod omnes Scriptores ecclesiastici tradiderunt: in consummatione mundi, quando regnum destruendum est Romanorum, decem futuros reges, qui orbem Romanum inter se dividant, & undecimum surrecturum esse regem parvulum, qui tres reges de decem regibus superaturus sit, id est, Aegyptiorum regem, & Africae, & Aethiopiae: sicut in consequentibus manifestius dicemus: quibus interfectis & alii septem reges victori colla submittent. Haec Hieronymus de Danielis sententia: cui conformia sunt, quae
Apoc. 17. 12. in Apocalypsi scribuntur, de bestia habente decem cornua, ubi sic angelus visionem illam Danielis exposuit, dicens: DECEM cornua, quae vidisti, decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam reges una hora accipient, &c. Nec desunt, qui per denarium numerum regum, magnum & indeterminatum numerum intelligant: juxta illud Numeri decimo quarto: TEN-
Num. 14. 22. TAVERUNT me jam per decem vices. Per cornu vero parvum, regnum Antichristi, quod Christus in consummatione saeculi destruet. Cum igitur tot modis refelli queat Porphirii calumnia, nulla nos necessitas cogit, ut librum Danielis post Antiochi tempora scriptum suspicemur: praesertim cum scribat Josephus, Alexandro
Joseph. Hebr. Li. 11. Antiq. cap. 8. Magno, qui Antiochum praecessit, ingresso Hierosolymam, allatum fuisse a sacerdotibus Danielis volumen: in quo scriptum esset, quendam Graecorum regem perditurum Persarum potentiam; gavisumque summopere Alexandrum, quia seipsum esse, quem Scriptura significabat, arbitratus sit.

3. JAM quod de etymologiis χίνω, καὶ πρίνω, inducunt, nihil probat: fatemur enim historiam Susannae, cujus ea verba sunt, ut Hieronymus, & Patres omnes testantur, nec in Hebraïco legi codice, nec ab Hebraeo Scriptore, sed a pio quodam Graeco juxta facti veritatem Graeco sermone scriptam, deinde vero Apostolicae ecclesiae judicio additam sub finem libri Danielis, tanquam rem tali Propheta dignam.

4. QUARTUM quoque argumentum ex libro duodecimo Porphyrii ab Anabaptistis acceptum, Hieronymus tertio in Danielem capite his verbis refellit: HUNC locum calumniatur Porphyrius, quod nunquam superbissimus rex capti-
Act. 14. 12. vum adoraverit, quasi non & Lycaones ob signorum magnitudinem Paulo, & Barnabae voluerint hostias immolare. Sed & hoc possumus dicere, quod causas adorandi, & immolandarum hostiarum, & incensi, atque sacrificii ipse rex ex-
Dan. 2. 47. posuerit, dicens; VERE Deus vester, Deus Deorum est. Ergo non tam Danielem,

nielem, quam in Daniele, adorat Deum, qui mysteria revelavit: quod & Alexandrum Magnum, regem Macedonum, in Pontifice Jojada fecisse legimus. (Joseph. li. 11. Antiq. cap. 8) Quod si displicet hoc, dicendum est, Nabuchodonosor signorum magnitudine, & stupore confusum, quid faceret ignorasse: ut qui Dominum verum intelligebat, & Dominum regum, & servum ejus adoraret, & illi adoleret incensum. Sed in hoc calumniator ecclesiae prophetam reprehendere nititur: quia non recusaverit munera, & honorem Babylonium libenter susceperit: non considerans regem ideo vidisse somnium, & interpretationis mysteria per puerum revelata, ut Daniel cresceret, & in loco captivitatis princeps omnium fieret Chaldaeorum, & Dei potentia nosceretur. Quod quidem Josepho apud Pharaonem, & Aegyptum factum legimus, (Genes. 41. 4.) & in Mardochaeo apud Assuerum, ut in utraque gente (Esth. 8. 2.) haberent captivi & peregrinantes Judaei solatia, videntes hominem gentis suae Aegyptiorum esse principem, vel Chaldaeorum. Haec Hieronymus de honore a Daniele suscepto: cui cum Anabaptistae opponunt, Paulum, & angelum talia recusasse, respondendum est, disparem utrinque fuisse causam. Paulus enim ad oblatos divinos honores vestes idcirco discidit; quia vidit Lycaones illis honoribus non Deum in se, & Barnaba, quemadmodum Nabuchodonosor in Daniele colere voluisse, sed se, ac Barnabam, tamquam impios gentium Deos, Jovem, scilicet ac Mercurium, stulta quadam opinione commotos, venerari voluisse. Qua etiam de causa angelus Joannem ad genua procidentem prohibuit: quia senserat eum existimasse praesentem se habere Deum; quod ne falso crederet, angelus, se non esse Deum cum increpatione indicavit. De hymno vero trium puerorum, sicut fatemur apud Hebraeos non inveniri, ita credimus a pueris illis in camino ignis eum fuisse cantatum. Nec mirum nobis videtur, quod inter aestus flammarum potuerint metro ludere, ac per ordinem ad Dei benedictionem singulas creaturas provocare, cum ex Dei benignitate multo majora & mirabiliora potuerint, deambulare scilicet per medios ignes intactis vestibus, & capillorum summitatibus illaesis.

5. DE sententia Origenis, & Africani, nihil est cur moveamur, cum Africanus non decernendo, sed dubitando, an historia haec videretur esse conficta, ab Origene quaesierit. Origenes vero tantum abest ab hujusmodi sententia, ut eam longa & erudita epistola fortissime confutaverit, & in calce ejusdem epistolae, ita in laudem hujus sacrae historiae scripserit. HAEC a me dicta sint pro defendenda Susannae historia: atque utinam scripturae Susannae encomium celebrare possem, cum in singulis dictionibus immorando, tum sensa eximia ostendendo, id quod privatim aliquis, qui studiose & abunde meditatus fuerit in divinis, componere poterit. Caeterum, nec Eusebius refert hanc historiam ab Origene rejectam, sed hoc tantum affirmat, scilicet, eum monuisse, ne Judaeorum fabulae reciperentur, sed ea duntaxat, quae LXX. interpretes vertissent. Quae sane Origenica verba non ad Susannae scripturam referenda sunt, sed ad alia quaedam Apocrypha, quae Origenes in ea epistola enumerat. De temporibus autem (Hieron. In 13. Cap. Daniel.) pueritiae Danielis, & liberationis Susannae, quae inter se discrepare videntur, sciendum est, verba illa: ET rex Astyages appositus est ad patres suos, & suscepit (Dan. 13. 65.) Cyrus regnum ejus: quae in fine decim. tertii capitis leguntur, non pertinere ad commemoratam statim supra Susannae historiam, sed ad historiam Belis, & draconis, proxime in 14. cap. sequentem, cujus tempus designatur, cum dicitur: ET rex Astyages appositus est ad patres suos, &c.

6. DE diverso dierum numero, quibus legitur, Danielem fuisse in lacu leonum; quidam sequentes opinionem eorum, quos Hieronymus refert, duos distin- (Hiero. Praef. Com. In Dan.) xisse Danieles, sic solvunt, dicentes, Danielem hunc, qui in historia Susannae, ac Belis, & draconis ponitur, non esse eum, cujus gesta in libro Danielis narrantur, sed alium, qui non fuerit de tribu Juda, & eunuchus regis Babylonis, sed de tribu Levi sacerdos, de quo scripsit Abacuch filius Jesu de tribu Levi: proinde nullam intus esse contradictionem; cum historia Susannae, Belis, & Abacuch, ad librum Danielis non pertineat, sed pars sit prophetiae Abacuch filii Jesu de tribu Levi, sicut juxta Septuaginta interpretes, in titulo ejusdem Belis historiae ponitur: HOMO quidam erat sacerdos, nomine Daniel, filius Abda, conviva

regis Babylonis: cum Danielem, & tres pueros de tribu Juda fuisse, sancta Scriptura testetur. Haec illi. Sed nos ad historiae continuationem propius accedentes, controversiam tollimus in hunc modum. Daniel non semel, sed bis, & ob diversas causas in Lacum missus est, primum sub Dario Istaspe: quia contra ejus edictum Deum suum intra triginta dies prohibitos adoraverit: & tunc, quemadmodum sexto hujus libri capite legitur, una tantum nocte in eo fuit, indeque sequenti luce a rege extractus. Secundo vero iterum missus est in lacum ob destructum Belem, & interfectum draconem, sub Cyro rege, qui cum Dario Istaspe duobus annis, & post eum annos viginti duos regnavit, fuitque in eo sex continuis diebus, & septimo, a Cyro rege liberatus est. Vixisse autem Danielem post Darium regem sub regno Cyri, dubium non est: cum ipsemet capite decimo hujus libri testetur, se tertio anno regni Cyri in Chaldaea juxta flumen Tygrin visionem vidisse. Nec mirum est, Abacuch ad Danielem ab angelo delatum. Si enim permittente Deo potuit Diabolus Salvatorem nostrum cum tota corporis gravitate ex deserto in templum, & ex templo in montem, ut Lucas ait, in momento temporis ferre, cur incredibile videri debet, jubente Deo potuisse angelum intra unius horae spacium Abacuch de Judaea in Chaldaeam corporaliter asportare?

Dan. 6. 17. 19. Daniel. 14. Gregor. M. Luc. 4. 5.

7. ULTIMUM quod de Josephi, & Hieronymi judicio opponunt, iidem ipsi auctores refellunt. Josephus enim decimo Antiquitatum libro has, & multas alias sacras Historias se praeteriisse fatetur, non quia eas narratione sua indignas judicaret, sed quia in Antiquis Hebraeorum libris scriptae non essent, quos ille solos sumpserat transferendos. Hieronymus autem respondens Rufino, qui eum de resecto Danielis codice notaverat, haec scribit: QUOD autem refero quid adversum Susannae historiam, & hymnum trium puerorum, & Belis, & draconis fabulas, quae in volumine Hebraïco non habentur, Hebraei soleant dicere, qui me criminatur, stultum se sycophantam probat. Non enim quid ipse sentirem, sed quid illi contra nos dicere solent, explicavi: quorum opinioni si non respondi in Prologo, brevitati studens, ne non Praefationem, sed librum viderer scribere, puto quod statim subjecerim, dixi enim: DE quo non est hujus temporis disserere: alioquin & ex eo quod asserui, Porphyrium contra hunc prophetam multa dixisse, vocavique hujus rei testes, Methodium, Eusebium, Apollinarium, qui multis versuum millibus illius vesaniae responderunt, me accusare poterit, quod non in Praefatiuncula contra libros Porphyrii scripserim. Haec Hieronymus: quem si quis iterum carpere velit, quod has historias ubique fabulas appellaverit, respondebimus eum fabulae nomen non a fabulando, sed a fando deduxisse. Nam & qui vera narrant, communi gentium locutione fabulari dicuntur: sicut de duobus discipulis de morte Christi in itinere loquentibus dixit Lucas, καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ὁμιλεῖν αὐτούς: quod vetus interpres traduxit. ET DUM fabularentur adinvicem: hoc est, colloquerentur. Et haec de libris Propheticis contra haereticos dicta sint. Nunc ad libros, qui Paraenetici, & Morales dicuntur, accedamus.

Joseph. li. 10. Antiq. ca. 12. Luc. 24. 36.

DE LIBRO ECCLESIASTIS. HAERESIS VII.

ECCLESIASTEN Salomonis repudiare.

ASSERTORES HUJUS HAERESEOS.

Philastrius cap. 132. PHILASTRIUS in Catalogo haereseon ponit hunc errorem inter innominatas haereses, quarum auctor ignoratur. Hugo Carensis in Praefatione hujus libri innuere videtur, eum de stultis quorundam Judaeorum opinionibus derivasse, qui quidem asseverant, Salomonem hunc librum edidisse ad confutationem antiquae idololatriae, cujus radix, & causa fuerat mundi aeternitas: qui cum eo tempore, quo haec scribebat, mulieres idololatras adamaret, quemadmodum in tertio Regum legitur, non ausus fuit aperte de mundi vanitate, ejusque ortu & interitu scribere: ne illarum errorem ab ipsa radice convellens, aut illas, aut illarum gentes offenderet: unde veluti eis placere studens, affirmavit interdum omnia ab aeterno fuisse, cum diceret: NIHIL sub sole novum, addens & alia multa

3. Reg. 11. Eccl. 1. 10.

multa his similia in gratiam mulierum, quas amabat. Hieronymus quoque in fine Commentariorum hujus libri refert, Judaeos fuisse hunc librum de Canone sanctarum literarum abjecturos: quia totum putet esse pro nihilo, & cibum, & potum, & delitias transeuntes omnibus praeferre videatur; sed ab hac sententia destitisse propter pauca verba, quae in fine libri hujus scripta inveniuntur.

CONFUTATIO.

DAMNANT autem haeretici hunc librum (ut Philastrius retulit) primum, quia statim in ipso libri exordio dixerit, omnia, quae sub coelo sunt, esse non solum vanitatem, sed etiam vanitatem vanitatum; & se, quaecunque desideraverunt oculi sui, non negasse eis: & quod nihil esset bonum in vita hominis, nisi laetari, & bibere, & comedere: & eundem esse hominum, & jumentorum interitum. Quibus de causis (ut Jacobus Christopolitanus episcopus in Praefatione Commentariorum in Canticum Salomonis tradit) innominati quidam haeretici dixerunt, Salomonem non solum in compositione praesentis libri, sed omnium quoque librorum suorum caruisse Spiritus Sancti illustratione: quia cor ejus in senectute a mulieribus depravatum fuerit, & ad artes magicas, & idola conversum: ut in tertio volumine Regum scriptum est: quod profecto nunquam permisisset Spiritus Sanctus, si aliquando in illo habitasset. Philastr. in Catal. c. 131. Ecclesiast. 1. 2. Eccles. 2. 10. Eccles. 3. 19. 3. Reg. 11. 4.

SED absit, ut tale quippiam de Salomone thesauro coelestis scientiae, per cujus os divina sapientia locuta est, cogitemus, existimantes, eum ita impie sensisse de Deo, qui totus in hoc incubuit, ut more optimi concionatoris populum ad contemptum hujus mundi provocaret, ostendens omnia, quae sub sole sunt, esse caduca, & pro nihilo reputanda; mundum quotidie senescere: & mortales omnes inter errores vitae hujus, ac fugaces temporum lapsus evanescere, & nihil solidum, nihil stabile in universo reperiri: sed solum Deum idem semper esse, quod fuerit, eosque solos esse sapientes, ac beatos, qui Deo junguntur. Tale autem fuisse in hoc libro Salomonis propositum in peroratione voluminis manifestius demonstratur: ubi Salomon disputationem suam concludens, inquit: FINEM loquendi pariter omnes audiamus. Deum time: & mandata ejus observa, hoc est omnis homo. Cuncta quae fiunt, adducet Deus in judicium, pro omni errato, sive bonum, sive malum sit. Quibus verbis totam disputationis, & Catalogi sui summam hac quasi ἀνακεφαλαιώσει, coarctans, hoc unum fuisse totius concionis suae argumentum ostendit, ut homines abjectis hujus mundi illecebris, creatorem timerent, & colerent. QUOD autem haeretici calumniantur creaturas suapte natura bonas, in hoc volumine appellari vanissimam vanitatem, facilem habet solutionem: creaturae enim bifariam, vel in seipsis, vel in ratione ad Deum considerantur: cum enim in seipsis considerantur, utique terra, maria, & omnia, quae in hoc circulo continentur, bona quidem per se sunt, sed ad Deum comparata, nihil sunt, nisi vanitas vanitatum, & omnia vanitas, & minus quam pro nihilo reputanda: & quemadmodum lucernae igniculum in tenebris gratissimum habeo, quem exorto solis splendore contemno, ita aspiciens elementa, & rerum multiplicem varietatem, admiror quidem operum magnitudinem: recogitans autem omnia pertransire, & mundum suo fine senescere, solumque Deum illud semper esse, quod fuerit, compellor dicere non semel, sed bis: VANITAS vanitatum, & omnia vanitas. CUM autem addunt, Salomonem aequalem hominum, & pecudum posuisse interitum, & summum bonum in cibo ac voluptate collocasse: noverint eum, non ex propria sententia talia protulisse, sed secundum stultam opinionem pecuinorum hominum, qui putantes hominem totum in morte, ut caetera animantia, interire, pro summa beatitudine ducunt sese ingurgitare voluptatibus, atque omnibus hujus mundi illecebris expleri. Illud item, quod mendaciter ajunt, Salomonem spiritus afflatu caruisse, expresse revincitur falsum ex tertio libro Regum, in quo de ipso scribitur: ECCE feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Qui etsi postea cecidit, non ideo cecidit, quia prius inhabitantem Dei spiritum non habuerit, sed quia eum cadere divina providentia permisit, ne (ut inquit Ambrosius) propter admirandam ejus sapientiam & incomparabilem foelici- Hieronym. in cap. 1. Eccles. Eccles. 12. 13. Hieron. ibid. 3. Reg. 3. 12.

tatem a Judaeis, aut Deus, aut Messias in lege promissus crederetur: cujus quantumvis gravis fuerit lapsus, nihil auctoritati librorum suorum adimere, nec debuit, nec potuit: cum plerunque evenisse sciamus, ut Deus etiam per malos homines vera & sacta locutus sit: malitia etenim hominum nihil officere potest Dei donis, nec eo minus nobis commendata esse debent Dei dona, si mali sint, per quos nobis ea ministrantur. Dona enim Dei inspicienda sunt, non minister; & non quis, sed quid dicatur attendendum.

DE CANTICO CANTICORUM. HAERESIS VIII.

CANTICUM Canticorum esse obscoenam impudici amatoris cantilenam, voluptatis gratia conditam.

ASSERTORES HUJUS HAERESEOS.

Philastr. c. 133. & 147. HANC haeresim, quam nunc Anabaptistae renovarunt, Philastrius in suo Catalogo, inter Anonymas recensuit. Quam Lutherus aliquantulum moderari volens, in exordio suarum Annotationum in Cantica secutus est errorem quorundam haereticorum, quos Theodoretus in Praefatione Canticorum narrat, asseruisse, libellum hunc nihil aliud esse, quam familiare colloquium inter Salomonem, & Rempublicam Judaeorum, invitantem Salomonem dilectum suum ad regnandum super eam. Castalionus vero in Annotationibus ejusdem libri, cum Anabaptistis sentit, Canticum illud esse colloquium Salomonis cum amica quadam sua Sulamitha, de qua dicitur: REVERTERE revertere Sulamitha, revertere, revertere, ut intueamur te: ad cujus aulicas foeminas Salomon interdum sermonem dirigit, & ipsae quoque vicissim ad illum, & illam. HANC stolidam opinionem Philastrius, & Jacobus Christopolitanus episcopus in Praefatione libri hujus latius explicantes, scribunt olim haereticos quosdam extitisse, qui crederent, Canticum istud a Salomone jam a suis concubinis depravato compositum in laudem filiae Pharaonis regis Aegypti, quam ipse omnium mulierum suarum formosissimam adamavit, existimantes de ea Salomonem dixisse: EQUITATUI meo in curribus Pharaonis assimilavi te amica mea: & SEXAGINTA sunt reginae, & octoginta concubinae, & adolescentularum non est numerus: sed una est columba mea, & electa mea: viderunt eam filiae Syon, & beatissimam praedicaverunt, & reginae laudaverunt eam. Quae verba ad spiritualem, & divinum intellectum non posse referri, hoc indicio confirmabant, quod nunquam in hoc Cantico Dei nomen positum fuerit. Id autem esse constat contra divinae Scripturae consuetudinem, in qua nullus extat liber, in quo non sit scriptum nomen illud τετραγράμματον, seu quadriliterum יהוה Jehova, aut saltem aliud quoddam Dei nomen, qualia sunt אדני Adonai, אל El, שדי Saddaï, צבאות Zebaoth, & alia his similia, quorum cum nullum invenirent in hoc libro, pronunciarunt materiam ejus esse prophanam, ac proinde Salomonem religione adductum, non fuisse ausum amatoriis carminibus sanctum Dei nomen immiscere, ne contra legis praeceptum, nomen Dei in vanis sermonibus assumeret.

Cant. 6. 12. — Philastr. c. 147. — Cantic. 1. 9. — Cantic. 7. 8.

CONFUTATIO.

SED quantum istorum carnalis opinio a scopo hujus divini Cantici aberret, ipsa Cantici verba demonstrant, quae se juxta literam non patiuntur exponi. Tales enim sunt similitudines, per quas adamatam illam sponsam describunt, ut secundum exteriorem vocis sonum intellectae, magis eam deforment, ac deturpent, quam illustrent, & exornent. Quid enim potest dici, aut fingi ineptius, quam quod hic de sponsa refertur? videlicet, quod habeat amplum caput instar montis Carmeli: oculos persimiles piscinis magnis, quae sunt in Esebon: nasum praeseferentem magnitudine sua turrim, quae respicit contra Damascum: dentes sicut greges ovium: collum sicut arcem Syon, ex qua clypei mille dependent: manus tanquam sphaeras aureas, crura sicut columnas marmoreas supra bases aureas erectas: insuper, quod sit pulchra sicut locus Tirza, decora ut Hierusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata. Quae omnia, si vel de filia Pharaonis, vel Sulamitha

Cant. 7. 4. 5.

lamitha intelligantur, adeo sunt rudia, incondita, & agrestia, ut longe politiora & elegantiora sint illa, quae rudis ille Cyclops apud poëtas in Galatheam suam ineptissime canere fingitur. Oportet igitur, si Salomonem omnium sapientissimum (ut par est) ineptiae nota liberare velimus, verba Cantici hujus a carnali ad spiritualem, ac mysticam intelligentiam revocare, & in eo castas mystici sponsi Christi, ac sponsae ejus Ecclesiae, vel animae nuptias intelligere, quarum Epithalamium praesenti volumine canitur: sicuti omnes Patres in Praefatione ejus testantur, ac praecipue Origenes, qui Commentaria sua in hunc modum orditur: EPITHALAMIUM libellus, id est, nuptiale carmen, in modum mihi dramatis videtur a Salomone conscriptus, quem cecinit instar nubentis sponsae, & erga sponsum suum, qui est sermo Dei coelesti amore flagrantis: adamavit enim eum, sive animam, quae ad imaginem ejus facta est, sive ecclesia: sed & magnificus hic ipse, atque perfectus sponsus, quibus verbis usus sit ad conjunctam sibi animam, vel ecclesiam, haec ipsa Scriptura nos docet. Sodales quoque sponsae adolescentulae cum ipsa sponsa positae, quae dixerint, quaeque etiam amici ac sodales sponsi ex eodem libro, qui Canticum Canticorum adtitulatur, cognoscimus. Haec Origenes. Ex quibus evidentissimum est, per unicam Salomonis amicam, sponsam, & columbam, significari Ecclesiam Christi sponsam; & per reginas, & concubinas, sanctas animas Christo per charitatem conjunctas, sicut per Salomonem, hoc est, pacificum, Christus vere pacificus designatur.

QUOD non agnoscentes carnales hujus Cantici Lectores, nullum in eo divinum nomen invenire possunt, cum tamen singula ejus carmina plena sint divinis nominibus, quibus sese Deus, nunc pastorem, nunc fratrem, & amicum, nunc sponsum, nunc dilectum, ac desiderabilem de industria nominat, praeteritis non absque maximo mysterio priscis illis nominibus, quibus incomprehensibilis illa majestas, non sine metu ab hominibus circumscribi consueverat, veluti אל El, hoc est, fortis: vel, אדני Adonai, id est, Dominus: vel שדי Saddaï, hoc est, robustus: vel צבאות Zebaoth, hoc est, armipoteos: vel יהוה Jehova, quod Hebraeis, ἀνεκφώνητον, id est, ineffabile reputatur. Cum enim coelestis ille sponsus in praesenti Cantico consolari vellet mysticam sponsam suam, tanto jam tempore dilecti sponsi oscula expectantem, ac dilatione desiderii tabescentem, omisit vetustissimam illam divinorum nominum appellationem, ipso pene sono formidabilem, sumptis eorum loco novis, & gratioribus nominibus, quorum soni dulcedine aestuantem sponsae animum demulceret: vocans seipsum pro domino, fratrem, amicum, dilectum, & sponsum: pro armipotente, pacificum, ac pastorem: pro forti, ac robusto vulneratum, ac saucium: pro ineffabili, unguentum effusum, fasciculum Myrrhae, botrum Cyprium, hinnulum cervinum, electum ex millibus, omnium pulcherrimum, totum desiderabilem, & amabilem: ita vicissim vocans sponsam suam, non sicut olim appellare consueverat, terram Israël, filiam Syon, terram Juda, ancillam, ac servam, sed sororem, sponsam, amicam, columbam, dilectam, unicam, mulierum pulcherrimam, ac multis aliis hujusmodi novis, blandisque appellationibus, quibus dilectam sibi sponsam diuturno sponsi desiderio confectam, dulciter recrearet.

DE LIBRIS SAPIENTIAE, ET ECCLESIASTICI. HAERESIS IX.

LIBRUM Sapientiae falso nomine Salomonis inscriptum esse: atque una cum libro Ecclesiastici proinde e sanctorum voluminum canone exclusum.

ASSERTORES HUJUS HAERESEOS.

PROPOSITUS error olim a quibusdam reliquiis Pelagianorum (ut Hilarius ad Augustinum scribit) defensus, & nuper ab Anabaptistis, & Lutheranis restitutus, duo asserit, primum est, auctorem libri Sapientiae non esse Salomonem, sed Philonem Judaeum, patria Alexandrinum, Graecae linguae peritissimum, de quo propter Platonicae dictionis similitudinem, quam habuit, dictum est: ἢ Πλάτων φιλωνίζει, ἢ Φίλων πλατωνίζει, id est, Plato Philonem, aut Philo Platonem

Platonem sequitur. Alterum est: neutrum horum voluminum esse canonicum. Quarum assertionum sicut primam incertam esse ac temere assertam, ita secundam aperte haereticam esse monstrabimus.

IMPUGNATIO.

ET quidem si liber Sapientiae a Philone Judaeo sit editus, inter libros veteris instrumenti numerari non debet, sed inter novi testamenti volumina recenseri: quippe cujus auctor Philo post Christi tempora floruit, sub Cajo Caesare, ad quem (ut ipsemet in libro de legatione sua scripsit) admodum adolescens missus est Judaeorum legatus. Quare cum ecclesia reponat hunc librum inter alios veteris testamenti, qui ex vulgata ecclesiae consuetudine ideo veteris testamenti libri sunt appellati, quia ante datum novum testamentum sunt conditi, manifestum est, illum non esse Judaei Philonis, qui sub novo testamento claruit.

Euseb. lib. 2. Histor. Eccl. c. 4. de Philone. Hiero. lib. de Vir. ill. c. 11. Photius Cod 105. de Phil.

DEINDE secundo capite hujus libri, auctor prophetico spiritu describit futuros conatus Judaeorum adversus Christum, dicens: VENITE circumveniamus justum: quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat inter nos peccata disciplinae: promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat: videamus ergo, si sermones illius veri sunt, & tentemus, quae ventura sunt illi, & sciemus, quae erunt novissima illius. Si enim est verus filius Dei, suscipiet eum, & liberabit eum de manibus contrariorum. Contumelia, & tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam ejus, & probemus patientiam ejus, morte turpissima condemnemus eum. Quae verba, ut catholica ecclesia credit, & praedicat, apertum de futura passione & morte Christi continent vaticinium, quod cum tempore Philonis jam esset impletum, sequitur eum vaticinii hujus non fuisse scriptorem.

Sap. 2. 12. 13. & seq.

AD hoc etiam accedit, quod auctor libri hujus eodem 2. cap. detestatur impiorum Judaeorum invidiam, aemulationem, & zelum in ipsum justum Christum, execraturque gravem illorum malitiam, & impietatem: quod non est verisimile fecisse Philonem, virum maxime inter suos celebrem, & summo semper in honore habitum, & praeter haec semper in lege Judaeorum versatum, & a Christi cultu alienum, ne tam recens Patrum suorum scelus, tam libere & aperte accusans, suorum in se odium concitaret.

PRAETEREA D. Dionysius Areopagita ex hoc libro testimonium profert, in 1. parte 4. cap. libri de divinis nominibus, dicens in primis Scripturarum institutionibus quendam de divina Sapientia dixisse copiosius: AMATOR factus sum formae illius: quod ex 8. capit. hujus libri sumptum est: neque credendum est, B. Dionysium id ex libro Philonis jam recenter edito citasse, quia vocat librum illum primas Scripturarum institutiones: quod indicat, librum non tum primum in lucem emissum, sed multis antea saeculis, in prima illa divinarum Scripturarum institutione conditum: quem librum etiam si possibile sit, B. Dionysium vidisse nuper editum, adhuc verisimile non est, ut talis, ac tantus pater dignatus fuerit, in re gravissima auctoritati Philonis inniti.

Sap. 8. 2.

EXTAT etiam Catalogus omnium Operum Philonis apud Euseb. lib. 2. hist. eccles. cap. 18. & apud Hieronymum in libro De viris illustribus, in quo liber Sapientiae nusquam nominatur.

VERUM quia nonnulli ex Lutheranis praedicta haec sententiae suae obstare viderunt, ideo ut se ab illis explicarent, dixerunt, duos fuisse Philones, unum post Christi tempora, sub Imperatoribus Cajo, & Claudio, & Nerone, de quo Eusebius, & Hieronymus meminere; alterum vero vetustiorem, Graeca facundia disertissimum, supra centum, & sexaginta annos ante Christi ortum, temporibus Oniae Pontificis Judaeorum, & hunc fuisse libri Sapientiae auctorem.

CUI sententiae omnino repugnant, quae auctor capite nono hujus libri de se ipso scribit, asserens se fuisse regem Israël, & in urbe Hierusalem aedificasse Deo templum, his verbis: TU autem Domine elegisti me regem populo tuo, & judicem filiorum, & filiarum tuarum, & dixisti me aedificare templum in monte

Sap. 9. 7. 8.

sancto tuo, & in civitate habitationis tuae, altare, similitudinem tabernali tui, quod praeparasti ab initio. Quae sane verba neutri ex his Philonibus accommodari possunt, qui neque reges fuerunt in Hierusalem, neque templum in ea construxerunt, sed uni tantum Salomoni conveniunt, qui Hierosolymis regnavit, & primus Deo templum posuit: & veluti regum omnium sapientissimus, hunc nobilem Sapientiae librum condidit, in cujus praedicto capite scripsit, se orasse Deum pro impetranda sapientia ad recte gubernandum populum, sicut scriptum III.Reg.3.9.
est in tertio libro Regum.

SED super omnia Ecclesiae catholicae auctoritas, & communis Patrum consensus declarant Salomonem hujus libri auctorem. Ecclesia enim quotannis feria quarta Pentecostes in sacrosanctis mysteriis, primam hujus libri sententiam decantat, dicens: DIXIT Salomon filiis suis: Diligite justitiam, qui judicatis Sap.1.1.
terram. Cui omnes Patres, tam Graeci, quam Latini, consentiunt: & primum de Graecis, Eusebius libro quarto historiae Ecclesiasticae capite vigesimo secundo, sic ait: VERUM & hic ipse Egesippus, & Irenaeus, & omnis antiquorum chorus librum, qui adtitulatur Sapientia, Salomonis, sicut & Proverbia esse dixerunt: & Epiphanius in libro de ponderibus & mensuris, librum Sapientiae παναρέτον ab omni virtute, quae in eo continetur, appellatum, Salomonis esse credidit: & Joannes Damascenus libro quarto, capite 18. librum Sapientiae omnium virtutum doctrina refertum, Salomoni auctori attribuit. Inter Latinos vero divus Ambrosius in libro de quatuor difficilibus quaestionibus auctorem facit hujus libri Salomonem, sic inquiens; IN libro Sapientiae Salomon se Dominum deprecatum fuisse commemorat: Adii, inquit, Dominum, & deprecatus sum il- Sap.9.4.
lum: Da mihi Domine sedium tuarum assistricem sapientiam. Augustinus item cum aliquando asseruisset librum hunc non esse Salomonis, tandem sententiam suam parum probabilem agnoscens, retractavit in secundo libro Retractationum capite quarto. Ex his igitur probatum relinquitur, librum Sapientiae a Salomone fuisse conditum.

QUOD autem Sapientia Salomonis, & Sapientia Jesu filii Syrach, quae Ecclesiasticus dicitur, sint in canone sanctarum Scripturarum receptae, demonstratur novi testamenti attestatione, ecclesiae auctoritate, conciliorum determi-
natione, & vetustissimorum Patrum testimonio. Paulus enim ad Rom. 11. & ad Rom.11.34. Hebr.11.5.
Hebr. 11. ex 9. & 6. & 4. cap. Sapientiae sententias allegat, & Petrus, & Jacobus Jacob.1.19. 1.Petr.1.24.
uterque 1. cap. suarum epistolarum, ex 14. cap. Ecclesiastici testimonia proferunt: idem faciunt de libro Sapientiae Clemens Rom. Pont. in 1. epistola, Anacletus in 2. Evaristus in 1. ad Africanos epist. Similiter de libro Ecclesiastici idem faciunt, Fabianus Papa I. qui in epist. 2. ad omnes Orientales episcopos ex 10. & 11. ejus capite verba sumit: & Sixtus Papa I. ex 24. capite ejusdem voluminis illud accepit:
EGO ex ore altissimi prodivi, & gyrum coeli circuivi sola. Joannes Damasce- Eccle.24.5.8.
nus utriusque voluminis mentionem faciens, libro 4. De Fide sic scribit: ΠΑΝΑΡΕΤΟΣ, hoc est, liber Sapientiae Salomonis, & Sapientia Jesu, id est, Ecclesiasticus virtuosi quidem, & boni sunt, sed non numerantur, neque in arca jacebant: & ideo licet apud Judaeos non numerentur, inter fideles tamen maxime
auctoritatis habentur. Augustinus libro 2. De doctrina Christiana ita inquit: IL- Capite 8.
LI duo libri, unus, qui Sapientia, & alius, qui Ecclesiasticus inscribitur, quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter propheticos numerandi sunt: & libro primo De praedestinatione sanctorum cap. 14. de libro Sapientiae, sic ait: SED, qui sententiis tractatorum instrui volunt, oportet, ut is tum librum Sapientiae,
ubi legitur; RAPTUS est, ne malitia immutaret cor ejus; omnibus tractationi- Sap.4.11.
bus anteponant, quem sibi anteposuerunt etiam temporibus proximi Apostolorum egregii tractatores, qui eum testem adhibentes, nihil se adhibere, nisi divinum testimonium crediderunt: non ergo liber Sapientiae, qui tanta numerositate annorum legitur in ecclesia Christi, in quo & hoc legitur, pati debet injuriam, aut ejus debet repudiari sententia, qui meruit in ecclesia Christi tam longa annositate recitari, & ab omnibus Christianis, ab episcopis usque ad extremos laicos, cum veneratione divinae auctoritatis audiri. Quibus Patrum testimoniis demum accedit auctoritas Concilii tertii Carthaginensis, & Concilii magni

gni Lateranensis, & epistola Innocentii Papae ad Exuperium, & Gelasii Catalogus, in quibus uterque Sapientiae liber annumeratur. (a)

OBJECTIONES HAERETICORUM.

1. LIBRUM Sapientiae non esse Salomonis, testatur Hieronymus in Prologo librorum Salomonis, appellans eum librum ψευδεπίγραφον, hoc est, falso inscriptum Salomoni, cum sit Philonis Judaei, & apud Hebraeos nusquam extet, & ipse stylus Graecam redoleat eloquentiam. Cui subscribens Augustinus libro secundo De doctrina Christiana sic loquitur: NAM illi duo libri, primus, qui Sapientia, & alius, qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur: nam Jesus filius Syrach eos scripsisse constantissime perhibetur: & decimo septimo libro de Civitate Dei, in eandem sententiam ait: ALII duo libri, quorum unus Sapientia, alter vero Ecclesiasticus, propter eloquii nonnullam similitudinem, ut Salomonis dicantur, obtinuit consuetudo: non autem esse ipsius, non dubitant doctiores.

Capite 8.

Capite 20.

2. QUOD autem neuter horum voluminum canonicam habeat auctoritatem, Hieronymus in praedicto Prologo testis est, inquiens: FERTUR & Panaretos Jesu filii Syrach, & alius pseudepigraphus, qui Sapientia Salomonis inscribitur: & paulo post: Sicut ergo Judith, & Tobiae, & Maccabaeorum libros legit quidem ecclesia, sed inter Canonicas scripturas non recipit, sic & haec duo volumina, ad aedificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam: & rursum in Prologo Galeato sic loquitur: IGITUR Sapientia, quae vulgo Salomonis inscribitur, & Jesu filii Syrach liber in Canone non sunt: quod etiam in explanatione octavi, & undecimi capitis Zachariae confirmat. Epiphanius vero de utroque libro in libello De ponderibus & mensuris haec scribit: NAM duo libri versu scripti, Salomonis Sapientia, Panaretos ab omni sapientia appellata, & Sapientia Jesu filii Syrach, & nepotis ejus Jesu, qui Sapientiam illam Hebraïce scripsit, ita, ut nepos ejus eam interpretatus sit, id est, Graece scripserit, utiles quidem sunt, & commodi, sed in numerum receptorum non referuntur. Isidorus quoque libro sexto etymologiarum cap.2. librum Ecclesiastici inter Apocryphos rejicit, sed neque Gregorius Theologus, neque Eusebius, neque Origenes, nec ullus veterum, hos libros in Catalogo divinorum voluminum recenset.

SOLUTIO.

1. INIQUE imponunt haeretici Hieronymo, quod ipse non asserit, sed referendo scribit, non ipse id credens, sed nonnullos veteres Scriptores, hoc est, Judaeos, id credidisse narrans. Ait enim: JUDAEI, Philonis esse affirmant: qui forte hoc in eo sensu affirmarunt, ut putaverint, Philonem sententias hujus libri a Salomone

(a) Quia iterum N. Xystus hic ad firmandum dogma de Canonica authoritate librorum Sapientiae, & Ecclesiastici laudat monumenta supposititia Veterum PP. (esto alia genuina haud omittat) ne vel heinc heterodoxi audeant oggannire, aliqua ad firmitatem catholicae assertionis addere non taedet. Et primum quidem ad Sapientiae librum sartum tectum custodiendum. Matthaei Cap. XIII. v. 43. dicitur: *Tunc justi fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum*, quod est depromtum ex Cap. III. v.7. Sapientiae. I. ad Corinthios VI. v. 2. dicitur: *An nescitis quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt?* quod legitur Sapientiae IV. v.10. Similiter aliae ejusdem libri sententiae laudantur II. ad Corinthios IV. ad Ephesios VI. Commendatur pariter ut Canonicus idem liber ab Justino Martyre *Dialog. cum Tryphon.* Origene *Lib. VII. in Epist. ad Roman.* Tertulliano *De praescriptionib. c. 7.* Cypriano *Lib. de mortalit.* & *Lib. IX. Testimon. contr. Judaeos*, Basilio *Lib. V. contr. Eunom. & Epistola CLXI.* Hilario in *Psalm. CXXVII.* Epiphanio *Haeres. LXXVI.* Optato Milevitano *Lib. IV.* Concilio Sardicensi in Epistola Synodica apud Theodoretum *Lib. 2. Hist. Eccl. c. 8.* Vulgato Dionysio *de Divin. Nomin. cap. 5.* Ambrosio in *Psalm. 13.* & aliis pene innumeris.

De libro Ecclesiastici eadem omnino est ratio; quum ejusdem libri sententiae referantur ab Scriptoribus novi Testamenti. Matthaei namque XIX. v. 23. refertur quod Ecclesiastici dicitur Cap. XV. v. 16. Lucae XII. v. 19. 20. idem habetur, quod Ecclesiastici XI. v. 18. 19. Johannis XIV. 23. idem laudatur, quod habetur Ecclesiastici Cap. II. v. 18. 19. 21. Adest pariter pro ejusdem confirmatione consensus, & traditio PP. utriusque Ecclesiae: nimirum Clementis Alexandrini *Lib. 1. Paedag. c. 8.* Origenis *Hom. IX. in Ezechiel.* Tertulliani *lib. de exhort. castitatis c. 13.* Cypriani *Epist. LXV. ad Rogatianum*, Athanasii *lib. de Virginit.* Cyrilli Alexandrini Homilia Ephesi habita priusquam a Comite comprehenderetur, quae extat inter Acta Concilii Ephesini *Actione VI.* Cyrilli Hierosolymitani *Catechesi VI.* Basilii in *cap. VIII. Isai.* & alibi, Gregorii Nysseni *Hom. 3. in Ecclesiasten*, Nazianzeni *Orat. 1. cont. Julian.* Chrysostomi *Hom. V. ad Pop. Antioch.* Epiphanii in *Ancorato c. 13.* Optati Milevitani *Lib. III. cont. Parmenian.* Ambrosii *Lib. de bono mortis c. 8.* Fulgentii *Lib. I. de remiss. peccat. cap. 12.* & aliorum quamplurium.

a Salomone primum editas, ac dispersas, simul collegisse, & in unum coarctasse volumen, quod de nomine collectoris Sapientia Philonis a nonnullis postea vocaretur. Augustinus vero inductas sententias in secundo libro Retractationum capite octavo retractavit his verbis: QUOD dixi de auctore libri, quem plures vocant Sapientiam Salomonis, quod ipsum etiam, sicut Ecclesiasticum scripserit Jesus filius Syrach, postea didici non ita constare, sicut a me dictum est, & omnino probabilius comperi non esse hunc libri illius auctorem.

2. DE verbis autem Hieronymi asserentis, librum Sapientiae in Canone ab Ecclesia non recipi, respondemus, ut alibi quoque diximus, eum de ecclesia suorum temporum id intellexisse: cui cum nondum satis aperte constaret de auctoritate horum voluminum, non ausa est ea in canonem recipere ad dogmatum probationem; sed paulo post plenius a Spiritu Sancto edocta, in Concilio 3. Carthaginensi, volumen utrunque recepit, ac deinceps sequentia Concilia in sacris Catalogis utrunque numerarunt. Caeterum, si Origenes atque alii quidam Patres hos libros e Canone rejecerunt, non ob id consequitur, eos nullo modo esse canonicos, sed hoc tantum ex illorum Patrum auctoritate colligitur, nempe, libros hujusmodi non esse de numero Scripturarum, quae ad primum Canonis ordinem pertinent, & de quibus nunquam fuerit dubitatum: quod nec nos inficiamur. Utrunque enim in secundo canonicorum voluminum ordine collocavimus. Patet ergo inter sancta scripta jure optimo annumerari Paraenericos Sapientiae, & Ecclesiastici libros, de quibus cum satis dictum sit, ad postremum Historicorum voluminum ordinem transeamus.

DE LIBRO JOB. HAERESIS X.

HISTORIAM libri Job esse confictam: ipsumque Job nunquam in humanis fuisse.

ASSERTORES HUJUS HAERESEOS.

HAEC quoque haeresis est Anabaptistarum aetatis nostrae, qui librum hunc irridentes, appellant eum Tragicomoediam Hebraeorum, hoc est, fabulam, partim secundum comoediae, partim secundum tragoediae leges editam: quia principio ipsius historiae caedes filiorum, ac filiarum Job, quod in tragoedus usu venit, referantur, in fine vero, quod comoediae proprium est, foelices Jobi eventus ponantur.

IMPUGNATIO.

ATQUE hunc impium errorem retincti Anabaptistae acceperunt a recutitis Judaeis ex בבא בתרא Baba Batra, hoc est, ex parte tertia quarti ordinis librorum Thalmudicorum. Cui divinae Scripturae omnino contradicunt, quae non solum Job in humanis fuisse testantur, sed eum etiam inter viros sanctitate praecipuos enumerant: nam in Ezechiele inquit Deus: SI steterint in medio, Nohe, Daniel, Ezech. 14. 14.
& Job, ipsi in justitia sua liberabunt animas suas: & Jacobus in sua Catholica admirabilem Job patientiam in adversis imitandam proponens: SUFFEREN- Jacob. 5. 11.
TIAM, inquit, Job audistis, & finem Domini vidistis. Qui si nusquam in rerum universitate fuisset, Scriptura certe non tam diligenter annotasset nomen ejus, ac civitatis ejus, filiorum numerum, ac filiarum ejus, uxorem quoque, & numerum singulariter omnium facultatum, a bobus usque ad asinos, dies itidem vitae ejus, & nomina amicorum ejus, & ipsorum genus, familiam ac patriam. Huc accedit, quod Paulus, caeterique Apostoli, ex hac sancta historia, non tanquam de conficta fabula, sed veluti de verissima Scriptura multas illustres sententias mutuarunt, quales illae sunt: NIHIL intulimus in hunc mundum, &c. &, COMPRE- Jobi 1. d 1. Tim. 6. 7.
HENDAM sapientes in astutia eorum: &, NON est personarum acceptor Deus: Job. 5. b 1. Cor. 3. d
&, DEUS angelis peccantibus non pepercit, atque aliae nonnullae ejusmodi similes. Verissima igitur, ac sanctissima est haec historia, & digna, quae per omnem Job. 34. b Actor. 10. e
vitam ab omnibus piis ante oculos habeatur, utpote, in qua nobis proponitur Job. 4. c 2. Petr. 2. a
perfecta forma religiosi viri, ac vere sapientis, qui nec secundis rebus inflatur, nec adversis frangitur, nec in utrisque deserit Deum suum, sed in fide immobilis, & in spe constans per cuncta tentationum genera perseverat. Quamobrem recte Moses

Origenes in Praefa. Com. in Job. ses hanc sanctam historiam Syriace prius, vel a Job, vel ab amicis ejus conscriptam, in Hebraïcum sermonem transtulit, ad consolationem Hebraeorum suorum, cum in Aegypto a Pharaone opprimerentur: ut dum legerent vehementes illos beati viri dolores, invicem se consolarentur, & cum patientia, & gratiarum actione mala, quae eos circumdederant, sufferrent: & ut remunerationem, quam Deus beato Job post tolerantiam largitus est, audientes, etiam ipsi liberationem sperarent, & mercedem laborum suorum expectarent. Sanctus itaque hic liber, quem jam toties memorata Concilia in Canone receperunt, & perpetuus ecclesiae consensus comprobavit, omni cum veneratione a fidelibus omnibus accipiendus est.

OBJECTIONES HAERETICORUM.

1. QUOD argumentum libri Job comicum sit, & juxta scaenae leges confictum, ex his apparet, quod nec de personis, nec de loco, nec de tempore, nec de auctore hujus historiae quicquam certi haberi potest, dissidentibus inter se non minus Hebraeis, quam Graecis, ac Latinis Scriptoribus. Ac primum de ipso Job, qui primas in hac historia partes obtinet, & cui totius narrationis argumentum innititur, non parva controversia est. Origenes primo capite Commentatiorum in Job scribit, hunc Job Arabem fuisse, ex genere Esau, natum in terra Ussitide, motus ex verbis quibusdam, quae in communi Graeca editione, sub finem ejus libri leguntur, ubi dicitur, Job habitasse in terra Ussitide, in finibus Arabiae, cui ante fuerat nomen Jobab, fuisseque filium Zareth, de filiis Esau, de matre Bozra quintum ab Abraham, quartum ab Esau. Cui Augustinus libro 18. De Civitate Dei consentit. Ambrosius autem in Commentariis epistolae ad Romanos, putat eum fuisse regem in Edom, ex eo, quod in Genesi legitur, reges olim regnasse in Edom, quorum primus fuit Balach, filius Beor, post quem Jobab regnavit; quem Ambrosius Job esse credidit, deceptus vocum affinitate, quae tamen apud Hebraeos non in principio solum, sed & in fine dictionis plurimum distant. Job enim a litera א hirich puncto subscripto, sic scribitur איוב. Jobab vero a litera Jod incipiens, sic scribitur יובב. Hieronymus vero in Quaestionibus Hebraïcis, falsum eos arbitrari existimat, qui credunt Job de semine Esau fuisse, asserens eum de stirpe Nachor, fratris Abraham, descendisse. Alii autem, quos eodem in libro Hieronymus citat, dixerunt, Job esse Jasub illum, qui in principio Paralipomenon, post Thola, & Suha in Catalogo filiorum Israël numeratur. At vetustissimi quique Hebraeorum, quibus, tanquam de propriis genealogiis peritioribus, magis credendum est, Job nunquam inter homines fuisse tradunt, sed librum hunc ab incerto auctore confictum sub persona Job, in exemplum scilicet patientiae, ad institutionem tolerantiae in adversis, & ad solatium ingruentium calamitatum: cui etiam argumento omnes praesentis libri personas satis apte respondere volunt. Ponitur enim in primis vir per omnia malorum genera jactatus, & intolerandis humana patientia doloribus oppressus, cui ex propriae miseriae eventu nomen imponitur JOB, hoc est, dolens, gemens, & ululans, ac seipsum affligens. Fingitur quoque non inepte de terra Hus, quae consilium interpretatur, ut discamus consilio, & prudentia omne infortunii, & aerumnae genus facile superari. Immittuntur autem adversus tantum virum, veluti in palestra certaturi, non qualescunque de infima plebe homunculi, sed Eliphaz, Baldad, Sophar, & Heliu splendidis nominibus insignes. Baldad enim vetusta secreta: Sophar, speculator, vel buccina: Eliphaz, aurum Dei: Heliu vero, Deus ipse interpretantur: ut in his ostendatur, adversus virum Ussitidem, hoc est, consilio, & prudentia armatum, nullas quantumvis magnas hominum divitias, aut potentiam, aut sapientiam praevalere. Unde & in postremo hujus fabulae actu, quo res foeliciorem exitum sortiatur, sicut in comoediis fieri solet, inducitur Deus ipse, qui, ut optimus judex, fortissimo viro restituit duplicia pro omnibus, quae amiserat. Et ut varietate sermonis jocundior fabula sit, singulae ejus partes comica quadam ratione sic dispositae sunt, ut exordium ejus soluta oratione incipiat, deinde sequantur actus, dramatis in morem hexametris, ac pentametris carminibus, interdum quoque tinnulis quibusdam rithmis interpositis, descripti, & quemadmodum in comoediis, tam Graecorum, quam Latinorum, diversa nonnunquam

linguarum

linguarum genera ad majorem audientium oblectationem misceri solent, sicut apud Aristophanem in comoedia, quae inscribitur Acharnes, introducitur barbarus quidam Persica lingua loquens, & apud Plautum in Paenulo Afer quidam Hanno punice loquitur, ita in hac fabula varia linguarum genera inducuntur: estque altera narrationis pars, ipso Hieronymo teste, Arabico sermone digesta, altera Syro, altera vero Hebraïco eloquio scripta. Atque haec est antiquorum Judaeorum sententia de libri hujus argumento. Ad cujus confirmationem facit incertitudo loci, ac temporis, in quibus Job vixisse fertur, aliis cum Origene affirmantibus eum fuisse Mosi contemporaneum, aliis, in quibus Augustinus, eum longe ante conditam legem vixisse credentibus. De loco item varia opinio est. Auctor libri hujus tradit, eum in terra Ufitide natum, Augustinus in Idumaea natum, ibique educatum ac mortuum, Ambrosius regnasse in Edom, Origenes vixisse in Arabia, & Arabem fuisse scribit. De auctore similiter praesentis libri, nullus Scriptorum cum altero consentit: nam ut Gregorius in Praefatione Job, & Isidorus libro sexto etymologiarum referunt, alii Mosem ejus auctorem arbitrantur, alii Job ipsum post plagam suae passionis illum scripsisse putant, alii socios Job, alii unum ex prophetis. Quare cum de libri argumento, personis, loco, auctore, ac tempore nihil constet, existimandum videtur, praesentem historiam non juxta facti veritatem, sed exempli, & imitationis gratia, ad commendationem patientiae conscriptam.

2. SED utcunque res ipsa se habeat, non potuit narrationis hujus auctor esse, tam Lynceus, quin multum a proposito argumenti scopo aberraverit. Is enim cum instituisset effingere personam perfecti hominis, ac in primis tolerantissimi, quem nec secundae res in superbiam elevarent, nec in desperationem adversae deprimerent, tamen in ipso narrationis cursu, contra instituti sui ordinem, & contra omnes patientiae leges, patientissimum illum virum in crimen impatientiae, & blasphemiae saepius trahit, impingens illi, quod maledixerit diei nativitatis suae, inquiens: MALEDIXIT diei suae, & ait: Pereat dies in qua natus sum, & Job 3. 1. 2.
nox, in qua dictum est; conceptus est homo. Et quasi hoc leve crimen esset, describit ejus adversus Deum indignationem, quod de vulva eduxerit eum, & quod egressum de utero non statim peremerit: subinde fingens eum desperatione adductum, praemissis etiam indignabundis verbis ad laqueum accurrere, dicentem: SUSPENDIUM elegit sibi anima mea, & mortem ossa mea: desperavi, neque ul- Job 7. 15.16.
tra jam vivam. Facit quoque illum propriae justitiae jactatorem, & justitiae Dei accusatorem, dum ait: UTINAM appenderentur peccata mea in statera: quasi Job 6. 2. 3.
arena maris gravior inveniretur poena, quam patior, quam iniquitas mea. Quo, quid excogitari potest contra Dei justitiam iniquius? aut, quid arrogantius pronunciari potuit, quam quod auctor hic ex ore Job protulit, NON reprehendit me Job 27. 6.
cor meum in omni vita mea? cum e contrario scriptum sit: NON est sanctus in Eccl. 7. 21.
terra, qui non peccet. Et alio in loco providentiam Dei per os beati illius hominis incusans, quod ei curae non sit patientia ejus: UBI nunc est, inquit, praesto- Job 17. 15.
latio mea, & patientiam meam, quis considerat? neque hoc solo contentus, praecipitat illum in eam desperationem, ut Deo non aliter quam crudelissimo cuidam tortori saevitiam cum exprobratione objiciat, dicens: VERSUS es mihi in cru- Job 30. 21.
delem: & alio in loco si flagellas, occidas semel: aut saltem de poenis innocentum Job 9. 23.
non rideas. Quae quidem atque alia hujusmodi verba, quae passim in libro Job indignationis, impatientiae, & desperationis plena leguntur, manifeste convincunt, historiae hujus auctorem in tantum a scopo suo digressum, ut nobis pro piissimo, ac fortissimo viro, impatientissimum hominem proposuerit.

DILUTIO OBJECTORUM.

1. SI tam levibus conjecturis liceat nobis de sanctis literis pronunciare, ut historiae illae in sacris voluminibus falsae judicentur, quae linguarum, carminum, nominum, ac personarum varietate constant, nulla Scripturae divinae pars, in qua haec, atque his similia inveniantur, vera erit. Hac enim de causa liber Psalmorum, Lamentationes Jeremiae, finis libri Proverbiorum, Canticum Canticorum Salomonis, & Canticum Mosi magnum inter fabulas deputanda erunt: & omnia, tam veteris, quam novi testamenti volumina credentur esse conficta,

quod tam multa in ipsis nomina, juxta personarum proprietates indita legantur. Revolvant insani Rebaptizantes librum Geneseos, & invenient quemadmodum omnia pene humana nomina sunt mystica, & quomodo prophetico quodam spiritu, & occulta quadam Dei dispositione a veteribus Patribus ab ipsa statim nativitate filiis eorum imposita sunt, ut ex nominum appellatione futuros filiorum eventus, antequam evenirent, quoquo modo praenotarentur. Sic prima omnium foeminarum Eva, hoc est, viventium omnium mater, eo quod talis futura esset, vocata est. Sic Abraham, quod futurus erat auctor tam numerosi feminis, Abraham, hoc est, pater multarum gentium appellatus est. Sic minor Rebeccae filius occulto quodam mysterio, Jacob, hoc est, supplantator dictus est, ut in nomine decepti ab eo fratris supplantatio notaretur, & vere de illo frater ejus Esau aliquando diceret: RECTE vocatum est nomen ejus Jacob: supplantavit enim me & altera vice. Sic duo filii Davidis a futuris vitae successibus, ita inspirante Deo diversi ominis nomina sortiti sunt: hic Scelomo, id est, pacificus, propter futuram sub ejus regno pacem vocatus est; hic vero Absalom, patris scilicet amaritudo, infelici augurio nuncupatus est, ut nomen, doloris amaritudinem portenderet, quam rebellis patri filius fuerat illaturus. Et ne longius vager, sic in novo testamento Simon foelicissimo omine Petri nomen, & filii Zebedaei Boanergis cognomen a Christo acceperunt: ut in illo prima aedificandae ecclesiae petra, in istis futurae praedicationis eminentia monstraretur. Ad horum igitur similitudinem, Job secreto quodam calamitatum, ac dolorum suorum praesagio, antequam eos pateretur, dolentis, & ululantis nomen sortitur; sicut & socii ejus, vel quia similem nominibus vitam fuerant habituri, ita volente Deo vocati sunt; vel, ut progenitorum suorum memoriam ad posteros commendarent, ita forte Eliphas, Baldad, & Sophar, sunt appellati. Nam & ipsis nominibus nuncupatos fuisse legimus aliquos ex iis, qui in genealogia Esau, unde isti traxerunt originem, computantur. Tollitur itaque ex his omnis conficti nominis suspicio. De varietate vero linguarum, quibus diversas libri partes imperitissimi Anabaptistae scriptas existimant, scire oportet, auctorem praesentis historiae, quisquis ille fuerit, sive Job, sive quispiam de amicis ejus, Idumaeum fuisse genere, ut historia ipsa testatur, & hunc librum Idumaea lingua, utpote sibi naturali scripsisse. Sed quemadmodum Idumaea regio, Plinio teste, partim Syriae miscetur, cujus ultima ad occidentem Solem pars est, partim vero Arabiae Petreae, cui contigua est, & in eam excurrit, ita existimandum est, Idumaeam linguam partim ex Syriaca, partim ex Arabica lingua fuisse commistam, & hac usum fuisse hujus libri Scriptorem, quem cum postea Moses, ut Origeni placet, in Hebraïcum sermonem vertisset, & verbum ex verbo magis quam sensum de sensu reddidisset, factum est, ut liber Hebraïce versus, Syriacis, & Arabicis idiotismis in tantum abundaverit, ut triplici lingua videatur esse conscriptus. Cum itaque Hieronymus in Praefatione Job scribit, translationem suam ex Hebraïco, Arabico, & Syro sermone nunc verba, nunc sensus, nunc simul utrunque sonare, non sunt verba ejus ita ad trium linguarum diversitatem referenda, ut credamus, eum editionem suam ex tribus diversarum linguarum fontibus deduxisse, sed ad multiplicem Hebraïcae dictionis varietatem Syrismis, & Arabismis innumeris refertam dirigenda. Quod & ipse Hieronymus in Praefatione Danielis indicavit, cum diceret, librum Job cum Arabica lingua plurimam habere societatem, magis hoc dicto exprimens librum Job cum Arabico habere similitudinem, quam aliquam de partibus suis Arabice scriptam. Jam vero quod ajunt, inter se dissentire Scriptores de auctore hujus historiae, atque ejus patria, tam parvum habet momentum ad veritatem historiae labefactandam, ut consideratione prorsus indignum sit. Nam, ut Beatus Gregorius in Praefatione Job ait: QUIS haec scripserit, valde superflue quaeritur, cum auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur; Ipse haec scripsit, qui haec scribenda dictavit; ipse scripsit, qui in hoc opere inspirator extitit, & per scribentis vocem imitanda ad nos ejus verba transmisit. Praeter hoc etiam, nec ipsi Patres diligenter considerati, inter se de auctore libri, & patria ejus, dissentiunt. Idem enim de his Auctor libri Job, & Origenes, & Ambrosius, & Augustinus affirmant, tametsi alter eum in terra US, alter in Arabia, alter in Edom, alter in Idumaea vixisse dicat:

Genes. 27. 36.

Plin. lib. V. Cap. 13.

Gregor. in Praef. cap. 1.

eadem

eadem enim est terra US, & Edom, dicente Jeremia in Threnis: GAUDE, & *Thren. 4. 21.*
laetare filia Edom, quae habitas in terra US, & utraque in Idumaea est; quae partim, ut diximus, Syriae, partim Arabiae jungitur. Unde & Origenes primo in Job capite, inquit: USSITIDAE sunt genus Esau, posteritas, atque tribus Edom: nam Ussitidae, & Minaei, & Eubaei, & Temannitae, & caeteri omnes, tribus erant ex cognatione, & prosapia Esau, qui & Edom cognominatus est: & universae illae tribus, Idumaei vocitatae sunt, nunc vero omnes uno nomine Arabes appellantur. De stirpe quoque Job, quam Hieronymus ex Abraham per Nachor, Origenes vero, & Ambrosius, & Augustinus, & Gregorius ab eodem Abraham deducunt per Esau, si attente utrorumque mens attenditur, aut nihil discrepant, aut parum: siquidem omnes hi juxta sententiam veteris, ac vulgatae Graecae, & Latinae editionis, locuti sunt, in cujus calce verba haec olim legebantur: ERAT autem Job filius Zareth, de Esau filiis filius, de matre vero Bozra. Hieronymus autem, ut ipsemet fatetur, juxta Hebraeorum sententiam locutus est, apud quos verba ista nusquam in Job volumine leguntur: neque tamen eos errasse voluit Hieronymus, qui Job de Esau descendisse crediderunt, sed eos falli credidit, qui ad id asserendum, nulla alia de causa movebantur, quam ex praedictis verbis, quae Hebraïca veritas ignorabat.

2. TRANSEO nunc ad execrabiles blasphemias, quibus improbi sanctissimum virum impetunt, volentes juxta mortuam literam memoratas ab eo sententias intelligi, quas absque ullo dubio juxta mysticam vivificantis spiritus intelligentiam exponendas fore, ipse verborum contextus aperte convincit, cogentibus ad hoc praecedentibus, ac subsequentibus sermonibus, qui praedictas sententias nequaquam secundum literam intelligi permittunt. Nam qui fieri potest, ut Job ex ira, *Gregor. Mag. Praef. in Job cap. 3. & 4.*
& indignatione maledixerit diem nativitatis suae (quemadmodum ejus verba extrinsecus indicare videntur) qui post filiorum, filiarum, atque omnium facultatum interitum, post insanabilis plagae percussionem, male consulenti uxori respondent: SI BONA suscepimus de manu Domini, mala cur non sustineamus? *Job 2. 10.*
aut quomodo verisimile fuerit, ut ex animi desperatione vitam suspendio finire decreverit, qui tanta fiducia exclamat: ET si me occiderit, sperabo in eum? & *Job 13. 15.*
quomodo credibile est, voluisse eum vitam suam ab omni labe immundam praedicare, cum diceret: NON reprehendit me cor meum in vita mea: qui se peccas- *Job 27. 6.*
se publica voce fatetur, inquiens: PECCAVI, quid faciam tibi o custos hominum? *Job 7. 20. 21.*
cur non tollis peccatum meum, & aufers iniquitatem meam? & quo pacto affirmare audebimus Job de injustitia, & severitate Dei conquestum, qui justitiam Dei praedicans, dicit: SI aequitas judicii ejus quaeritur, nemo pro me potest testimo- *Job 9. 19. 20.*
nium dicere: quia si justificare me voluero, os meum condemnabit me. Cum ergo verba haec secundum literam collata, sibi convenire nequeant, aliud in se occultum, quod quaeratur, ostendunt. Igitur si primum beati Job verba, quibus diem maledicit juxta extrinsecum vocis sonum, quemadmodum exponit Origenes, intelligamus, nihil absurditatis patiuntur: non enim tanti est maledictio illa, ut ejus gratia sanctus ille vir accusandus sit. Siquidem cum diem natalem malediceret, qui jam exsoleverat, nec jam amplius erat, nihil sane maledixit: dies enim praeteritus neque est in natura, neque in actu, neque in propria potestate, sed solum inane nomen, & prorsus nihil: qui ergo nihil maledixit, nihil peccavit. At si mysticam sectemur Gregorii expositionem, agnoscemus male- *Greg. Lib. IV. Moral. cap. 6.*
dictionem hujusmodi sanctam esse, non pravam: quippe quae non ex voto ultionis, sed ex rectitudine judicii, & ex animi tranquillitate oritur: ut inde discamus duplicem esse diem vitae nostrae, alterum primae conditionis, & creationis humanae, in quo creatus est homo in justitia, & sanctitate, hoc est diem justitiae, innocentiae, sanctitatis & gratiae: alterum vero diem execrabilem, & maledictioni obnoxium, diem scilicet posterioris nativitatis, in qua natus est homo in peccato, & iniquitate, diem peccati, & corruptionis humanae. Cum ergo Job diem malediceret suum, non dixit: PEREAT dies in qua conditus sum, sed dies in qua natus sum: ac si aperte diceret, dies peccati, & culpae, dies nostrae mortalitatis pereat, & dies innocentiae, sanctitatis, & gratiae, dies gloriae, & immortalitatis erumpat. Atque juxta hunc sensum intelligendum est optasse Job

abortivum se interiisse, & in hanc vitam non venisse, videlicet in vita peccati,
Job 7. 15. iniquitatis, & culpae. Similiter quod ait: SUSPENDIUM elegit anima mea, & morrem ossa mea; de spiritali suspendii, ac mortis genere expnnitur: ut per animae suspendium, elevationem ejus a terrenis ad caelestia, a carnalibus ad spiritalia intelligamus: sic enim Paulus suspendium elegit, cum dixit: CHRISTO con-
Galat. 2. fixus sum cruci. Per desperationem vero, terrenarum voluptatum abdicatio, & mundanae spei abjectio intelligendae sunt. Illud quoque, quod addit: UTINAM appenderentur peccata mea in statera, &c. mystice de Christo in cruce pendente
Gregor. libr. XVIII. Mor. cap. 25. pro peccatis nostris dictum est. Volens enim Job Dnminicae passionis gravitatem ostendere: UTINAM, inquit, appenderentur in lance divinae justitiae peccata mea; mea quidem, non per culpam, sed per poenae assumptionem; quibus iram patris merui, profecto multo gravior invenlretur poena, quam patior, quam sit hominis culpa, pro qua patior: quia ille, qui patitur infinitus est, is vero pro quo paritur, finitus. Cum autem dixit Job: NON reprehendit me cor meum: considerare debemus, quod duo sunt peccatorum genera, quaedam, quae a justis vitari pnssunt, quaedam vero, quae etiam a justis vitari nnn possunt: & haec quidem sunt perversae cogitationes peccatorum, illa vero perversarum cogitationum consensus, & executiones. Qui ergo in peccatorum cogitationibus labitur, si eis resistat, & ante se reprehendat, quam per consensum in pravas operationes labatur, non haber unde postmodum flendo a corde suo reprehendatur. Sic itaque Job, qui peccatorem se juxta Salmonis sententiam cnnfessus erat, nunc se a suo corde non reprehendi confitetur: quia etsi qua illicita forte cogitando, defecit, tamen cogitationi resistens, nihil vel consentiendo, vel operando defe-
Gregor. Ibid. cit. Denique cum audimus verba illa, quibus Deo crudeliratem exprnbare videtur, credere nos oporter, ea nnn per iram, & indignationem a beato Job prolara. Sicut enim vocant scripturae sanctae humano more Deum sine zelo zelantem, sine ira irascentem, ita a sancto viro Job humano more Deus dictus est sine crudelitate crudelis: crudelis quippe dicitur, qui districte feriendo non parcit: ut videlicet hoc loco crudelis, districte feriens intelligarur. Sicut & Esaias volens ostendere ultimum judicii diem, non jam cum venia, sed cum districtione esse ven-
Isai. 13. 9. tutum, dixit: ECCE Domini dies veniet crudelis, & indignationis plenus. Ea vero,
Greg. lib. IX. Moral. ca. 19. quae subdidit, inquiens: SI flagellas, occidas semel, &c. similiter non per odium, & exprobationem, sed ex ardenti desiderio humanae redemptionis ad Deum patrem prophetico quodam spiritu emissa sunt: quorum ut sensus lucidior fiat, notandum est prius, quid per poenam innocentum, & per Dei risum significetur. Itaque Dei risus, vel ridere Dei est, humanae nolle afflictionis misereri: poena
Prove. 13. 12. vero est, desiderii dilatio, dicente Salomone: SPES, quae differtur, affligit animum. Poenae ergo innocentum sunt, ardentissima illa veterum patrum desideria, quibus aestuante animo mysterium Incarnationis videre cupierunt. Ridere vero Dei fuit, non implere eorum desideria. Quousque enim electnrum suorum vota nnn compatiens distulit, quid aliud quam innocentium poenas risit? Itaque vir sanctus venturi redemptoris dona considerans, & votorum suorum dilationem parienter tolerans, dicit: SI flagellat occidat semel, & non de poenis innocentum rideat: ac si aperte exnret, dicens: Quia vita nostra quotidie flagello vindictae pro culpa atteritur, ille jam veniat, qui pro nobis semel sine culpa moriatur, ut de innocentum poenis Deus ultra non rideat, si ipse carne passibilis appareat, in cujus se desideriis mens nostra castigat. Satis igitur ex his Anabaptistarum blasphemiae confutatae sint.

DE LIBRIS ESDRAE, TOBIAE, JUDITH, ET ESTHER. HAERESIS XI.

LIBROS Esdrae, Tobiae, Judith, & Esther, tanquam incertae fidei, & auctoritatis historias abjicere.

ASSERTORES HUJUS HAERESEOS.

ANABAPTISTAE libros istos in universum rejiciunt. Lutherus vero addubitare

bitare se dicit, utrum liber Tobiae, ac Judith in ordine sacrorum voluminum recipiendi sint.

IMPUGNATIO.

DAMNANT hanc haeresim totius ecclesiae auctoritas, Conciliorum decreta, & Patrum testimonia. Primus enim & secundus Esdrae, qui Nehemias dicitur, non solum in omnibus catalogis vetustissimorum Ecclesiae Patrum inveniuntur, & in decretis Pontificum eorum testimonia citantur, sed etiam apud Hebraeos inter כתובים, hoc est Agiographa, vel sancta scripta, quae locabantur in arca, computantur. Tobias vero, etsi apud ipsos in Canone non sit, ecclesia tamen Christianorum a Concilio Carthaginensi tertio, usque ad haec nostra tempora, semper eum in Canone habuit, & antiquissimi quique ecclesiae patres de ipso ceu de canonica scriptura varia testimonia protulerunt. Inter alios vero Clemens primus ejus nominis Pontifex, epistola prima, & secunda, & Anacletus in suo primo decreto, Alexander vero Papa primus in epistola prima ad confirmationem Sanctissimae Trinitatis, utitur testimonio benedictionis Tobiae, inquiens: SI Trinitas non est, cur Tobias cum filium suum mitteret in Rages civitatem cum Raphaële Archangelo, benedicens eos ita dixisse docetur? Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, ipse impleat benedictionem suam in vobis. Similiter & Innocentius primus in sua decretali epistola ad Exuperium, Callistus Papa primus in secundo decreto, & Marcellus Papa primus in secunda epistola, hujus historiae testimoniis usi sunt. (a) Judith quoque librum non solum sancta Nicaena Synodus (ipso Hieronymo teste) in numero sanctarum scripturarum suscepit, sed ipsi pariter Hebraei inter fide dignas historias tenent, collocantes eum una cum libro Tobiae inter sancta scripta, quae apud eos extra arcam servabantur, nec intra arcam cum caeteris canonicis libris custodiebantur. Tradunt etiam auctorem libri hujus fuisse Joachim sacerdotem, Jesu sacerdotis magni filium, cujus Philo Judaeus secundo Chronographiae libello meminit his verbis: GESSIT ergo Jesus pontificatum primum usque ad duodecimum annum Assueri Persi annis sex & triginta; Joachim vero filius ejus in absentia, annis octo. Is & Judith gesta conscripsit & anniversariam liberationis memoriam quotannis agendam instituit. De libro autem Esther quanvis olim apud quosdam Graecos patres dubitatum fuerit, an canonicus esset, omnia tamen Concilia eum in sacrorum voluminum catalogis annumerarunt, & Hebraei inter sanctos Chethubim libros recensuerunt. Hunc putant plerique Latinorum a Mardochaeo editum, sed Philo Judaeus loco superius memorato, asserit ab eodem Joachim pontifice scriptum, qui cum jam secundo esset pontifex, adhortante eum per literas Mardochaeo Hebraeo patre adoptivo ipsius Esther, historiam hanc literis mandavit, instituitque annuam solemnitatem פורים PHURIM, hoc est, sortium, quae in volumine Esther annotatur, & a Judaeis usque ad hoc tempus singulis annis in memoriam Judaicae liberationis colitur.

Hiero. Praef. in lib. Judith

Capite 9.

OBJECTA HAERETICORUM.

1. DE libris Esdrae quid sentiendum sit, Hieronymus in praefatione Esdrae indicat his verbis: NEC quemquam moveat, quod unus a nobis liber editus est, nec apocryphorum tertii, & quarti libri somniis delectetur: quia & apud Hebraeos Esdrae, Nehemiaeque sermones in unum volumen coarctantur: & quae non habentur apud illos, nec de vigintiquatuor senioribus sunt, proculdubio rejicienda sunt. Ex quibus verbis manifestum est, tertium, & quartum Esdrae nihil nisi mera vanaque somnia continere, duosque tantum libros ex quatuor in canone remanere: quorum alterum, nempe secundum, qui Nehemiae dicitur, Isidorus libro sexto etymologiarum cap. 2. de canone abjicit, affirmans secundum & tertium Esdrae libros non haberi apud Hebraeos, sed ab eis inter apocrypha deputari.

2. DE

(a) Spuriis monumentis ab Authore N. laudatis (ut non semel est adnotatum) sufficienda sunt genuina, nimirum, Cypriani *Lib. de Opere, & eleemosyn.* & Lib. III. *Testimon. ad Quirinum*, Basilii *Homil. de Avarit.* Ambrosii *Lib. VI. Hexaëm. c. 4.* Augustini *Lib. 2. de doctr. Christ.* & *in speculo*, Gelasii I. R. P. in decreto *de libris Sacris*, Isidori *Lib. VI. Etymol. c. 2.* Cassiodori *Lib. 1. divin. institut.* aliorumque omnium posteriorum.

2. DE Tobiae vero, & Judith libris, quod in canone non sint, palam testatur Hieronymus in prologo Tobiae, inquiens: LIBRUM utique Tobiae, quem Hebraei de catalogo divinarum scripturarum secantes, inter apocrypha memorant mancipatum; & in prologo galeato: JUDITH, & Tobias, inquit, & Pastor, in canone non sunt. Et ne quis eum de solo Judaeorum canone locutum putaret, in praefatione Proverbiorum addidit: JUDITH, & Tobiae, & Maccabaeorum libros legit quidem ecclesia Dei ad aedificationem plebis, sed eos inter canonicas scripturas non recipit.

3. ET merito quidem ecclesia Dei librum Judith in canone non recipit, propter historiae incertitudinem; cujus nec gesta, nec tempora, cum probatis gentium historiis conveniunt. Siquidem duo illi Medorum reges, qui in principio libri Judith nominantur, Arphaxat, videlicet, & Nabucodonosor, quorum temporibus gesta praesentis historiae contigisse narrantur, nusquam in gentium historiis commemorantur. Neque illud quicquam facit ad rem, quod Lyranus, & Glossae auctor, & Eusebius in Chronicis asseruot, duos istos reges diversis apud Hebraeos, & prophanos historicos nominibus nuncupatos, ita ut, quem Graeci Cambysen secundum regem Persarum vocant, Judaei Nabucodonosor nominent; & quem Graeci Dioclen quiotum Medorum regem, Ecbatanae urbis conditorem faciunt, Hebraei illum ipsum Arphaxaten Ecbatanae fundatorem appellent. Nam si ita sit, quomodo Nabucodonosor, a Graecis Cambyses dictus, cujus tempore hanc historiam accidisse Eusebius in Chronicis scribit, adversus Arphaxat, quem Glossae auctor asserit Dioclen esse Ecbatanae aedificatorem, pugnare potuit in campo magno Ragau, & regnum ejus obtinere, sicut in exordio praesentis historiae scribitur, cum inter Cambysen, & Diocleo plusquam centum ac viginti anni intercesserint? in quibus (ut ex Chronicis Eusebii colligitur) quatuor intermedii reges unus post alterum regnaverunt, videlicet: Phaartes, annis vigintiquatuor: Cyaxares, annis trigintaduobus: Astyages, annis trigintaocto: Cyrus annis triginta: qui simul juncti, comprehenduot annos centum vigintiquatuor. Redditur etiam incerta libri hujus historiae ex multis aliis, quae in ipsa continentur: veluti de Arphaxat, seu Diocle, quem Eusebius, atque omnes posteriores Chronographi, quinquagintaquatuor annos regnum Medorum obtinuisse scribunt, initium vero libri Judith duodecim tantum annos regnasse narrat, & anno duodecimo regni sui debellatum, ac de imperio dejectum a Nabucodonosor, sive Cambyse rege Assyriorum. De urbe vero Ecbatana, quam auctor libri Judith Arphaxarem, alias Dioclen lapide quadrato potentissimam exaedificasse memorat, Plinius eam lib. 6. cap. 14. tradit a Seleuco rege longo post tempore conditam. Quibus tam apertis contradictionibus Josephi quoque auctoritas accedit, qui cum omnes Judaicas antiquitates, quascunque veras credidit, literis mandare professus sit, nec ullam historiae hujus mentionem fecerit, eam incertam, ac falsitatis suspectam reddidit; cum nulla eum causa retinere debuisset, quin tam magnificam gentis suae victoriam memoriae ad posteros transmisisset, si eam fide, & historia dignam existimasset.

Judith. 1.

4. DE libro item Esther non minor quam de libro Judith suspicio est: quia (ut Hieronymus in praefatione Esther affirmat) sumpto historiae themate, historico artificio scriptus sit, additis ad scriptoris arbitrium his, quae pro tempore dici, & audiri poterant, sicut solitum est scholaribus disciplinis sumpto themathe excogitare, quibus verbis uti potuit, qui injuriam passus est, vel qui injuriam fecit. Quam Hieronymi sententiam esse veram, sex ultima hujus libri capita ostendunt, a decimo videlicet, ad sextumdecimum, quae in Hebraeo volumine non habentur, sed, vel a Josepho, vel ab alio quopiam scriptore conficta sunt. Nam & exemplum literarum Aman, quae decimotertio capite recitantur, & exemplum epistolae regis Artaxersis, quod capite sextodecimo recensentur, ex cap. 6. libri undecimi Antiquitatum Josephi, nullo pene immutato verbo, in hunc librum excepta sunt. Josephus enim ut erat historicae legis peritus, cum animadvertisset, vel historiam hanc reddi suspectam, vel regem inconstantiae, ac levitatis facile notari posse, quod post literas, in quibus omne Judaeorum genus oboleri jusserat, repente mutatus, sententiam suam novis emissis literis revocasset.

vocasset, inseruit capiti 3. & 8. ac pleris que aliis hujus historiae locis, multa quibus haec animi in rege mutationem, una cum historiae narratione ab omni calumniae, vel figmenti suspicione vindicaret. Quod autem in hisce capitulis ab eo factum est, idem in caeteris, vel ab eo, vel ab aliis corruptoribus factum credibile est.

5. PRAETER haec autem, historiae partes adeo inter se dissonant, ut quod antea in ea sub uno rege, ac tempore gestum refertur, idem postea sub alio rege, ac tempore accidisse legatur. Cum enim secundo ejus capite scriptum sit, Bagatao, ac Tharen regios eunuchos, ac regii palatii janitores, qui in regis Assueri necem conjuraverant, fuisse detectos, & ambos in patibulo suspensos, idque post annum septimum Assueri regis, infra in capite undecimo, & duodecimo idem refertur ab iisdem eunuchis, & Mardochaeo factum sub diverso rege, ac tempore, nempe sub Artaxerse rege, in quem eunuchi illi conspirasse scribuntur anno secundo regni ejus. Quod si quis dixerit, eundem hunc esse Artaxersem cum eo, qui supra dictus est Assuerus, ut Eusebius in Chronicis adnotat; putans hunc fuisse Artaxersem Memnonem, Darii Nothi ac Parisatidis filium, tunc alia major insurgit controversia, quae omnem historiae auctoritatem evertit. Si enim tempore Artaxersis praesens historia contigit, consequens est, tunc Mardochaeum Judaeum, ducentos vitae suae annos habuisse, quod omnem veritatis fidem excedit: praesertim vero, cum historia describat eum regia servitia in palatio regis, integris adhuc viribus exercuisse, ac per urbem valide obequitasse, multaque alia ejusmodi non segniter peregisse: quae quidem illum in tam decrepita aetate praestare potuisse, verisimile non est, annum aetatis ducentesimum agentem: tot enim annos eum vixisse invenimus; si tempus ab ejus captivitate usque ad regem Artaxersem supputemus: fuit enim Mardochaeus de filiis captivitatis, quos Nabucodonosor rex Assyriorum cum Joachim cognomento Jeconia rege Judaeorum transtulit in Babylonem: idque, ut Eusebius in Chronicis scribit, anno octavo Astyagis octavi, & ultimi regis Medorum. Verisimile autem est Mardochaeum tum puerum, ad minus decem annorum fuisse: quibus si addantur triginta anni Astiagis, qui triginta & octo annis regnavit, erunt quadraginta, quibus si addatur numerus annorum, quibus unus post alium regnaverunt undecim reges Persarum, a Cyro, qui primus regnum Medorum, devicto eorum rege Astyage, ad Persas transtulit, usque ad Artaxersem Memnonem Darii Nothi filium, eruut anni centum oonagintanovem: quam quidem annorum summam necesse est Mardochaeum non solum explevisse, sed multis etiam annis post eam supervixisse. Scribitur enim Judith capite decimo regem Assuerum post hujus historiae eventum multa bella gessisse, & omnem terram ac insulas maris suae ditioni subegisse, deindeque Mardochaeum caeteris praelatum, universo imperio suo praefecisse. Quae cum nullam veritatis similitudinem praeseferant, liquet, historiam Judith sumpto themate ab incerto auctore ad styli exercitationem (sicut Hieronymus innuit) fuisse confictam.

DILUTIO OBJECTORUM.

1. DE LIBRIS Esdrae tertio, & quarto, quos Hieronymus somnia vocat, & in Canonem non assumit, quanquam haereticis nihil respondendum esse existimemus, non tamen illos damnare, ac prorsus rejicere audemus, praesertim cum B. Ambrosius, ut jam in primo libro ostendimus, quartum Esdrae volumen recipiat, & Augustinus indicet nonnulla, quae in tertio libro sunt, mystice tanquam de Christo esse intelligenda: quale illud est, cum inter juvenes quosdam orta quaestione, quidnam plus valeret in rebus, unus reges dixit, alter vinum, tertius mulieres, quae plerunque regibus imperant, idem tamen tertius veritatem super omnia demonstravit esse victricem: quod certe ad Christum, qui summa est veritas, convenientissime aptari potest. De secundo vero libro, quem Isidorus de Canone excludere videtur, dicimus, alium esse librum Esdrae, quem ipse secundum vocat, & de canone rejicit, alium vero esse secundum librum Esdrae, quem nos in canone recipimus. Noster incipit: VERBA NEHEMIAE, FILII HELCHIAE, qui apud Hebraeos cum primo Esdrae idem est, atque unicum

S. Aug. lib. 18. de Civ. c. 36.

III. Esd. 3. 10. 11. & 12.

Aug. lib. 20. de Civ. Dei cap. 25.

eum eo efficit librum. Secundus autem apud Isidorum inde incipit unde apud nos tertius Esdrae initium sumit: nempe ab his verbis: ET FECIT JOSIAS, qui una cum sequenti libro apud Hebraeos non extat. Quod autem Isidorus librum, quem nos de nomine Nehemiae inscriptum secundum fecimus, ceu canonicum recipiat, patet ex ipsis Isidori verbis, quae paulo ante praemisit dicens: ESDRAE liber auctoris sui titulo praenotatur, in cujus textu Esdrae, Nehemiaeque sermones pariter continentur.

2. DE LIBRIS quoque Tobiae, & Judith, breviter respondemus, nihil ipsis auctoritatis adimi, quia eos Judaei inter apocrypha computent: licet enim eos Judaeorum Synagoga non recipiat, sancta tamen Christi ecclesia in Canone recipit, illosque pari veneratione cum aliis sanctis libris legit atque colit. Ad eam vero Hieronymi sententiam, qua libros istos asserit ab ecclesia Dei inter canonicas scripturas minime recipi, dicimus, verba ejus sic sine ulla discretione considerata, non esse prorsus vera: quoniam Augustinus Hieronymo synchronos in secundo libro de doctrina Christiana cap. 8. utrunque in ordine canonicorum librorum enumerat, & Concilium Carthaginense tertium, cui Augustinus interfuit, in catalogo sacrarum scripturarum enumerat. Ex quibus evidentissime constat, hos libros etiam tempore Hieronymi fuisse ab ecclesia catholica in Canone susceptos. Proinde Ambrosius Compsae episcopus huic argumento occurrens, ait, ecclesiam duobus modis apud veteres scriptores interdum accipi, aliquando pro his, qui in ecclesia Dei caeteris praesunt, uti sunt doctores, pastores, & rectores ecclesiae, de qua ecclesia Christus se ipsum intelligi volebat cum
Matth. 18. 17. diceret: VADE, & dic Ecclesiae: nonnunquam vero accipitur ecclesia pro universo fidelium coetu, praecipue vero pro his, qui inferiores sunt, ac de grege ovium, quae pastoribus subjiciuntur: de qua ecclesia Paulus pastores admonens,
Actor. 20. 28. dicit: ATTENDITE vobis, & universo gregi, in quo vos posuit Deus regere ecclesiam Dei: & de hac ecclesia Hieronymus locutus est, cum dixit ecclesiam Dei suo tempore libros istos nondum inter canonicas scripturas accepisse, tumultuantibus scilicet adhuc seditiosis quibusdam, atque una cum eis vitiosa quadam multitudinis consuetudine resistente, ne ab omni generaliter congregatione fidelium reciperentur: apud ecclesiam vero prima significatione sumptam libri isti semper tanquam canonici habiti sunt. Haec Ambrosius. At cum in principio hujus Operis ostensum sit plerosque magni nominis patres & ecclesiae proceres Tobiae, ac Judith volumina inter apochrypha deputasse, sciendum est, ut jam primo libro monuimus, duos esse Canonicorum voluminum ordines, quorum prior continet libros, de quorum fide & auctoritate nulla unquam inter praesules ac pastores ecclesiae fuit controversia: posterior vero complectitur scripturas non statim in exordio nascentis ecclesiae a patribus ac pastoribus agnitas & receptas, sed multo post cum prius de his dubitationes & diversa inter illos judicia fuissent. Hieronymus igitur una cum aliquot patribus ad primum ordinem respiciens, pronunciavit libros Tobiae, ac Judith non esse Canonicos, hoc est de numero canonicorum primi ordinis. Augustinus vero cum aliis patribus, habita ad secundum ordinem ratione, eosdem libros inter Canonicos refert, neque id Hieronymus improbat.

3. QUOD autem de historiae incertitudine proferunt, facile diluitur, si consideremus omnem allatae difficultatis ambiguitatem in varia temporum, ac regum, qui per ea tempora fuerunt, supputatione consistere; in qua Graecorum historici, quorum princeps Herodotus, quem noster Eusebius secutus est, plurimum distant ab historicis, & chronographis Judaeorum, atque Persarum, quales sunt Methastenes Persa, Cthesias Gnidius, & Philo Judaeus: atque ob hanc diversitatem, aliquos ipsorum rejicere necesse est. Rejicitur ergo Eusebius, ac caeteri, qui in supputandis regibus Persarum & Medorum, eorumque nominibus, ac temporibus recensendis fabulatorem Herodotum secuti sunt: recipiuntur vero justissima de causa Cthesias Gnidius, Methastenes, & Philo: quia Cthesias (ut refert Diodorus Siculus libro tertio suae historiae) ex publica fide, atque bibliotheca Persarum annales in Graeciam retulit, qua de causa Diodorus ipse magis sententiae ejus, quam Herodoti standum censet. Methastenes vero eadem

de

de causa Herodoto praefertur: quia ut ipsemet refert, nullo alio auctore in numeranda serie, ac tempore regum Persarum, ac Medorum usus est, quam publica Susiana Persarum bibliotheca, in qua annales regum Persarum aetate sua, hoc est tempore Alexandri Magni, adhuc integri, & incorrupti servabantur. Philo autem Judaeus ideo solus ex Hebraeis scriptoribus recipitur: quia diligentissime quatuor Monarchiarum tempora, ac praecipue annos, ac nomina eorum, qui regnaverunt in Israël a Mose usque ad Herodem collegit: non incertas opiniones secutus, ut fecit Josephus, sed ex libris septuaginta Seniorum, quos Zanedrin Hebraei vocant, certissima testimonia desumpsit.

NEC me movet quod Anabaptistae veritatis hostes objiciunt: Chronographiam, quae sub nomine Philonis fertur, ejus non esse; quia nec Eusebius lib. x. hist. eccle. cap. 18. nec Hieronymus in libro de viris illustribus hujus voluminis meminere: cum uterque eorum de singulis operibus Philonis satis longum catalogum texuisset. Siquidem ambo fatentur, Philonem libros plures, praeter illos ab eis in catalogo numeratos, scripsisse, qui ad manus eorum non pervenerunt. Huc & illud accedit, quod maxime librum Philonis esse declarat, videlicet ipsummet auctoris hujus Chronographiae testimonium. Scribit enim auctor in calce tertii libelli, se admodum adolescentem a Judaeis suis ex Alexandria missum legatum Romam anno vigesimoprimo Herodis tetrarchae: quae verba nulli convenire possunt, nisi Philoni Judaeo Alexandrino, quem Josephus decimo octavo libro Antiquitatum, & Eusebius libro secundo historiae ecclesiast. cap. 5. tradunt adhuc adolescentem missum esse Romam ad Cajum Caesarem contra Apionem Judaeorum accusatorem, scripsisseque de ea legatione librum, in quo singula ab eo gesta continerentur.

HAEC idcirco dicta sunt a nobis, ut ex hac Philonis Chronographia latissimam aperiamus viam ad dissolutionem non solum praesentis difficultatis, sed & omnium aliarum hujus generis ambiguitatum, quae in apparentibus contradictionibus sacrarum historiarum emergere possunt. Nunc igitur ad propositam Anabaptistarum difficultatem respondentes, dicimus Arphaxat, & Nabucodonosor non esse eos, quos ipsi putant, Diocleo videlicet, & Cambysem, sed longe alios, quos Methasthenes Persa, & Philo Judaeus libro secundo Chronographiae recensuit. Arphaxat enim neque Medorum, neque Persarum rex fuit, sed insignis quidam, ac praepotens (ut Philo ait) factionis Tamiricae fautor, qui statim insurrexit postquam Cyrus a Tamiri Scytharum regina interfectus est, atque in locum ejus suffectus est Artaxerses Priscus Assuerus, qui in libro Judith Nabucodonosor cognominatur, primus Medorum, Persarum, & Assyriorum rex, filius Darii Istaspis, qui una cum suo collega Cyro Medis, Persis, & Assyriis, devicto Baltassare Babyloniorum rege, imperaverat; ut in primo libro Esdrae, & in volumine Danielis habetur. Hic igitur Arphaxat factionis Tamiricae princeps, defuncto Cyro numerum suorum auxit: & occupata Media, Ecbathanam regiam Medorum a regibus olim Medorum extructam, & postea a Cyro semituram, instauravit, & lapidibus (ut in libro Judith legitur) quadratis munivit: qui & ad defectionem compulit Assyrios, Medos, ac Persas, eosque armavit adversus Artaxersem Priscum Assuerum, cognomento Nabucodonosor, qui sese adhuc intra Babylonis fines continebat: cui occurrens Artaxerses cognomento Nabucodonosor, anno duodecimo regni sui (ut historia Judith narrat) fudit eum memorabili praelio in campo magno Ragau, & sumpta contra rebelles ultione, regnum paternum undique pacatum obtinuit. Post quam victoriam, cum sequenti anno missum a se Holophernem a Judaeis truncatum audisset, graviter indignatus, edicto publico vetuit templum erigi, sicuti Esdrae capite quarto notatur. Neque cuiquam mirum videri debet, quod Artaxerses hic Priscus Assuerus in libro Judith, Nabucodonosor appelletur; quia (ut in libro Judith scribitur) & Philo confirmat, Arphaxat invaserat Assyrios, Medos, & Persas: hic vero Artaxerses Assuerus solam Babyloniam tenebat: ubi rex communi appellatione dignitatis Nabucodonosor vocatur, quemadmodum in Aegypto reges primum Pharaones, deinde Ptolemaei, & apud Romanos Caesares sunt appellati. His itaque secundum ordinem Methastenis, ac Philonis dispositis, omnis Anabaptistarum

baptistarum dubitatio tollitur de Arphaxat, & Nabucodonosor, qui in catalogis regum Persarum, & Medorum apud Graecos non inveniuntur. Item de numero annorum, quibus Diocles regnavit, id solum remanet discutiendum, quomodo Plinius dicat Ecbathanam urbem primo a Seleuco aedificatam, qui post Alexandrum Magnum regnavit, & cur Josephus historiae hujus non meminerit. Scire igitur oportet, Ecbathanam, de qua Plinius scribit, diversam esse ab ea, de qua loquitur liber Judith, & de qua Strabo libro undecimo meminit, inquiens: MEDIA est in partes duas divisa, quarum alteram majorem vocant, cujus metropolis fuit Ecbathana civitas, Medici imperii caput, qua nunc etiam Parthi regia utuntur. At vero Ecbathana, de qua Plinius mentionem facit, non in Media est, sed urbs Syriae a Seleuco rege prope Caspias portas vigintimillia passuum condita, quam alii Epiphaniam, alii Egbathanam per g eam scribentes, nuncupaverunt. Quod autem Josephus hanc historiam praetermiserit, sine ratione non est, cum apud Hebraeos in canone non sit: Josephus enim ea solum scribenda assumpsit, quae in Hebraeorum canone habebantur. Unde ipsemet Josephus se excusans, quod multas sacras Hebraeorum historias intactas dimiserit, sic loquitur: NEMO igitur culpet me, eo quod ita narraverim singula, sicut in antiquis libris inveniuntur scripta: nam ipso historiae meae principio propter eos, qui quaestiones movent, & in aliquo culpare nituntur, astruxi, dicens translaturum me libros Hebraïcos in eloquium Graecum, & hos aperire, neque adjicere aliquid seorsum, neque subtrahere me promittens. Haec ille. Cur autem Hebraei librum hunc in canone non habebant, nec satis constat, nec a nobis anxie exquireodum, cum illum ecclesia Christiana inter canonicos esse voluerit. Hactenus de Judith.

Josephus li. 19 Antiquit. c. p. 11

4. DE LIBRO Esther, quem Anabaptistae conficto themate conscriptum contendunt, non crediderim eus esse ita imperitos, ut Hieronymi sensum introspicere nequiverint, sed improbos potius, & impudentes, qui Hieronymum intelligere noluerint. Is enim non affirmat, historiam hanc a primo ipsius Hebraeo auctore conscriptam fumpto, vel conficto themate, sed asserit vulgatam ejus translationem vitio translatorum fuisse vitiatam, qui sumpto, ut in scholiis mos est, narrationis themate, multa de suo capite translationi huic immiscuerunt. Haec enim sunt ipsa Hieronymi verba: LIBRUM Esther variis translatoribus constat esse vitiatum; quem ego de archivis Hebraeorum revelans, verbum e verbo expressius transtuli: quem librum editio vulgata laciniosis hinc inde verborum funibus trahit, addens ea, quae ex tempore dici poterant, & audiri: sicut solitum est scholaribus disciplinis sumpto themate excogitare, quibus verbis uti potuit, qui injuriam passus est, vel qui injuriam intulit. Haec Hieronymus. Proinde si translatores aliquid vel ex Josepho, vel ex quopiam alio pia intentione addiderunt, nihil hoc derogat Hebraïcae veritati, quae in sua semper sinceritate inviolata permansit, & ad nos ex Divi Hieronymi translatione in sua integritate pervenit: qui, ut ex ejus scholiis apparet, sex illa postrema capita, ut ascititia resecuit, & ecclesia catholica eadem tanquam ascititia & apocrypha neglexit.

5. Ex quibus palam fit, Anabaptistarum controversiam inter secundum caput hujus libri, & undecimum, & duodecimum ejusdem libri capita, nullam esse, ut quae additiciis & apocryphis libri appendicibus innitatur. (a) Fatemur tamen, Artaxersem illum, de quo in apocryphis illis capitibus agitur eundem esse cum eo Assuero, de quo in toto libro Esther juxta Hebraïcam veritatem fit mentio: qui etiam, Philone teste, Magnus Artaxerses, & Assuerus Darius Mnemon dictus est, quintus post Cyrum, Persarum, Medorum, & Assyriorum rex, cujus regni anno duodecimo haec historia contigit, quemadmodum tertio Esther capite narratur; agente Mardochaeo annum ferme vitae suae centesimum octogesimum. Et ne cui incredibile videatur Mardochaeum tanto tempore supervivere

(a) Contra hunc errorem satis superque scriptum est I. T. hujus operis, nunc iterum iterumque adfirmamus omnia Capita libri Estheris Canonica esse: & Tridentini decretum, ac judicium iterato laudamus.

Ad pleniorem autem intelligentiam omnium, quae in libro Judith offenduntur, atque ad ventilationem sphalmatum Heterodoxorum legesis Cl. Bernardum Montfaucon, de quo sup. T. I. *fol.* 533.

vere potuisse, habemus testimonium Philonis, qui libro secundo Chronographiae sic scribit; Et successit Joachim, item secundo pontifex, annis quadraginta octo usque ad duodecimum annum magni Artaxersis, qui gesta Esther scripsit, & memoriam פורים phurim instituit, horrante illum per literas Mardochaeo, qui decem & octo annis aetatem Isaac superavit: significans his verbis, Mardochaeum vixisse annis centumnonaginta octo. Isaac enim, ut in Genesi legitur, Genes. 35. 18.
vixit annis centum octoginta. Nec impossibile existimandum est, quod tam longaevus senex integris adhuc viribus in aula regia servierit, cum nihil impossibile sit apud Deum, qui ob amorem, quo maxime populum suum prosequebatur, talem virum ad id aetatis praeter solitum humanae vitae cursum perduxerit, ut populus jugo gentium oppressus, eo vivente liberaretur. Sic & Jesum sacerdotem magnum, ut Philo scribit, centumtriginta annos superstitem esse voluit, ut eo una cum Esdra, ac Zerobabele Duce, populus e Babylone in Hierusalem revocaretur. Sic Tobiam seniorem, ut ultimum ejus historiae capitulum testatur, ad centesimum secundum annum perduxit, vel ut Graeca editio habet, usque ad annum centesimum quinquagesimum octavum, ut eorum, qui erant in captivitate Salmanassar, calamitas, eo consolatore, ac benefactore, ex parte levaretur: sicut ea ipsa causa vitam filii ejus Tobiae usque in nonagesimum nonum, vel ut in Graeco habetur, usque in centesimum vigesimum septimum annum prorogavit: & Judith ad annum centesimum vigesimum quintum pervenire fecit, ut ea superstite, patria ab ea liberata, diutius libertate sua frueretur.

DE LIBRIS MACCABAEORUM. HAERESIS XII.

LIBROS Maccabaeorum nec esse canonicos, nec dignos, qui sacris libris annumerentur.

ASSERTORES HUJUS HAERESEOS.

LUTHERI, & Anabaptistarum haeresis haec est. Lutherus enim cum negaret suffragia mortuorum, & invocationem sanctorum, & templorum dedicationes, videretque hos libros erroribus suis adversari, illorum auctoritatem rejecit. Anabaptistae vero, qui praeter haec, etiam sanctos extra regnum coelorum usque ad diem judicii perpetuo dormire, & pro nullo orare affirmant, cum suam assertionem horum voluminum testimoniis destrui animadverterent, Luthero in hac eadem haeresi subscripsere.

IMPUGNATIO.

LIBROS Maccabaeorum esse inter divinas, & canonicas scripturas recipiendos, Evangelii, & ecclesiae auctoritas ostendit, ac eorum ingens utilitas persuadet. Sunt enim vehementer utiles ad confutandas praecipue nostrorum temporum haereses. Habentur enim in secundo Maccabaeorum volumine clarissima II. Mach. 12.
testimonia de Purgatorio, de Suffragiis pro mortuis agendis, & de Orationibus 41. 44. 45.
sanctorum, qui hinc ad immortalem vitam abierunt. Ad pietatem vero, & ad II. Mach. 15.
omnes virtutes plurimum conferunt, provocantes nos ad fortitudinem, patien- 12. & 14.
tiam, ac spem in afflictionibus, & ad mortem, si opus fuerit, pro pietate sub-
stinendam, exemplo nobilis Eleazari, ac illorum septem fratrum, qui pro sa- II. Mach. 6.
cris legibus tam dira tormenta passi sunt: quos mater pia dum diversis suppliciis 19. 21. & 7.
urgerentur, non solum non flevit, sed & gaudens hortata est ad gloriam passio- per totum.
nis. Digni sunt etiam hi libri ut inter sancta scripta referantur ad certitudinem, & confirmationem multarum rerum, quae in aliis sacrae scripturae libris inveniuntur: permulta enim sunt antea a prophetis praedicta, quae in his libris ve- I. Mach. 5.7.
rissime leguntur completa: ut quod Daniel de abominatione in templo futura Dan. 9. 27.
praevidit, haec volumina indicant in Antiocho fuisse completum: qui abomi- Hieron. super IX. Danielis,
nandum idolum desolationis, nempe suam ipsius statuam posuit super altare Dei & super 24.
in templo, & libros legis combussit, aliaque passim indigna fecit, quae praesen- Matth.
ti historia commemorantur. Item, quod Deus per Zachariam praedixit, visi- Zach. 10.
taturum se super hircos, & quod ex Israële egrederentur, qui exigerent, ac debellarent hircos illos in gloria magna, Hieronymus sententiam Hebraeorum non

improbans, in Maccabaeis completum exposuit, qui contra hircos, hoc est contra Antiochum, Demetrium, Gorgiam, & Nicanorem, qui per hircos a Daniele in regno Graecorum designantur, fortiter praevaluerunt. In Evangelio [Joan 10. 22. I Mach 4 II. Mach. 10.] quoque Joannis testimonium inducitur de festo Enceniorum, id est renovationis templi, de cujus institutione, in primo, & secundo Maccabaeorum volumine agitur. Nec desunt etiam gravissimi auctores, qui cum Theodoreto Cyrensi episcopo asserant, Paulum ad Hebraeos scribentem, de caede septem fratrum, quae [Hebr. 11. 15.] in secundo libro refertur, intellexisse, cum dixit: ALII autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem. Quae verba nullis magis conveniunt, quam septem [II. Mach. 7.] illis fratribus absque ulla poenarum remissione, per omnia tormentorum genera distractis. Quin & ecclesiae antiquissima consuetudo hos libros pro canonicis approbat, dum in sacris mysteriis, quae pro mortuis aguntur, historiam Judae [II. Mach. 12. 43. & 44.] Maccabaei donaria pro peccatis mortuorum offerentis ex posteriore volumine desumit. Cumque tam multi in veteri testamento fuerint justi, ecclesia tamen [Bernardus Epistol. 313.] Christi singulari quodam privilegio, ut ait Bernardus, his solis ex omnibus antiquis justis annuam solemnitatem decrevit. His accedunt innumera vetustissimorum patrum testimonia ex his libris, tanquam de canonicis scripturis desumpta. Origenes in commentariis super quintum caput epistolae ad Romanos, redarguens Valentinorum errorem, qui dicebant in veteri lege nullum fuisse ausum mori pro Deo veteris testamenti: quia scirent eum non esse bonum, hujus historiae testimonio, tanquam canonico utens, inquit: SED quid agent? quia invenimus & in lege martyres multos: legant Maccabaeorum libros, ubi cum omni instantia beata mater cum septem filiis martyrium suscepit: quique non solum martyrium patienter excipiunt, verum & contumelias ingerunt in tyrannos: & videant si verum est, quod dicunt. Eusebius Caesariensis libro duodecimo Evangelicae praeparationis ostendens sanctorum animas a corpore solutas nobis in necessitatibus opem ferre, utitur horum voluminum auctoritate inquiens: Credendum ergo est pias defunctorum animas virtutem quandam habere, qua vel post mortem rebus humanis auxiliantur. Sic certe de Jeremia traditum fuisse Judaei [II. Mach. 15. 14.] contendunt, & Maccabaeorum historia retulit, visum ipsum fuisse post mortem orare pro populo. Ambrosius libro primo Officiorum exemplis ducum Maccabaeorum astruit, sanctos quoque virtutem bellicam decere. Theophilus Alexandrinus episcopus ad totius Aegypti episcopos scribens, libro quarto Pascha- [II. Mach. 7. 1.] lis, hortatur eos ad abstinentiam carnium, sumpto ex hac historia exemplo septem fratrum, qui ne illicitis carnibus vescerentur, corpora cruciatibus obtule- [Capite 8.] runt. Augustinus quoque libro secundo de doctrina Christiana duos Maccabaeorum libros in canone divinarum scripturarum collocat: & libro decimo octavo [Capite 36.] de civitate Dei de auctoritate horum voluminum inquit: MACCABAEORUM libros, non Judaei, sed ecclesia pro canonicis accipit, propter quorundam martyrum passiones vehementes, atque mirabiles; qui antequam Christus venisset in carnem usque ad mortem pro lege Dei certaverunt, & mala gravissima atque horribilia pertulerunt. Atque hoc ipsum aliis etiam suorum Operum locis testa- [Capite 1. & lib. de doctr. Christ. cap 8.] tur, maxime vero in libro De cura pro mortuis agenda, & sermone 44. ad fratres in eremo; [a] quibus in locis ex duodecimo capite posterioris libri Maccabaeorum probat, orationes, & sacrificia pro mortuis offerenda. Omitto brevitatis gratia concilium Carthaginense tertium, epistolam Innocentii Papae ad Exuperium, Gelasii Pontificis catalogum, & decretum concilii Florentini sub Eugenio quarto, in quo ex horum voluminum testimonio error Graecorum De purgatorio damnatus est, atque alia innumera, quae horum librorum auctoritatem tuentur, & ne taedium lectori pariam, ad haereticorum objectiones me confero.

OBJECTIONES HAERETICORUM.

1. MULTA sunt in his libris, quae a communi omnium historiarum consen-

su

(a) Laudatus Sermo XLIV. sicut & ceteri ad *Fratres in Eremo* sub nomine Augustini olim venditati (si dumtaxat LII. & LIII. De disquisitione Clericorum suorum excipias, quum hi re vera Augustinum Authorem habeant, atque inter epistolas locum habere debeant (ipso met latente, ac censente Erasmo) Augustini non sunt, illorumque author non levem subiit censuram inlustrium virorum Bellarmini, Baronii, N. Natalis, Dupinii, aliorumque. Consule tamen laudatos Theologos, & alios Polemicos, ubi innumera PP. monumenta extant.

fu discrepant, & a fidei Christianae veritate dissentiunt, propter quae merito re-
jiciendi videntur. Ac primum, quo ad historiae veritatem pertinet, inmo statim
primi voluminis legitur, Alexandrum Macedonem, Philippi filium, primum re- I. Mach. I.
gnasse in Graecia: cui opinioni historiae omnes repugnant. Etenim Eusebius Cae-
sariensis diligentissimus temporum supputator, caeterique Chronologi, multos
ante Alexandrum in Graecia regnasse scribunt, & apud Macedonas maxime: quo-
rum primus fuit Gramaeus, a quibusdam etiam Carranus dictus: quo tempore
apud Hebraeos regnavit in Juda Ozias, & in Israël Jeroboam. Alexander autem
Macedo vigesimusquartus regnavit in Graecia, Jaddo pontifice maximo apud
Hebraeos existente, anno mundi 4860. Olympiade CXI.

2. IBIDEM quoque scribitur Antiochum Epiphanem regnare coepisse anno I. Mach. I. 8.
centesimo trigesimo septimo regni Graecorum, quod ab Alexandro incepit. In
Chronicis vero Eusebii, & in caeteris Graecorum annalibus ab Alexandro ad ini-
tium regni Antiochi per singulos reges numerando, inveniuntur anni multo plu-
res, videlicet centum quinquaginta tres. Unde non inepte Joannes Annius peri-
tissimus Chronographus videns controversiam istam sedari non posse, scripsit in
commentariis super Chronographia Philonis, Josephum hos libros apocryphos
reddidisse, dum ipsorum historiam per male supputata tempora distinguere
voluit.

3. DE morte item Antiochi, ac mortis genere, causa, loco, ac tempore, libri
Maccabaeorum tam gentium historiis, quam sibi ipsis contraria narrant. Nam
de mortis genere, primo volumine scribitur, eum prae animi tristitia in lectum I. Mach. 6. 8.
decidisse, factoque testamento & instituto regni successore, diem obiisse: contra
vero, initio secundi libri legitur eum violenta morte interiisse, lapidibus scilicet II. Mach. I. 16.
a sacerdotibus percussum, & una cum sociis suis reciso capite, membratim dilace-
tum. Deinde nono ejusdem libri capite, alio quoque violentae mortis genere pe- II. Mach. 9. 5. 6. & 7.
riisse refertur: nempe, quod fugiens de curru ceciderit & collisis totius corporis
membris, marcescentibus undique carnibus, & scaturientibus toto corpore ver-
mibus, inter horribiles dolores ac foetores misere expiraverit. De loco vero mor-
tis, primo libro dicitur, eum in Babylone, & in proprio lectulo, diuturno lan-
guore confectum vita excessisse: sub exordium vero secundi libri scribitur, eum
intra fanum Nanneae, in Perside a templi sacerdotibus occisum: infra autem ca-
pite nono ejusdem libri in itinere, jam transgressum Ecbatanam legitur in-
teriisse. Nec minor est de tempore diversitas, dum primus Maccabaeorum asse- I. Mach. 6. 16.
rit defunctum Antiochum anno centesimo quadragesimonono regni Graecorum:
secus autem principio posterioris libri narratur eundem mortuum anno centesi- II. Mach. I. 10.
mo octogesimo octavo regni Graecorum. Et nono ejusdem libri capite colligitur
eundem esse mortuum anno centesimo quadragesimosexto regni Graecorum: obiit
enim biennio ante purgationem templi Hierosolymitani, factam a Juda Macca-
baeo: ea vero, ut primus Maccabaeorum testatur, contigit anno centesimo qua- I. Mach. 4. 52.
dragesimooctavo regni Graecorum, vigesima die mensis Casleu, id est mensis no-
ni. De causa quoque mortis ejus, minime convenit historia Maccabaeorum cum
externis gentium historiis. Polybius enim Megalopolita, quem Josephus virum Josephus lib.
optimum nominat, & Livius non contemnendum auctorem appellat, atque una XII Antiqu.
cum Polybio, Diodorus Siculus, ambo referunt, Antiochum Epiphanem tem- c. ult lib X. decade 3.
plum Dianae in Elimaide ditissimum spoliare conantem, oppressumque a custo- Hieronym. in Com. Dan. 9.
dibus, & a vicinis circum gentibus fugatum, quibusdam phantasiis, atque terrori-
bus versum in amentiam; ac morbo postremum ea de causa interiisse, quod tem-
plum Dianae violare voluisset: sed uterque Maccabaeorum liber omnium malo-
rum ac mortis Antiochi causam rejicit in calamitates injuste Judaeis illatas, &
templum Judaicum ab eo impietatibus omnibus contaminatum.

4. EST etiam contradictio implacabilis de rebus a Juda Maccabaeo gestis, ac
de morte ejus inter utrosque libros. Cum enim in primo volumine testetur auctor, I. Mach. 4. 52.
templum a Juda purgatum, & altare Dei instauratum anno centesimo quadrage-
simooctavo regni Graecorum, die vigesimo mensis Casleu, anno videlicet uno
ante mortem Anthiochi Epiphanis, in secundo volumine idem auctor scribit, ean- II. Mach. 10.
dem templi purificationem factam a Juda, biennio post mortem Antiochi, anno
scilicet

ſcilicet regni Graecorum centeſimo quinquageſimo primo. Cui Euſebius in Chronicis conſentit, ſcribens Judam imaginibus idolorum emundaſſe templum anno Antiochi Eupatoris ſecundo, trienoio poſtquam ab Antiocho Epiphane fuerat [I. Mach. 9. 18.] contaminatum. De morte ſimiliter Judae, primo libro Maccabaeorum dicitur, quod, inito adverſus Demetrii Soteris duces praelio occiditur, ſexto, ut Euſebius annotat, Demetrii aono, hoc eſt aonis octo poſt mortem Antiochi illuſtris, regni vero Graecorum anno centeſimo quinquageſimo ſecundo: ſed principium [II. Mach. 1. 7.] ſecundi Maccabaeorum oſtendit Judam triginta poſt hoc tempus annis viveotem, ſub Demetrio decimoquatto rege Syriae, qui quartus regnavit poſt Demetrium Soterem, ſcripſiſſe una cum ſenatu Judaeorum epiſtolam ad Ariſtobulum magiſtium Prolemaei Philometoris anno centeſimo octogeſimo octavo regni Graecorum.

5. CONTINENTUR item hac hiſtoria non pauca fabuloſa, & incerta, quae, quod etiam pejus eſt, de teſtimoniis falſo ex libris prophetarum inductis confir- [II. Mach. 1. 19.] mantur, quale illud eſt, quod poſteriori volumine recenſetur, nimirum, ſacerdotes juſſu Jeremiae prophetae acceptum igoem de altari abſcondiſſe in vallem, ubi puteus erat altus, & ſiccus, quem poſt annos multos Nehemias reverſus de captivitate, per nepotes illorum ſacerdotum, qui eum abſconderant, effodi juſſit. [I. Mach. 2. 4.] Rurſuſque Jeremiam eodem tranſmigrationis tempore abſcondiſſe tabernaculum, arcam, & altare incenſi in ſpelunca montis Nebo, in quem Moſes jam moriturus aſcenderat. Praeterea confirmat haec ex libris Jeremiae prophetae, & Nehemiae: cum tamen nihil unquam tale factum, aut dictum in toto veteri teſtamento legatur, neque etiam factu poſſibile fuerit: quia Jeremias toto tempore Hieroſolymitanae obſidionis uſque ad ultimum urbis excidium in carcere fuerit, ut ex 37. & 38. capite ejus libri apparet, qui ſicut ante urbis excidium haec facere non potuit, ita neque poſt: capta enim civitate, ſtatim Chaldaei omnia precioſa templi rapuerunt, & aſportarunt in Babylonem, quemadmodum in quarto [IV. Reg. 20. 17. & 13.] Regum volumine ſcriptum iovenitur: inter precioſa vero, precioſiſſima erant ta- [XXV. 13. 14. 15.] beruaculum, in quo, ut in Exodo legitur, eraot innumeri anuli aurei, tabulae, [Exod. 25. 29.] & columnae aureis laminis connectae, baſes aureae atque argenteae quampluri- mae; arca quoque aureis lamiois muodiſſimis intus & extra veſtita erat: quae quis credat Chaldaeos praedae avidos Jeremiae dono dediſſe, qui nec minoris precii rebus abſtinuerunt, frangentes omnia vaſa argeotea, & aerea, & ſecum in Chaldaeam aſportantes? Quae etiamſi Jeremias ab eis dooo accepiſſet, non fuerat taciturus, cum nec mioora ab eis accepta beneficia tacuerit, nec cibaria, & munuſcula a magiſtro militiae Aſſyriorum accepta ſilentio praeterierit.

6. NEQUE omittendum eſt, quod in his libris etiam aliqua contra divinam, ac naturalem legem imitanda proponuntur, praecipue vero in fine poſterioris li- [II. Mach. 14. 42. 41.] bri: quo in loco auctor magnificis admodum verbis voluntariam Raziae necem extollit, laudans eum, quod ſibi ipſi fortiter manus intulerit, malueritque nobili, & honeſta morte ſuis ipſe manibus generoſe occumbere, quam turpiter in hoſtium poteſtate vivere, & contra natalium ſuorum ſplendorem, ab indignis hominibus contumelias experiri: quod quidem facinus, tantum abeſt ut laudem ullam fortitudinis mereatur, ut etiam ſummae timiditatis, & impatientiae nota dignum ſit, non ſolum apud fideles, ſed etiam apud ethnicos philoſophos; quorum praecipuus Ariſtoteles, quid de hoc facto ſeotiret, in tertio Moralium libro his ver- [Ariſtot. 3. Ethic. Capite 10.] bis indicavit: MORTEM autem ſibi conſciſcere ob fugiendam inopiam, aut amorem, aut aliud quicquam grave, non fortis eſt hominis, ſed magis timidi: eſt enim mollities, laborioſa fugere: non enim quia mors honeſta ſit, appetit ipſam, ſed quia malum devitare ſe putat.

7. QUAPROPTER non immerito Hebraei hos libros de canone divinarum ſcripturarum abjecerunt, tanquam prophanos, & a prophano, ac gentili auctore de mendacibus Graecorum hiſtoriis deſcriptos, ſicut ipſemet auctor in ſecundo [II. Mach. 2. 24.] volumine teſtatur his verbis: AB Jaſone Cyreneo quinque comprehenſos libros tentavimus uno volumine breviare. Quem abbreviatorem aliqui putant Graecum quendam, prout ſtylus indicat, ante Chriſti tempora fuiſſe: alii vero in quibus Hieronymus in libro de viris illuſtribus, & libro ſecundo contra Pelagianos, Joſephum

ſephum Hebraenm fuiſſe exiſtimanr.

8. SED cujuſcunque ſit auctoris hiſtoria, palam eſt, apud veteres patres eam nullius fuiſſe auctoritaris: nam ſi de Graecis loquimur, Origenes in praefatione (Euſeb. Caeſ. lib. 6 Hiſtor. Eccl cap. 26.) Pſalmi primi, Maccabaeorum libros de Canone reſcidit: Melito Sardenſis epiſcopus reſpondens Oneſimo conſulenti eum de libris Canonicis, nullam in catalogo (Idem lib. 4. cap. 26.) ſuo hiſtoriae hujus fecit mentionem: & Epiphanius in libro de ponderibus & menſuris hos libros in numero ſacrorum non recepit. Inter Latinos vero Philaſtrius (Philaſtr. in Cat. Cap. 88.) eos ex catalogo divinorum voluminum explodit: idemque facit Hieronymus in praefatione Proverbiorum haec ſcribens: MACCABAEORUM libros legit quidem eccleſia, ſed inter canonicas ſcripturas non recipit ad auctoritatem eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam. Atque id ipſum repetit in prologo galeato. Quin & Gregorius libro decimonono Moralium excuſans ſe quod ex libris Maccabaeorum teſtimonia recipiat: NON inordinate, inquit, agimus, ſi ex libris non canonicis, tamen ad eccleſiae aedificationem editis, teſtimonia proferimus. Quibus ſane verbis indicat ſuo tempore, ſexcentis videlicet annis poſt Chriſtum, libros illos non fuiſſe canonicos. Concilium quoque Laodicenum eos in catalogo ſanctarum ſcripturarum non enumerat.

DISSOLUTIO OBJECTORUM.

1. ANABAPTISTAE hiſtoriarum imperitia decepti, in re luce clariore hallucinantur. Non enim intelligendum eſt Alexandrum ita primum in Graecia regnaſſe ut nullus ante eum in Graecia rex fuerit, ſed quod is primus fuerit, qui tota paſſim Graecia, excluſis aliis regibus, qui in ea regnabant, imperaverit, ſicut Methaſtenes ejus temporis ſcriptor reſtatur.

2. QUOD autem ſecundo loco de annis regni Antiochi aſſerunt, tam facilem habet ſolutionem, ut non opus ſit una cum Annio ſupputationes annorum hujus hiſtoriae tanquam a Joſepho ſuperadditas rejicere, cum Euſebius in Chronicis praeſentem ſupputationum diverſitatem ad veram concordiam facile revocet, inquiens in utroque Maccabaeorum libro non ſupputati annos regni Graecorum ab Alexandro Magno, ſicut externae hiſtoriae ſupputant, ſed a Seleuco cognomento Nicanore, qui, annis undecim a morte Alexandri completis, regnare coepit in Syria: quibus ſi quinque anni addantur, quibus Alexander tanquam monarcha tota Graecia regnavit, reſultat numerus annorum centum quinquagintatrium, qui in Graecorum hiſtoriis habetur. Igitur ſi juxta primnm Maccabaeorum volumen accipiamus initium regni Graecorum, invenimus Antiochum iniiſſe regnum anno centeſimo trigeſimoſeptimo regni Graecornm. Si autem ejuſdem regni Graecorum annos ab Alexandro ſupputemus, ut Graecorum hiſtoriae faciunt, invenimus Antiochum regnare coepiſſe anno centeſimo quinquageſimotertio regni Graecorum.

3. DE genere vero morris Antiochi, non deſunt, qui credant Antiochum illum, cujus caedem epiſtola Senatus Hieroſolymitani ad Ariſtobulum referr, diverſum eſſe ab eo Antiocho, quem hiſtoria Maccabaeorum ex animi aegritudine (II. Mach. 1.) periiſſe narrat. Nos tamen juſtis de cauſis eundem Antiochum ubique deſcribi exiſtimantes, dicimus nihil inter ſe diſcrepare hujus hiſtoriae partes: utrunque enim veriſſimum eſt, & quod Antiochus animi moerore conſternarus, in languorem incidit, ut primus Maccabaeorum teſtatur, & quod eodem languore oppreſſus (I. Mach. 6.) de Perſide aufugerit, & in fuga de curru excuſſus, colliſione membrorum, & viſcerum convulſione inter dolores, ac foetores interierit: ſicut in ſecundo Maccabaeorum (II. Mach 9.) legitur. De temporum vero diverſitate circa Antiochi mortem, nulla diſſenſio eſt, ſi ad varias temporum ſupputationes recurramus. Qui enim in primo (I. Mach. 6.) Maccabaeorum ſcribitur obiiſſe anno centeſimo quadrageſimonono regni Graecorum, ſecundum ſupputationem a Seleuco inceptam, ille idem initio poſterioris (II. Mach. 1.) voluminis dicitur obiiſſe anno centeſimo octogeſimo octavo, non quidem regni Graecorum, ut ſubdoli Anabaptiſtae addiderunt, ſed anno centeſimo octogeſimo octavo Hebraicae ſupputationis, ſupputando ſcilicet numerum annorum, non ab initio regni Graecorum, ſed quemadmodum Rabanus, Lyranus, & Carenſis docent, a duodecimo anno regni Aſſueri regis, a quo nonnulli Hebraeorum

braeorum ſupputationes ſuas inceperunt; quia eo anno contigerit admirabilis illa filiorum Israël liberatio per Eſther, & Mardochaeum: a quo tempore ſi per ſingulos regum annos uſque ad mortem Antiochi ſupputatio fiat, inveniuntur anni centum octoginta octo. Quibus duabus computationibus tertia quoque ſuppu-
II. Mach.10. ratio reſpondet, quae ex ſecundi libri cap. 10. colligitur, ubi ſcriptum eſt, Antiochum biennio ante purificationem templi factam a Juda interiiſſe. Ea autem corrigit, non ut Anabaptiſtae ſomniarunt, anno centeſimo quadrageſimo octavo regni Graecorum, ſed anno ejuſdem regni centeſimo quinquageſimoprimo, ſicut ex praedicto ſecundi libri capite colligitur. Neque illud obeſt, quod ab ipſis
I. Mach.4. de primo Maccabaeorum libro producitur, Judam videlicet purgaſſe templum anno centeſimo quadrageſimooctavo regni Graecorum, die vigeſimo menſis Caſleu: cum id de prima templi purificatione, facta per Judam anno uno ante mortem Antiochi intelligendum ſit: hoc vero, quod in ſecundo libro ſcribitur, de ſecunda purificatione templi ab eodem Juda iterum biennio poſt mortem Antiochi facta intelligatur.

De loco item mortis Antiochi omnis controverſia tollitur, ſi verba poſterioris libri ab Anabaptiſtis producta quidem, ſed non intellecta, diligentius inſpiciantur. Putaverunt enim Antiochum in templo Nanneae in Perſide una cum ſociis
II Mach. 1. 15. 16. occiſum: quia initio ejus libri ſcriptum ſit: ET cum intraſſet Antiochus templum, mittentes lapides percuſſerunt ducem, & eos, qui cum ipſo erant. Verum ex verbis iſtis non elicitur, Antiochum fuiſſe occiſum, ſed lapidibus ſolummodo ictum. Quod autem ſtatim ſub praedictis verbis adjungitur: ET diviſerunt membratim, & capitibus amputatis foras projecerunt: ad ſocios ejus refertur, in quorum caedem cum ſacerdotes nimium inſiſterent, Antiochus interim elapſus eſt. Neque ab
II.Mach.9.2. hac ſententia diſcrepat quod ejuſdem libri capite nono legitur, Antiochum intraſſe Perſipolim, quae & Elimais in primo Maccabaeorum appellatur, Perſidis
Ptolem. li.6. tab.5. Aſiae. (ut Ptolemaeus ſcribit) metropolim: & cum templum expoliare voluiſſet, concurrente multitudine ad arma, verſum in fugam: in qua cum jam Ecbatanam praetervectus eſſet, curru decidit. Et in Babylonica regione, ut primo, & ſecundo libro legitur, relicto ſucceſſore regni Antiocho Eupatore, inter cruciatus, & foetores occubuit: non quidem ob cauſam a Diodoro, & Polybio ſcriptam, ſed ob ſacrilegium templi Hieroſolymitani ab eo perpetratum: ſicut ipſemet Antiochus
Capite 23. moriens in utroque libro fatetur, & Joſephus duodecimo Antiquitatum confirmat, his verbis Polybium redarguens: MIROR Polybium Megalopolitam virum bonum, dicere Antiochum ideo periiſſe, quia voluit templum Dianae in Perſide violare: nam, qui nullatenus egit peccatum, ſed tantum cogitavit, nullo facti reatu tenetur. Si autem Polybio videtur ideo Antiochum vitam finiſſe, multo plus veriſimile creditur, propter templi Hieroſolymitani vaſtationem ſacrilegam periiſſe.

4. TRANSEO nunc ad geſta Judae Maccabaei, quae nullam ſane difficultatem patiuntur, ſi juxta praedictas ſupputationes diſtinguantur. Conſtat enim (ut
I.Mach.4.52. ſupra monuimus) Judam bis purgaſſe templum: primo quidem, anno uno ante mortem Antiochi; ſtatim poſtquam ab ipſo fuerat violatum, hoc eſt anno centeſimo quadrageſimo octavo regni Graecorum a Seleuco ſupputati, ſicut primo Maccabaeorum legitur: ſecundo vero poſt mortem Antiochi biennio, anno videlicet regni Graecorum a Seleuco ſupputati centeſimo quinquageſimoprimo, ſic
II. Mach.10. enim in ſecundo libro Maccabaeorum ſcribitur, & apud Euſebium habetur, Judam purgaſſe templum triennio poſtquam fuerat ab Antiocho prophanatum, poſt quam purgationem annis ſex vel circa, Judas moritur, ſexto Demetrii anno, ut primus liber teſtatur. Hic autem Demetrius non ille eſt, quem Anabaptiſtae, nomina falſo tranſponentes, mentiuntur, decimus ſcilicet Syriae rex, cognomento Sother; ſed alter Demetrius quartuſdecimus Syriae rex, cujus anno ſexto Judas in bello cecidit, anno ſcilicet regni Graecorum a Seleuco ſupputati centeſimo quinquageſimo ſexto, vel circa, ut Euſebius tradit. Scripſerat autem prius epiſtolam, quae initio ſecundi voluminis ad Ariſtobulum habetur, regnante Demetrio Sothere, anno Hebraicae ab Aſſuero ſupputationis centeſimo octogeſimooctavo, qui ſecundum Graecam a Seleuco ſupputationem, eſt annus ferme quinquageſimusquintus:

musquintus: quo tempore aperte constat vixisse Aristobolum illum, Ptolemaei Philometoris regis Aegypti praeceptorem, natione Judaeum, professione Philosophum, secta peripateticum, qui ad eundem Aegypti regem (teste Eusebio) commentaria in Mosem scripsit.

5. ILLUD vero, quod ajunt, fabulosa quaedam falso in hac historia de sanctis Nehemiae, & Jeremiae libris induci, quae nullibi in iis eorum sacris voluminibus leguntur, haereticorum calumnia est: cum nullum ex divinis & Canonicis Nehemiae, vel Jeremiae voluminibus in secundo Maccabaeorum libro citetur: sed solum descriptiones quaedam, & commentaria Nehemiae, & Jeremiae, sic enim eo loco scribitur: INVENITUR in descriptionibus Jeremiae prophetae, & paulo post, INFEREBANTUR autem in descriptionibus, & commentariis Nehemiae, quos certe nemo, qui commentarii significationem intelligat, eos esse putabit, qui in Canone veteris testamenti computantur. Commentarii enim, ut ex Bruto Ciceronis apparet, libri sunt, in quibus quotidiani eventus, non latius, ac fusius, sicut in historia describuntur, sed quantum fieri potest, pressius, ac strictius annotantur. At in libris praedictis, qui in canone habentur, singula in morem historiae, extensa in longum narratione, protenduntur. Credendum est itaque alios olim fuisse commentarios, in quibus haec de igne, arca, & altari abscondito continerentur, vel a Jeremia, vel a Baruch ejus scriba, vel a quopiam alio conscriptos: & quia Jeremiae gesta continerent, ejusdem nomine adtitulatos: qui forte, quod nihil ad prophetiam attinens haberent, inter divinos libros non fuerunt assumpti: nam & Hieronymus cap. 27. in Matthaeum testatur se Jeremiae apocryphum quendam legisse librum, quem ei Judaeus quidam Nazarenae sectae attulerat. Neque ob id damnandus est auctor, quod de scriptis apocryphis in rebus veris, ac sacris testimonia induxerit, cum Paulus, ut alias ostendimus, non solum ex apocryphis, sed ex prophanis libris, Arato, videlicet, Menandro, & Epimenide, testimonia sumpserit, & Judas in epistola sua apocryphum Enochi librum citaverit. Quod vero inquiunt fieri nequaquam potuisse, ut arca, altare, & tabernaculum a Jeremia absconderentur, nimis ab eis impudenter asseritur. Quid enim prohibet haec ante, vel ipso urbis excidio hortatu Jeremiae in carcere existentis, a piis viris potuisse occultari? sicut ipsa historiae verba innuere videntur, eum dicunt: INVENITUR in descriptionibus Jeremiae prophetae, quod jussit eos ignem accipere, qui transmigrabant, ut significatum est, & ut mandavit transmigratis. Nec desunt vetusti patres, qui hoc a Jeremia factum verissime crediderint, quemadmodum Theophylactus in commentariis super nonum caput epistolae ad Hebraeos, Epiphanius in vita Jeremiae prophetae, & Dorotheus Episcopus Tyri in Synopsi, qua vitas prophetarum complectitur. Neque obstat, quod in secundo Maccabaeorum scribitur: ET veniens ibi Jeremias, invenit locum speluncae, & tabernaculum, & arcam, & altare intulit illuc, & ostium obstruxit: fieri enim potest, ut quod ab aliis ante urbis direptionem jussu Jeremiae in carcere detenti factum sit, Jeremiam ipsum fecisse dicatur, juxta vulgarem divinae scripturae consuetudinem, quae frequenter id auctori tribuere solet, quod per alios auctoris jussu factum est.

Mach.2. 1.3. Mach.2.c.13. Actor 17.28. 1 Cor. 15. 33. Ad Tit. 1. 12. Judae 1. 14. II. Mach.2.1. II.Mach.2.5.

6. DE Raziae facto, ejus causa Anabaptistae totam historiam improbe vituperant, Augustinus epistola sexagesimaseptima ad Dulcitium respondet his verbis: IN MACCABAEORUM libris, quamvis Razias fuerit laudatus, factum tamen ejus narratum est, non laudatum, & judicandum potius, quam mirandum, ante oculos constitutum: non judicio, quod nos ut homines habere possemus, sed judicio doctrinae sobriae, quae in ipsis quoque libris veteribus clara est: longe quippe fuit iste Razias a verbis illis, ubi legitur: OMNE, quod tibi fuerit applicitum, accipe, & in dolore sustine, & in humilitate patientiam habe. Non enim fuit iste vir eligendae mortis sapiens, sed ferendae humilitatis impatiens. Scriptum est, quod voluerit nobiliter mori, sed non sapienter. Deus enim dicit: INNOCENTEM & justum ne occidas. Et idem libro secundo contra secundam epistolam Gaudentii, capite vigesimo tertio: RAZIAS ait quoniam fugere non valuit, minus fortasse sui sanguinis reus est, quod sibi intulit mortem, quam comprehensio inimicus fuerat illaturus. Laudatus est Razias ut amator civitatis, ut valde bene

Eccl.2. 4. Exod.23.

audiens, id est bonae famae, quia pater Judaeorum appellatus est, & quod continentiam tenuerit in Judaismo; istam vero ejus mortem mirabiliorem quam prudentiorem narravit quemadmodum facta esset, non tanquam facienda esset, laudavit. Mentiuntur ergo haeretici, factum istud laudatum, & nobis ad imitationem propositum asserentes.

7. DE sententia Hebraeorum circa hos libros, quaecunque ea sit: nihil refert, cum ecclesia catholica eos in canone recipiat. Nec quicquam illorum fidei derogatur, etiam si ab auctore prophano scripti sint, cum libri fides non ab auctore, sed ab ecclesiae catholicae auctoritate pendeat: & quod illa acceperit, verum, & indubitatum esse oportet, a quocunque dictum sit auctore, quem ego, neque sacrum, neque prophanum ausim affirmare; neque Hieronymus unquam ex propria sententia libros istos, aut Josephi, aut cujuspiam alterius affirmavit, sed;
Hieron lib. 2. cont. Pelag. JOSEPHUS, inquit, Maccabaeorum fertur scriptor historiae. Quod autem sic a quibusdam creditum fuerit, inde fortasse evenit, quia audierint apud Eusebium, vel alios auctores, Josephum Maccabaeorum librum scripsisse, & hunc eum esse putaverint, qui inter canonicos annumeratur, quod quidem ita non est. Nam liber is, quem Josephus de Maccabaeis scripsit, adhuc Graecus extat, & in nonnullis Graecorum Bibliis statim post duos libros Maccabaeorum apponitur, auctoris sui nomine praeposito, scilicet Ἰωσήππου εἰς τοὺς Μακκαβαίους: cujus libelli Eusebius libro historiae ecclesiasticae tertio tale testimonium protulit: EST & aliud Josephi elegans volumen inscriptus ὁ αὐτοδέσποτος ἐστὶ τῶν παθῶν ὁ εὐσεβὴς λογισμὸς: quem libellum quidam Maccabaeorum attitularunt, pro eo quod certamina inibi, & agones pro pietate a Maccabaeis desudata continentur. Patet ergo nihil certi affirmari posse de auctore praesentis historiae, nisi eam a diversis auctoribus scriptam, sicut phrasis diversitas indicat, & ejusdem historiae iterata repetitio, quae unum, ac eundem auctorem fecisse, verisimile non est. Quorsum enim illa eadem, quae in primo volumine abunde narraverat, iterum in secundo volumine repetere voluisset? Crediderim ego (sicut jam in primo hujus operis volumine indicavi) libros istos a tribus diversis auctoribus scriptos: primum quidem ab Hebraeo auctore & Hebraica lingua, sicut stylus ostendit, & Hieronymus in prologo galeato eum se Hebraice scriptum legisse affirmat. Secundum vero, excepto primo ejus capite, ac dimidio secundi capitis, sumpto initio a verbis illis, DE JUDA MACCABAEO, ET FRATRIBUS EJUS: unde praefatio secundi libri incipit, usque in finem, arbitror a Graeco auctore abbreviatum ex quinque libris Jasonis Cyrenaei, sicut ipsemet abbreviator in praefatione affirmat: tertiam vero partem hujus historiae, ab initio secundi libri usque ad dimidium secundi capitis, in qua duae illae epistolae Hierosolymitani senatus continentur, scriptam puto a publico scriba senatus ad fratres Judaeos in Aegypto commorantes, sicut ipsae epistolarum salutationes indicant.

8. TANDEM ad ea, quae objiciunt de Patribus, qui hos libros in Canone non recipiunt, respondemus, plerosque ex iis non de canone Christianorum, sed
Euseb. Caes. Lib VI. Hist. Eccl. cap. 18. de canone Hebraeorum locutos. Sic enim ait Origenes in Psalmum primum: NON est ignorandum, viginti, & duos libros esse in canone veteris testamenti, sicut Hebraei tradunt: deinde post enumerationem librorum addit, ET in his concludunt canonem voluminum divinorum; Maccabaeorum vero libros extrinsecus habent. Ad id vero, quod Hieronymus, & Gregorius innuere videntur, neutrum horum voluminum esse de canone Christianorum, jam supra me respondisse recordor, duplicem esse canonicorum voluminum ordinem, a quorum priore Hieronymus, & Gregorius merito libros Maccabaeorum excludunt, quia de his diu fuerit in ecclesia dubitatum. Atque hinc est, quod Laodicenum Concilium, & multi ex patribus eos in catalogis sacrorum voluminum non annumerarunt, ne in re tam seria, de qua multi nondum plene fuerunt edocti, quicquam temere definirent. Sed postquam diligenti facta discussione, hos libros divinos esse agnoverunt, tunc eos in Canonem retulerunt, nobisque ita comprobatos reliquere, ut jam ultra non liceat de eorum certitudine dubitare.

DE

DE TRANSLATIONIBUS SACRAE SCRIPTURAE. HAERESIS XIII.

REJECTIS omnibus sanctae scripturae editionibus, quibus hactenus ecclesia usa est, novis editionibus, ut certioribus, ac fidelioribus utendum.

ASSERTORES HUJUS HAERESEOS.

NON est haec nova haeresis, aut nuper inventa ab haereticis nostri temporis, qui temere jactant ecclesiam Christi ante hanc nostram aetatem nullam habuisse divinorum librorum traductionem synceram ac fidelem, sed olim quoque ante mille & centum annos eadem haec haeresis in ecclesia viguit: cujus etiam Philastrius in catalogo satis diffuse mentionem fecit, enumerans circa eam quinque haereticorum ordines, qui abjecta interpretatione sanctorum duorum & septuaginta interpretum, qua tum catholica ecclesia utebatur, diversorum haereticorum versiones sequebantur: quorum primi translationem solummodo Aquilae Pontici recipiebant: secundi editionem aliam quorundam triginta virorum, qui Aquilam in multis fuerant imitati: tertii alteram translationem quorundam sex hominum, pravis dogmatibus plenam: quarti interpretationem Symmachi, & Theodotionis Ebionitarum: quinti vero elegerunt versionem quandam, non de authenticis Hebraeorum exemplaribus sumptam, sed de Hebraeis quibusdam codicibus, quos post Babylonicam captivitatem intra dolium inventos fuisse dicebant. Quibus tanquam in sexto ordine subnecti possunt insolentes quidam nostrorum temporum haeretici, videlicet, Sacramentarii, Anabaptistae, Servetani, & Lutherani, qui repudiata sacrorum voluminum interpretatione, quam tot saeculis ecclesia catholica venerata est, suspectas diversorum haereticorum editiones sequuntur: veluti in veteri testamento Conradi Pellicani, Joannis Oecolampadii, Uldrici Zuinglii, Martini Lutheri, Sebastiani Munsteri, ac Sebastiani Castalionis. In Novo similiter instrumento translationes, seu magis recognitiones, vel castigationes quasdam eorundem Oecolampadii, Zuinglii, Lutheri, Castalionis, & Michaëlis Serveti Arriani ac Manichaei. Has igitur editiones pro sua quique libidine amplectentes adeo vulgatae editioni nostrae praeferunt, ut solos eorum interpretes prophetarum & apostolorum mentem ac verba intellexisse, ac veraciter, & fideliter expressisse glorientur.

IMPUGNATIO.

SED hoc nihil aliud est, quam novos quotidie tumultus in Ecclesia Dei excitare, nam si rejectis vetustis editionibus, recentiores quotidie translationes in ecclesiam introducere contendimus; quis erit aut finis, aut modus interpretandi sacros libros, restituendi, recognoscendi, castigandi, observandique? dum quilibet quotidie pro sui animi sententia ac proprii dogmatis affectu, novas emittit versiones, castigationes, recognitiones; nunc ad Graecam, nunc ad Hebraïcam veritatem, interjectis ubique perniciosis scholiis, annotationibus, & glossematis, ad propria dogmata pertinentibus, & dum interpretes summa inter se dissensione certantes, alter alterum rejicit, confutat & damnat, ita ut Lutherus Oecolampadium, & Zuinglium tanquam incautos reprehendat, Lutherum vicissim Munsterus accuset, quod multos antiqui interpretis errores dissimulaverit, Pellicanus Munsterum vituperet, quod foeda sua barbarie omnem divinam scripturam conspurcarit. Castalionus vero omnes ante se interpretes tanquam Latini sermonis ignaros explodit, & se solum sacros libros Latina lingua interpretatum existimat. Quem igitur horum interpretum sequentur haeretici? aut cujus editionem in medium proferent, si contra suos adversarios ex sacris codicibus, aut proferent, aut propria dogmata confirmare, aut adversa propulsare cogantur? Profecto si Anabaptistae ex editione sui Serveti testimonia scripturarum induxerint, illico Sacramentarii reclamabunt, & ea deducta esse dicent ex prava Anabaptistarum versione, nec ita legi in emendatis, ac veris Oecolampadii, & Zuinglii codicibus: atque identidem Anabaptistae Sacramentariis respondebunt, cum se ab illis scripturarum testimoniis urgeri senserint. Quod, si quis illis superveniens dixerit, neutri editioni standum, sed ad Graecos, vel Hebraeos

fontes recurrendum, ut eorum lectione, proposita controversia finiatur, statim longe acrior nascetur contentio, dum uterque in suo errore pertinax, aliter, atque alter Graecam, vel Hebraeam vocem vertendam esse contendet, praecipue vero si vox ambigua fuerit, ut innumerae pene apud Hebraeos sunt, atque hoc pacto altercantes nunquam inter se convenire poterunt, nisi abjecta contentione, & proprio judicio abnegato, sese unanimi consensu judicio catholicae ecclesiae submiserint: ut ipsa tanquam verus arbiter ac judex pronuntiet, cujus interpretis sententiae acquiescendum sit. Sunt enim in sacris Hebraeorum codicibus voces, ac sententiae quaedam adeo incertae, ambiguae, atque adeo varie, etiam a summis, & clarissimis interpretibus explicatae, ut quantumvis eruditus sis, & linguarum peritus, nescias tamen, qua parte deflectas, ac dubius semper esse cogaris, nisi te auctoritas ecclesiae Catholicae commoneat, ut hujus interpretationem amplectaris, illius vero dimittas.

ET QUO res adhibito exemplo illustrior fiat, locus est Geneseos trigesimo sexto capitulo, interpretum omnium contentione celebris, videlicet: IPSE est Ana,
Genes. 36. 24. qui invenit הימים haiiemim in deserto, cum pasceret asinos Zebeon patris sui: de cujus interpretatione (ut refert Hieronymus in libro Quaestionum Hebraïcarum) tot sunt sententiae, quot interpretes. Quidam putant ימים iemim maria appellata: quia iisdem literis scribuntur maria, quibus & praesens hujus sententiae particula: voluntque ipsum Anam, dum pasceret asinos patris sui in deserto, aquarum congregationes reperisse, quae juxta idioma linguae Hebraïcae ימים iamim, hoc est, maria nuncupantur; quod scilicet stagnum invenerit, cujus rei inventio difficilis est in deserto, & Diodorus in ea solitudine inveniri negat. Nonnulli, inter quos vulgatae editionis auctor, Aquas calidas, juxta Punicae linguae viciniam, quae Hebraeis contermina est, hoc vocabulo significari, atque ita vertendum esse volunt. Alii sunt, qui arbitrantur Onagros ab hoc Ana admissos esse ad asinas & istum istiusmodi reperisse concubitum, ut velocissimi ex his asini nascerentur, & pro dictione iamin velocissimos asinos verti debere [a]. Plerique putant, quod equarum greges ab asinis in deserto ipse fecerit primus ascendi, ut mulorum inde nova contra naturam animalia nascerentur: & juxta hunc intellectum mulos interpretandum existimant. Aquila vero hunc locum ita transtulit: IPSE est Ana, qui invenit σὺν τῷ ἰαμεὶν: & Symmachus, τὰς ἰαμεὶν, quae interpretatio pluralem numerum significat. Septuaginta vero, & Theodotion, immutatis tantum Hebraïcis characteribus in Graecas literas, τὸν ἰαμεὶν, quod indicat singularem numerum, transtulerunt. De qua voce non minus inter recentiores istos interpretes dubitatum est. Alii, inter quos Pellicanus, juxta Septuaginta, iamin relinquendum putant, tanquam vocem nondum intellectam; Munsterus, & Castalionus, mulos vertunt; Sanctes, aquarum congregationes; Galatinus, onagros; alii secundum Symmachum, Symin. Quidam vero equas calidas; hoc est, coïtus ardore calentes, olim in emendatis codicibus scriptum fuisse dicunt, deinde vitio Scriptorum equas mutatas in aquas [b]. Cum igitur hoc in loco, atque ejusmodi similibus tan-

ta

(a) Qui existimant ימים denotare onagros a Xysto non percenentur, quum eos suppresso nomine laudet Author Hebraicarum Quaestionum, sed certe Rabbini ii sunt, quibus adhaerent Vatablus, & alii, rocinetque cum pluribus suis gregariis Calvinus.

(b) Plures etiam Novatores addunt mulos genitos ex Asinis & Equabus calidis, quare Robertus Stephanus in Vulgata editione pro *aquis calidis* impressit *equas calidas*, & ad marginem addidit *idest mulos*. Ad cujus rei confirmationem adducunt aliqui, quod sicut תאומים *teomim* idest gemelli, sive gemini, ita & ימים *jemim* derivetur a verbo תמם *tamam*, idest consummare, perficere, quasi *jemim* dicantur muli, quia consummati, & perfecti gemina, seu duplici specie animalium, ex asino nempe & equa progeniti. Sed quid haec ad fides? bene norunt Hebraice docti id procul ire a scopo, atque a vero: possent namque pariter *jemim* adpellari *leopardi*, qui ex leone & pardo sunt geniti, eandemque possent nomenclaturam obtinere aliae id genus bestiae, quibus Africa redundat. Hugo Grotius tamen Rabbinorum, quos suppresso nomine Hieronymus refert, opinionem secutus, omnique alia etymologia omissa, legit ימים *jamim*, *idest mulos*. Paraphrastes Chaldaeus vertit *Gigantes*: num autem recte, literaliter ne an allegorice? qui linguam sanctam callent, suum proferant judicium, quum ad nostrum Institutum jam dicta supersint.

Quum autem Xystus in vindicanda Vulgata nostra editione solummodo ad Ecclesiae authoritatem (certe maximi est ponderis solidique momenti quaeque vel sola ad suum institutum satis erat) adpellaverit, lubet hic ad vindiciae firmitatem adjungere quod non inerudite advertit Cornelius a Lapide, vir Hebraice doctissimus, primumque a se inventum asserit, nimirum legendum esse in Hebraico textu היימים *hajammim*, seu *chajammim*, quo bene aquae calidae redduntur ex composito verbo חם *cham*, quod idem est ac *calidae*, & ימים *jammim*, *aquae*, hinc bene *aquas calidas* vertit Vulgatus interpres.

Quo-

ta sit translatorum varietas, quomodo se explicabit animus nutans, nisi super hoc ecclesiae judicium consulat? aut quomodo contentinnes*, & altercationes sedabuntur, si unusquisque sectae ac factionis suae interpretem tueri pergat, & juxta suam quisque editionem legere contendat, nisi ecclesiae definitio supervenerit, quae sua auctoritate istiusmodi rixas dissolvat?

NEQUE dixerit aliquis, haec adeo levia esse, ac minuta, ut ex his, quomodocunque interpretentur ac legantur, seditionis periculum aut salutis periclitatio oriri non possit: nam & nomen illud קיקין Kikaion, quod pro cucurbita apud Jonam a veteri interprete versum fuit, (Jonae 4. 6.) parvi momenti erat: & tamen (ut Augustinus in epistola ad Hieronymum scribit) tam parva res ingentem tumultum in Africa excitavit. Cum enim episcopus quidam in ecclesia, cui praeerat, verba ad populum faciens, pro cucurbita hederam, juxta novam Hieronymi traductionem legisset, tantus repente tumultus in plebe exortus est, maxime Graecis arguentibus, & calumniam falsitatis inclamantibus, ut coactus sit episcopus, Judaeorum primum suppetias implorare, ut pro se testimonium de codicibus eorum proferrent: deinde, varie respondentibus illis, coactus sit errorem suum coram populo recantare. Sed quid levius, aut minutius punctis? & tamen tam minimae res, si aliter, quam in editionibus, ac exemplaribus ab ecclesia Catholica receptis collocentur, magna saepenumero haeresibus fomenta praebent: quod & Augustinus libro tertio de doctrina Christiana exemplo monstravit in verbis illis Joannis, IN principio erat Verbum: quam sententiam haeretici, qui negabant, Verbum Dei esse Deum, (Joan. 1. 1.) immutatis punctis legebant: IN principio erat Verbum; & Verbum erat apud Deum, & Deus erat; & hic interposito puncto, sequebantur: VERBUM hoc, erat in principio apud Deum. Consimili exemplo temporibus nostris impius Servetus in libro secundo trium librorum, quos blasphemo titulo De errore Trinitatis inscripsit, sententiam illam divi Pauli ad Romanos pervertit, videlicet: QUORUM patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est (Rom. 9. 5.) super omnia Deus benedictus in saecula, Amen. Quam cum is, qui Christum esse Deum negabat, adeo manifeste sibi reclamantem videret, transposito puncto, ita voluit esse legendum: QUORUM patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia. Deinde adfixo puncto, addendum: DEUS benedictus in saecula, Amen: veluti epiphonema quoddam euchatisticon, quo frequenter Hebraei orationis finem ad gratiarum actionem, & Dei laudem claudere solent; sicut in fine Psalmi 88. hac de causa ponitur: BENEDICTUS Deus in saecula, Amen, (Psalm. 88. 52.) Amen. Itaque ut auferantur de medio omnes altercationes, dubitationes, & haereses, quae ex diversitate multarum editionum oriri possent, aliquam oportet esse interpretationem communi totius fidelium consensu, & ecclesiae determinatione probatam, cujus auctoritate omnes ejusmodi controversiae tollantur.

PROINDE hoc animadvertens sacrosancta Tridentina Synodus, recte in sessione quarta, decreto secundo, sancivit, ut ex omnibus Latinis editionibus, quae circumferuntur, sola vetus, & vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu probata est, pro authentica habeatur, & in divinis officiis, & sacris mysteriis, & in concionibus, ac publicis lectionibus, ac disputationibus, sola legatur, & citetur: nullusque eam quovis praetextu rejicere audeat. Et merito quidem: cum praeter id quod ea jam tanta annorum numerositate ab ecclesia recepta est, nulla etiam sit inter has recentiorum interpretum editiones, quae hac nostra vulgata editione certior, tutior, ac fidelior sit. Ut enim de caeteris aetatis nostrae translationibus taceam, Pellicani videlicet, Zuinglii, Oecolampadii, Lutheri, atque aliorum haereticorum, quas ipsimet haeretici recognitiones, potius quam novas traductiones esse fatentur, duas tantum nominabo editiones duorum Sebastianorum, Munsteri scilicet, & Castalionis, quas Sacramentarii, & Anabaptistae prae-

omnibus

Quomodo autem legendum sit *ebajammim*, quum in textu Hebraico scriptum legatur [illegible] *Tajammim*, optime ostendit ipse ex innumeris id genus dictionibus, quae saepe in Hebraico textu occurrunt, quem consulas. Optime Itidem advertit Augustinus Torniellus, quod dum Ana dicitur adinvenisse in deserto aquas calidas, thermas aquenses ibidem invenit, quod certe facile fuit ibi reperire: per sulphur namque & sulphureas venas p[er]labentes ac decurrentes, calidae erumpunt, iis praecipue in locis, ubi calor maxime viget. Legesis eruditos ad pleniorem intelligentiam.

omnibus in precio habent: cum tamen perniciosae sint, & ceu lethale venenum, pio lectori fugiendae; eo quod ubique plenae sint nefariis annotationibus, scholiis, observationibus, glossematis, praefatiunculis, argumentis, atque his similibus decipulis, ac laqueis ad exitium lectoris instructis. De quibus quia omnia referre nimis longum esset, satis sit duo tantum loca indicasse: quorum alterum Malachiae primo annotavit Munsterus adversus veram, & corpoream Christi praesentiam in sacramento altaris: alterum vero Castalionus annotavit Exodi tertio contra patris & filii consubstantialitatem, & aequalitatem, secutus in eo jam toties damnatam Arrii sententiam.

QUOD si ad haec haeretici respondeant, se non de eorum scholiis & annotationibus loqui, sed de interpretationis genere, ac de optima ipsorum vertendi ratione: & hanc ob causam velint suorum interpretum editiones praeferri nostrae editioni, tanquam cultiores, ac magis disertas, & ad Latinam loquendi consuetudinem diligentiori industria accommodatas, non multum repugnabimus. Scimus enim fidi interpretis munus esse, non affectare sermonis elegantiam, ut disertus videatur, sed in primis sententiae certitudinem ac veritatem. Atque in hoc vulgatam nostram editionem, fide, integritate, & auctoritate caeteris anteferendam affirmamus, nihil in praesentia discutientes de stylo, ac verborum delectu, & orationis candore: quae omnia, quia a praesentis Operis instituto aliena sunt, linguarum professoribus dijudicanda relinquimus. Tacere tamen omnino non possumus, quod permulti doctissimi viri, etiam quo ad genus interpretandi attinet, in duobus istis auctoribus vehementer damnant, nempe, quod uterque sine modo extremus sit, alter in affectandis Judaïcis idiotismis durus, agrestis, barbarus, ac plane Judaeus sit, alter e contra in affectandis inepte singulis gentilium locutionibus, gentilem se verius ac prophanum, quam Latinum, ostendat: ita ut ex eorum translationibus, altera Judaeorum, altera Paganorum merito dici possit. Munsterus enim ubique horridus, senticosus, & asper, usque adeo Hebraïci sermonis horrorem secutus est, ut cum multa Latinis auribus molliter accommodare potuisset, omnes tamen Hebraïci sermonis proprietates, ac phrases adeo servare studuit, ut ne ipsos Hebraïcorum nominum stridores praetermittere voluerit: ingerens Latinis auribus ubique, pro Ozia Vziihau, pro Ezechia Jehizkiahu, pro Ezechiele Jehezchel, pro Cyro Choresch, pro Dario Datiavesch, pro Nabucodonosore Nabuchednazar, pro Baltasare Beltzezzer, & multas alias ejusmodi voces, quas non sine ingenti spiritus, ac linguae nisu nemo Latinus pronuntiare queat. Castalionus vero, quem nescio, an paraphrasten potius, quam interpretem appellem, ita e contra est delicatus, ac mollis, ut nihil, quod Hebraïsmum redoleat, olfacere patiatur: nec vere se Latine loqui putet, nisi quam effoeminatissime loquatur, & citra omnem divinae Scripturae majestatem, ac divini interpretis gravitatem, singulas quasque sententias meretricularum more fuco pingat, & calamistris inurat, lasciva quadam mollium verborum affluentia luxurians, quemadmodum in Salomonis Canticis fecit, in quibus quaecunque vetus interpres de divinis Christi, & ecclesiae amoribus caste, & graviter vertit, iste omnium verborum lenocinio, atque omnibus muliercularum vocibus, & affectibus usus, adeo impudice (ne dicam obscoenae) transtulit, ac si meretricum, ac lenonum colloquia editurus fuisset, tertio pene verbo diminutas quasdam, lubricas, ac molliter tinnulas voculas inculcans; veluti illae
Cantic. 2. 4. sunt: HUC ades ô mea sororcula, mea amicula, mea columba, meum corculum, in petrae forulis, in cocleae latibulis. Et illud: QUAM bella es ô delicatula: ostende mihi tuum vulticulum, fac ut audiam tuam voculam: nam & voculam habes venultulam, & vulticulum habes lepidulum. Et illud: CAPITE no-
Cantic. 7. 2. bis vulpeculas parvulas, vinearum vastatriculas. Et rursum: AH TE bellam: ah te formosam. Cerviculam habes eburneae turriculae persimilem: capitulum habes Carmelo persimile, & cincinnulos regiae purpurae similes: & columbinos habes occellulos, cincinnulis interjectos. Similes mali punici putaminibus habes
Cantic. 5. 2. genulas, cincinnulis intersitas, & mammulas innulo formosiores: & illud: APERI mihi mea sororcula: introducam te in meae materculae, & in meae genitriculae domum. Nec mirum, si Castalio tam impudice in re divina, veluti cum Catullo

Catullo de Lesbiae passerculo, & turgidulis puellae ocellis, & aureolo malo inseferit: quia ut ipsemet in glossulis ad marginem adjectis indicavit, nunquam credidit, in illo divino Cantico mysticos Christi, & ecclesiae amores describi, sed de venereis, ac prophanis Salomonis, ejusque amicae Sulamitis, atque ejusdem foeminarum amoribus, amatorium colloquium texi. Et sicut hunc Salomonis librum inhonestis lenociniis contaminavit, ita omnem divinam Scripturam prophanis, gentilibus, ac impiis vocibus, locutionibus, ac sententiis, prophanavit, semipaganus, ac semigentilis iste interpres: qui, quasi puderet eum uti vocibus, quibus Spiritus Sanctus per ora sanctorum usus est, nomen Dei, ac patris Domini nostri Jesu Christi mutavit in Jovem, Divum, Armipotentem, Gradivum, ac Coelicolam; divinam ejus charitatem appellans Cupidinem, & ejus Angelos, Jovis genios, & Dei templum Jovis aedem fanumque: & sedem Dei, Augustale Jovis: ponens ubique, pro sanctis viris Heroas, pro sancto Israële Augustum Israëlitanum, pro sanctis prophetis vates atque fatidicos, pro spiritu prophetico spiritum fatidicum: & pro prophetare bacchari, pro gygantibus item Titanum sobolem, pro Sole Phoebum & Apollinem, pro fulgoribus Jovinianum ignem, pro inferno Orcum ac Tartarum, pro habitatoribus inferni Manes, & pro perditione inferni Plutonem, pro sanctificatione lustrationem, & pro sacro cantu Paeana, ac innumera alia his similia, de media gentilium impietate deducta, quae nullus vere pius aequis auribus audiat. Omitto brevitati consulens, violentas, & ambiguas locutiones, materiam haeresibus praeparantes; veluti cum pro eo, quod in Evangelio Joannis legit ecclesia: ET verbum caro factum est; nescio an Latine potius, quam Sarmatice verterit: ET SERMO CORPORATUS EST: quasi Divus Hieronymus abberrasset, cum illud, Καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, vertit: ET verbum caro factum est: & illud, quod Petrus in Actibus de Christo dixit, ὃν προσπήξαντες ἀνείλετε, hoc est, QUEM affigentes interemistis, semigentilis hic interpres, Romanae linguae columen, transtulit: QUEM VOS AD PALUM DELIGATUM SUSTULISTIS. Quae verba proximis annis inter Judaeos quosdam ab Anabaptistis Florentinae civitatis ad fidem receptis, non absque ingenti Anabaptistarum periculo, magnum tumorem in conventiculis eorum excitarunt, addubitantibus Judaeis illis, an Christus juxta vetustum Romanorum, & Hebraeorum morem fuisset cruci suffixus, aut potius palo infixus, juxta praesentem Turcarum consuetudinem, quemadmodum Castalionis editio significare videbatur. Atque hujusmodi egregios fructus pariunt Ciceronianae hae recentium interpretum editiones, tantis laudibus ab haereticis celebratae. Sed nimius in hac re fortasse fuerim, quam Lector desiderasset. (a) Caeterum, quoniam haeretici jactant ecclesiam Dei ante has novas interpretationes nullam habuisse fidelem, ac sinceram divinae Scripturae translationem, ut hanc eorum jactantiam comprimamus, operae pretium est, ut paulo altius ordientes, videamus breviter primum quot, & quales translationes, tam Graeca, quam Latina ecclesia habuerint, deinde vero cujus auctoritatis unaquaeque earum in ecclesia Catholica fuerit.

Joan. 1. 14.

Act. 2. 23.

PRIMA igitur Graeca editio veteris testamenti, qua primum usa est ecclesia, fuit duorum & septuaginta interpretum versio. Secunda, Aquilae Pontici, annis pene CXX. post Christum edita. Tertia, Symmachi Samaritani, anno

CXC.

(a) Sebastianus Castellio (seu, ut ipse per errorem a quodam *Castalio* dictus, ut in posterum ita nominarentur maluit honoris ergo, ut a Musarum fonte, qui Castalius adpellatur, veluti originem trahens, haberetur) Gallice *Chateillon*, Allobrox, in salebrosis Allobrogum montibus humili fortuna natus, Calvini gregalibus adlectus, trium linguarum peritus, & linguae Graecae Basileensis Professor (Basileae defunctus Anno 1563. aetatis suae 49.) Vetus Testamentum ex Hebraeo, Novum autem ex Graeco Latine, & Gallice vertit: sed quam infeliciter, ac scelestе, ea iis quae N. Xystus adnotavit, luculenter adparet. Nec Xystus dumtaxat eum juste flagellavit, verum quotquot eruditi Catholici audiunt, eum ventilarunt, in ejusque versione plura contra fidem sphalmata notantes, Arianismum, Anabaptismum, Arminianismum, quinimo & ethnicismum in eadem animadverterunt ac castigarunt, ut videre praesertim est in Richardo Simonio, Daniele Huetio, Gilberto Genebrardo, Jacobo Lelong aliisque Castalionis editionem flagellantibus. Nec quidem Romanae Communionis Theologi dumtaxat, verum & ipsi segreges ab ea prae catholicis durius acriusque fustigarunt, Theodorus Beza, nimirum, Matthaeus Polus, Johannes-Henricus Hottingerus, Tanaquillus Faber, aliique; & sat est de ea repetere quod scripsit Jacobus-Augustus Thuanus *lib. 34. Hist. ad an. 1563.* „ Famosissima est haec translatio, „ in quam insurrexerunt tam Catholici, quam Pro„ testantes. „ Vide etiam Johannem Popeblount. *Censura Celebriorum Authorum in Castalione*.

CXC. humanae Salutis condita. Quarta, Theodotionis Ephesii, anno CC. a Christi ortu elaborata: de quibus quatuor Graecis translationibus, cum in quarto hujus Operis libro, sub propriis eorundem auctorum titulis copiose dixerimus, superfluum arbitramur eadem rursus hoc loco repetere. Quinta Graeca editio, una cum plerisque aliis Hebraïcis, & Graecis voluminibus, in Hierico, in doliis inventa est ab Origene Adamantio, qui etiam non multo post, aliam quandam translationem reperit in littore Actiaco, in Nicopoli, eodem modo in doliis occultatam, eamque sextam editionem appellavit: & adjunctis iis ad caeteras quatuor translationes, Hexapla, & Octapla Graecarum editionum, miro artificio construxit eo ordine, quem in libro jam citato commemoravi, dum Origenica scripta recenserem. Septima, post omnes istas editio quaedam Graeca inventa est; & ea nec in Hexaplis, nec in Octaplis unquam posita: hanc Isidorus libro sexto Etymologiarum putat ab ipsomet Origene inventam, quae Κοινὴ a Graecis, hoc est, communis & vulgara dicta est, ab aliquibus vero Λουκιανὸς, vel Λουκιανεία, vocata est: eo quod a Luciano Martyre edita crederetur: de qua in epistola ad Suniam, & Fretelam ita Hieronymus scribit: BREVITER illud admoneo, ut sciaris aliam esse editionem, quam Origenes, & Caesariensis Eusebius Κοινὴ, id est, communem appellant, & a plerisque nunc Λουκιανὸς dicitur; aliam Septuaginta interpretum, quae reperitur in Hexaplis codicibus, & a nobis in Latinum sermonem versa est, & Hierosolymae, atque in Orientis ecclesiis decantatur. Κοινὴ, autem ista, pro locis, & temporibus pro voluntate Scriptorum veterum corrupta editio est: ea autem, quae habetur in Hexaplis, & quam nos vertimus, ipsa est, quae in eruditorum libris incorrupta, & immaculata, Septuaginta interpretum translatio reservatur. Haec igitur de omnibus famosis Graecorum editionibus ex Aristaea, Josepho, Eusebio, Justino, Epiphanio, Irenaeo, & Hieronymo desumpsimus.

POST quas duae aliae Latinae editiones veteris testamenti in ecclesia Latina fuerunt, nova scilicet, ac vetus: vetus quidem, vulgatae & communis editionis nomen accepit, tum quia nullum certum haberet auctorem, tum quia non de Hebraeo fonte, sed de Κοινὴ, vel de LXX. interpretatione sumpta esset, quemadmodum Augustinus 18. de Civit. Dei, & Hieronymus in Praefatione Evangeliorum, testantur, cujus lectione usa est ecclesia longe ante tempora Hieronymi, & etiam multo post, usque ad tempora Gregorii Papae. Nova vero, a Hieronymo non de Graeco, sed de Hebraïca veritate in Latinum eloquium versa est: qua ecclesia usque ab ipsis Gregorii temporibus, una cum veteri editione usa est: utriusque enim Gregorius in Praefatione Moralium meminit, inquiens: NOVAM translationem dissero, sed cum probationis causa me exigit, nunc veterem, nunc novam pro testimonio assumo: ut quia sedes Apostolica, cui auctore Deo praesideo, utraque utitur, mei quoque labor studii ex utraque fulciatur. Atque haec de veteris testamenti traductionibus, tam Graecis, quam Latinis dicta sint. *(Capite 43.)*

DE Traductionibus autem novi testamenti, quod Graece, sed interdum Hebraïcis phrasibus scriptum fuisse, constat, certum earum numerum scire non possumus, illas tamen fuisse multas, indicat Hieronymus in Praefatione quatuor Evangeliorum: inter alias vero innuit fuisse editionem quandam veterem jam dudum ante ipsum in ecclesia vulgatam, quae cum a dormitantibus librariis progressu temporum corrupta esset, Hieronymus eam jussu Damasi Papae, facta multorum Graecorum exemplarium collatione, correxit emendavitque, & ad Graecam veritatem restituit: qua Hieronymi castigatione, vel potius editione, ecclesia Romana a temporibus divi Hieronymi usque in hanc diem perpetuo usa est: tot igitur usque ad hanc aetatem fuerunt in ecclesia, tam veteris, quam novi testamenti editiones.

DE quarum numero ecclesiae Latinae, & Graecae, omnibus aliis editionibus omissis, quinque solummodo in auctoritatem hucusque receperunt, nempe, in novo testamento duas, veterem scilicet ac novam; & in veteri testamento tres, videlicet, unam tantum Graecam Septuaginta interpretum, & duas Latinas, hoc est, Veterem, ac novam. De Septuaginta editione tantummodo ab ecclesia recepta, testis est Eusebius libro sexto Ecclesiasticae historiae, & Augustinus de *(Capite 7.)* *(Capite 43.)*

Civitate

Civitate Dei libro decimo octavo, hunc in modum eadem de re scribit: NAM cum fuerint, inquit, & alii interpretes, qui ex Hebraea lingua in Graecam sacra illa eloquia transtulerunt, sicut Aquila, Symmachus, Theodotion, sicut etiam est illa interpretatio, cujus auctor non apparet, & ob hoc sine nomine interpretis Quinta editio nuncupatur, hanc tamen, quae Septuaginta est, tanquam sola esset, sic recipit ecclesia, eaque utuntur Graeci populi Christiani, quorum plerique, utrum alia sit, ignorant. Haec Augustinus. De Latinis vero translationibus, duas tantum ab ecclesia receptas constat, primo, vulgatam illam editionem, non ex Hebraea origine, sed ex traductione Septuaginta Latine editam, qua sola ecclesiam Latinam usam fuisse usque ad tempora Augustini, & Hieronymi, ipsemet Augustinus loco jam dicto testatur: & Gregorius usque ad sua tempora, ut jam diximus, in ecclesia Romana fuisse usitatam, in Praefatione Moralium scribit. Post quam veterem, ac vulgatam editionem, ecclesia habere coepit, ut supra dictum est, novam Hieronymi traductionem, ex Hebraica veritate desumptam, & novam quoque ejusdem castigationem in novum testamentum recepit, sicut ex tertia epistola Augustini ad Hieronymum apparet. Atque his tantum editionibus usque in praesentem diem pro authenticis, veris, ac summa fide dignis, ecclesia catholica publice usa est in divinis mysteriis, ac sacris concionibus, & lectionibus, in confirmandis dogmatibus nostrae fidei, & haereticis redarguendis. Caeteris vero non publice, vel tanquam authenticis usi sunt Patres, sed tanquam extrariis ad particulares eorum usus: nimirum ut ex earum collatione Septuaginta interpretationem clarius intelligerent, & ut ex comparatione Septuaginta ad alias editiones, falsitatem earum redarguerent. Hujus autem rei gratia, ut Philastrius, & Epiphanius tradunt, ejusmodi editiones in Hexaplis nunquam in media columna ponebantur, sed dextra, levaque assignabantur; ut hinc atque hinc positae, tanquam contrariae, & non plenae veritatis a vera Septuaginta Interpretum editione, quae media locabatur, ostenderentur. Praetermissis ergo omnibus istis traductionibus, quas ecclesia, vel tanquam haereticas abiicit, vel tanquam suspectas & corruptas non accipit, videamus solummodo quantum auctoritatis, ac fidei habuerint in ecclesia praedictae quinque translationes, & quid de unaquaque earum senserint catholici Patres: ut ex eorum judicii gravitate, dejiciamus arrogantiam eorum, qui jactant nullam hucusque integram, certamque divinae Scripturae traductionem in ecclesia fuisse.

Isidorus li. 6. Etymol. c. 5.

Hieronym in Praefat. Esai.

DE integritate igitur ac fide editionis Septuaginta tot ac tanta sunt Patrum testimonia, ut deficiat me tempus, si ea voluerim percensere. Omnes tamen in hoc conveniunt, eam tribus potissimum de causis caeteris esse praeferendam. Primum, quod omnium editionum antiquissima sit: deinde, quod divino lumine, & non humano ingenio a Septuaginta duobus viris Spiritu Sancto plenis edita sit: siquidem ut scribit Justinus Martyr in Admonitorio ad Gentes, & Irenaeus libro tertio, Ptolemaeus rex veritus, ne Septuaginta interpretes non plene, ac ingenue interpretarentur veritatem divinis voluminibus insertam, sed aliqua de industria occultarent, singulos a se invicem separavit, & eadem seorsum positos interpretari jussit: divina autem voluntate factum est, ut omnes iisdem verbis, iisdem nominibus, atque sententiis ab initio usque ad finem scripserint, ita ut rex, ac ipsi gentiles manifeste agnoscerent, non humano, sed divino nutu, atque consilio, divinas illas Scripturas fuisse interpretatas. Epiphanius vero in Libello De ponderibus, & mensuris, fusius describens cellularum numerum, situm, ac formam, viginti duo volumina veteris testamenti ab eis traducta recitat, idque in diversis seorsum cellulis, quarum se vestigia in Pharo insula vidisse Martyr Justinus in admonitorio scriptum reliquit: cujus sententiae Philastrius in Catalogo, Rufinus adversus Hieronymum, & Augustinus consentiunt. Tertia causa, cur haec editio anteponatur aliis, est, quia Apostoli, & Evangelistae, ex ea, tanquam de vera ac fida interpretatione testimonia acceperunt: & post eos omnis ecclesia usque ad Damasum Papam eam in summa veneratione semper habuit, sicut frequentissima vetustissimorum Patrum testimonia testantur. Origenes in epistola ad Julium Africanum, huic uni tantum tribuit, ut dixerit, hoc solum pro vero habendum esse in sacris Scripturis, quod Septuaginta interpretes transtulissent:

Cap. 24.

Vide supra adnotata pagin. 471. ¶ 1.

Augu lib. 18. de Civit. Dei cap 34.

Euseb. lib. 6. Histor. Eccle. c. 33.

Capite 43. sent: & Augustinus in libro decimo octavo, de civitate Dei, ECCLESIAE Christi, inquit, tot hominum auctoritati ab Eleazaro tunc Pontifice, ad hoc tantum opus electorum, neminem judicant praeferendum: quia & si non in eis unus apparuisset spiritus, sine dubitatione divinus, sed inter se verba interpretationis suae Septuaginta, docti more hominum contulissent, ut quod placuisset omnibus, hoc maneret, nullus eis vetus interpres debuit anteponi. Hieronymus quoque multis in locis, ac praesertim in Praefatione Paralipomenon asserit, Septuaginta interpretes, viros Spiritu Sancto plenos fuisse, & Spiritus Sancti auctoritate scripsisse. Mitto & alia innumera Patrum testimonia, ne legentibus fastidium ingeram.

DE editione vero Latina veteris testamenti, quae vetus, & vulgata olim di-
Capite 43. cebatur, Augustinus libro jam citato, testatur eam apud ecclesias Latinas in tanta auctoritate, ac reverentia fuisse, ut omnibus aliis editionibus praeferretur: & Gregorius in Praefatione Moralium, ut supra meminimus, etiam temporibus suis, eam in ecclesia Romana in summa veneratione fuisse, testatus est, haec ver-
Capite 83. ba in vigesimo libro Moralium scribens: SED tamen, quia haec nova translatio ex Hebraeo nobis eloquio cuncta verius transfudisse perhibetur, credendum est quicquid in ea dicitur; & oportet, ut verba illius nostra expositio subtilius rimetur.

DE editione vero Latina veteris testamenti a Hieronymo facta, quam fida, certa, vera, dilucida, & exacta fuerit, ipsemet Hieronymus indicat: cui cum rationem sententiae suae, velut pignus afferat, par est ut credamus. Sic enim de seipso in Praefatione Psalterii ad Sophronium loquitur: CERTE confidenter dicam, & multos hujus Operis testes citabo, me nihil duntaxat sententiae de Hebraica veritate mutasse: sicubi ergo editio mea a veteribus discrepabit, interroga quemlibet Hebraeorum, & liquido praevidebis me ab aemulis frustra lacerari, qui malunt contemnere videri praeclara, quam discere. Et in Prologo Galeato similiter ait: MIHI omnino conscius non sum, mutasse me quidpiam de Hebraica veritate: certe si incredulus es, lege Graecos codices, & Latinos, & confer cum his Opusculis, quae nuper emendavimus, & ubicunque discrepare inter se videris, interroga quemlibet Hebraeorum, cui magis accommodare debeas fidem, & si nostra firmaverit, puto quod eum non existimes conjectorem, ut in eodem loco mecum pariter divinaverit. Quod si divo Hieronymo, tanquam de se ipso testimonium perhibenti credere nolint haeretici, audiant Augustinum,
Capite 43. qui in 18. de Civitate Dei, de versione Hieronymi, sic ait: Non defuit temporibus nostris presbyter Hieronymus, homo doctissimus, & trium linguarum peritissimus, qui non ex Graeco, sed ex Hebraeo in Latinum divinas Scripturas converterit; cujus tantum literarum laborem Hebraei fatentur esse veracem.
Isidor lib. 6. Etym. cap. 5 Augustino Isidorus consentiens: PRESBYTER, inquit, Hieronymus, trium linguarum peritissimus, ex Hebraeo in Latinum eloquium divinas Scripturas convertit, eloquenterque transfudit: cujus interpretatio merito caeteris anteponitur: nam est verborum tenacior, & perspicuitate sententiae clarior, atque, utpote Christiana interpretatio, verior. Quorum Patrum testimoniis Graeci quoque consensum praebuerunt, qui adhuc vivente Hieronymo, editionem ejus ex Latino verterunt in Graecum, ut idem Hieronymus in prima sua Apologia contra Rufinum scribit.

QUO ad duas Latinas novi testamenti editiones, veterem quidem communis Patrum assensio a primordio nascentis ecclesiae usque ad Damasum Papam longo usu approbavit. Novam vero editionem, seu castigationem Hieronymi, etiam ipso vivente, maximo favore ab ecclesia fuisse receptam, indicat Augustinus in epistola tertia ad Hieronymum, his verbis: PROINDE, non parvas Deo gratias agimus de opere tuo, quod Evangelium de Graeco in Latinum interpretatus es: quia pene in omnibus nulla offensio est, cum Scripturam Graecam contulerimus: unde si quisquam veteris falsitatis contentiosus fuerit, prolatis, collatisque codicibus, vel docetur facillime, vel refellitur: & si quaedam rarissima merito movent, quis tam durus est, qui labori tam utili non facile ignoscat, cui vicem laudis referre non sufficit? Ex his igitur concluditur; aut translationes istas tanta veneratione ab ecclesia receptas, & ab omnibus Patribus celebratas

fuisse

fuisse veras, ac fideles, aut si tales non fuerint, ecclesiam Dei, quae eas tales esse crediderit, quales revera non erant, graviter admodum per tot annorum centurias fuisse deceptam, ac turpiter delusam: quod nullus unquam, nec mente concipere poterit, nisi penitus ecclesiastico spiritu destitutus, & in totum Lutheranis, Sacramentariis, Anabaptistis, Servetanis, ac caeteris ejusmodi pestibus addictus. Sed jam ad ipsorum contentiones transeamus.

OBJECTIONES HAERETICORUM.

1. PROPOSITUM nostrae disceptationis est, ostendere Latinorum, Graecorumque ecclesias ante emissas recentiorum interpretum editiones, nullam habuisse divinarum Scripturarum interpretationem, quae non fuerit infinitis pene vitiis & erroribus deformata. Exordientes igitur juxta temporum seriem, ab illa prima totius veteris instrumenti versione, de nomine Septuaginta interpretum falso appellato, omnia ejus vitia detegemus, si prius adversarios nostros admoneamus editionem istam falso ascriptam Septuaginta interpretibus, & male creditum, quod ab eis Spiritus Sancti afflatu condita fuerit. Siquidem Aristaeas Ptolemaei Satelles in libro De Septuaginta interpretibus, & Philo Judaeus in sua Chronographia, & Josephus in Praefatione Hebraïcarum Antiquitatum, & in duodecimo ejusdem Operis libro, & Auctor libri Seder olam minoris, atque omnes Rabbini Hebraeorum, qui de Septuaginta aliquam mentionem fecerunt, omnes hi referunt Septuaginta interpretes Ptolemaei hortatu tantum quinque libros Mosi transtulisse, nulla de aliis divinae Scripturae libris enumeratione facta: quibus etiam Hieronyms innumeris ferme locis adstipulatur, maxime vero in Commentariis Michaeae, capite secundo, quo loco sic ait: INTERPRETATIO Septuaginta, si tamen Septuaginta est. Josephus enim scribit, & Hebraei tradunt, quinque tantum libros legis Mosi ab eis translatos, & Ptolemaeo regi contraditos. Et in Praefatione Hebraïcarum Quaestionum idem sic scribit: Accedit ad hoc quoque, quod Josephus, qui Septuaginta interpretum proponit historiam, quinque tantum libros Mosi translatos refert, quos nos quoque confitemur, plusquam caeteros, cum Hebraïcis consonare. Quae omnia ostendunt editionem hanc, quae in totum vetus testamentum habetur, non esse Septuaginta interpretum, sed alterius cujuspiam incerti nominis, & auctoritatis translatoris: sed cujuscunque ea sit, etiam si Septuaginta interpretum esset, testatur abunde Hieronymus translationem, quae Septuaginta creditur per spiritum editam non fuisse: & Septuaginta non tanquam afflatos divino spiritu scripsisse, sed tanquam homines, qui in multis errare potuerunt, & erraruns. Sic autem de eis loquitur Hieronymus in Praefatione Pentateuchi: NESCIO quis primus auctor Septuaginta cellulas Alexandriae mendacio suo extruxerit, quibus divisi eadem scriptitarint: cum Aristaeas ejusdem Ptolemaei ὑπερασπιστὴς, & multo post tempore Josephus nihil tale retulerint, sed in basilica congregatos contulisse scribant, non prophetasse: aliud est enim vatem, aliud esse interpretem: ibi spiritus ventura praedicit, hic eruditio, & verborum copia, ea, quae intelligit, transfert: nisi forte putandus est Tullius Oeconomicum Xenophontis, & Platonis Protagoram, & Demosthenis pro Ctesiphonte orationem afflatus rhetorico spiritu transtulisse.

2. QUOD autem multis erroribus editio haec referta sit, non solum ipsi Judaei affirmant, ut Augustinus libro decimo octavo de Civitate Dei annotavit, Capite 41.
sed & multi illustres Christianorum confirmant, & ipsamet editio suos errores manifestissime prodit. Cum enim optimi interpretis munus sit, nihil de auctoris sententia demere, nihil de suo superaddere, nihil aut ad ambiguum, aut contrarium sensum immutare, in his omnibus Septuaginta defecisse inveniuntur. Et primum quam multa de Hebraïcis codicibus loca praeterierint, Hieronymus in (a) Oseae 11.1 apud Matth. 2. 15.
omnibus fere sacrorum librorum Praefationibus indicat, praecipue vero in Praefatione Pentateuchi, in qua enumerans nonnulla ex his, quae Septuaginta omiserunt: MULTA, inquit, de veteri testamento legimus, quae in nostris, hoc est, in Septuaginta interpretum codicibus, non habentur: ut illud, Ex Aegypto vocavi filium meum: &, QUONIAM Nazaraeus vocabitur: &, VIDEBUNT in quem transfixerunt: &, FLUMINA de ventre ejus fluent aquae vivae: &,

(b) Isai. 11. apud Matth. 2. 23.
(c) Zach. 12. 10. apud Joa. 19. 37.
(d) Prove. 18. apud Jo. 7. 38.

(a) Isai. 64. 4. apud 1. Cor. 2. 9. QUAE nec oculis vidit, nec auris audivie, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se: (a) & multa alia, quae proprium σύνταγμα desiderant: qunrum primum positum est in Osea, secundum in Esaia, terrium in Zacharia, quartum in Proverbis, quintum aeque in Esaia: cujus erroris causas non est meum exponere. Et paulo pnst, accusans eos, quod de industria praetermiserint omnia, quae de sanctis mysteriis Trinitatis in sacris literis invenissent, sic addit: DENIQUE ubicunque sacratum aliquid Scriptura testatur de Patre, Filio, & Spiritu Sancto, aut aliter interpretati sunt, aut omnino tacuerunt.

3. QUANTA vero de suo superaddiderint, quae in Hebraeis codicibus non habentur, idem Hieronymus in libro Hebraïcarum Quaestionum, & in epistola ad Suniam, & Fretelam, & in libro De optimo genere interpretandi, ex infinitis pene locis pauca quaedam decerpens annotavit: veluti illud Genesis tertio,
Genes. 3. 14. ubi in Hebraeo scriptum est: SUPER pectus tuum gradieris: addiderunt, ET VENTREM: quod Hebraeus codex non habet: Genes. cap. 13. pro eo, quod
Genes. 13. 13. Hebraei legunt: ET viri Sodomorum erant mali, & peccatores vehementer: apposuerunt, IN conspectu Dei: quod tanquam superfluo additum Hieronymus damnat: quia Sodomitae non solum erant mali in conspectu Dei, sed etiam in conspectu hominum: & cum in principio Psal. 21. solum scri-
Psalm. 22. 1. ptum sit אלי אלי למה עזבתני ELI eli lamah hazabathani, quod interpretatur Deus Deus meus, ut quid me dereliquisti? ipsi interposuerunt duo alia verba, scilicet, RESPICE IN ME: & pro eo, quod legitur Deureronomii 21. MA-
Deut. 21. 23. LEDICTUS a Deo, qui pendet in ligno: ipsi, ut Hieronymus 3. ad Galatas capite annotat, addiderunt, OMNIS, qui pendet in ligno. Deuteronomii 27. ubi
Deut. 27. 26. scriptum est: MALEDICTUS, qui non permanserit in verbis, quae scripta sunt in libro legis, additis tribus particulis, verterunt: MALEDICTUS omnis homo, qui non permanserit in omnibus verbis, quae scripta sunt in libro legis: & ne quis ejusmodi additiones existimet levis esse momenti, sciat ex hisce additionibus, quantumvis parvis, saepenumero gravissimas exoriri haereses: veluti exemplo Manichaeorum ostendi potest: qui ex hac ultima universali particula OMNIS, quam Septuaginta ad Mosi testimonium addiderunt, dicentes, MALEDICTUS omnis, qui pendet in ligno, ceperunt ansam calumniandi, & rejiciendi Mosem, appellantes eum (ut Augustinus libro 16. adversus Faustum scribit) modn sacrilegum, modo blasphemum: eo quod Christum, Apostolos, ac Martyres in ligno pendentes, omnes sub una, eademque universali maledictione concluserit.

4. DE his vero, quae Septuaginta contrario sensu transtulerunt, nonnulla etiam Hieronymus supra memoratis locis enumerat: quemadmodum Genesis 26.
Genes. 26. 32. pro eo, quod juxta Hebraïcam veritatem legitur: VENERUNT in ipsa die servi Isaac annunciantes de puteo, quem foderant, atque dicentes: invenimus aquam: unde appellatum est nomen ejus saturitas: Septuaginta penitus ex opposito verterunt: ET venerunt pueri Isaac, & nunciaverunt ei de puteo, quem foderant, & dixerunt ei: non invenimus aquam, unde appellatum est nomen ejus juramentum: quod falso translatum esse, Hieronymus ex ipsa nominis etymolngia ostendit. QUAE enim, inquit, etymologia est propterea vocari juramentum, quia aquam non invenissent? & contrarium etiam in Hebraeo sit, & Aquila, & Symmachus traducentes consenserint, quod aquam invenerint, & propterea appellatus sit puteus ipse saturitas, vel abundantia. Et in Psalmo deci-
Psalm. 18. 6. mn octavo pro eo, quod legitur in Hebraeo: SOLI posuit tabernaculum in eis: hoc est, quod Deus dederit Soli in coelo domicilium, & thalamum, ex quo tanquam sponsus summo mane procederet, Septuaginta contrario sensu verterunt, nnn Solem esse positum in tabernaculo, sed tabernaculum positum esse in Sole, dicentes Ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθετο τὸ σκήνωμα αὐτοῦ: id est, IN Sole posuit tabernaculum suum: quod occasionem peperit Manichaeis, ut Solem adorarent, eo quod ex his verbis existimassent, Christum, postquam in coelum ascendit, sibi in Sole domicilium constituisse, atque exinde, in eo, tanquam in proprio tabernaculo habitasse: sic enim de Manichaeis scribit Augustinus libro 20. contra Faustum.

5. MULTA

5. MULTA quoque sunt, quae ex ignorantia proprii sermonis perperam, & in alienum, ac diversum sensum a Septuaginta traducta videntur: quorum aliqua exempla Hieronymus locis jam dictis adduxit, quemadmodum Genesis trigesimo, ubi de pecoribus Jacob, & Laban in Hebraeo habetur: FACTA sunt ea, quae erant serotina Laban, & quae primi temporis Jacob: Septuaginta non intellectis Hebraïcis vocibus, verterunt, Ἐγένετο δὲ τὰ ἄσημα τοῦ Λαβὰν, τὰ δὲ ἐπίσημα τοῦ Ἰακώβ, id est, FACTA sunt autem non insignia Laban, insignia vero Jacob: quod Hieronymus in libro Quaestionum Hebraïcarum, nihil dicit ad sensum pertinere. Item Genesis trigesimoprimo, pro eo, quod in Hebraeo est: MUTAVIT mercedem meam decem vicibus: Septuaginta inscitia propriae vocis decepti, verterunt, τῶν δέκα ἀμνῶν, hoc est, decem agnis: unde Hieronymus eos in Quaestionibus Hebraïcis redarguens: NESCIO, inquit, qua opinione Septuaginta ducti, verbum Hebraïcum מנים monim, decem agnis posuerunt, cum numerum potius, quam agnos significet: denique & ex consequentibus magis numeri sensus probetur: sed & Aquila δέκα ἀριθμοὺς transtulit. Symmachus vero δεκάκις ἀριθμῷ transtulit: uterque eorum cum Hieronymo de numero consentiens. Item Genesis trigesimoquinto, pro eo, quod legitur: EGRESSUS inde venit כברת chibrath, hoc est, secundum Hieronymum verno tempore, vel, ut alii exponunt, quasi stadium: Septuaginta non tenentes vocis proprietatem verterunt, IN hippodromo, quod Hieronymus libro praedicto admirans: NESCIO, inquit, quid volentes Septuaginta hippodromum transtulerunt, cum chibrata hippodromus esse non possit. Haec ex innumeris hujus editionis erroribus pauca exempli gratia collecta sint. Genes. 30. 32. Genes. 31. 7. Genes. 35. 16.

6. QUANQUAM pro omnibus istis unicum satis argumentum sufficere posset, ad ostendendum summam hujus traductionis imperfectionem, quia nisi graves, & frequentes in ea fuissent lapsus, frustra tantum laboris ac vigiliarum insumpsisset Hieronymus, ut novam traductionem ex Hebraeo fonte ederet, eamque legendam ecclesiae praeberet. Neque ecclesia editionem Hieronymi adeo ab interpretatione Septuaginta diversam recepisset, nisi & Hieronymus & ecclesia sensissent translationem Septuaginta ab Hebraïca veritate multum discedere, & in pluribus non leviter errare. Haec de prima Septuaginta interpretum versione.

7. DE Latina vero veteris testamenti editione, quam Veterem vocant, negari non potest, quin fuerit omnibus vitiis contaminata. Si enim tot depravationibus Graeca Septuaginta interpretum editio abundavit, unde Vetus Latina editio, tanquam impurus rivulus de impuro fonte manavit, necesse est etiam multo gravioribus mendis, & erroribus Latinam versionem fuisse deformatam: sicut etiam Hieronymus ubique fere testatur, nunc eam, tanquam superfluam, & redundantem resecans, nunc tanquam decurtatam, & amputatam supplens, nunc tanquam depravatam corrigens, & emendans, ac in cunctis pene divinorum librorum Praefationibus diversa semper ejus vitia indicans: ceu in Praefatione libri Josue de exemplaribus veteris Latinae editionis his verbis conqueritur: APUD Latinos (air) tot sunt exemplaria, quot codices, & unusquisque pro arbitrio suo addidit, vel subtraxit, quod ei visum est, & utique non potest verum esse, quod dissonat: & in Praefationibus libri Job conqueritur in vulgata editione totum librum Job esse lacerum, ac detruncatum, deesseque in eo ultra octingentos versus, ac vere apud Latinos librum illum errorum vermibus corrosum jacere in stercore. Contra vero in Praefatione librorum Esther, & Danielis, damnat Veterem vulgatam editionem, quod laciniosis verborum finibus sacras historias tractet, addens ea, quae ex tempore dici, & audiri possunt, sicuti in scholis fieri solet ab his, qui confictis argumentis sese in historia scribenda exercent excogitantes quid pro loco, tempore, ac personis dici potuit: sicut in libro Esther factum est; in quo sex capitula praeter Hebraïcam veritatem apposita sunt: & in Danielis libro, in quo Susannae judicium, ac Belis & Draconis fabulae extra Hebraïcae narrationis summam additae sunt.

8. DE editione veteris testamenti, quae Hieronymi esse creditur, hoc unum in primis certe constat, eam non esse Hieronymi, ipsomet Hieronymo teste, qui in Praefatione libri Regum de sua editione loquens, dicit, se nihil de Hebraïca

veritate

veritate mutasse. Quod sane in vulgata editione veteris testamenti, qua nunc utitur ecclesia servatum esse non videmus: cum in ea tam multa sint, quae ab Hebraïca veritate dissentiant. Ad quod & illud accedit, quod ex tam innumeris locis, quos Hieronymus commemorat, aut se emendasse, aut aliter vertisse, aut aliter legendum censuisse, quam nunc legantur, nullus omnino in hac nostra editione locus inveniatur, qui vel Hieronymi castigationi, vel saltem judicio respondeat: quod liquido patebit, si aliqua nostrae editionis loca conferamus cum illis, de quibus Hieronymus in libro Hebraïcarum Quaestionum sententiam suam indicavit: & primum
Gen. 4. 4. 5. Genesis quarto, ubi editio nostra habet: RESPEXIT Deus ad Abel, & ad munera ejus, ad Cain autem, & ad munera ejus non aspexit: Hieronymus secundum Theodotionis interpretationem, legendum putavit: ET inflammavit Dominus super Abel, & super sacrificium ejus, super Cain autem, & super sacrificium ejus non inflammavit. Addens, hanc interpretationem esse verissimam; quia Cain aliunde scire non potuisset, quod Deus fratris sui munera suscepisset, & sua repudiasset, nisi fratris sui sacrificium juxta Theodotionem inflammasset: ignem autem ad sacrificium devorandum venire solitum de coelo, & in dedicatione templi sub Salomone legitur, & quando Helias in monte Carmelo construxit altare.
Genes. 4. 8. Item de eo, quod nostra editio habet, Genesis quarto: EGREDIAMUR foras, vel in campum, Hieronymus sic scribit: ET dixit Cain ad Abel fratrem suum: subauditur, ea, quae locutus est Dominus: superfluum est ergo, quod in Samaritanorum, & in nostro volumine legitur: EGREDIAMUR foras, &c. Item in Psal-
Psal. 2. 12. mo secundo, pro eo, quod nunc legimus; APPREHENDITE disciplinam: Hieronymus in Apologia contra Rufinum testatur, se vertisse: ADORATE pure: & in expositione Psalmi 126. ad Marcellam, pro eo, quod nunc in eo Psalmo legi-
Psal. 126. 4. mus: FILII EXCUSSORUM: dicit se traduxisse: FILIOS JUVENTUTIS: sicut fecerat Theodotion: quia in Hebraeo habetur כן בני הנעורים chen beue hannehurim: ex quibus locis, atque aliis ejusmodi pluribus, manifestum est, editionem hanc non esse Hieronymi. Quod & Paulus Forosemproniensis Episcopus (ne Munsterum interim & Lutherum adducamus) & plerique alii Hebraearum literarum periti affirmant, existimantes hanc nostram editionem esse, vel Theodotionis, vel Aquilae, vel Symmachi, quam interpres incerti nominis in Latinum verterit, & appositis Hieronymi Praefationibus, illam pro Hieronymi editione venditarit. Quanquam nec ipsa Hieronymi editio (qualiscunque illa fuerit) adeo fuit omni ex parte perfecta, ut justam reprehensionem vitare potuerit: nam ut Palladium Galatam praetermittamus, qui eam tam multis locis primus omnium reprehendit, Augustinus in prima epistola ad Hieronymum, non solum Hieronymi editionem non approbat, sed Hieronymi studium in vertendo veteri testamento, ut superfluum damnat, eumque hortatur, ut a vertendis Hebraïcis Scripturis, tanquam a temerario incepto desistat. Rufinus etiam in secundo libro adversus Hieronymum multo deteriorem putat Hieronymi editionem, quam Septuaginta, multisque eam criminibus accusat. Nicolaus item Lyranus Hieronymum in translatione sua ostendit reprehensibilem, cum aliis multis in locis, tum in Psalmo quadragesimo septimo, ubi in calce ejus sic ait: HIERONYMUS tamen minus bene videtur dicere, quia in omnibus Bibliis Hebraïcis, quas vidi, עלמות halmuth hic est una dictio. Sed quid pluribus? Hieronymus ipse in translatione sua se ipsum errasse fatetur, in Commentariis super Esaiam capite decimo nono, ubi sic ait: MELIUS reor proprium errorem reprehendere, quam dum erubesco imperitiam
Isai. 19. 17. confiteri, in errore persistere, in eo, quod transtuli: ET erit terra Juda Aegypto in festivitatem. Et in Jeremia capite sexto, aliquorum vocabulorum se ignorare significatum non negavit.

9. SED cujuscunque vulgata haec editio sit, manifestum est, eam longe ab Hebraïca veritate distare, & ubique innumerabilibus mendis scatere, variatis frequentes locorum, urbium, hominum, animalium, ac plantarum nominibus; si-
Gen. 2. 12. cur Genesis secundo, pro eo, quod habetur הבדלח habbedolach, nostra editio habet bdelium, cum id non bdelium, sed lapidem pretiosum Hebraeis significet, teste Hieronymo, ac Lyrano: & pro eo, quod ponitur in nostra editione: AD
Genes. 12. 16. locum Sichem usque ad convallem illustrem: Hebraeus habet אלון מורה elon mo-

reh,

reh, hoc est, planitiem Morea; quod secundum Gerundensem viri nomen est:
& Genesis vigesimoseptimo, pro eo, quod in Hebraeo est במרמה bemirmah, Genes. 27. 35.
quud secundum Lyranum significat, PRUDENTER, nostra editio haber, FRAU-
DOLENTER, & Genesis trigesimo tertio pro במאה קשיטה bemeah kesitah, hoc
est, CENTUM nummis, seu obolis, nostra haber, CENTUM agnis. Interdum Gen 33. 19.
quoque loca in tempora, & tempora io loca transmutat: veluti Genesis trigesimo Gen. 35. 16.
quinto, ibi haec verba ad literam scribuntur: ויסעו מבית אל ויהי עוד כברת הארץ
לבוא אפרתה va isehu mibeth el, ve iehi hod chibrata haarez labo ephratha: hoc
est, ET profecti sunt de Bethel: fuitque adhuc quasi stadium terrae ad locum
ephratha: pro quibus editio nostra sic legit; EGRESSUS autem inde, venit ver-
no tempore ad terram, quae ducit Ephratha. Interdum ponit alia pro aliis gesta
fuisse; ut cum Geoesis trigesimo sexto Scriptura dicit, Anam invenisse הימים ha- Gen. 36. 24.
iemim, hoc est, novam generationem mulorum in deserto, translatio nostra
ponit aquas calidas, quae in eo deserto nusquam inveniuntur. Aliquando ponit
sensus omnino contrarios his, quae in Hebraeo habentur, & male in fide sonan-
tes, ut Genesis 6. pro eo quod legitur לא ידון רוחי באדם לעלם lo iadon ruchi baa- Gen. 3. 6.
dam laholam: hoc est: NON judicabit spiritus meus in homine in aeternum: no-
stra editio habet: NON permanebit spiritus meus: quam interpretationem Hie-
ronymus in libro Hebraicarum Quaestionum damnat tanquam crudelem, quae
Deum sanguinarium, ac truculentum faciat: cum potius sententia illa, ut io He-
braeo habetur, Dei clementiam sonet: ait enim, NON judicabit spiritus meus
in homine in sempiternum, quia caro est: hoc est, quia fragilis est in homine
conditio, noo eos ad aeternos servabo cruciatus, sed hic illis restituam, quae me-
rentur: ergo non severitatem, ut in nostris codicibus legitur (inquit Hierony-
mus) sed clementiam Dei sonat: dum peccator hic pro suo scelere visitatur, ne
in alio saeculo in aeternum damnetur. Ex his igitur, & his similibus locis in no-
stra editione contentis colligimus, Ecclesiam ante nostra tempora nunquam ha-
buisse integram veteris testamenti editionem.

10. DE editiooibus autem novi testamenti quid sentiendum sit, ac de ea prae-
sertim, quae Hieronymi tempore, & antea in ecclesia legebatur, Hieronymus
io praefatione ad Damasum indicat, existimans eam omnino indignam, cui fides
praestaretur: quia tot essent ejus exemplaria quot codices, & illa vel a vitiosis in-
terpretibus male edita, vel a praesumptoribus imperitis emendata perversius, vel
a librariis dormitantibus aut addita, aut mutata, in quibus quamplurima a Grae-
ca veritate, & a se ipsis etiam discreparent. Nova vero editio, qua nunc utimur,
& quam non Erasmus solum, sed & multi alii eruditi viri, Hieronymi esse ne-
gant, proprium opus requireret, si singula ejus errata comprehendere vellemus.
Sed satis sint omnibus ejus erroribus explicandis septem illi indices, quos diligen-
tissimus Erasmus editioni suae praeposuit. In quorum primo inexcusabiles soloecis-
mos per interpretem admissos digessit: in secundo, omnia fere loca obscura, in
quibus magni nominis interpretes lapsi sunt, collocavit: in tertio, loca manifeste
depravata disposuit: in quarto, loca in editione nostra redundantia; in quinto,
loca in editione nostra deficientia apposuit; in sexto, & septimo, loca ab inter-
prete immutata, & perperam inversa subjecit. Ex quibus quisque facile cognoscet,
quot mendis, soloecismis, barbarismis, amphibologiis, hyperbatis, milleque aliis
erroribus nostra novi testamenti editio referta sit. Restat ergo, Ecclesiam Chri-
stianorum nullam hucusque integram, fidelem, veram, ac sinceram scripturae sa-
crae translationem habuisse: quod quidem ab initio sumpsimus demonstrandum.

DISSOLUTIO OBJECTORUM.

1. ETSI sciamus omnium fere Hebraeorum opinionem esse, quod Septuagin-
ta interpretes solum quinque libros Mosi Graecos ediderint, malumus tamen cer-
tam, ac indubitatam omnium Christianorum Patrum in hac re sententiam sequi,
quam cum judaizantibus haereticis incertas Judaeorum opiniones sectari. Inter
patres autem divus Hieronymus praecipue affirmat, Septuagiota non solum quin-
que libros Mosi, verum etiam omnes prophetarum libros transtulisse. Quod Eu-
sebius longe antea testatus fuerat lib. 8. Evangelicae praeparationis, in quo etiam Capite 1.
causam

causam reddidit cur prophetarum libri a Septuaginta interpretibus verti debuerint, ita scribens: CUM jam Salvatoris nostri tempora viderentur propius advenire, conduceretque maxime saluti omnium gentium, quaecunque a prophetis scripta fuerant, intelligere, per linguam Graecam, quam fere omnes gentes intelligerent, Judaicam scripturam universis proposuit. Aut enim eam post Salvatoris nostri tempora non habuissemus, Judaeis ex invidia occultantibus, aut corruptiores nobis dedissent, aut si recte haberi potuissent, in suspicionem traductores facile vocarentur. Salvator ergo noster, qui ut Deus omnia providebat, optimam dispositionem Ptolemaeo Aegyptiorum regi immisit, ut per Septuaginta Hebraeos interpretes libros prophetarum traduceret. Epiphanius vero in libello de ponderibus & mensuris non modo legem & prophetas, sed etiam caeteros veteris testamenti libros, quos etiam nominatim appellat, ab eis traductos refert; & idem ante eum Origenes sensit, longeque ante ambos Philo Judaeus: quo cum omnis Graecorum ac Latinorum Patrum chorus consentit. Nec ab eorum consensu quicquam Hieronymus discrepat, quanquam (ut haeretici nobis opponunt) aliquando dissentire visus sit, sed potius ex aliorum, quam ex sua ipsius mente dubitavit, an Septuaginta omne vetus testamentum transtulerint. Semper enim in omnibus commentariis suis fassus est, Septuaginta interpretes totum vetus testamentum transtulisse. Quin & in commentariis duodecim prophetarum, ut ipse de se contra Rufinum testatur, semper una cum sua editione, etiam Septuaginta interpretationem sub ipsorum nomine disseruit. Ac demum quid de hac re sentiret, in iisdem commentariis aperuit his verbis: QUANQUAM eruditi solos quinque libros Mosi a Septuaginta translatos probent, utpote Josephus, & Hebraei, nos tamen secuti auctoritatem veterum, Irenaei, Tertulliani, Origenis, totum vetus testamentum per Septuaginta translatum dicimus. Quod si plerunque Hieronymus Septuaginta illas cellulas tanquam incerto auctore vulgatas contemnit, & Septuaginta interpretes non prophetas, ac vates, sed solum fuisse interpretes scripserit, non ob id tamen inficiatur eos Spiritu Sancto illustrante transtulisse: quinimo eos Spiritu Sancto plenos, ac Spiritus Sancti auctoritate commotos, verissime transtulisse, plerisque in locis, & maxime in praefatione libri Paralipomenon constanter affirmat; & quanquam eos asseveret nec interpretando prophetasse, nec spiritum habuisse propheticum, nusquam tamen negat eos Spiritu Sancto imbutos ad scripturae translationem accessisse: negavit quidem eos spiritum habuisse, quo futura praevidendo divinarent, ac scriberent, sed non negavit eos intus divinum intelligentiae spiritum, ac interpretationis divinae scripturae afflatum habuisse, cujus interni luminis auspicio, quae a prophetis scripta fuerant, ex una in aliam linguam converterent: differunt autem inter se prophetiae, & interpretationis spiritus: hic sermones interpretatur, ille vero ventura vaticinatur.

2. QUANTUM vero ad errores illos attinet, de quibus Septuaginta ab haereticis accusantur, quod multa prophetarum testimonia de Christo praesertim, ac sancta Trinitate silentio praeterierint, Hieronymus eos multis in locis egregie tutatur, demonstrans eos non negligenter, nec malitiose, sed prudenti, pioque consilio multa de Christi sacramentis, & sanctae Trinitatis mysteriis omisisse. Primo, quia cum ante adventum Christi interpretarentur, multa venturi Christi sacramenta, nondum plene saeculis illis perspecta, scire nequiverunt: ita disponente Deo, ut omnia ejus divinitatis mysteria sub exortum Evangelicae lucis Christi splendore pandenda servarentur. Itaque quod illi ignoraverunt, aut non plene cognoverunt, vel dubiis, & ambiguis sententiis transtulerunt, vel omnino tacuerunt, volentes potius de incognitis bene tacere, quam de his, quae non noverant, loquendo male pronunciare. Secundo, ne Ptolemaeum Alexandriae regem scandalizarent, multa de filio Dei, ac de ejus adventu occultarunt: ne forte rex audiens, Deum habere filium, putasset Judaeos juxta Platonis dogma duplex habere divinitatis numen, & duos habere Deos, quos magni idcirco faciebat, quia unum tantum Deum colere dicerentur. Tertio, multa quoque alia praeter haec sacramenta tacuerunt, ne omnia fidei suae mysteria ethnicis proderent, indignum existimantes, juxta Christi sententiam, dare sanctum canibus, & margaritas ante

Hieronym. in Praef. Pentateuch.

te porcos projicere. His igitur justissimis de causis tam multa a Septuaginta interpretibus omissa tradit Hieronymus.

3. DE his vero, quae ab eisdem addita sunt, Divus Hieronymus in libro De optimo genere interpretandi ostendit, in illis verba non esse consideranda, sed sensum, ad quem Septuaginta ipsi nihil de suo addiderunt, licet verba quaedam, quae in Hebraeo non erant, adjunxerint. Sed cum animadverterent, Hebraeos quosdam sensus non posse in Graecam linguam, servato pari verborum numero, ita significanter transire, ea de causa dictiones aliquas interdum addiderunt, ut quod pari verborum numero ad plenum exprimere non poterant, adjectis aliis vocibus, significantius, & efficacius exprimerent. Quod & Apostoli, & Evangelistae aliquando fecerunt: sicut in Marco legimus, qui cum introduxisset Dominum ad defunctam puellam, dicentem: THABITHA CUMI: statim subjecit, quod interpretatur. Marc. 5. 41.
Puella (tibi dico) surge, in cujus sententiae interpretatione duo verba, videlicet, TIBI DICO, quae in Hebraeo Christi dicto non sunt, de suo addidit, ut praecipientis Christi jussum, ἐμφατικώτερον, hoc est, significantius faceret, & sensum vocantis atque imperantis fortius exprimeret: sic & Septuaginta emphasis gratia multas plerunque voces de suo addiderunt: veluti cum inter illa verba Psalmi vigesimi primi, DEUS DEUS MEUS, UT QUID ME DERELIQUISTI? interpo- Psalm. 21. 1.
suerunt πρόσχες μοι: hoc est, RESPICE IN ME: ut supplicantis, & expostulantis affectum potentius & vividius explicarent: atque haec una causa est, cur Septuaginta de suo nonnulla addiderint. Altera vero est, aequivocatio, ac multiplex vocum significatio, quae apud Hebraeos magis, quam in caeteris aliarum gentium linguis accidere solet, ut una eademque vox saepe multa significet. Unde Septuaginta volentes plerunque multiplex alicujus Hebraïcae dictionis significatum ostendere, neque id unico verbo fieri posse videntes, pluribus appositis verbis, plures ejusdem vocis significationes interpretantur: quemadmodum Genesis tertio, memorato ab haereticis loco fecerunt: ubi cum in Hebraeo scriptum sit על ג חנך hal ghe concha, quod tam super ventrem, quam super pectus significat, Septuaginta utrumque vocabuli significatum exprimere cupientes
verterunt: ἐπὶ τῷ στήθει σοῦ, καὶ τῇ κοιλίᾳ πορεύσῃ: hoc est, SUPER pectus tuum, Genes. 3. 14.
& ventrem gradieris. Interdum quoque contingere potest, ut aliqua in codicibus Hebraïcis, vel malitia, vel negligentia, vel imperitia Scriptorum praetermissa sint, quae cum postea inventa fuerint in editione Septuaginta interpretum, qui de integris adhuc codicibus transtulerunt, videantur a Septuaginta supra Hebraïcam veritatem apposita. Sicut in duobus illis Deuteronomii locis ab haereticis productis evenisse putat Hieronymus, qui de his in Commentariis ad Galatas capite tertio, sic loquitur: INCERTUM habemus, utrum Septuaginta addiderunt,
OMNIS HOMO, & IN OMNIBUS: an in veteri Hebraïco ita fuerit, & postea Galat. 3. 10.
a Judaeis deletum sit: in hanc me autem suspicionem illa res stimulat, quod verbum OMNIS, & IN OMNIBUS, quasi sensui suo necessarium ad probandum illud, quod quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt; Apostolus Paulus, vir Hebraeae peritiae, & in lege doctissimus, nunquam protulisset, nisi in Hebraeis voluminibus haberetur. Quam ob causam Samaritanorum Hebraea volumina relegens, inveni כל cal, quod interpretatur, omnis, sive omnibus scriptum esse, & cum Septuaginta interpretibus concordare. Frustra igitur illud tulerunt Judaei, ne viderentur esse sub maledicto, si non possent omnia complere, quae scripta sunt: cum antiquiores alterius quoque gentis literae id positum fuisse testentur. Haec Hieronymus. Quod si Manichaei ex eo verbo scandalizati sunt, existimantes, Mosem blasphemasse Christum, quia posuit eum sub universali maledictione eorum, qui pendent in ligno, haereticorum fuit hoc scandalum, non de Scripturae occasione, sed de propria malitia sumptum: quasi non etiam Paulus Apostolus, quem Manichaei venerantur, dixisset, Christum non solum fuisse sub maledictione, sed etiam pro nobis factum esse a Deo peccatum, & maledi- Galat. 3. 13.
ctum: factum inquam maledictum sponte sua, non natum, ut peccatum, quod homo commiserat per lignum scientiae boni & mali, ipse in ligno deleret appensus, ut Augustinus contra Faustum inquit. Et haec de locis a Septuaginta superadditis.

4. DE locis autem, qui apud Septuaginta cum Hebraïca veritate pugnare videntur, teste Augustinus libro decimo octavo de Civitate Dei, capite quadragesimo quarto, dixit, multa esse apud Septuaginta ioterpretes, quae cum ab Hebraïca veritate discrepate putentur, si beoe intellecta fuerint, invenientur ei non esse contraria: & Divus Hieronymus in libro De optimo genere interpretandi: DISCREPANT, inquit, Septuaginta interpretum, nostraque translatio, & tamen sermonum varietas spiritus unitate concordat: unde credendum non est, Septuaginta aliquid unquam in contrarium sensum vertisse. Quod si locum illum Geoesis vigesimo sexto alio sensu rranstulerint, quam posteriores interpretes fecerint, in causa fuit, quod io codicibus sui temporis dictionem habuerint cootrariam ei, quam Aquila, & Symmachus in suis codicibus habuerunt: quo factum est, ut eorum interpretatio a Septuaginta interpretatione dissideret. Quod enim Septuaginta in suis exemplaribus habuerunt לא lo, terminante aleph, quae, NON, negandi scilicet particulam significat, posteriores interpretes io suis codicibus, forte, scribentium iocuria, omisso aleph, habuerunt לו lo: quod pronomen ei, vel illi significat: unde tam Septuaginta, quam posteriores aptissime, quod habuerunt in suis codicibus, traduxerunt. Illi juxta negantem particulam, VENERUNT SERVI, ET NUNTIAVERUNT EI, ET DIXERUNT: NON INVENIMUS AQUAM. Isti vero juxta demonstrativam particulam; VENERUNT SERVI, ET NUNTIAVERUNT EI, ET DIXERUNT EI: INVENIMUS AQUAM. Quis autem ex istis sit verus, ac germanus illius scripturae seosus, oon est oobis admodum anxie disquireodum, cum neuter illorum dogmatibus fidei nostrae adverse tut, & uterque pariter historiae aptari queat. Mihi tamen convenieotior videtur Septuagiota interpretatio, oe pronomeo ei semel atque iterum absque ulla necessitate superfluo repetatur, dum dicitur: Venerunt servi, & ountiaverunt ei, & dixerunt ei: cum satis fuerit semel dixisse, ountiaveruot ei, & dixerunt (a). Nec obest quicquam, quod de putei etymologia opponunt, videlicet, jurameoti dominatiooem a non inventis aquis deduci non posse: quoniam nec Septuagiota, nec ipse Moses dixerunt juramenti cognomeo fuisse derivatum ab aquis oon inventis, sed a juramento quod juxta eundem puteum Isaac feriit una cum Abimelech & amicis ejus apud se convivantibus: sicut paulo supra ex ipsius historiae verbis apparet (b). Similiter locus Psalmi decimioctavi, si recte quo ad mysticam intelligentiam perpendatur, cum Hebraica veritate non pugnat: quod enim secundum mortuam literam apud Hebraeos legitur: לשמש שם אהל בהם la scemes sam ohel bahem: hoc est, SOLI posuit tabernaculum in eis: Septuagiota juxta vivificantem spiritum transferentes dixerunt: ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθετο τὸ σκήνωμα αὐτοῦ, id est, IN Sole posuit tabernaculum suum: ita eis divino spiritu dictante, ut verbis illis designaretur perenne sacramentum Christi, & ecclesiae, io qua velut in Sole, divinus ille sponsus Dei filius (ut Augustious in expositione ejus Psalmi inquit) tabernaculum, & habitationem suam perpetuam collocavit: quem spiritualem, & mysticum sensum si impii Manichaei secuti fuissent, in tantam impietatem minime

(a) Etsi prudenter sapienterque N. Xystus ostendat particulam illam negativam textui Geneseos adjectam a LXXII. interpretibus parum ad rem facere, estu adversetur Hebraico textui: non tamen omnibus adridet ejus suspicio de retinendo לוא lo negationem indicante, respuendoque לו lo pronomen *ei* designante, quum ex textu potius oppositum eruatur; idque vel ex eo praesertim evincitur, quia in Vulgata posterius retinetur, negatione illa penitus exsibilata. Et fortasse variatio in septuagintaviralem editionem ex sequiori depravatione irrepsit. Quomodo autem, & quot ex momentia septuagintaviralis editio vindicetur, ejusque conformitas cum Hebraico textu probetur optime ostenduot viri Hebraice & Graece docti & in re Biblica plene eruditi Simonius, Vossius, Capellus, aliique, quos consulas, quum ex his, quae nunc subjicimus, res tota dilucidetur.

(b) Ad pleniorem intelligentiam Hebraici textus, ejusque cum septuagintavirali editione conformitatem firmandam sat erit adnorare ex Hebraice doctis, quod dum in nostra vulgata vertitur *abundantia*, quae Hebraico in textu scribitur שבע, bene etiam in Graeco texto scribitur *ὅρκου jurisjurandi*, si varietas legendi Hebraicos characteres adtendatur, qua bene pensata res tota explicatur, quae primo adspectu nimium implexa videtur. Primo enim legi potest *scheba* per *schin*, & significat septem; ita ut hic sit sensus ejus: hic est septimus puteus, quem effodi, & ita legit praecipue Vatablus. Quia insuper septenarius numerus plenitudinem denotat, bene noster Vulgatus *abundantiam* reddidit. Secundo legi potest *scebua*, & significat juramentum, & sic legerunt septuaginta Interpretes, qui propterea reddiderunt *φρέαρ ὅρκου puteus juramenti*, & concordat etiam cum textu, & historia, quia ad hunc puteum jurarunt, foedusque inierunt Abraham, & Isaac cum Abimelecho. *III.* legi potest *seba* per *sin*, & significat saturitatem, quasi diceret: Ex hoc puteo saturabimur: hic puteus pacificam, & quietam nobis & pecoribus nostris abundantiam praestabit. Legesis Cornelium a Lapide, & N. Thomam Malvenda in Genesim. Consule itidem quae adnotavimus hic *fol. 615*.

me decidissent, ut unicum illum cultum, qui soli Deo immortali debetur, mortali & corruptibili astro exhiberent. (a)

5. DE locis vero, quos ex ignorantia propriae linguae a Septuaginta male translatos criminantur, respondemus Septuaginta facile vindicari ab ista calumnia ex infinitis pene suae editionis locis, qui cum sint longe obscuriores, ac difficiliores, quam hi, quos obtrectatores indicarunt, perspicuum fit Septuaginta non minus Hebraeae, quam Graecae linguae peritos, in vertendis tam apertis vocibus, quales sunt מנים monim & כברת chibrath, errare non potuisse. Igitur potius errore ejusmodi vitio librariorum, quam inscitia doctissimorum interpretum contigisse credendum est: ad quod asserendum duae nos causae vehementer inducunt: una, quod Hieronymus, qui omnes defectus Septuaginta interpretum detexit, nusquam eos inscitiae notavit. Nec scio quomodo Joannes Reuclinus libro tertio Hebraïcarum institutionum ausus fuerit Hieronymo impingere, quod is aliquando Septuaginta interpretes imperitiae damnarit, cum hoc in nullis Hieronymi scriptis inveniatur. Sed hoc tantum reperiatur, Septuaginta editionem, vitio scriptorum corruptam, in sua puritate non permansisse. Altera vero causa est, quod multa ex his, quae Hieronymus ex editione Septuaginta, quam ipse legerat, tanquam vitiata adducit, nunc in editione Septuaginta, quam ecclesia Graeca legit, emendata habentur: ut quod Hieronymus miratur vocem hippodromi fuisse positam a Septuaginta pro voce כברת chibrath, editio Graeca ipsorum Septuaginta nostri temporis non sic habet, sed juxta Hebraïcam veritatem sic: *ἐγένετο δὲ ἡνίκα ἤγγισεν εἰς χεφραθά*: id est, FACTUM est postquam appropinquasset in Chiphrata. Unde liquido apparet Graecum Hieronymi codicem in multis fuisse corruptum, & ipsum juxta id, quod in codice suo habebat, pronunciasse: non Septuaginta reprehendens, sed depravationes illas coarguens, quae in Septuaginta editionem vitio corruptorum irrepserunt.

6. ILLUD vero, quod ajunt novum Hieronymi laborem evidentissime coarguere Septuaginta editionem, vetus calumnia est, olim quoque divo Hieronymo a suis aemulis inflicta; quam ipse per singulas sacrorum librorum praefationes saepissime confutavit, ostendens se non contra Septuaginta interpretum auctoritatem, sed multis aliis de causis laborem illum suscepisse. Unde contra Rufinum, qui illi hoc idem objecerat, sic inquit: EGO ne contra Septuaginta interpretes aliquid sum locutus: quos ante annos plurimos diligentissime emendatos meae linguae studiosis dedi, quos quotidie in conventu fratrum edissero: quorum Psalmos jugi meditatione decanto? stultus eram, ut quod in pueritia didici, senex oblivisci vellem? universi tractatus mei horum testimoniis texti sunt: commentarii in duodecim Prophetas, & meam, & Septuaginta editionem edisserunt, &c. Causae vero, quae Hieronymum ad hanc editionem impulerunt, hae sunt. Primo, ut ea, quae in Septuaginta editione fuerant vitio scriptorum depravata, ex sua interpretatione emendari possent: quam causam ipse in praefatione Paralipomenon his verbis indicat: SI Septuaginta interpretum pura, & ut ab eis in Graecum versa est, editio permaneret, superfluo me Chromati episcoporum sanctissime, atque doctissime impelleres, ut Hebraea volumina Latino sermone transferrem. Quod enim semel aures hominum occupaverat, & nascentis ecclesiae roboraverat fidem, justum erat nostro silentio comprobari: nunc vero cum pro varietate regionum diversa ferantur exemplaria, & germana illa antiquaque translatio corrupta sit atque violata, nostri arbitrii putas, aut e pluribus indicare, quod verum sit, aut novum opus in veteri opere cudere. Secundo, ut multa, quae

(a) Quam bene cohaereat cum Hebraïco textu septuagintaviralis editio, docet Euthymius Zigabonus Graecus Author, cujus verba transcribere fas est ad notitiam veritatis. Ita enim expendit verba Psalmi XVIII. *In sole posuit tabernacula illic* „ Hujus „ versiculi sensus talis est: quod Deus habitatio„ nem soli posuit in Coelo. Ait enim Moyses de „ duobus magnis luminaribus, quod posuit ea Deus „ in firmamento coeli, ut lucerent super terram. „ Aliquibus etiam visum est, versiculum hunc re„ cte construi non posse: nos autem post dictionem, „ tabernaculum, virgulam ponentes, & dictionem „ quae Graece Αὐτοῦ habetur, non pro relativo, „ sed pro adverbio loci intelligentes, commodissime „ ordinem reddimus: posuit Deus ac determinavit „ soli habitationem illic, idest in firmamento coeli, „ ita tamen, ut superflua sit praepositio in, quemad„ modum multis in locis observavimus. Nam cum „ Graeci sexto casu careant, & illius loco tertio „ utantur, dictio, sole, hoc pacto, soli, apud „ eos est, & ordo traditus recte fieri potest, ut di„ ximus. Sol itaque, qui constitutum sibi in Coe„ lo habitaculum nunquam reliquit, divinae glo„ riae ac providentiae perpetuus est praeco.

a Septuaginta fuerant omissa, vel obscure ob jam dictas causas translata, ipse restitueret, suppleret, ac illustraret: sicut ipse in Praefatione Job scribens: AUDIANT, inquit, canes mei idcirco me in hoc volumine laborasse, non ut interpretationem antiquam reprehenderem, sed ut illa, quae in ea obscura sunt, aut omissa, aut certe vitio Scriptorum depravata, manifestiora nostra interpretatione facerem. Tertio, ne Judaei ecclesiae Christi diutius insultarent, improperantes in Hebraeo non ita haberi, quemadmodum ecclesiae Christi & Septuaginta interpretes legunt, & ne amplius Judaei haberent subterfugiendi diverticula, siquando a Christianis in disputatione premerentur, ac suismet armis sternerentur: nec ultra jam opus haberent Christiani, ut Judaeorum Rabbinos consulerent, & eorum opem implorarent: siquando lis de Hebraïca veritate nasceretur. Quarto, ut exultantem Graeciam, quemadmodum ipse in Praefatione Esdrae, inquit, compesceret, & Graecorum superbum fastum comprimeret, qui se Latinis in tantum praeferebant, ut dicerent, nihil divinarum Scripturarum habere Latinos, quod non a Graecis mutuo accepissent. Quinto, ad evitandum ingentes sumptus eorum, qui ex collatione multorum exemplarium veritatem invenire volentes, intolerabili quidem expensa cogebantur emere exemplaria Septuaginta interpretum, Aquilae, Symmachi, Theodotionis, Origenis, Luciani, Esychii presbyteri, quintae, sextae, & septimae editionis, atque alia multa, quae non sine magno pecuniarum dispendio, & a solis divitibus parari poterant. Sexto, ut occasionem confusionis & erroris auferret his, qui diversa exemplaria absque Hebraïcarum literarum peritia tractabant: qui cum ex ignorantia Hebraïci sermonis, quis nam inter tot interpretes verius dixisset, discernere nescirent, gravius errabant: quod & sapientissimo cuidam viro suis temporibus apud Graecos accidisse, Hieronymus in Praefatione Esdrae testatur: qui cum Hebraïce nesciret, saepe Scripturae sensum relinquens, uniuscujusque interpretis sequebatur errorem. Septimo, ut dissidium, tam Graecarum, quam Latinarum ecclesiarum circa editionem Septuaginta interpretum tolleret: quae licet eandem Septuaginta interpretationem publice tractarent, non tamen, ut Hieronymus in Praefatione Paralipomenon scribit, eadem ejusdem editionis habebant exemplaria, sed plane diversa, & inter se pugnantia. Nam Alexandria, & Aegyptus utebantur editione Septuaginta interpretum, emendata ab Esychio Hierosolymitanae ecclesiae presbytero; Constantinopolis vero usque ad Antiochiam legebat eandem Septuaginta editionem, sed in aliis exemplaribus emendatis a Luciano Martyre, Antiochenae quondam ecclesiae presbytero, & postea Nicomediae episcopo: mediae vero inter has provinciae Palestinos codices legebant, quos ab Origene elaboratos, Eusebius, & Pamphilus vulgaverunt. Ad tollendam ergo tantam exemplarium contentionem, Hieronymus novam translationem de Hebraeo aggressus est. Octavo, ut Latinorum studia, sicut ipse contra Rufinum testis est, in linguis adjuvaret, accenderetque animos suorum ad amorem linguae sanctae, & ad versandum Hebraïca exemplaria, ne deinceps infidelium Hebraeorum ope egeremus. Hae igitur causae impulerunt Hieronymum ad novam editionem, eaedemque Latinam ecclesiam moverunt, ut post antiquam Septuaginta editionem, novam divi Hieronymi interpretationem reciperent. Haec hactenus de Septuaginta interpretibus.

7. Ex quibus omnino evertitur argumentum eorum, qui antiquam veteris testamenti translationem apud Latinos idcirco vitiosam esse inferebant, quia de vitiosa Septuaginta interpretum editione, tanquam de vitiato fonte fluxisset: quam cum jam ostenderimus omni vitio carere, fieri non potest, ut ex ea vitium aliquod in veterem Latinorum editionem fuerit derivatum. Quod si Hieronymus multa in ea errata deprehendit, atque correxit, non ob id consequens est, ut ecclesia Latina ante Hieronymum nullam veteris testamenti veram, ac sinceram editionem habuerit: nam etsi nonnulla exemplaria olim fuerint corrupta, quae postea Hieronymus correxit, non ideo sequitur, ut omnes, quotquot habuit ecclesia codices, fuerint in universum, & ex toto corrupti. Et esto, etiam omnes in aliquibus fuerint corrupti, non tamen fieri potest, ut omnes simul iisdem in locis fuerint depravati, ita ut id in nullo exemplari integrum, & inviolatum permanserit,

manserit, quod in multis exemplaribus esset vitiatum. Sequitur ergo, ut ex pluribus corruptis codicibus, facta ipsorum ad invicem, vel ad Graecos codices collatione, facile ab eruditis ejusmodi exemplaria in unum conferentibus, vera, & integra cujuscunque loci translatio haberi potuerit, & revera ab his habita semper fuerit. Colligimus itaque adversus haereticorum sententiam, quod quanquam ecclesia in singulis seorsum codicibus sinceram & integram veteris testamenti translationem non habuit, nunquam tamen in omnibus simul & undique collectis exemplaribus exacta, absolutaque veteris testamenti translatione caruit, sed semper in ipsa generali codicum universitate, quod in uno atque alio codice corruptum fuit, idipsum in hoc, vel in altero codice integrum, & incorruptum permansit: ita Scripturarum codices, protegente Deo, ne ecclesia sua per aliquod tempus divinae lectionis veritate fraudaretur, sed eam saltem in toto simul omnium codicum ambitu haberet, quam in singulis seorsum codicibus habere non poterat. Neque hanc nostram sententiam infirmat, quod Hieronymus dixit, veterem vulgatam editionem in multis locis deficere; ut in libro Job, in quo octingenti pene versus deerant, & in plerisque aliis locis superfluo redundare: veluti in libro Esther, & in libro Danielis: quia quantum attinet ad ea, quae desunt, possibile est, ut in codicibus, quos Hieronymus viderat,& quibus tum ecclesiae aliquae particulares utebantur, octingenti illi versus, & alia etiam multa deessent,quae tamen in caeteris aliarum ecclesiarum exemplaribus permanerent. Nam & editio antiqua libri Job, quem Gregorius in Moralibus disseruit, & graeca Septuaginta interpretum editio, quae nunc extat, nihil minus habere inveniuntur quam Hebraïca exemplaria & Hieronymi traductio habeant. Quantum vero spectat ad ea, quae in vulgata editione supersunt, manifestum est, nunquam ex his translationis veritatem fuisse corruptam, eo quod non tanquam germana, ac propria immissa fuerint in illam communem editionem, sed tanquam exoterica, & apocrypha, ad supplementum historiarum extrinsecus addita, & obelis verubusque jugulantibus tam in Graecis,quam in Latinis codicibus transfixa: quae postea, quod pie sancteque scripta, & addita videntur, auctoritatem successu temporis meruerunt, & in sacro canone ab ecclesia recepta fuerunt.

8. DE editione nova veteris testamenti, quam Hieronymi esse negant, respondemus, quod sicut ea non videtur esse Hieronymi, ob causas ab adversariis inductas, ita ob easdem causas non omnino alia videtur ab interpretatione Hieronymi. Nam sicut illi ex multis locis, qui in editione nostra aliter habentur, quam Hieronymus emendavit, arguunt, editionem hanc non esse eam, quam Hieronymus de Hebraïca veritate transtulit, ita & nos eodem argumento ostendere possumus, eam non esse prorsus ab illa divi Hieronymi interpretatione diversam: quia in illa multa loca habentur, sicut Hieronymus se emendasse testatus est: veluti illud, quod in Septuaginta interpretibus legebatur: VIRI Sodomorum erant mali, & peccatores in conspectu Dei: voluit ipse legendum esse, ut nunc legitur in editione nostra, absque duobus illis verbis: in conspectu Dei: & Genesis trigesimo sexto, pro eo, quod Septuaginta habebant: EGRESSUS inde venit in hippodromum: dicit, se in locum hippodromi posuisse verno tempore, ut nunc in nostra editione legitur. Et ne in recensendis similibus locis editionis nostrae a Hieronymo correctis tempus teram, inspiciat quicunque volet Commentaria Hieronymi in prophetas, in quibus ille duas editiones edisserit, Septuaginta videlicet, ac suam de Hebraïca veritate translatam: & videbit editionem Hieronymi a nostra vulgata editione nihil pene discrepare. Proinde credibile est,hanc nostram vulgatam editionem ex duabus Hieronymi editionibus constare: videlicet ex ea, quam Hieronymus secundum Hebraïcam veritatem edidit, & ex ea, quam ipse ex Graeca editione Septuaginta interpretum transtulit. Utrunque enim se fecisse testatur Divus Hieronymus,& in Apologia contra Rufinum, & in omnibus pene veteris testamenti Praefationibus. Quod etiam indicat Psalterium editionis nostrae: ipsum enim illud idem non est, quod ipse ad Sophronium juxta Hebraïcam veritatem transtulit, sed aliud, quod se ex Septuaginta editione vertisse, in epistola ad Suniam & Fretelam scribit. Verum utcunque sit, hoc certe verissimum est, Hieronymi editionem nunquam, aut de linguarum

guarum imperitia, aot de falsitate, ut isti fingunt, fuisse damnatam, sed mirum in modum ab Augustino, Gregorio, Isidoro, arque aliis clarissimis viris laudatam. Quod si aliquando Palladius Galata, Hiernnymianae gloriae invidus, quem Epiphanius ad Joannem episcopum Hiernsolymitanum scribens, tanquam haereticum fugiendum esse monuit, itemque Augustinus, & Rufinus, & alii quidam, hanc Hieronymi translationem accusare visi sunt, sciendum est, eos nno genus, formamque interpretaodi, ac fidem, sed occasionem, opportunitatem, & consilium translatoris improbasse; en quod nephas esse ducerent, a Septuaginta interpretum invererata jam auctoritate discedere: & existimarent, banc novam Hietooymi edirionem non sine maxima ecclesiarum perrurbarione, ac fidelium scandalo iovulgari posse. Et in hunc sensum se fuisse locutum, declarat ipsemet Augustinus, cum de bac re ad Hieronymum scriberet, his verbis: EGO sane, mallem te Graecas potius canonicas nobis interpretari Scripturas, quae Septuaginta interpretum auctoritate perhibentur: perdurum enim erit, si tua interpretario per multas ecclesias frequentius coeperit lectitari, quod a Graecis ecclesiis Latinae ecclesiae dissonabuot: maxime quia facile contradictor convincitur Graeco prolato libro, id est, linguae notissimae. Siquis autem in eo, quod ex Hebraeo translatum est, aliquo insolito permotus fuerit, & falsi crimen intenderit, aut vix, aut nunquam ad Hebraea testimonia pervenitur, quibus defendatur objectum. Quo si etiam perventum fuerit, tot Latinas, & Graecas auctoritates damnari, quis ferat? Quibus verbis apparet, Augustinum non formam interpretatinnis, sed intempestivum traducendi officium in Hiernnymo noo probasse. Quod autem Hieronymus se aliquando lapsum fatetur, & etiam quaedam Hebraea vocabula non intellexisse, nihil ejus editinnis auctoritati derngat, cum ipsemet ea, in quibus se errasse cognoverat, diligenter etiam emendarit: ut loco ab haereticis de Esaia inducto fecit: in quo cum male FESTIVITATEM transtulisset, postea locum emendans, pro festivitate Pavorem reposuit. De his vero vocibus, qunrum se significata ignorare ingenue fassus est, non illi hoc, taoquam imperito, vitio vertendum est, sed id vocibus jam vetustate, & antiquitate nimia obsoleris imputandum est. Quemadmodum & clarissimo oratnri Marco Tullio nemo vitio dabit, quod multas voces senio antiquatas, quae apud Varrooem, & Catonem legebantur, sese ignorare confessus sit: veluti nassiteroam, scrutiscum, urpex, lessum facere, & alias ejusmodi dictiones, quibus nihil dissimiles sunt omoes illae voces, quarum se Hieronymus significatum oescire non negavit.

9. AD illud vero, in qun nostram vulgaram editionem, cojuscunque ea sit, ceu penitus ab Hebraïca veritate discrepaotem accusant, dicimus, quod quanquam in verbis aliquandn ab Hebraeo discordet, ubique tamen in sensus veritate, & sententiae unitate concordat. Nec mirum est, si in verbis quandoque ab Hebraeo dissentit, cum ea, ut dictum est, non pure, & simpliciter sit ex Hebraeo fonte deducta, sed permistim & coofuse sumpta ex duabus Hieronymi editionibus, quarum ipse alteram de Hebraeo fonte, alteram de Graeca veritate traduxit. Quanquam neque in verbis ipsis editio nostra, si diligenter considerata fuerit, ab Hebraica veritate dissentiat, nisi in dictionibus quibusdam, in quibus necessario coguntur interpretes ab exemplaribus evariare, & nonnibil inter se ipsos dissentire, cum scilicet eis occurrunt voces quaedam ambiguae, & incertae. Redduntur autem dictiones Hebraïcae interpretibus incertae ob multas causas: aliquando enim codices, quibus inrerpreres vertendo utuntur, vocalibus punctis destituuntur: qualis fuit codex, quo Hiernnymus usus est: & sicut nunc est volumen legis, quo passim Judaei in Synagogis utuntur. Cum ergo literae suis nntulis distinctae non sunr, & occurrent aliquae dictiones iisdem literis scriptae, runc ipsae multis modis legi, & traduci possunt: veluti vox שם Sem, sine apicibus scripta, additis punctis, legi pntest שֵׁם Scem, & tunc nomen significat, vel שָׁם Sciam, & tunc ibi, vel illic denotat: vel שָׂם Sam, quod posuit significat: vel שַׁם Scam, quod desolatum sonat. Aliquandn vero, ut diximus, occurrunt nomina quaedam pervetusta locorum, animalium, plantarum, ac lapidum, quorum significationes, etiam apud ipsos Hebraeos, vocis antiquitate, ac temporis diuturnitate, interie-

re.

re. Aliquando occurrunt dictiones eisdem literis scriptae, & similibus pene punctis distinctae: sicut in his duabus vocibus שם Sciam, & שם Scem, accidit: in quibus, si duo illa puncta Zere .. quae sub altera illarum dictionum ponuntur, paulo sibi ipsis, vel calami lapsu, vel scribentis incuria, viciniora fiant, formam efficient puncti Patach - quod sub alia dictione ponebatur; & sic traositus ex uno ad aliud significatum continget: quandoque etiam contingit dictiones ob nimiam inter se literarum similitudinem, a Scriptoribus variari: ut si quis pro כל cal, quod significat omnis, בל bal scripserit, quod Danielis sexto capite cor significat. Cum igitur his, atque aliis ejusmodi causis saepe contingat interpretes impediri, non sunt damnandi, si interdum in talibus locis a veritate Hebraïcae lectionis deficiant: quales certe sunt, quos nasuti isti haeretici nostro interpreti objiciunt: ut הבדלח habbedolach, quod testibus Josepho, Hieronymo, & Rabbi Kimki, tam bdelium, quam lapidem prassinum, unionem, onychem, crystallum, & carbunculum, significat, & אלון alon, quod non solum pro convalle, & planitie, sed etiam pro quercu, ut annotavit Augustinus, Chisami episcopus, traduci potest, & במרמה bemirma, quod, CUM DOLO, & cum prudentia significat, & pro Chibrath, quod secundum Septuaginta locum significat, & secundum Hieronymum veteum tempus, & secundum David Kimki, quandam itineris mensuram: & illud similiter, quod Genesis sexto legitur לא ידון Lo Jadoo, quod tam judicare, quam manere, ac veluti judicem sedere, significat. Unde etiam Septuaginta, quos noster interpres secutus est, recte verterunt οὐ μὴ καταμείνῃ. NON permanebit: ut sensus sit, NON permanebit, vel, sedebit ut judex spiritus meus in homine: quod perinde est, ac si dicas: NON judicabit spiritus meus in homine. Ex quibus clare patet, editionem nostram raro in verbis, & nunquam in sententia ab Hebraïca veritate discrepare.

10. DE utraque tandem Latina novi testamenti editione, ac in primis de nova, non admodum curamus, an ea divi Hieronymi sit, nec ne, cum id ex scriptis ejus satis aperte sciri nequeat, appareatque, magis illum veterem novi testamenti editionem emendasse, quam novam, in totum novum testamentum editionem edidisse, propterea quod ipse in catalogo Virorum illustrium scribat, sese novum testamentum Graecae fidei reddidisse, vetus vero juxta Hebraïcam veritatem transtulisse. Quae sane verba indicant, ipsum posuisse discrimen inter transferre juxta Hebraicam fidem, & reddere Graecae fidei: atque per haec significasse, novum se testamentum non de Graeco transtulisse, sed tantum correxisse: quod etiam in Praefatione Evangeliorum ad Damasum innuit, dicens: IGITUR haec praesens Praefatiuncula pollicetur quatuor tantum Evangelia, codicum Graecorum emendata collatione: sed veterum, quae ne multum a lectionis Latinae consuetudine discreparent, ita calamo temperavimus, ut his tantum, quae sensum videbantur immutare correctis, reliqua manere pateremur ut fuerant. Et in Praefatione septem canonicarum ad Eustochium: EVANGELISTAS, ait, dudum ad Graecae veritatis lineam correximus. Ex quibus apparet, Hieronymum potius testamentum novum antea ab aliis versum emendasse, quam de Graeco iterum in Latinum vertisse: & verisimile est, hanc nostram editionem esse eam, quam Hieronymus emendavit. De erroribus vero, quos Hieronymus in veteri translatione annotavit, & recentiores in hac nova editione patirer annotatunt, ingenue fatemur & nos, multos errores ab Hieronymo emendatos in veteri traductione, & similiter in hac nostra nova editione nonnulla inveniri menda, soloecismos, barbarismos, hyperbata, & multa parum accommodate versa, & minus Latine expressa, obscure & ambigue interpretata, itemque nonnulla superaddita, aliqua omissa, quaedam transposita, immutata, ac vitio Scriptorum depravata, quae Sanctes Pagninus, Thomas Cajetanus, Franciscus Forerius, & Hieronymus Oleastrius, viri ex Dominicano Ordine eruditissimi, interpretationibus, & explanationibus suis indicarunt. Non tamen ex his sequitur, ecclesiam usque in hanc diem non habuisse veram, sinceram, integram, ac fidelem novi testamenti editionem: quia etsi in ea ejusmodi errata inveniantur, certum est tamen, neque in veteri, neque in nova editione aliquid unquam inventum esse, quod fuerit vel a veritate Christianae fidei devium, falsumve, ac mendax, vel

contrarium

contrarium dogmatibus ac regulis orthodoxis, vel praeter veritatem additum, vel contra veritatem mutatum, vel in praejudicium veritatis omissum, vel adeo depravatum, ut occasionem perniciose errandi attulerit, vel haeresibus, ac pravis dogmatibus materiam & fomenta praestiterit, vel ita obscure, & ambigue versum, ut mysteria nostrae fidei occultaverit, aut non ad sufficientiam, & quantum satis est ad salutem, explicaverit. Quos tamen errores, menda, ac depravationes Divus Hieronymus in veteri editione novi testamenti se consulto reliquisse testatus est, & ecclesia similiter in nova editione ex professo reliquit: non quia tot eruditissimi, ac sanctissimi ecclesiae Patres ea errata vel non agnoverint, vel approbaverint, sed quia ad ea dissimulanda justis se causis impelli viderint. Primo, quod animadverterint nihil periculi in fide ac moribus, ex his tam levibus erratis imminere. Deinde, ne fideles importunae, ac nimium exactae correctionis novitate offenderentur, quorum aures usque ab infantia vetus illa editio occupaverat. Postremo, ut vetustam illam editionem venerarentur, quae nascentis ecclesiae fidem educaverat, & crescentis roboraverat, & evexerat, utque sanctam ac venerandam illam simplicitatem antiqui interpretis, qui non sermonis ornatum, sed historiae veritatem quaesivit, sua ipsorum approbatione honorarent, & vestigia majorum suorum sequerentur; qui eosdem errores sacra quadam pietate ducti, tolerarunt exemplo sanctorum Apostolorum; qui quanquam scirent editionem Septuaginta interpretum in multis redundare, & in multis deficere, eam tamen non contempserunt, sed ubique eam praedicaverunt, & ex ea prima nostrae fidei fundamenta jecerunt. Temerarium igitur est, imo plane haereticum, propter leves quosdam defectus, qui in nostra vulgata editione, citra ullum fidei ac morum detrimentum, reperiuntur, eam spernere, & abjicere, novasque & prophanas in locum ejus haereticorum translationes introducere: praesertim post Oecumenici Concilii Tridentini decretum, cujus verba vulgatam editionem comprobantia, sic habent: *Sacrosancta Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse ecclesiae Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, quae circumferuntur sacrorum librorum, quae nam pro authentica habenda sit, innotescat: statuit & declarat, ut haec ipsa vetus & vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, & expositionibus, pro authentica habeatur: & ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat, vel praesumat.* Atque haec de translationibus divinae Scripturae, prolixius fortasse quam decuit, dicta sint.

Octavi & ultimi libri finis.

Quamvis satis superque erat ad proprium institutum, praesertim ad heterodoxorum blasphemias retundendas, Cl. N. Author de variis Scripturarum versionibus, earumque Authoribus hic disseruit, qui tamen alibi in hoc eodem opere haud omisit de variis id genus editionibus verbum facere, illarumque authores laudare, ut praecipue videre est Tom. I. Lib. IV. Ubi tamen est advertendum (quod etiam ego oculo currente legens, aliisque praepeditus, adnotare omisi) quod Felix Pratensis Etruscus ab eodem Xysto Dominicanis adlectus restituendus sit Ordini Eremitarum S.P. Augustini, quem ille fuit professus, ut ex Bulla Leonis X. ejusdem operi adposita luculenter adparet. Neque tamen piaculum in nostro Authore est notare, dum ex aliorum relatione ex Augustiniano fecit Dominicanum, ut praeceteris animadvertit N. Jacobus Echard, qui ex variis purgatisque monumentis Eremitarum S. P. Augustini Ordini restituit vindicatque Felicem Pratensem, pridem ab aliis, deinde a N. Xysto Praedicatoribus adlectum. Ex aliorum itidem relatione idem N. Author hujusce Felicis ex Hebraico Latinam hanc editionem primum vulgatam adserit Anno MDXX., quum tamen res ita non se habeat: extat namque Neapoli in Bibliotheca S. Johannis ad Carbonariam ejusdem Ordinis Augustiniani laudatum Felicis opus duobus voluminibus comprehensum, quorum primum editum est Venetiis MDXV. alterum ibidem MDXXII.

Quamvis, inquam, N. Xystus hic eos laudaverit translatores Originalium textuum, quos opportunos existimabat, sicut & IV. laudato libro eosdem percensuerit, quia tamen ibi alios adjicere aequum existimavi ad majorem legentium eruditionem, ita pariter hic, etsi paucos alios adjicere, qui ex Originalibus textibus versiones dederunt, opportunum censui, ut plenior habeatur eorum notitia N. Xysti idea servata. Quapropter etsi uberem hujusce rei segetem exhibeant Viri docti cum Orthodoxi, tum Heterodoxi, praesertim Philippus Labbaeus, Julius Bartoloccius, Richardus Simonius, Augustinus Calmet, Jacobus le Long, Antonius Teissierus, Johannes Albertus Fabricius, Christianus Kortholdus, Brianus Walton, Johannes Crovveus, Johannes Harlens, aliique, sat mihi erit manipulum seligere paucorum, qui dumtaxat ex Originalibus Bibliorum textibus versiones dederunt, & eorum dumtaxat, qui catholica professione censentur, ut ad umbelicum tandem perducam quod perficiendum adsumsi: Quapropter Elenchum horumce alphabetico ordine, per synopsim esto, subjiciam.

ADRIA-

A

ADRIANUS CHILIUS, Belga, Maldeghemius, Graece,& Latine doctus,Pastor Brugensis, Targum in Psalmos Latio donavit.Claruit A.MDXXXIII.

AGATHIUS GUIDACERIUS, natione Calaber, Caraeensis,in nostro Regno natus, & proprie in Oppido Rocha Corragii, linguarum Graecae, & Hebraicae Regius Parisiensis Professor XXIV. priores Psalmos, & Cantica Canticorum ex Hebraeo in Latinum vertit. Claruit Anno MDXL.

ANGELUS ROCCA,Ord.Eremitarum S.P.Augustini, Italus, Camers, in agro Picaeno, S. Th. Doctor insignis, Hebraice & Chaldaice doctissimus, a Xysto V. Bibliis Latinis ex Originali textu corrigendis addictus, a Clemente VIII. praefectora Sacrarii Apostolici decoratus, & post decennium Tagastensi infula insignitus, demandatam sibi provinciam adcurate obivit, & inter plura, quae edidit, opera, typis quoque mandavit Notas, seu Scholia in utrumque Testamentum. Insigni Romae extructa Bibliotheca, & immortali post se nominis sui memoria posteris relicta vivere desiit Anno MDCXX.

ANTONIUS LE MAITRE, Gallus, Parisinus, in Senatu Parisiensi Cl.Patronus, trium linguarum peritissimus, Psalmos ex Hebraeo Gallicos fecit, IV.Evangelia vero ex Graeco & Latino Gallice vertit.Ad finem dierum suorū pervenit An.MDCLVIII.

ARNOLDUS PONTACUS, Gallus, Burdigalensis, linguarum Orientalium peritus, Episcopus Vasatensis, Targum in Abdiam, Jonam, & Sophoniam Latine edidit. Obdormivit in pace Anno MDCV.

ATHANASIUS KIRCHERUS, Societatis Jesu, Germanus, Fuldensis, linguarum Orientalium peritus, linguae Hebraicae Romanus Professor, Psalmos Arabicos in Latinum commutavit. Obiit Anno MDCLXXX.

B

BERNARDUS BALBUS, Italus, Urbinas, Guastallae Abbas, Latinae, Graecae, ac ceterarum Orientalium linguarum peritissimus, Paraphrasim Onkelosi Latinam fecit. Mortis imperio cessit Anno MDCXVII.

BURGUNDIO, natione Italus, patria Pisanus, Graecae & Latinae eloquentiae Professor,patrem libri Geneseos, & Evangelium Johannis ex Graeco Latine transtulit. Devixit Anno MCXCIV.

F

FRANCISCUS VERON, natione Gallus, patria Parisinus, Ex-Jesuita, Carentomianus Pastor, & Cleri Gallicani Controversista, Gallicam Novi Testamenti versionem, quae Lovaniensis dicitur, diligenter cum Graeco textu conlatam, adjectis brevibus notulis litteralibus Parisiis vulgavit Anno MDCXLVII.

G

GUILLELMUS CANTERUS, Belga, Ultrajectinus, Latine & Graece doctus, praeter quamplurima opera, eaque varii argumenti, a probatis viris laudata, Bibliis Graecis Antuerpiensibus operam navavit: novam insuper horumce versionem Latinam adorsus est, varias etiam lectiones ad Graeca Biblia collegit. Vir immortalis memoriae non dum aetatis XXXIII. expleto mortem subiit Anno MDLXXV.

J

JACOBUS BOLDUCIUS, seu BOULDUC, Gallus, Parisinus, Ord. Min. Capuccinorum, Librum Job ex Hebraeo idiomate adcurata versione in Latinum transtulit, & paraphrasi ac commentariis adornatum edidit Parisiis MDCIX.idemque opus fusioribus commentariis inlustratum duobus voluminibus Parisiis vulgavit Anno MDCXXXVII.

JACOBUS JATUMAEUS, Ord. Praedicatorum N. Xyllo SIMON, Jacobo le Long JACOBUS. Vide quae de eo scribit N Xystus.

JOANNES CRESTONUS, Italus, Placentinus, Carmelita, Graece, & Latine doctus, S.Th. Magister, Graeco Psalmorum contextui Latinam a se confectam versionem adiecit. Floruit Anno MCDLXXXI.

JOHANNES HESRONITA, Maronita e Monte Libano, Syriacae linguae Professor Parisiensis, Pentateuchum ex Arabico, & libros Salomonis ex Syriaco Latine reddidit. Vivebat An.MDCXXV.

JOHANNES REUCHLINUS, Graeca voce CAPNION Phorcensis, Legum Imperialium Doctor, Comes Palatinus Caesareus, Latinam ex Hebraeo VII. Psalmorum Poenitentialium versionem fecit, edidítque Tubingae MDXVIII.

JOHANNES VERGARA. Vide priorem N. Elencbum adjectum I. T. V, *Camplutenses Doctores*, ubi ceteros, qui in eadem editione conlaborarunt, reperies.

M

MOSES MARDENUS, ex Mesopotamia, Catholicus Sacerdos non levem adhibuit operam Novo Testamento ex Syriaco Latine vertendo, quod Regiis impensis fuit editum Viennae in Austria Anno MDLXII.

O

OTHOMARUS LUCINIUS (de quo N. Xystus *T. I. f.* 45.) Ultrajectinus, Monachus S.Benedicti, praeter ea,quae ibidem a Xysto percensentur, e Graeco, & Hebraicis dialectis Latinitati redditum Psalterium vulgavit Augustae MDXXIV.

P

PETRUS CASTUS, vir Hebraice, & Chaldaice doctus,Targum in Ecclesiasten ex Chaldaeo Latine versum vulgavit, edidit quoque librum, cui titulus *Typus Messiae* Lugduni MDLIV.

PETRUS FAXARDUS, Hispanus, Marchio Valesius Linguae Graecae eruditione praestans, ex XVI. codicibus Graecis Lectiones Novi Testamenti Graeci congessit, & Latine dedit. Floruit An.MDC.

R

ROBERTUS SHIRVOOD, Anglus, Conventriensis, Catholicus, linguae Sanctae Professor Lovaniensis, Latinam ex Hebraeo translationem libri Ecclesiastici publicavit. Claruit MDXIII.

RODULPHUS LE MAITRE, Gallus, Hebraice doctus, Regiae familiae primarius Medicus, Psalmos ex Hebraeo Latine, eosdemque pariter, sicut & Cantica Canticorum Gallice edidit Anno MDCXXVIII. & MDCXXIX.

S

SERGIUS RISIUS, Maronita, Archiepiscopus Damascenus, Latinam Bibliorum editionem cum ex Syriaco, tum ex Arabico sub Pontificatu Urbani VIII. confecit. Diem clausit extremum Anno MDCXXXVIII.

STEPHANUS ISAAC, ex Judaeo Christianus, linguae Sanctae Professor Coloniensis, Malachiam Prophetam ex Hebraeo Latine redditum publici juris fecit Coloniae Anno MDLVII.

V

VICTORIUS SCIALAC, Maronita, Accurrensis, a Monte Libano, Romae in Collegio Sapientiae linguarum Syriacae, & Arabicae Professor, librum Job ex Chaldaeo, & Psalmos ex Arabico sermone in Latinum convertit.Claruit Ann. MDCXIV.

I N D E X

LOCORUM DIVINAE SCRIPTURAE, QUOS DIVERSI AUCTORES OB VARIAS OCCASIONES, SIVE OBITER, SIVE EX PROFESSO, TRACTARUNT.

Index Locorum

Scriptura

9 Erant

Sine

Index Locorum

FINIS HUJUS INDICIS.

Index locorum ambiguorum, qui passim in Commentariis expositorum divinae Scripturae inveniuntur, & in hoc Opere pie ac germane explicantur.

Index Locorum Ambiguorum

Serm.61.

In

Index Locorum Ambiguorum

Auctor commentariorum in Paulum, qui Hieronymo tribuuntur.

Hilarius.

Hippolytus Romani portus episcopus.

Hugo Carensis.

Jacobus Apostolus.

Jacobus Sadoletus.

Joannes Cassianus.

Joannes Chrysostomus.

Hom.2.

Ex Patrum Commentariis.

Ex Patrum Commentariis.

FINIS HUJUS INDICIS.

Index Haereticorum; quorum in hoc Opere, aut fraudes & imposturae deteguntur, aut haereses & blasphemiae confutantur.

Index Haereticorum

Auctores alii, quorum vel errores, vel damnata dogmata in hoc Opere oppugnantur.

Index Rerum Memorabilium, quae hoc Opere continentur.

Angelus

Index Rerum Memorabilium.

Index Rerum Memorabilium.

Index Rerum Memorabilium.

Con-

Index Rerum Memorabilium.

En-

Index Rerum Memorabilium.

Index Rerum Memorabilium.

Ima-

Index Rerum Memorabilium.

Man-

Index Rerum Memorabilium.

Index Rerum Memorabilium.

Index Rerum Memorabilium.

Rabbi

Index Rerum Memorabilium.

Index Rerum Memorabilium.

FINIS HUJUS INDICIS.

SPHALMATA CORRIGENDA

TOm.I. pag.516. Tessarecades cor. Tessaradecades T.II. lib.V. pag.658. Annotatio CXLII. cor. CLXXIIII. ibid. pag.718. Annotatio CCLII. cor. CCLVI. ibid. pagin.720. Annotatio CCLXVI. cor. CCLXI. Lib.VI. pagin.826. Annotatio CLXII. cor. CXLII. Cetera, si quae irrepserunt, menda utpote levioris momenti, facillime corriges sapiens Lector.





